16213/C

BURMANNUS, Petrus, the elder

SYLLOGES EPISTOLARUM

A

VIRIS ILLUSTRIBUS SCRIPTARUM

TOMUS IV.

QUO

NICOLAI HEINSII, JOHANNIS GEORGII GRAEVII, ET JACOBI PERIZONII

EPISTOLAE

MAXIMAM PARTEM MUTUAE EXHIBENTUR.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

JOHANNIS GEORGII GRAEVII
ET
NICOLAI HEINSII
EPISTOLAE
MUTUAE.

EPISTOLA I.
JOH. GEOR. GRAEVIUS
Nic. Heinſio.

Holmiam.

QUAMVIS omnium eruditorum epiſtolis, ſi quae ad me adferuntur, maxime adficiar, ſingularem tamen & incredibilem quandam voluptatem ex tua cepi, Nobiliſſime Heinſi, & quod occulta quadam vi a teneris Heinſianum nomen prae caeteris ſuſpexerim & coluerim, & quod eae luculenta adfectus in me tui argumenta continerent. Quibus effeciſti, ut qui publico nomine cum erudito orbe plurimum tibi hactenus debeam, jam privatim etiam obnoxius ſim, & hinc nihil prius habeam, quam ut indies hunc cultum, qui nulla incrementa capere poteſt, tibi magis magiſque probem. Nec erat, ut ſilentii culpae excuſari velles. Non ſum tam impudens, ut ad otii mei rationes reſponſionum tuarum vices diſpungam. Sufficit mihi, ſi reſcivero, te importunitatem meam in interpellandis curis tuis, quas bono litterario cum invidia impendis, non aegre ferre. Hinc tanto majores gratias tibi ago habeoque, quod non tantum benevole mihi reſpondere; ſed & frivolas nugas illas excutere dignatus fueris; quibus lubens non ſine pudore renuntiavi, viſa tua eruditione. Sed quando illa nobis dabit deſideratiſſimas animadverſiones in Ovidium? Haec ſane promulſis tantam mihi ſalivam movit, ut conceptiſſimis verbis teſter, nihil eſſe quod ardentius deſiderem. Idem clamant omnium doctorum e Germania noſtra, quas ſubinde accipio, litterae. Quo citius nos voti damnabis, eo majorem gratiam a tota Republica litteraria inibis, quae mire tam longa deſtinatione torquetur, in primis hac tempeſtate, qua ardor ille eruditi Belgii penitus refrixiſſe videtur, ut, ſi abſque te & Ampliſſ. V. V. *Gronovio* & *Voſſio* eſſet, nihil illius gloria, qua hactenus floruit, dignum exſpectandum nobis foret. Poëmata tua nunquam niſi doctior & mirabundus ſepono. Quod tot viri maximi

ximi a renatis litteris affectaverunt, tu demum feliciter aſſecutus es. Fidem utique feciſti, noſtri etiam ſeculi ingenia ad priſcorum poëtarum laudem gravitatemque poſſe adſurgere. Sed malo haec apud alios, quam apud te, ne auribus tuis ſervire videar: a quo crimine ut quam longiſſime ſemper abſui, ita nunc facile me abſolvet omnium eruditorum applauſus, ut ne, ſi vellem quidem, illius ſuſpicionem hîc incurrere poſſim, adeo nihil dici poteſt, quod non longe infra dignitatem eruditionis tuae ſubſidat. Jam has obſignaturus eram, niſi quod neſcio, quo agnato mihi vitio, antiquum obtineam Cl. viris nugis meis obſtrependi, quae in primis ad te legari geſtiunt, tam comiter & tam benivole nuper exceptae. Salluſtius in Catilina c. 52. ait: *Poſtquam Caeſar finem dicendi fecit, caeteri verbo, alius alii varie aſſentiebantur.* Ita recentiores editiones. Vetus Laeti: *Caeteri verbo, ejus alii.* Inde fecerunt, *alius alii*, & nemini de mendo ſuboluit. Puto autem corruptam eſſe communem aſſentiendi formulam, levicula mutatione ſic reſtituendam: *P. C. d. f. f. Caeteri verbo, pedibus alii, varie aſſentiebantur.* Liv. XXVII. c. 34. de Marco Livio: *Cenſores eum in ſenatum venire, fungique aliis publicis muneribus coëgerunt; ſed tunc quoque aut verbo aſſentiebatur, aut pedibus in ſententiam ibat.* Et ſexcenties alibi. In Catalectis Virgilianis p. 77. edit. Scalig. legitur luſus in Priapum, non una parte, ut mihi videtur, affectus.

Parum eſt, MISER QUOD HIC FIXI ſedem,
Agente terra per caniculam rimas,
Siticuloſam ſuſtinens diu aeſtatem:
Parum, quod imi perfluunt ſinus imbres,
Et in capillos grandines cadunt noſtros,
Rigetque dura barba juncta cryſtallo.

Totum locum ita reſcribendum conjeci:

Parum eſt, miſellus fixerim quod hîc ſedem,
A. t. p. c. r.
S. ſ. die aeſtatem:
Parum, quod imos perpluunt ſinus imbres,
Et. i. c. g. c. n.
R. d. barba vincta cryſtallo.

Ita ego puto, num exputaverim penes te, incomparabilis Heinſi, judicium eſto, cujus auctoritas mihi inſtar omnium eſt. Verum manum de tabula, ne plane extra oleas vager. Non poſſum tamen non addere, quod nuper convenerim bibliopolam Batavum, qui ſe Politica Ariſtotelis cum paraphraſi δαιμονιωτάτε parentis tui, additis obſervationibus *Picardi* ſub praelum revocaturum mihi adfirmavit, rogavitque ut operam meam adjuvando illi operi, dum Amſterodami hanc aeſtatem ſim commoraturus, accommodarem. Quam hac lege addixi, ſi ſufflaminare praelum vellet, donec mentem tuam ſuper hac re percepiſſem. Audivi enim, multis locis emendatiorem & auctiorem illam ſervari. Nolo quicquam abſque auctoritate tua ſuſcipere. Quamvis aegre perſuaſerim ipſi, quum lucro inhiet, liberque ubique tantopere deſideretur, & alii inſuper

ſuper in Germania hanc curam ſuſcèpturi ferantur: perſuaſi tamen, & ut potiſſimos commentatores, (quoniam omnino *Piccardi* annotationes addi cupit,) utpote *P. Victorium*, *Camerarium*, *Giffanium*, *Sepulvedam* illi adjungeret, auctor fui. Enixe itaque rogo, ut paucis mentem tuam mihi aperire, qua es humanitate, digneris, num praeſtolari debeamus adventum tuum, vel editionem priorem exprimere & ſequi. Ego fidem intemeratam & induſtriam indefeſſam ſancte ſpondeo. Vale, ſeculi & omnis eruditionis decus, temeritati meae ignoſce, ac porro fave nominis & eruditionis tuae admiratori & cultori devotiſſimo. Scripſi Amſtelrodami, MCIↃCLIV. Kalend. April.

EPISTOLA II.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

NUllas a te accipio litteras, Vir Nobiliſſime, quin mirificam ex iis voluptatem capiam. At hoc tanto fuerunt gratiores, quanto inſperatius magna me liberarunt ſollicitudine, pluraque affectus erga me tui continebant argumenta. Equidem cum gravem mererer animadverſionem, qui tantum non conturbaveram, benignam culpae veniam ab animi tui aequitate impetravi, quod imputare poteram, & nova inſuper ſingularique ornatus ſum benivolentia, ut totus jam in poteſtate tua ſim, ac nullis in te meritis maximorum me debitorem eſſe noſcam. Huic gaudio non leve acceſſit monumentum a ſpe deſideratiſſimi adventus tui, quam nobis adfirmaſti. Dies ille, qui nos hujus voti reos faciet, quo poſt tantum temporis intervallum coram te venerari, notaſque audire & reddere voces licebit, ſollemnis mihi erit, alboque calculo notabitur. Interea Deum ſupplex venerabor, ut fortunet iter tuum, ac ſoſpitem te patrio coelo litterarumque ſaluti reſtituat. *Gruteri* excerpta non reliqua modo, ſed & quae miſi, reverſo tibi tradam, non quod levem deſcribendi laborem detrectem, qui longe plura tibi debeo, ſed ut ipſo potius ἀυτογράφῳ uti, ac calami mei errores, quorum plures forſan diſtortae ſcripturae non uſque adeo gnaro, ac conjectore parum ſagace commiſſi ſunt, deprehendere poſſis. *A Rubenio* expecto reſponſum ad litteras meas, quas cum *Gronovii* Livio aliiſque non ita pridem ad ipſum curavi, & tum de Metamorphoſi manu exarata diligentiſſime cum illo agam. Si id intra octiduum non apparuerit, denuo ipſum interpellabo, & omnem lapidem movebo, ut voluntati tuae ſatisfiat. Sed ne haec epiſtola a ſolemnibus nugis meis immunis ſit, quum jam humanitatis tuae fiducia me quaſi ad legitimum illarum uſum animaverit, denuo frontem perfricabo, & de hoc loco Ovidii, qui me nuper legentem advertit, ſententiam tuam explorare non verecundabor. Lib. II. Triſt. 211. vulgo legitur:

Altera pars ſupereſt: qua turpi crimine tactus

Arguor obſcoeni doctor adulterii.

At mihi, cum penitius locum iſtum inſpicerem, ſuccurrebat, legendum eſſe:

Altera pars ſupereſt, qua turpi carmine factus A. o. d. a.

Quod mihi perſuaſerunt illa, quae modo praeceſſerant, in quibus duas exilii cauſas edit, carmina obſcoena, & errorem: *Perdiderint quum me duo crimina, carmen & error &c.* Alteram ſilentio, errorem ſcilicet, praeterit, alteram *carmina* illo & ſequentibus multis verſibus excuſat. Praeterea animadverti, ſaepe iſta duo vocabula *crimen* & *carmen* confundi. ſic contra in carmine, quod Aethna inſcribitur:

Tu quoque Athenarum carmen tam nobile ſidus
Erigone.

Ubi legendum mihi videtur: *T. q. A. crimen, jam nobile ſidus E.* Nota eſt fabula. Plura exempla ſub manu ſunt, ſed pudet adſcribere, ne & ipſe fabula fiam, qui hiſce gerris intemperanter & otio & facilitate tua abutar. ſed noſti illud φρένες δὲ νεῶν. Et tu quum tam propenſus ſis ad ignoſcendum, lubens novam tibi ignoſcendi materiam offero. Si modum excedo, tu vel digiti, qua apud me es auctoritate, crepitu temeritatem iſtam compeſcere potes. Vale, ſidus ſeculi. Amſterodami prid. Non. Aug. CIↃIↃCLXV. ſimul ac tuas accepi.

EPISTOLA III.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUantum me nuper rumor adfectae ſanitatis tuae perculerat, Vir Nobiliſſime, tantum nunc exhilaravit nuncius exoptatiſſimi adventus tui. Qui ſimul ac ad meas aures accidit, Deo Opt. Max. ſoteria perſolvi, quod te tanto viarum ac valetudinis periculo defunctum patriae tuae ſalvum & incolumem redonaverit. Faxit is, ut hoc gaudium ſolidum propriumque ſit mihi ac reipublicae litterariae, cujus praecipitia fata tu cum pauciſſimis praecipue moraris. Advolaſſem ego ſtatim, & praeſens tibi cultum, ſive potius pietatem meam, qua te primarium hujus ſeculi virum dudum ſuſpicio, probaſſem, niſi me cohibuiſſet metus peſtilentis ſyderis, non meus quidem, ſed illorum hominum, quorum contubernio nunc aſperitate meorum, quibus me amor optimarum artium inviſum reddidit, uti cogor. Stat tamen etiamnum ſententia ad vos, quamprimum lues deſaevierit, excurrere, & nullo pacto occaſionem hanc, te poſt tantum intervallum videndi & coram venerandi, negligere. Spero autem te hac hyeme Hagae Comitis commoraturum, quod valde ſcire aveo. Sin minus, certum eſt extemplo iter corripere, & abitum tuum occupare. Nec ullae quadrigae impetum hunc continebunt. Ingenti enim deſiderio feror incredibilem illam ſermonis tui ſuavitatem, quam epiſtolae tuae hactenus

prae-

praeſtiterunt, pleno ore quaſi imbibere, ac audire illibatum florem populi, Suadaeque medullam. Is enim tu, nihil hîc do auribus tuis, citra controverſiam es, & nemo noſtra parentumque aetate, utroque orationis, ſolutae & pedibus adſtrictae, genere a pura incorruptaque antiquitate propius abeſt: ita me non θάμβος, ſed ἱερὸν σέβας ἔχει, quando a lectione tuorum poëmatum recedo, quorum ubertas & dictionis infucatae nitor longe ſupra ſortem & captum hujus ſeculi eminet. Sed nefas eſt, propter viam, quod ajunt, & paupertina oratione laudes tanti viri delibare. At quando reliqua ingenii tui monumenta, quae domi ſervare diceris, videbimus? quando deſideratiſſimus Ovidius tuus apparebit? Cur tantum theſaurum, etſi pauci ſint, qui intelligant, orbi invides? Sed de his plura coram. Apportabo tum mecum excerpta Gruteriana. Litteras meas noviſſimas, quibus tuis reſpondebam, ſpero te accepiſſe. *A Rubenio* dudum ego & *Gronovius* οὐδὲ γρὺ, licet non unis ab utroque ſollicitatus ſit, ut neſciamus an quid ei acciderit, quod omen Deus avertat, an publicae turbae metuſque hoſtilis oblivionem officii inducant. Sunt alia, quae ſpe facilitatis tuae geſtio in ſinum tuum effundere, ſed differo in beatum illum diem, quo notas audire & reddere voces licebit. Vale, eruditorum lux, & mihi, te ex animo obſervanti, amorem tuum ſerva. Amersfordiae IV. Idus Novemb. CIϽIϽCLV. Cl. *Gronovio* noſtro jam adventum tuum indicavi, qui & ipſe de valetudine tua ſollicitus magno gaudio efferetur.

EPISTOLA IV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SErius opinione tua, Vir Ampliſſime, reſpondeo, non quod tot negotiis diſtrahar, ut non poſſim vacare ſcriptioni litterarum; ſed quod ſpe adventus tui, quae per tot menſes nos ſuſpenſos tenet & poene enecat, lactatus mallem coram officio iſto defungi. Verum quum Leyda nunciaretur, poſt unam demum alteramve hebdomadem te adventurum, nolui reſponſionem diutius trahere, ne negligentiae aut ſubleſtae fidei ſuſpicionem apud te incurram. Ex *Gronovio* (cujus diutina mora nos valde ſollicitos habet, quia ipſi tredecim dies ſunt, quum ad vos abiret, & intra quatriduum ſe certo reverſurum polliceretur; interea autem variae a Curatoribus & Profeſſoribus Franeckeranis epiſtolae advenerint, qua eum ſollicitant ad docendam eloquentiam) intellexiſti puto falſa eſſe, quae de Euſebio *Scaligeri* audieras. Ipſe *Everardus* lento morbo excarnificatus neſcit quid librorum & quot poſſideat. Nullum habet catalogum, omnia in ejus bibliopolio ſuſque deque habentur; omnia ſunt indigeſta, & incompoſita. Excuſſi tamen omnes angulos, ſed nullibi vel veſtigium Euſebii apparuit. Affirmavit mihi ſe brevi omnem ſupellectilem ſuam, quia propter morbum non poteſt diutius venditioni librorum incum-

 bere,

bere, ſectioni ſubjecturum, & in eo eſſe, ut catalogus conficiatur, qui non citius prodibit, quam tu habebis. Hactenus nihil occurrit, quod oculis tuis dignum eſſet. Si quid videro, cave dubites me ullam occaſionem gratum & tibi deditiſſimum animum meum teſtandi amiſſurum. *Elzevirii* nuper neſcio ex cujus Germani bibliotheca acceperunt multos antiquos & raros, eoſque optimarum editionum libros. Indices prima quaque die videbis. Janſoniani haeredes, quum Theologicos, & quos vocant Miſcellaneos uſque ad litteram G vendidiſſent, auctionem interpellarunt, & in proximum menſem venditionem Jureconſultorum, Medicorum reliquorumque Miſcellaneorum diſtulerunt. *Reineſius*, a quo nuper litteras accepi, edit ſelectas aliquot inſcriptiones antiquas cum Commentariis, & Paralipomena hiſtoricorum Graecorum; tomus ſecundus variarum lectionum, & juſtum inſcriptionum ἀνεκδότων volumen brevi ſequentur. *Barthii* Claudianum Mamertum hae nundinae ferent, proximae *Gulielmum Britonem*, & Terentium cum notis *Boecleri*. *Berneggeri* in Suetonii Caeſarem & Auguſtum Commentarius auctior, ſi prima frons non mentitur, hiſce diebus quoque in bibliopoliis noſtris apparuit. In Gallia audio *Cujacii* opera a Fabretto praelis reddi, additis duobus novis tomis variorum tractatuum, quos hinc inde collegit. Tuum Ovidium omnium litterae, quas ex Germania ſubinde accipio, clamant. Quando nos votorum compotes reddes? Ego propter ſordes hoſpitis mei, qui tenuem mercedulam minuere volebat, propediem ſedes migrabo. Optarem ut mihi facultas Galliam & Italiam videndi daretur. Si quis forſan magnatis filius, aut legatus iter illuc adfectaret, velim, ſi commodo tuo fieri poterit, memor ſis, & in gratiam me apud illum ponas, ut comitem adſciſcat. Ego omnes bibliothecas, quaecunque mihi patebunt, lubens in ſpem gratiae tuae perſcrutabor. Sin minus, ibo quo fata trahent. Maximopere aveo de adventu tuo vel tribus verbis certior fieri. Nam ſi is aliquanto longius producetur, certum eſt, antequam conſilium cepero, quo me vertam, ad vos excurrere, & te, vir ſumme, ante diſceſſum meum coram denuo venerari. Vale, ſeculi & litterarum ornamentum, & mihi devotiſſimo tui cultori fave. Amſtelrodami VI. Kal. Mai. CIↃIↃCLVI. Nobilem *Voſſium*, &, ſi apud vos etiamnum haeret, *Gronovium* meo nomine ſaluta quaeſo:

EPISTOLA V.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUo certius nuper pollicebaris, Vir Ampliſſime, brevi hîc tui videndi amplectendique copiam futuram, eo gravior nobis hactenus ejus expectatio fuit. Noſti enim quam durum accidat, ſi illa, quae efflictim cupimus, trahantur, & ſpes, quae in propinquo eſt, longius producatur. Cave autem

autem credas quicquam mihi optatius evenire poſſe, quam ſi illo mihi frui licuerit: cujus imago ſemper oculis meis obverſatur, in cujus admiratione totus defixus dies noctesque haereo, in quo colendo a multis annis paternam mihi pietatem conſtitui, ac cujus amoris ſuavi cogitatione (vides quam non loquendi licentiam fiducia facilitatis tuae mihi indulgeam) difficultates maximas, quae me dudum exercent, ſolor ac ſuſtineo. Idcirco quicquid temporis intercedit, quod mea vota moratur, teſtudineo, ut ita dicam, gradu ire mihi videtur, nec id fallere poſſem, niſi jucunda hac perſuaſione animum prae deſiderio aegrum & tantum non emortuum interea jactarem, te tarditatem adventus tui longiore mora penſaturum. Faxint ſuperi, ut poſt tot poenas brevi felicitatis hujus compotes ſolide & diu gaudeamus. Quam grandi acceſſione cumulabit Cl. *Gronovius*, qui & ipſe cis paucos dies ſui ſpem nobis in noviſſima epiſtola fecit. Ejus enim opus cras puto praela relinquet, & tum aderit, ut recte curentur exemplaria. Illius, qui tibi deſtinavit, mihi mittendi facultatem dedit, quod intra tres ſpero quatuorve dies videbis cum grandiore quodam libro e Galliis a *Capello* miſſo, quem *Morus* mihi tradidit. Is aliquot diebus apud me ſubſedit, ut conjungerem cum pecunia vetere *Gronovii*, & ſic eadem opera duos quaſi dealbarem parietes. Vellet *Gronovius* quoque libros, quos in ſcedis notatos vides; ex τρισμεγίστȣ Parentis tui bibliotheca per me ſibi emi, quoniam decreveram illuc ire, & pro hoſpite meo plurimos cariſſimosque libros inſano pretio praeſtinare. Perſuaſeram enim ipſi, ut tam commodam occaſionem filiis bibliothecam inſtruendi occuparet, cujus copiam, ſi jam dimitteretur, poſthac quidem ſe nunquam habiturum. Jam certum erat mille florenos & ultra libris emendis impendere. Sed haec conſilia turbavit diaria febris, quae hoſpitem meum, Ultrajectum laxandi animi gratia profectum, invaſit, & ita conficit, ut depoſita fere ac conclamata ejus ſalus habeatur. Hoc qnaſi praevidit *Gronovius*, cujus epiſtola ſic de te pariter & emptione loquebatur: *In auctione velim poſſis mihi & amico gratificari. Meum pretium non addidi. Scis ultra juſtum non adſcendere multum ſolere. Itaque tanto plures notavi libros, quanto pauciores me accepturum ſpero ob licentium inſaniam. Videbis tamen ut aliquid habeam: & ſi primi erepti nobis fuerint, permitto tibi, ut paulo carius praeſtines ultimos. De nummis autem tam pro ſignatis in altera ſchedula, quam pro meis ne ſis ſolicitus: praeſto erunt, ſimul atque libros habebimus: quod ut citius fiat, per tabellarium, non mari mittere poteris. Ipſe ſi non ibis, in hanc ſententiam meo nomine ad Heinſium ſcribes, & ſchedulas illi mittes, a quo equidem tam longo tempore ne nihil accepiſſe miror: non quod aegre feram (ſaepe enim ille diutius expectat meas) ſed quod praeter morem ejus ſit.* Parui ejus voluntati, & mitto quae juſſit tibi delegari. Is qui Marcum Antoninum & animadverſiones ſacras edidit, appellatur *Thomas Gattakerus. Rubenius* me pridie laetiſſimo nuncio exhilaravit, ſe explicationem duarum antiquarum gemmarum, & notas in aliquot nummos *Moreto* tradidiſſe. De Ovidio quanquam denuo admonitus ſilet, quia te jam quae volebas obtinuiſſe credo. Ad *Reineſium* circa finem hujus hebdomadis litteras paro, ut Francofurtum cum aliis, quae ipſi adſignantur, perferantur.

Si

Si vel ipſe illi ſcribere, quod nuper te facturum ſignificabas, vel per me quidpiam ſcribi volueris, fac tempeſtive ſciam, non deero officio meo. Vale, Vir Nobiliſſime, & in amore mei tam diu perſevera, quam diu in divinis ingenii tui dotibus ac virtutibus colendis & admirandis perſtitero, hoc eſt, ſemper. Vale iterum, meum litterarumque unicum praeſidium. Raptim Amſterodami XVII. Kal. April. CIↃIↃCLVI.

EPISTOLA VI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

QUo animo affectus fuerim, Vir Nobiliſſime, quum nuper Amſterodamo diſcederem, ipſe exiſtimare potes, quum tot dierum gaudia, pariterque optatiſſimae conſuetudinis tuae, qua nihil mihi dulcius, nihil prius eſt & antiquius, fructus eriperetur. Sane ſi res, quae meae fidei commiſſa erat, moram tuliſſet, nunquam a tuo latere me dimoveri paſſus eſſem. Nunc hoc unum ſolatio eſt, brevi fore illud tempus, ad vos excurrere, & longiore mora jacturam iſtam reſarcire dabitur. Nam a tuo congreſſu nunquam niſi doctior recedo. Et liquido poſſum affirmare, me paucis illis diebus, quibus tecum nuper eſſe licebat, plus profeciſſe, quam ex omnibus conventibus vaſtae urbis. Hîc nihil me juvat, praeterquam coelum molle, ruris ſuburbani amoenitas, ipſaque loci ſolitudo gratum meis Muſis receſſum praebens. Ex hominibus Philoſopha ſententia, ignava aut inutili opera, quae jucunditas mihi aut fructus poteſt provenire? Epiſtolas *Caſauboni* nunc mitto, ut fidem, quam tibi obſtrinxi, liberem. Aegre tuli titulo nominis mei frontem libri proſcribi. Et id ſuo conſilio, me invito multumque deprecante, typographum feciſſe ſancte teſtor. Non me tam impotens ambitio vexat, ut laureolam in muſtaceo quaeram, & tam perverſe famae ſtudeam, ut illi ipſi labem inferam. Te enixe rogo, ne librarii culpam mihi imputes. Adjunxi catalogum librorum, qui proximo die Mercurii haſtae hîc ſubjicientur. Si qui inter illos fuerint, quos tibi praeſtinari cupis, fac tribus tantum verbis de tua voluntate mihi conſtet. Annitar, ſedulo ut tibi ſatisfiat. *Paſchalius* de Coronis hîc plane ignoratur. *Thomaſinum* de teſſeris hoſpitalibus Utini MIↃCXLVII. vulgatum an vidiſti? Audivi hiſce diebus, qui ad coelum uſque efferret, ut magna me ejus videndi cupiditas inceſſerit? ſed quum in iſtius hominis judicio acquieſcere non poſſim, neque inſpiciendi copia detur, quaeſo te, ut data occaſione me doceas, is liber cujus ſit pretii. *Reineſii* Antagoniſta diem ſuum obiit. Ego nihil certi temporis condixi hoſpiti meo. Si qua daretur occaſio aut Galliam, aut Britanniam, aut Italiam videndi, omnia me conſequutum putarem. Sed nae ego ſum ἀγροῦ πλέων, qui antiquum obtineo, hoc eſt, nugis meis te obtundo nimia facilitatis tuae fiducia. Vale & ignoſce. Trajecti ad Rhenum CIↃIↃCLVI. XVII. Kal. Jul. aerae Dionyſ.

EPI-

EPISTOLA VII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

MItto binos indices librorum, Vir Ampliſſime, in quos modo incidi. Illarum auctio propediem habebitur. *Bommelii* quidem futuro die Lunae; *Petiti* vero paulo poſt. Pridie accepi partem ſuppellectilis librariae ex Germania. In illa ſuſpectae Lectiones *Scioppii*, & *Coleri* Parerga, quae a te deſiderari aliquando intellexi. Si e re tua fuerit illa inſpicere, aut uti, aut frui, mecum feram. Proxima enim hebdomade ad vos excurram, & inde recta Teutoburgum. Recepi quoque inter mea duo exemplaria orationum *Buchneri*, quorum alterum nemini melius potero offerre, quam tibi, qui talium lectione delectaris. Totus ſum in adornando itinere, & colligendis ſarcinis, ut vix potuerim hiſce exarandis vacare. Rogo ſummopere, ut feſtinationi ignoſcas: ſcripſi enim quum jam jam ſcapha ſolutura eſſet. Vale. Ultrajecti XIII. Sept. CIↃIↃCLVI.

EPISTOLA VIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

LItterae tuae, Vir Ampliſſime, quae ad veſperam cum argento mihi traditae ſunt, magnopere me confuderunt. Et quamvis totus eſſem in convaſandis ſarcinis, non potui tamen, quin paucis teſtatum facerem, te libris deſideratis per me non carere. Sane publico praeconi, qui auctioni praeerat, ſtudioſe commendavi, ut invigilaret illis emendis, quos juſſeram. At quum hominem in ſupina negligentia animadverterem, (nam ego nullum eorum accepi, quos cupiebam) poſtero die ipſe interfui venditioni, & praeſtinavi Lucanum Hortenſii, Patricii diſcuſſiones Peripateticas, alioſque, quos te hodie accepiſſe ſpero. Adfui quoque quum venderetur Proſodi *Aegnolus Fiorenzola*, ſed illum Profeſſor Ethices Imperiali licitabatur. Oro autem etiam atque etiam per omnia Muſarum ſacra, te eorum praeſidem, ut hanc veniam des occupationibus meis, quibus jam obſideor, quod non diligentius officia, quae ſumma tibi debeo, praeſtiterim. Expiabo hanc culpam in poſterum omni cura, ſtudio & contentione, faxoque cognoſcas neminem eſſe, qui magis te colat, obſervet, & beneficia, quae plurima in me non merentem contuliſti, grata memoria recolat. quod rebus, quandocunque occaſio affulſerit, quam inanibus verbis tibi confirmare malo. *Wouwerii* Firmicum hoc ipſo die in biblio-

bliopolio, ubi proſtant veteres libri, cum *Codri Urcei* opuſculis, *Diſſaldei* animadverſionibus in Plautum, *Rittershuſii* Commentario in epiſtolas Plinii & Trajani (qui num in *Gruteri* editione reperiatur ſcire pervelim, eſt enim ſatis ponderoſus) aliisque rarioribus libris inveni. Quia dudum te illum quaerere nuper intellexi, jam mitto. Levidenſe munuſculum pro tot donis auro contra mihi caris. De Ovidio *Tollii* nihil poteſt ſciri, niſi Catalogo inſpecto. Nam hîc locorum non apponunt catalogis nomina emptorum, ut Leydae, Amſterodami, & alibi: ſed cuivis auctioni liber novus paratur, cui numeros tantum inſcribunt; nec in rationibus indices librorum, quos emerunt, ſed numeri ſolum, quoti nimirum in catalogo fuerint, exhibentur. Differetur diſceſſus meus in diem proximum Saturni. Si e re tua fuerit, poteſt catalogus a *Junio* in tantilli temporis uſum impetrari per *Elzevirios*. Hîc fruſtra quaeritur. Quantum in me erit, nullum onus in ſpem gratiae tuae, nedum tam levem operam gravabor. *Gronovius* te ſalutat. Molitur defenſionem contra maledicentiſſimam epiſtolam *Salmaſii* olim ad *Sarravium* ſcriptam, qua indigniſſimis conviciis primam ejus diatriben de Seſtertiis proſcidit. Graviſſime de hac injuria conqueritur. Hamburgi morabitur, donec tempeſtas iſta deſaevierit. Cottidie enim etiamnum centeni Daventriae dicuntur efferri. Nunc iterum iterumque ſummis precibus a te, Nobiliſſime Heinſi, contendo, ne aliena negligentia benevolentiam tuam, qua nihil mihi carius, nihil antiquius eſt, imminuat. Quanta ſollicitudine me levabunt, quanto gaudio afficient illae litterae, quae hoc εὐαγγέλιον ferent. Vale, meum litterarumque decus, & ita tecum ſtatue, ſummam votorum meorum eſſe, ut in amore mei perſeveres. Iterum vale. Ultrajecti a. d. IV. Octob. CIↃIↃCLVI.

Has heri ſcripſeram. Sed cum ad ſcapham portantur, nauta nobis elapſus fuerit. Hodie ſupervenerunt alterae tuae cum reliquis nummis; tanto gratiores, quanto majoribus curis & doloribus priores me implicuerant. Nihil enim acerbius animo meo evenire poterat, quam propter aliorum oſcitantiam tanti Viri benevolentia excidiſſe. Perendie Deo dante me viae dabo. Omnia me conſequutum putabo, ſi officiorum meorum aſſiduitatem tibi probavero. Plura propediem Dysburgo. Haec exaravi feſtinanter occupatiſſimus. Vale Vir Summe. Ultrajecti a. d. V. Octob. CIↃIↃCLVI. Sicubi incideris in Adverſaria *Turnebi*, decem florenis mihi empta velim. Pretium ubi cognovero ſtatim repraeſentabo.

EPI-

EPISTOLA IX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

DEfunctus ſum hoc itinere, Vir Nobiliſſime, & perſonam mihi impoſitam ſecunda omnium voluntate, niſi mihi ipſe blandiar, indui. Regionis ingenium magis placet, quam incolarum. Hi enim aſperi & inculti, & quorum mores propius ab illorum moribus abſunt, quos lepida epiſtola *Lipſius* olim depinxit: illa vero non modo mollioris coeli apricitate, & montium, ſylvarum, agrorumque, quos Rhenus pater lambit, laeta amoenitate; ſed & plurimis venerandae antiquitatis ruderibus inſignis eſt. Elegantiam Belgicam ut hîc fruſtra quaeras, ſic aequiore animo deſiderarem, qui didici me ſuſtentare quod adeſt: ſi ſubinde jucundiſſimo complexu, eruditiſſimiſque colloquiis tuis, quorum fructum & ſuavitatem carendo demum ſentio, hoc deſiderium meum daretur lenire. Nunc tanto acrius eſt, quanto majus ornamentum, majuſque ſtudiorum meorum praeſidium in tua conſuetudine amiſi: quae & doctiorem me reddebat, & quaſi facibus quibuſdam animum aut inertia, aut temporum horum perverſitate, refrigeratum accendebat. Jam vero inter homines omnis humanitatis expertes poſitus plane torpeſcam, niſi interdum litterae tuae jacentem deſolatumque erigent ac ſolabuntur. Quod tamen non niſi commodo tuo fieri cupio. Facile enim exiſtimare poſſum, quam parum temporis tibi vacuum fuerit a publicis occupationibus, curisque tuis, quas invidioſae illi ac deſideratiſſimae Ovidii editioni te impenſurum promiſiſti. Has ſi intempeſtivis iiſque crebris officiis meis turbari poſtularem, hominum omnium eſſem impudentiſſimus & inficetiſſimus, mihique ipſe & publico bono iniquus. Perſuaſiſſimum enim habeo, quamdiu nobis elegantiſſimas notas tuas invidebis, omnes interiorum litterarum cultores multa exquiſitaque eruditione fraudari. Bone Deus! quos plauſus tollam, quanta laetitia omnes amicos, quos cura Muſarum tangit, implebo, ubi hunc nuntium accepero, non longe eſſe, qui noſtrae ſpei expectationique ſatisfacturus ſis. Ἔξεχε ὦ φίλε ἥλιε. In itinere incidi in *L. Vallae* libros quatuor contra *Poggium*. Hoc quoniam careo, poſſum & illis patienter carere, ſtatimque mittam, ſi intellexo a te deſiderari. Non recordor me nuper apud te vidiſſe *Philippi Caroli* Novas Lectiones, ante quindecim admodum annos Noribergae editas. Quamvis non magnae rei ſint, quoniam tamen ad inſtruendam omnibus numeris abſolutiſſimam bibliothecam etiam patellares iſtos Criticos requiris, curabo, ubi juſſeris, cum aliis nonnullis libris proximis nundinis Lipſienſibus afferri. Nummi aliaque priſci aevi inſtrumenta hîc locorum multa variaque cottidie fere effodiuntur. Sed cuncta deferuntur vicini oppidi Meurſenſis conſuli, homini φιλοκάλῳ; ſed praeter vernaculam omnium linguarum rudi, qui ſatis care licitatur. Hoc quum com-

periſſem, tertio ſtatim, quo huc veni, die ad illum excurri (vix enim binis lapidibus a nobis diſtat) & tantam veteris ſuppellectilis copiam varietatemque ibi reperi, quantam non memini unquam apud ullum hominem vidiſſe. Caeſarum a Julio ad Valentinianum uſque aenea, argentea, aurea, & ſingula ſaepius; nec Caeſarum tantum, ſed eorundem uxorum & familiarum, plurimorumque tam apud Graecos, quam Latinos illuſtrium virorum numiſmata poſſidet. Habet praeterea urnas, ſtylos, fibulas, gemmaſque multas & varias, aliaque plurima, quae per temporis anguſtiam, quamvis aliquot horas in illis contemplandis conſumpſiſſem, perluſtrare non licebat. *Smithii* Pinacothecam non inſpexi; ſed puto hujus viri theſauris non eſſe aequiparandam. Cottidie auget & nitide omnia diſponit, ut non antiquitatis tantum veneratio animum advertat; ſed & diſpoſitionis ordo oculos alliciat & delectet. Utinam te hîc aliquando complecti daretur! Vale, meum decus, & me ama. Duisburgi Clivorum a. d. XXIV. Octob. CIↃIↃCLVI. Litteras tuas, ſi Clivenſis tabellarius acceperit, recte ad me perferet. ſi quid novi ex Italia, Gallia, Anglia ad vos pervenerit, quaeſo te, ut me, ſi non grave eſt, certiorem facias. Terentium cum notis neſcio cujus [1] Galli & *Boecleri* num hae nundinae Francofurtenſes attulerunt? De Adverſariis *Turnebi*, quando in auctione quadam apparebunt, rogo ut memineris. Non cupio ante videre, quam pretium tenueris. Iterum iterumque vale.

1 *Franciſci Guyeti.*

EPISTOLA X.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

TUis deſideratiſſimis reſpondi, Vir Nobiliſſime, ſimul accepi, quae tamen menſe amplius iter traxerant, culpa credo & tarditate noſtrorum hominum, quibus commiſeras. Mirabar nihil a te reſcribi, quum tua intereſſe videretur. Sed nunc demum ex *Mori* litteris intelligo, reſponſum meum ad te non perveniſſe. Dederam enim ad ipſum litteras, quae tibi deſtinatas continebant: ſed neutras ſe accepiſſe ait. Vehementer miror, ubi deliteſcant, aut in quas manus inciderint. Forſan interea allatae ſunt. Nonnunquam enim teſtudineo gradu incedunt hinc in Belgium, & inde viciſſim ad nos commeantes, quia interdum a via aberrant, & noſtrae quidem Veſaliam incuria tabellariorum deportantur; veſtrae autem frequenter Doesburgi commorantur aliquamdiu. Plerumque tamen e diverticulo in viam tandem redeunt: quod utinam meis contigiſſet, ne negligentiam aut oblivionem tibi excuſandam, aut ἀχαριςίαν deprecandam habeam. Cujus ſuſpicionem effugere nequeo, ſi perierunt. Et ſane ingratiſſimus eſſem, ſi prolixo tuo ſtudio, quod mihi in conquirendis *Turnebi* Adverſariis tam benigne navaſti, ſilentium reponerem.

Illo

Illo enim libro aegerrime carebam. Sed ſancte tibi affirmo, me & beneficium agnoviſſe, & illico, quas potui, gratias egiſſe. Quod & nunc facio, idque conceptiſſimis verbis. Si rebus hoc aliquando mihi confirmare licuerit, ſenties quantum tibi pro gratiſſima hac opera debeam. Vellem pretium, quod pro *Turnebo* expendiſti, addidiſſes. Sunt enim nonnulla, quae vehementer deſidero. Sed non audeo ante tuam operam implorare, quam hoc nomen expunxero, aut minimum reſcivero quanti licitatus fueris, ut prima quaque occaſione argentum renumerem. *P. Caroli* lectiones, & alia, de quibus coram egimus, ſpero me propediem accepturum: ſin hyems moram injecerit, vernis nundinis apparebunt. Pericula *Piccarti* juſſi diligentiſſime quaeri: ſi reperientur, una habebis cum aliis. In noviſſimis meis ſignificavi, me nuperius Meurſii excuſſiſſe bibliothecam ſatis inſtructam bonis libris, ut & non nullis manu exaratis. Inter quos eſt Priſcianus vetuſtiſſimus, Ciceronis aliquot Philoſophici libelli, quibus olim *Fr. Fabricius* uſus eſt, ut & Ovidii Metamorphoſis, Faſti, &, niſi memoria me fallit, carmen in Ibin. Iſta Ovidiana uno volumine conprehenduntur, ſed recentioris ſcripturae, ut vix videatur trecentorum aut quadringentorum annorum aetatem ferre. Quod tamen non auſim liquido affirmare, quum fugitivo tantum oculo illum perluſtrare mihi licuerit, neque ulla arte ejus, aut cujuſvis alius codicis uſum adhuc impetrare potuerim. Si tamen e re tua putas, ut conferatur cum vulgatis, ſive id a me fieri velis, ſive ipſe hanc curam ſuſcipere, nihil mihi reliquum faciam, ut expugnem ſtultos poſſeſſores, qui ne quidem Latinas litteras norunt. Sed neſcio quis hac perverſa opinione illos imbuerit, libros, quos utendos aliis praeſtant, corrumpi. Optimus ille vir, qui hanc bibliothecam inſtruxit, ante hos tres annos diem ſuum obiit. Nunc ad ineptos & ἀπαιδέυτȣς haeredes venit, apud quos muribus & tineis pabulum praebet. Cottidiano tamen convicio homines fatigabo, donec extorſero Ovidianum codicem, ubi juſſeris, aut ad adornandam novam editionem tuam aliquid conferre credideris. Sed quando nos hoc theſauro beabis? Ille dies ſolemnis mihi erit, quo hunc nuncium accepero. Heros *Voſſius* quando Pomponium ſuum expediet? Brito *Barthii* ad metam currit, quem ſtatim excipiet Statius cum ponderoſiſſimo commentario. Vale, decus litterarum. Duisburgi Clivorum Kal. Jan. CIↃIↃCLVII. quem fauſtum & felicem tibi evenire opto.

EPISTOLA XI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

VIdeo, Vir Ampliſſime, quantum aeris alieni apud te hac ceſſatione contraxerim, ut, ſi lege mecum agere volueris, intercedere non poſſim, quin judicatus nexuſque ducar. Quanquam vero magnum mihi in aequitate animi

animi tui praeſidium eſt, vehementer tamen vereor, ne officium meum abs te accuſetur, & negligentiae aut oblivionis nomine tibi ſuſpectus ſim. Sane fateor me non omni culpa vacare, quod tantum temporis cunctando amiſerim; oblivionis tamen & negligentiae opinionem, ſi qua te inceſſit, minuas velim. Nam teſtor fidem Numinis, me, ſimul ac tuas ſuaviſſime ſcriptas accepi, reſponſionem adornaſſe, nihilque aegrius tuliſſe, quam quod per homines inſulſos eam mihi ex voto expedire non fuerit integrum. Litteris jejunis, & non niſi inani verborum honore tumentibus te onerare pudor meus non ſivit, licet incredibilis tua facilitas mihi hanc gratiam faciat. Major tamen tui apud me reverentia eſt, quam ut promiſcuo hoc officio illam proſtituam. Malebam rebus ſtudium ergo te meum tibi teſtatum eſſet, ut intelligeres tam jucundam mihi nunc eſſe pietatem in referenda gratia, quam accepta mihi fuerunt innumerabilia beneficia, quibus me tibi dudum devinxiſti. Inde omnem curam induſtriamque adhibui, ut voluntati tuae, tum de Manuſcriptis Erphordianis, tum de aliis libris, quos e Germania exſpecto, praecipue vero de Manuſcripto Meurſenſi ſatisfacerem. E Germania nihildum accepi. Spero tamen Colonienſes mercatores & litteras & libros Lipſia mihi apportaturos, ubi cum maxime nundinae celebrantur. Meurſenſes diu fruſtra & litteris & coram precibus fatigavi, qui miſerrima temporis propagatione, vaniſque promiſſis, mox hujus, mox illius abſentiam aut morbum excuſantes, expectationem meam hactenus fefellerunt. Tandem ante hoc ipſum triduum, quum denuo hanc ob cauſam illuc me recepiſſem, interveniente fide *Lamertii*, Electoris noſtri Conſiliarii, homines difficillimos expugnavi, pactus certa mercede illius libri uſum, hac tamen lege, ut intra tres aut ſummum quatuor hebdomades reſtitueretur. Domum reverſus ſtatim carmen in Ibin, & librum primum Faſtorum cum editione Plantiniana Anni CIↃIↃLXXXV. commiſi. nonnullibi tuam etiam adhibui. Excerpta variarum lectionum hîc vides, ex quibus poteris exiſtimare, num e re tua ſit, ut totus a capite ad calcem uſque examinetur. Si cenſueris, non inutilem tibi hanc operam fore, velim quam primum mihi ſignifices. Nihil mihi contentionis reliquum faciam, ut tuae cupiditati velificer, meaque in te officia conſtent, qui ita de me meritus es, ut tum demum bene mecum agi putavero, quum tuis commodis invigilare, memoremque ac gratum animum tibi praeſtare potero. Gaudeo viros eruditos ubique gentium Muſis tuis operam dare. Utinam te bene confirmaſſes, ac cum ſecunda valetudine tandem bona fide in gratiam rediiſſes, ut nobiſcum exquiſitiſſimum illum apparatum, qui ingenti eruditi orbis expectatione tamdiu in theſauris tuis reconditus jacet, tantaſque uberrimi ingenii tui delicias nobiſcum communicare queas. Nullus dubita, quin omnes ii, quibus interiores litterae cordi ſunt, deſiderio poene contabeſcant, & publicam deplorent calamitatem, quam ex adverſa tua valetudine, & inde ortis moris accipiunt. Nuperius Coloniam excurri, ibique omnes officinas bibliopolarum & monaſteria excuſſi, duce *Mallinkrotio*, viro tui perquam ſtudioſo; & meliore fato digniſſimo, cum quo aliquot dies jucundiſſime tranſegi, ubi tu creber

ber fabulis noſtris intereras. Nec utrique ullum jucundius acroama fuit, quam meritiſſimae tuae laudes. Promiſit ſe propediem tibi miſſurum datriben ſuam de *Summo bono*, *& hiſtoricis Graecis*, quae tum calcem ſpectabat, & brevi praela relinquet. In clauſtris Monachorum nihil inveni mentione dignum. Bibliothecam cathedralis, ut vocant, templi, in qua Quintilianum cuſtodiri ex te olim intellexi, non licuit inſpicere, quamvis & *Mallinkrotius* & ego id multis precibus homines, in quorum manu eſſe dicebatur, petierimus. Pervelim mihi ſignifices, per quem aditus tibi patuerit. Conſtitui enim hac aeſtate illuc reverti. Bibliopolia non levi acceſſione optimorum & rarorum librorum meam ſupellectilem auxerunt. Tibi comparavi epiſtolas Philologicas *Goldaſti*, & Tuſculanas Quaeſtiones *Fr. Fabricii*, quas Veſaliam miſi ad te curandas. *Rottendorffius* Monaſterii jam aetatem degit. *Mallinkrotius* homini aurem vellet, ut fidem tibi datam liberet. Scaligerianorum operum curam Pariſienſes ſuſcepiſſe laetor. Audio etiam in *Joſephi* Euſebio poſt tantam fruſtrationem *Janſonii* operas occupari. Utinam moram eleganti & emendata editione penſaret, quod tamen vix ſperandum de ſordido illo & moroſo viro. *Guyeti* Terentium hiſce diebus vidi. *Boecleri* notis potuiſſemus aequo animo, niſi fallor, carere. Mela *Voſſii*, & [1] Fratris Caeſar, Valerius Flaccus, & Cenſorinus quando apparebunt? Si quid novi ex Italia aut Gallia ad vos delatum fuerit, quod ad ſtudia noſtra pertinet, gratiſſimum erit ex te, ni grave eſt, reſcire. Ego hîc totus ſum in formandis adoleſcentum ſtudiis, & omnes induſtriae nervos intendo, ut antiquos recte ſapiendi & dicendi magiſtros ipſis conciliem, craſſamque illam barbariem, quantum in me eſt, depellam. Hinc multis variiſque curis diſtringor, ut aegre aliquid temporis ſuperſit, quo Muſis meis canere poſſim. Cottidie tres, nonnunquam quatuor horae publicis privatiſque ſcholis impendendae. Nec me laborum poenitet, modo ſtudioſae juventuti proſim. Phaedri fabulas, ut defectui exemplarium medear, decrevi typographo noſtro tradere, adjectis forſan notis nonnullis, quod dudum feciſſem, niſi me cohibuiſſet editio Gallica, quam me *Faber* juſſit expectare in bene multis locis a ſe, ut ait, emendatam. Sed nihil ab illo tempore litterarum ab ipſo accepi, ut neſciam an prodierit, aut quando proditura ſit. Quum autem tamdiu fruſtra illum expectaverim, non videtur conſultum eſſe longiore procraſtinatione commoda & vota ſtudioſorum adoleſcentum, qui impenſe has fabulas deſiderant, morari. Nec ſpero *Fabrum* aegre laturum. Te quaeſo, ut benignus impertias quicquid habes, quo ornari haec editio poſſit. In *Voſſiana* auctione memini Phaedrum fuiſſe, cujus margini *Scaliger* varias emendationes adſcripſiſſe dicebatur. Sed in cujus manus venerit hactenus non potui certior fieri. De Manuſcripto codice Meurſenſi velim prima quaque occaſione mentem tuam intelligam, num totus cum editis conferendus ſit, nec ne. Faciam enim ſtrenue & diligenter quodcunque juſſeris, & tibi profiteor ſeduloque polliceor in poſterum majorem officiorum aſſiduitatem, ſtudiumque eximium ac ſingulare. Vale, Vir Summe, & me ama. Duisburgi x. Kal. Jun. CIↃIↃCLVII. EPI-

1 *Dionyſii*, ſed errat, quod Val. Flaccum & Cenſorinum adſcribat eidem, cum ſint *Gerardi*. Vid. Praefat. ad Valer. Flaccum.

EPISTOLA XII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

NOn eſt, Vir Ampliſſime, ut tarditatem reſponſionis excuſes, quum ego potius diligentiam tuam officiique ſedulitatem mirer, plurimumque tibi debeam, quod ceſſationi meae ignoveris. Merebar exempla mea pati. Non poſſum exputare quî fiat, quod faſciculus Veſalia ad te curandus nondum perlatus ſit. Commendaveram illum ſtudioſo Veſaliam contendenti. Simul ac tuas accepi, juſſi de homine inquiri, mihique indicari, ubi deſideat, & quid tibi deſtinata moretur. Spero me propediem certiorem futurum, penes quem culpa ſit. Vehementer autem doleo, hactenus mihi rem fuiſſe cum hominibus, quorum aut aſperitas, aut negligentia fidem meam ſuſpectam tibi reddidit. Sane iratis diis natus eſſe videor, cui toties aliena culpa luenda eſt. Praeter Tuſculana a *Fabricio* illuſtrata invenies in illo faſciculo epiſtolas Philologicas *Goldaſti*, & Excerpta Ovidiana. Certum mihi erat, cis paucos dies ad vos excurrere, imminente Sirio, qui noſtras nobis occupationes remittit, & gratiam facit aliquamdiu otium corpori, & luſum animo dandi. Sed hoc conſilium turbaverunt litterae parentum aegrotantium, qui impotente mei videndi deſiderio poene enecantur, & majorem in modum petunt ac contendunt, ut citato curſu patriam petam. Pietatis meae eſſe duco, aliis omnibus negotiis hoc itiner praevertere, & ardentiſſimae parentum cupiditati ſatisfacere. Propediem viam corripiam: praeſertim quum non amittenda ſit occaſio inſignis cum mercatoribus Colonienſibus, ad celebrandum mercatum Numburgenſem abeuntibus, proficiſcendi. In tranſitu forſan videbo *Freinshemium*. Spero *Reineſii* etiam & *Buchneri* conveniendi copiam fore. In reditu decrevi iter per Belgium trahere. Neque tamen quicquam certi praeſtare poſſum. Noſti incerta caſuum & itinerum. Omnem itineris rationem gubernabunt comites. Erphordiani libri, aliique, quorum ſpem antehac feci, curae mihi erunt. Si quid praeterea vis curatum illic locorum, fac tempori ſciam, & ſummum ſtudium in omni officiorum genere a me expecta. Litterae tuae, ſi me hîc non deprehenderint, recte tamen ad me curabuntur, quibus nihil mihi erit acceptius. Vale, Vir Nobiliſſime, & praecipiti ſcriptioni ignoſce. Duisburg. a. d. XXXIII. Jun. aerae Gregor. CIƆIƆCLVII.

EPI-

EPISTOLA XIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

LItterae tuae, Vir Ampliſſime, in patria mihi traditae ſunt, quibus proxime accuratius reſpondebo. Has enim inter amicorum Lipſienſium complexus depropero, accinctus itineri Altenburgico ad *Reineſium* noſtrum. In itinere, quum Erphordiam tranſirem, nihil mihi prius fuit, quam ut tuis deſideriis ſatisfacerem. Simul veni, inſpexi bibliothecam Collegii Portae Caeli, quam ſalvam nobis praeſtitit clemens Numen. Ovidianos codices varios ibi vidi, in primis unum Metamorphoſeos ſatis antiquum, niſi prima frons fallit. Certum mihi eſt in reditu aliquot dies ibi deſidere, ac in ſpem gratiae tuae nec ſumptibus nec operae parcere, ut vel ipſos codices mecum feram, vel excerpta. Hodie inviſam ad *Barthium*, qui hîc aetatem degit, & nihil mihi contentionis reliquum faciam, ut membranas Ovidianas, quas penes ſe extare aſſeverat, aut illarum uſum impetrem. *Weitzii* lucubrationes hactenus nondum potui indagare. Spero tamen me apud *Reineſium* inventurum. Hoc velim perſuaſiſſimum habeas, me omni cura, opera & labore niti, ut ſtudia & officia mea tibi probem. Vale, Vir ſumme, & feſtinationi meae ignoſce. Lipſiae a. d. xxv. Jul. CIƆIƆCLVII. Gregor. Viris Cll. *Voſſio* & *Gronovio* plurimam adſcribo ſalutem. Vidi in Erphordiana bibliotheca antiquum codicem epiſtolarum Senecae, quem utinam conferre per temporis anguſtiam liceret. Probae notae eſſe teſtatur Promulſis *Zinzerlingiana*. Sed propediem hoc *Gronovio* ipſe literis ſignificabo.

EPISTOLA XIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

ANte hos tres menſes, Vir Nobiliſſime, ex itinere in patriam domum redii, quod quum ſtatim litteris tibi eſſem ſignificaturus, cum ut amorem erga me tuum, in quo plurimum mihi & ſplendoris & praeſidii conſtitutum eſſe puto, confirmarem, tum ut te illarum rerum, quarum ſignificationem tibi jucundam fore intelligebam, certiorem facerem, impeditus tamen fui novae profectionis neceſſitate, quam mihi collegium noſtrum paucis a reditu meo diebus impoſuerat. Publice enim miſſus ſum ad Principem *Naſſovium*, Cliviae Praefectum, qui cum primis e conſilio Clivenſi Lipſtadiae in Weſtphalia agebat, ut deprecarer difficultates, quibus implicitae erant res noſtrae A-

cademiae. Poſt varias dilationes, noſti enim aulae mores, paucis diebus itineris & negotiorum taedio confectus ad noſtros reverſus ſum, tuaſque inveni litteras, gratas Jupiter! & deſideratas. Accingebar ſtatim reſponſioni, juſto rubore ſuffuſus, & vehementer ſollicitus, qua ratione hanc tarditatem expiarem. Meum enim erat officium occupare. Litterae ipſae metuebant ſolae absque precatoribus te adire, ne auctoris ſui culpam luerent. Erant quidem in mundo, qui allegationem non gravabantur, ſed infeſta peſte itinera timebant. Sic & haec deliberatio, qua via ad te pervenire poſſent, aliquot dies abſtulit. Interea, dum iſta cura nos ſollicitos habet, commodum advenit puer *Kriwitzii*, comitatus ejus filium, cujus fideiſſe committere non dubitabant. Itaque viae ſe dederunt, utinam ſecundis ominibus, ac te mihi mitigarent! Vereor enim maximopere ne voluntas tua alienata ſit, ingratique animi crimen ſubeam, quod ſerius debito litteris tuis, iiſque amoris & benevolentiae pleniſſimis, reſcripſerim. Nec eo inficias me huic ſuſpicioni non nihil loci dediſſe: quam vellem tam ſtudioſe providiſſem, quam nunc omnibus modis a me cupio amotam. Ingrati quidem nomine conſcientia conſtantis mei in te amoris & obſervantiae me liberare poteſt; ſed culpam negligentiae malo deprecari, quam excuſando augere. Patere tibi, Virorum indulgentiſſime, nunc ſatisfieri. Niſi & crebritate & magnitudine hanc ceſſationem & infrequentiam ſcriptionis penſavero, non intercedo, quo minus ſim habearque ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος, neque divini neque humani quicquam poſtea mihi credas, omnique gratia tua excidam, qua nihil mihi poterit accidere, obteſtor omnes Deos, durius & amarius. Nam benevolentiam tuam ab illo tempore, quo primum praeſtantiſſima ingenii tui monumenta vidi, cupidiſſime appetii, votique compos inſtar pretioſiſſimi theſauri ſemper feci maximi, in eaque mihi omnia, & praecipuum ſtudiorum meorum fructum poſitum eſſe putavi, quem ut ad ſupremum vitae diem perferam, ſummis opibus, officiis & ſtudiis contendam, ut ſentias neminem unum hac aetate eſſe, qui te majore obſervantia colat, tuamque amicitiam majoris aeſtimet. Litteras tuas avidiſſime expecto. Non ſomnus, non cibus, non dulces ante omnia Muſae me ante juvabunt, quam intellexero, te in priſtina tua erga me voluntate perſeverare, & omne frigus, ſi quod animum tuum feriit, ejuraſſe. Moleſtias, quibuſcum in itinere mihi conflictandum fuit, penſavit exoptatus parentum, cum quibus in gratiam bona fide redii, (niſi forſan abſenti mihi de integro negotium faceſſet inquietum illud [1] hominum genus, quod rixis & turbis ſuis Orbem miſcet) & tot amicorum complexus. Praecipue vero recreatus ſum ſuaviſſima *Reineſii* noſtri conſuetudine, quae tanto temporis intervallo interrupta fuit. Apud hunc aliquot dies deſedi, non ſine gratiſſima & creberrima tui mentione, nec citra verborum honorem. Quantopere laetatus fuerit ſalutatione, quam tuo nomine ipſi dixi, paucis expediri non poteſt, nec modus epiſtolae capit. Hoc tibi perſuade, Heinſi Nobiliſſime, tua decora, tuas virtutes, tuam eruditionem per-

1 Theologos intelligit, qui patrem ab eo alienaverant, quia a Lutheranis ad noſtras ceri- monias tranſierat.

perpetuo nobis in ore, tua poëmata, tuum Claudianum aſſidue in manibus fuiſſe. Saepe conceptis verbis teſtatus, ſe tui & *Gronovii* eſſe cupidiſſimum, & utriuſque amore nulli mortalium concedere. Nulla coena fuit, quam non grata tui memoria ſuaviorem reddidit; qua non ex more gentis ſaluti tuae laticum libavit honores, multisque aliis argumentis ſummum ſuum erga te ſtudium declaravit. Et ante, & quum in procinctu ſtarem, ſaepius juſſit te amantiſſime ſalutari, ac per me certiorem fieri, quanti te, tuam doctrinam, meritaque in rem litterariam faciat, & poſtea per litteras denuo me admonuit. Ovidium tuum videndi deſiderio flagrat. Pro notis *Weytzianis*, quas ex ejus bibliotheca cum his accipies, optat ut propediem expleas illam ſpem, quam de Ovidio dudum feciſti erudito orbi, qui diutius deſiderium ferre nequit. Juſtum ἀμοιβαίων *Reineſii* cum *Hofmanno* & *Ruperto* volumen praelo paratum erat. Nonnullas legi plenas bonae frugis, & exquiſitae eruditionis. Niſi ſpem noſtram deſtituet bibliopola, qui editionem ejus in ſe ſuſcepit, ſpero nos proximo vere id viſuros. Inſcriptiones antiquae, diatriba de Hiſtoricis Graecis, Variarum ſecundus tomus, libellus de Lingua Punica multis acceſſionibus auctior, ultimam limam & induſtrium editorem expectant. *Barthius* vietus, decrepitus, defectus annis & viribus ſibi tantum ſupereſt, novi ab ipſo nihil expectandum. Illa quidem opera, quorum indices in praefatione noviſſimae editionis Claudiani proſcribuntur, jam dudum ultimam receperunt manum, ut illico operis tradi poſſint, ſi qui praela movere voluerint. Guil. Brito, cujus potiſſima pars jam profligata, umbilicum reſpicit. Hunc excipiet Statius cum magna Commentariorum mole, quam ipſe hiſce manibus verſavi. Superſunt poſtea duo Adverſariorum tomi, Paulini poëmata, & hiſtoriae Paleſtinae ſcriptores, qui, ſi editorem invenient, ſtatim ſequentur. Te & tuum Claudianum, vere tibi dico, magnificat, optatque plura a tuo ingenio antiquitatis monumenta illuſtrari, quod non tantum ipſe ex ejus ore accepi, ſed & hujus judicii ſui teſtes litteras teneo, quas ante ſexennium hac de re, quum primum prodiiſſet tua editio, ad virum doctum, cum quo ei ſummus uſus, dedit. Graviter tamen queritur omnes Belgas ſibi obtrectare, ac merita ſua in rem litterariam elevare. Hanc opinionem ejus quamvis minuere laboraverim, tam alte tamen poſt publicatum a *Vlitio* Gratium animo ejus inſedit, ut nulla ratione evelli poſſit. Manuſcriptos Ovidianos jam pridem ait a ſe accepiſſe nobilem Danum, & Excerpta *Langermannum*, abſque ulla recuperandi ſpe & facultate. Bibliothecas excuſſi varias, ſed quae tuo ſervirent inſtituto pauca vidi, praeterquam in bibliotheca Erphordiana Ampioniani Collegii, quod Porta caeli vulgo dicitur. Ea eſt codicibus antiquis ſane quam multis ornata, ſed quae blattis & tineis pabulum praebent, & cuſtodiuntur ab hominibus barbaris, qui nec ipſi hoc theſauro uti poſſunt, & aliis aegre illius adſpectum, nedum uſum, concedunt. Ipſos decem dies mihi ibi commorandum fuit, quam hos quatuor Ovidianos codices, cum uno Senecae pro *Gronovio*, impetrarem. Et operam tamen & tempus perdidiſſem, ni incidiſſem in juvenem, unum eorum, qui collegio praeſunt, caeteris doctiorem & humaniorem. Hunc tandem pre-

cibus, donis, promiſſis, &, ſi fas dicere, blanditiis expugnavi, ut clam ſuis collegis copiam iſtorum librorum ad hujus hyemis uſuram mihi faceret, hac lege, ut proximo vere ad nundinas Lipſienſes reſtituerentur, & pro ſingulorum uſu Imperialis. Si fides noſtra ipſi ſpectata fuerit, & libri ſtatuto tempore ſalvi redibunt, recepit ſe & alios, quoſcunque deſideraturi ſumus, nobis commiſſurum. Extant enim in illa bibliotheca, praeter quos nunc accipis, tres aut quatuor alii Ovidii codices, de Faſtis, de Ponto, & Arte amandi, non ſpernendi; & Claudiani unus, niſi me prima frons fallit, antiquus & inſignis. In altero illius urbis collegio, quod Majus appellant, vidi praeſtantiſſimum illum Ciceronis codicem, quo *P. Suffridi*, *Dreſſerus* & *Zinzerlingius* uſi: ſed nihil praeterea viſu dignum illa bibliotheca ſervat. Fuldenſem librariam, cujus membranas memineram viros doctos laudare, perluſtrare mihi non licuit, & per comitum feſtinationem, & praefectorum importunitatem. Faſciculo huic, qui continet quatuor Ovidii manu exarata volumina, & *Weitzii* notas, adjunxi tres libellos *Senftlebii*, *Daumii* ἀποσπασμάτιον de radicibus Latinae Linguae, & *Mallinkrotii* diatriben de Hiſtoricis Graecis, quam auctor mihi, quum proficiſcens in Germaniam Coloniae ipſum noviſſime convenirem, ſuo nomine tibi mittendam tradidit. Nunc quum ad hujus viri mentionem ventum eſt, lacrymas cohibere non poſſum. Acerbiſſimo enim dolore me ejus fatum afficit, ut ferre vix poſſim. Audiviſti puto, ut brevi poſt profectionem, & ultimum complexum meum ſollicitatus & litteris civium ſuorum, & ſpe recuperandi priſtinam dignitatem Monaſterium contenderit, & in via ab hoſtibus ſuis deprehenſus, & in vincula conjectus fuerit. Tantas calamitates tamen, ut conſtans fama eſt, magno animo fert. Deus non ſinat, ut animam pretioſam in his ſordibus & ſqualore exhalet! At *Rubenius* etiam fuit? Heu quam alieno tempore! quantum praeſidium omnis antiquitas, quantum decus interior eruditio, quantum fautorem omnes docti, quantum ego amiſi amicum! ſane moerore & lachrymis conficior, praeſertim quum cogito rem litterariam, quae orba fere eſt, & indies magis magiſque conſeneſcit, & jam parum ab occaſu & fatali ruina abeſt. Deus te, ejus unicum columen, ſervet, & mihi tuum amorem. Vale, virorum Praeſtantiſſime. Duisburgi VI. Idus Novemb. CIↃIↃCLVII. Quid *Faber?* venturusne Leydam? ſi quid novi, quod e re noſtrorum ſtudiorum ſit, ex Gallia aut Italia haec aeſtas apportavit, rogo haut gravatim mihi indices. Quid *Voſſius* heros! quando ejus Melam, Ptolemaeum, aliaque, quae meditatur?

EPI-

EPISTOLA XV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

Litterae tuae, Vir Ampliſſime, pridie Kalendas Decembris ſcriptae octavo demum Kal. Januarii mihi allatae ſunt, ad quarum adſpectum exilui. Putabam enim me ex iis intellecturum, num ad te curatus ſit faſciculus, qui continebat quatuor Ovidianos codices bibliothecae Erphordianae, *Weitzii* notas in libros Triſtium, *Mallinkrotii*, *Senftlebii* & *Daumii* libellos, cum longis litteris, quibus & neglecti officii veniam petebam, & itineris mei hiſtoriam prolixe ediſſerueram. Menſe amplius eſt, quum haec omnia commiſi puero *Kriwitzii*, qui filium ejus ad nos redeuntem deduxerit. Paucos abhinc dies alter filius *Kriwitzii* mihi ſignificavit, ſe nautae Ultrajectino libros ad te perferendos tradidiſſe. Ego, quia ex tua epiſtola cognovi nihil adhuc te accepiſſe, angor animi, non propter meas literas, quarum jactura vilis eſt, & haut difficulter ſarciri poteſt: ſed propter manuſcripta volumina, in quibus mea fides, & illius hominis ſalus, qui mihi reliquis inſciis ea credidit, vertitur. Si perierunt, aut in alienas manus inciderunt, tum me: ſed nolo δυσφημεῖν. Quaeſo te, libera me hac cura, quae me dies noctesque ſollicitat. Simulac tuam reſponſionem videro, jubebo in quaeſtionem poſtulari nautam, qua cogatur indicare quid ſibi commendato faſce actum ſit, & cui tradiderit. Apparatum tuum in Ovidium ſubinde novis acceſſionibus locupletari vehementer gaudeo. Utinam brevi votorum, quae nuncupavi ſolvenda Muſis, quamprimum deſideratiſſima editio tua emerget in dias luminis auras, reus fierem. Hackius omnes elegantiorum litterarum ſtudioſos inſigniter demerebitur, ſi repraeſentaverit promiſſa de celeberrimi *Rutgerſii* Venuſinis lectionibus. Inſta, urge hominem, ne ſpes noſtras deſtituat, & elegantiſſimus libellus diutius privatis parietibus circumſcribatur, qui olim merebatur in luce rei litterariae volitare per ora virûm. Novam Horatii editionem nondum vidi. Aveo cognoſcere quid in illa praeſtitum ſit. *Wyngardenius* noſtrae Academiae typographus nihil novae mercis ad nos apportat, ut hîc tanquam in ſolis inſulis aetatem agam, ignarus quid edatur aut rerum geratur, niſi ex te intelligo. Exempla epiſtolarum *Caſauboni* ad *Lipſium* ſi ex *Zulichemiana* bibliotheca potero impetrare, multum & tibi & viro nobiliſſimo debebit haec nova editio illarum, quam adorno, ſive prioris appendix. Habeo jam nonnullos ἀνεκδότους, & ſpem mihi facit *Mericus* filius plurium, quae penes ſe deliteſcunt, a quo nuper habui litteras cum dono libelli de Enthuſiaſmo Anglica lingua ſcripti, in quo aliquot Patrum loca emendat, & verſiones caſtigat, docetque multa non protrita. Sed quando Magni Parentis tui ſelectis epiſtolis fruemur? Sane ſi in Belgio tecum una eſſem, non deſiſterem tundendo vel odio illas tibi extorquere, ipſeque curam editio-

editionis, ſi tu huic negotio non poſſes vacare, ſuſciperem. Quam ne hîc quidam detrectabo, aut ullum laborem ſubterfugiam, ſi te volente aut aliis curis impedito per me promoveri cultiſſimarum epiſtolarum editio poſſit. Ingens vulnus, quod ex acerba morte doctiſſimi *Rubenii* res litteraria accepit, me quoque vehementer percutit. Elegiam ejus memoriae dedicatam flagrantiſſime deſidero. Lectione enim tuorum incomparabilium carminum, tantopere delector, ut raro e manibus deponam. Quandocunque autem evolvo σέβας μ᾽ ἔχει εἰσορόωντα. Meditabar & ipſe aliquid, quo teſtatum facerem me ſummum dolorem ex inſignis viri & amici exceſſu cepiſſe, & obſervantiam ac amorem, quo vivum proſecutus ſum, nec poſt ejus obitum refrixiſſe. Sed me Muſae non reſpiciunt. Si tamen tu, *Gronovius* aliique, quibus nomen eruditorum curae eſt, monumentum ei condere ſtatuiſtis, quale olim *Lipſio*, *Scaligero*, *Thuano*, tuus parens aliique viri eruditi erexerunt, nec ego impigre ſymbolam conferam. Vale, eruditorum & patriae tuaè ocelle, ac me ama. Duisburgi VII. Kal. Jan. inſtantis anni CIↃCIↃLVIII. qui tibi fauſtus felixque illuceſcat. Elzevirios, ſi non grave eſt, meis verbis ſaluta, propediem litteras a me habebunt, Has abeunte tabellario deproperavi, uti ex lituris apparet. Rogo te ut inconditae ſcriptioni ignoſcas.

EPISTOLA XVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Tantum quod acceptiſſimas tuas, Vir Nobiliſſime, acceperam, quum in *Schelium* incidi, Swollano itineri ſe accingentem, & ad comitia contendentem, quae futura hebdomade habebuntur. Negotium ejus fidei creditum ſibi curae fore, coramque tecum de eo acturum recepit. Conſtituit enim ad vos excurrere comitiis peractis. In quibus utinam, quod omnes boni optant, viri inſignis ratio habeatur. In *Ovidio* tuo ſudare operas, & maximam partem profligaſſe mirifice gaudeo, & quis non, niſi qui iratis Muſis & Gratiis natus eſt? Ipſi *Ovidio*, ſi quis manium ſenſus, illa dies, qua opera ejus felici tua manu expedita, & a tantis monſtris purgata in lucem prodibunt, alter erit natalis. Urge, obſecro, & inſta, ut maturent typographi, neque noſtra vota & deſideria longius ſuſpendant. Multa enim recondita nos ignoraturos exiſtimo, quam diu praeclaras tuas animadverſiones deſideramus. Menda typographorum obſervavi pauca, & nullius fere momenti. Mitto nunc quae memoriae ſuccurrunt. Notare plura memini in ſcida, ſed quam in hoc temporis articulo invenire nullus potui, quamvis omnem fere ſupellectilem excuſſerim. Latebit, ſat ſcio, in libro aliquo. Simul ac ſe obtulerit, habebis. Accuratius res meas perluſtrabo: nec mihi quicquam induſtriae reliquum faciam, donec invenero. Nam in ſpem tuae gratiae nullam curam aut laborem unquam ſubterfugere mihi certum

tum eſt. Neque ſane poſſum vel minimum officium ſine maximo crimine in te praeterire, cujus tanta erga me eſt meritorum magnitudo, ut omnia ſtudia & officia, quae a me proficiſci poſſunt, illis ſint leviora. Praeteriti temporis excuſationem nullam affero, neque ullam afferre potero, quae maculam illam exigere queat. Ad aram, ut ita dicam, humanitatis tuae confugio. In poſterum vero ſcriptionis aſſiduitate, ſi in hoc genere meum ſtudium non adſpernaris, & praeſenti officiorum pietate, ſine ulla temporis & loci exceptione, ſatisfaciam tibi. Elegiam in obitum *Rubenii* tuam nunc recipis, ſi pace tua licuerit, praefigetur diatribae poſtumae *Rubenii* de lato clavo, cujus edendae curam in me recepi. Cum maxime illis pannis diſperſis componendis & conſuendis vaco, quantum in horis ſubſecivis per negotia varia, quibus mire diſtrahor, licet. Saxones mei tot epiſtolis ſollicitati quaſi in ſilentium conjurarunt. A longo tempore nihil habui litterarum. Antiqui codices num Erfurtanis traditi ſint, de quo tamen nullus dubito, etiam nunc ignoro. Nec poſſum exputare, cur nullum adhuc reſponſum tulerim. Num praefectus bibliothecae diem ſuum obierat, an in alia loca migrarit, an ipſa bibliotheca incendio perierit, quod Erfordiam ante aliquot menſes infeſtaſſe, & magnam partem urbis depopulatum eſſe cognovimus, ambigo. Spero tamen mercatores, qui ex autumnali Lipſienſi panegyri redibunt, explorati quid allaturos cum [1] *Ferrocapi* notis in Metamorphoſin, & forſan reliquis libris Thuringicis, ſi ſuperſunt. Interea mitto, quae olim feſtina manu ex *Ferrocapo* excerpſi. Fortunam *Gudii* ipſius & noſtris optatis reſpondere laetor. Scribam ei proxime. Aveo enim ſcire an in Remenſi bibliotheca lateant forſan antiqui codices Polyaeni. Hunc politiſſimum ſcriptorem innumeris lacunis ex codice Anglicano, cujus excerpta mecum olim communicavit doctiſſimus *FR. Junius*, dudum edidiſſem, ſi probi exemplaris ultimorum quatuor librorum, qui in Anglicano apographo deſiderabantur, copia eſſet. *Heraldus* in adverſariis olim ejus quoque auctoris editionem ex antiquis libris emendatam promiſit. Forſan illa excerpta poterunt erui. Pretium, ſi quod impendendum erit, gratus ſtatim numerabo, quibus juſſerit. Tu, quaeſo, in anteceſſum, ſi ad illum litteras daturus es, hominem deſiderii & voluntatis meae certiorem fac, ſi non grave eſt. Anacreontis & Sapphûs poëmata a *Fabro* publicata impenſe videre cupio. *Gronovium* rogavi, ut illa curriculo ad me curaret, ſi apud Lugdunenſes veneunt. Franeckerae prodierunt *Longi* ποιμενικὰ cum nova verſione & notis Profeſſoris Graecae linguae, quae fugitivo oculo apud noſtrum *Schelium* luſtravi. In notis nihil novi deprehendi. Verſio Jungermannianae multum cedit. *Renati Rapini* eclogas cum diſſertatione de carmine paſtorali puto te vidiſſe. *Freinshemius* fatis conceſſit, in quo viro Germania magnam fecit jacturam. Quando fidem tuam liberabis, & ad nos inviſes? Rogo te obſecroque, ut antequam ex noſtris oris diſcedas, audio enim te adornare Suecicum iter, nos voti compotes reddas, & tuo bees complexu. Si non dedignaris hoſpitium tenue &

1 *Gulielmum Capoferreum* ſe vocat, *Eyſerhooft* Germanice, cujus animadverſiones in Ovidii Metamorphoſes, edito Ovidio noſtra cura ſubjunximus.

& *rebus venies non aſper egenis*, deſideratiſſimus venies meis laribus. Monſtrum illud, quod te aliquamdiu exercuit, ſpero domitum nunc eſſe, & te hac ſollicitudine defunctum. Plura menda in Ovidio obſervavi cum in hoc, tum in aliis tomis, ſed memoria exciderunt. Spero tamen indiculum me inventurum. Subnectam unam atque alteram conjecturam, de quibus tua valebit exiſtimatio. In epiſtola Helenae ad Paridem. verſ. 105. *ſi te vidiſſem, primus de mille fuiſſes.* Non damno hanc lectionem. Si tamen manu ſcripti juvarent, mallem: *primas de mille tuliſſes.* Verſu ſequenti: *Judicio veniam vir dabit ipſe meo.* Mallem: *daret.* II. Triſt. verſ. 210:

Altera pars ſupereſt, qua turpi crimine tactus
Arguor obſcaeni doctor adulterii.

Olim mihi perſuaſi legendum eſſe: *qua turpi carmine factus.* In hanc ſententiam me induxit verſus 208. & quae ſequuntur. VIII. Metamorph. 802. *ſcabra rubigine fauces.* Mihi non videtur improbanda nonnullarum editionum lectio: *ſcabri rubigine dentes.* Petron. cap. CXXIV. *ſcabra rubigine dentes.* Sueton. Octav. 79: *dentes raros & exiguos & ſcabros.* Martianus Capella. III: *Protulit quoque limam ex quo ſcabros dentes vitiligineſque linguarum & ſordes purgabat.* Ibidem verſ. 807: *Genuumque rigebat orbis.* Nec hîc rejiciendam putem vulgatam lectionem: *Genuumque tumebat orbis.* Heſiodo propter eundem cauſo Caligo fame ſqualida dicitur γουνοπαχὴς in Aſpid. verſ. 265. Per *tumorem* intelligo illum ipſum, qui auxit articulos, & fecit, ut tali extarent. Eho jam ſatis nugarum! Si nauſeas, aut una illas litura dele, aut Vulcano trade. Tuum judicium mihi inſtar omnium erit. Vale, Belgii & meum decus. Daventriae a. d. XI. Octob. CIↃIↃCLX. aerae Dionyſiacae.

EPISTOLA XVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

COlonienſem Laurentiani collegii bibliothecam utriuſque memoriae non ſuccurriſſe, quum Duisburgi agerem, & ſubinde Coloniam excurrerem, ſane quam doleo. Tum ſine mora vota tua repraeſentandi facultas erat. Nunc difficilius id conſequemur. Nam qui vel levem harum rerum uſum, aut ullum litterarum guſtum habeat in magna illa urbe, quae olim benigna bonarum artium & virorum eruditorum alumna fuit, novi neminem; nec facile inveniemus, etſi medio ſole accenſa lucerna totam luſtraverimus. Ego ſane huic curae unice quondam incubui, ut adjungerem mihi, ſi qui ibi eſſent viri docti. Vaſta ſunt omnia, barbarie, inſcitia ac ſqualore tricarum ſcholaſticarum omnia horrent. Non puto ullum Germaniae tractum eſſe, qui ab omni elegantiore doctrina longius abſit. Memini ſaepius de tanta litterarum ſolitudine queri illuſtrem *Mallinkrotium*, quum ad illum Coloniae degentem frequenter invi-

inviſerem, quo duce excuſſi pleraſque omnes Agrippinenſium bibliothecas, praeter illam, quae in Cathedrali eccleſia ſervatur, quam per cuſtodum inhumanitatem nobis inſpicere haut licuit. In Laurentiano autem collegio aliquid bonae mercis reconditum latere tum non memineram, quamvis *Modium* & ipſe aliquot annos abhinc legiſſem; neque *Mallinkrodius* ullam ejus mentionem faciebat. Nihil tamen in me deſiderari patiar, ut tuae voluntati ac deſiderio pro mea facultate ſatisfiat. Dudum imperavi mihi omnia ſtudia mea, operam ac cogitationes tuis commodis & obſequio dedicare. Neque mihi quicquam erit antiquius, quam cultus obſervantia & praeſenti officiorum meorum pietate id teſtatum facere. Simul ac tuas legi, ſcripſi Coloniam, ac diligentiſſime egi cum neceſſario meo, cauſarum patrono, ſed ἀπαιδεύτῳ, cui nullum cum Muſis intercedit commercium, ut perluſtret D. *Laurentii* collegium, ac ſtudioſe vetuſtum illum Naſonis codicem inveſtiget, inventumque ad me curet, ac quovis pignore caveat de incolumi ejus reſtitutione, aut ſaltem exploret ſuperſitne ne an interciderit. De hujus hominis fide & officio nullus dubito. Sed vereor ut par ſit huic negotio exequendo. Nam niſi in indicibus apparuerint Faſti illi, vix ab illo reperientur. Alium vero, cui hoc negotium mandarem, in iſta urbe habebam neminem. Spero illum brevi reſponſurum. Si hac via non proceſſerit, alia tentabimus per amicos Noviomagenſes. Codicis Meurſenſis ut copiam nobis faciant amici, operam dabo, ſi tanti fuerit. Valde enim recens eſt, & infra trecentorum, niſi fallor, annorum aetatem. Operarum tarditati, quae nunc demum manus admovent edendis tuis in Metamorphoſes obſervationibus, quas profligatas eſſe credebam, vehementer iraſcor. Nam gaudium, quod animo jam praecipiebamus, ſpeſque omnium magna humanioris literaturae jactura produci longius quis non indignetur? Quamvis tu demiſſe nimis ac humiliter, qua es ſingulari modeſtia, de tuis curis ſentias ac loquaris, cave tamen putes te ulli perſuaſurum hoc eſſe, qui ingenium ac eruditionem tuam novit. Mihi ſane ne perſuadeas tute ipſe auctor mihi es, cui quum noviſſime a te hilare ac libenter hoſpitio acciperer, tot divinas oſtendiſti emendationes. Sed illae quot erant ex tanto acervo? Paucae equidem ſpicae ex meſſe uberrima, ut inde facile exiſtimare poſſim, quantus bonarum rerum theſaurus nos maneat. Ejus expectationem diutius ferre vix poſſum. Urge, quaeſo, lentos illos homines, inſta ut deſideratiſſimum opus ad exitum tandem deducant. Quamdiu illo carebimus tardi videbuntur.

Stare dies, ſegnemque rotam non flectere Phaebe.

Non hoc meum ſolum, ſed omnium politiorum hominum votum eſt: A *Daumio* eadem die, qua tuae mihi traditae ſunt, accepi litteras. Eae te jubent ſalutare, ſignificantque omnes tuum Ovidium anxie expectare. *Barthii* commentarius in Statium ſub proelo eſt, magnamque partem confectus. Adverſariorum tomos ἀνεκδότους ſibi abſtulit quidam *Mathaeus Lagius* adoleſcens Sileſius, qui moribundo *Barthio* adfuit. Is ipſe eſt, qui vindicias Barthianas contra *Vlitium* noſtrum non ita pridem edidit. In eas nuper Swollae incidi. Sed vix lectu dignae ſunt. Communicavi illas cum *Schelio*, a quo ſimul rece-

pero, tibi mittam, ut quum videris cum *Gronovio*, curentur ad *Vlitium*. Ille *Lagius* affirmat ſibi a *Barthio* animam agente Adverſaria eſſe donata, quod haeredes *Barthii* pernegant, ac reſtituere nolenti diem dixerunt apud Rectorem Academiae Lipſienſis, penes quem depoſita ſervantur, donec pronuncietur, quem illorum librorum haereditatem cernere jus faſque ſinat. Specimen hoc commentarii Statiani ad me miſit *Daumius*, quod velim etiam *Gronovio* perluſtrandum praebeas. Ovidii codices antiquos Barthianos ad quem pervenerint ait ſe non potuiſſe explorare, nullos ſe habere ab eo, niſi Plauti, Statii, Lucani, Juvenalis, Horatii. Victorem Maſſilienſem editionis regiae ut ad ſe curarem deſcriptum denuo enixe etiam atque etiam rogat, ingens ejus deſiderium teſtatus, ac conceptis verbis affirmans ſe non poſſe majore beneficio obſtringi. Quaeſo te ut illam Victoris editionem mecum communices. Locabo deſcribendam, & ut tibi illaeſa reſtituatur cum aliis tuis libellis, qui penes me haerent, mihi cordi erit. Nam pervelim amici deſiderio obſequi. Litterae etiam ab Erfurtanis ad me perlatae ſunt. Bibliotheca evaſit incendium. Spem faciunt reliquorum codicum Ovidii. Praeſes bibliothecae, a quo illos accepi mutuos, quibus uſus es, dudum alio commigravit. Succeſſorem ajunt difficiliorem eſſe. Sed ſperant hominem poſſe expugnari. Epicedium *Rubenii* tuum ejus libello poſtumo praefigere certum eſt, niſi tibi diſplicet. Si quis manium ſenſus eſt, triumphabit, tam inſigni elegia te ejus memoriam poſteritati commendaſſe. Quae in illa emendaſti fac, quaeſo, ad me perſcribantur. Nobiliſſimus *Schelius* ad nos nuperius reviſit. Tibi juſſit ſalutem adſcribi, cupitque certior fieri de tuo in Sueciam diſceſſu, ut antequam profectionem ſuſcipias, te videre poſſit. Utinam in animum inducas per noſtrum & Swollanum agrum Groningam iter facere. Nihil tuo complexu nobis gratius accideret ac optatius. Mihi per negotia nunc abeſſe non licet. De Polyaeno multum te amo. In Vaticana bibliotheca extare membranas iſtius ſcriptoris ex *Voſſio* intellexi. *Bigotius* nos poſſet beare, ſi tantum a rebus ſuis otii ei ſit, ut huic curae animum appellere velit. Heroidum epiſtolas hiſce diebus non oſcitanter relegi. Mendas autem typographicas obſervavi pauciſſimas. Percurram & reliqua ac diligenter annotabo, quos deprehendero, operarum errores, quod & *Elzevirio* promiſi, qui novam editionem minorem adornat. De Trajectina provincia tu quidem amice mones. Sed non poenitet me loci hujus, quem tot annos *Gronovius* celebravit. Si tamen in fatis fuerit, & vos judicaveritis e re eſſe litteraria illam ſpartam mihi decerni, a veſtro conſilio meae rationes non diſcrepabunt. Sed haec ἐν θεῶν γόνασι κεῖται. Vale, vir Nobiliſſime, & me ama. Daventriae a. d. XI. Febr. CIↃIↃCLXI. aerae Dionys. Nobiliſſimum *Voſſium* & *Junium* ſaluta meo nomine, ac huic, ſi non grave eſt, ſignifica, me amicos Duisburgenſes & Veſalienſes de cive Heidelbergenſe, qui fertur habuiſſe editionem Germanicam Willerami, appellaſſe ſaepius, ſed irrito ſucceſſu. Iſte homo Veſaliae non poteſt indagari. Iterum vale, meum decus.

EPI-

EPISTOLA XVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

MAgno cum cruciatu ex tuis noviſſimis intellexi te, profectioni Suecicae accinctum, cis duos treſve dies in viam te daturum. Sperabam enim te,

Ambobus mihi qui carior es oculis

Ante abitum tuum me viſurum, ac deſideratiſſimo tuo complexu fruiturum, quo nihil mihi accidere potuiſſet gratius optatiuſque. Sane niſi inſerviendum eſſet valetudini, non poſſem durare, quin excurrerem ad te, etſi ſtatus condictuſque cum hoſte mihi dies eſſet. Nunc acerba fata invidere mihi hanc felicitatem fero aegerrime. Nec minus doleo patriae tuae vicem, quae non intelligit ſe orbari ſummo ſuo ornamento. Si ſaperet, ſi virtutes & eruditionem ſua manerent praemia, te ſummis ornatum honoribus apud ſe retineret, nec pateretur a ſe avelli, qui, ſi in alio orbe degeret, magnis conditionibus ad decus ſuum debebat arceſſi. Sed de hac temporum perverſitate queri licet, emendare illam non licet Deum ego precor, ut iter tuum provinciamque tibi decretam proſperet, teque ſalvum ac magnis auctum dignitatibus ac commodis nobis redonet. Victorem & Hippolytum accepi. Illum curabo ad *Daumium*, & tibi illaeſum praeſtabo reſtituendum. Exemplaria Ovidii & Claudiani Erfurtana nundinis Lipſienſium vernis ad me, ſpero, deferentur. Velim mihi antequam abeas ſignifices, quid illis libris te abſente faciendum, & ad quem curandae ſint meae litterae, quas ad te crebro daturus ſum, ſi ſtudium meum non fueris aſpernaturus. Intra tres quatuorve menſes proficiſcendum mihi erit Duſſeldorpium propter poſſeſſiunculas meae uxoris. Niſi quid iter hoc impedierit, promitto me Coloniam aditurum, & Laurentiani Collegii bibliothecam diligenter excuſſurum, quandoquidem amici fallunt. Nihil enim adhuc ab illis reſponſi accepi. Si Faſtos reperero, tuis votis ſatisfaciam. De Polyaeno, quae narraſti, ſunt mihi gratiſſima. Conſtitui ipſum *Bigotium* hoc nomine appellare & noſtrum *Gudium*, modo mihi compares, ad quos mittendae ſint epiſtolae. Reſpexi hiſce diebus curas meas in Quintilianum. Si antiquorum librorum, quos tu in Mediolanenſi ac Helvetiorum bibliothecis exſtare narraviſti mihi, copia fieret, omne ſtudium meum in hoc ſcriptore expoliendo locarem. Interea *Rubenii* latum clavum & mearum Obſervationum unum alterumve libellum hoc vere expediam, ſi vivo, & valetudo melior me reſpexerit. Quatuor ſunt hebdomades, quuum *Schelius* a nobis abiit. Nec ſcio ubi locorum haereat. *Langermannum*, ubi Hamburgum veneris, ſaluta meo nomine amantiſſimis verbis. Vale, Heinſi, meum decus, feliciter ambula ac redambula. Simul ac defunctus fueris itinere fac, quaeſo, me ejus rei certiorem. Omnia mihi

 erunt

erunt ingrata, donec cognovero te proſpero itinere eſſe uſum. Deus te ſervet. Daventriae v. April. CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA XIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Daventriam.

MEminiſti opinor, quod praeco ille olim in theatro Romano popularibus tuis elogium occentaverit. Nullam videlicet gentem fide ante Germanos eſſe. Gaude & gratulare tibi, mi Graevi, quod haec in tempora natus ſis, ne quid tibi cum iſto praeconio negotii eſſet, nuſquam enim impune tuliſſes hanc colendarum amicitiarum ſive oblivionem, ſive negligentiam. Ego certe iraſcor tibi, ſed quantum amantes ſolent. Quem totis novem menſibus, quas a patria abſum, ne verbo quidem tantillo ſis dignatus compellare: ſi ſcripſiſti, quod *Elzevirius* ultimis litteris videtur velle, neſcio quo fato aberrarit epiſtola, cum vix ullam deſiderarim hactenus ex longe pluribus, quas ex patria atque aliunde accepi. Mitte igitur apographum earum quam primum, aut ſi hoc non potes, relege veſtigia ejus argumenti, in quo illae potiſſimum occupabantur. Hoc mihi officium longe erit acceptiſſimum. Audio *Tanaquillum Fabrum*, ex quo revixit, de me nonnihil ad te perſcripſiſſe; id quale ſit fac intelligam. In notis meis ad Naſonem quod tam multa trita occurrunt & vulgaria pudet me mei. Sed hominum inſcitorum obtrectationi occurrendum fuit, quam ne ſic quidem ſatis evaſi: audio enim jam nunc caſtigationes nonnullis meas vellicari, quae nemini, niſi ſtupidiſſimo, diſplicere poſſunt. Quamquam non ignoro ipſe errori non uni me illic obnoxium fuiſſe, quos ut corrigam, curis ſecundis jam nunc omnia percenſere coepi, a quibus tamen cogitationibus nonnihil Claudianus recenſendus jam nunc me avocavit. *Bigotius* ad ſuos reverſus nunciat non pauca, quae tu minime invitus audias. Fraudabo tamen harum te cognitione, dum literae tuae & quidem verboſiſſimae appareant. Quas ſi impetraro, Herculi me clavam opinabor extorſiſſe. Rogatum iterum te velim, ut ſi de *Rubenii* poſtumis opuſculis edendis cogitare pergis, iis addas, quae ſuper duabus aut tribus gemmis erudite commentatus eſt, tum libellum *Johannis Baptiſtae Donii* de paenula, quod & exiguus admodum ſit, nec venalis haberi poſſit. Meum exemplar neſcio quomodo amiſi. Apud *Gronovium* tamen fortaſſis aliud invenies. Si ne illic quidem ullum extat, ſuum tibi offert *Bigotius*. Sed non ante miſſurus, quam *Rubeniana* ſcripta proelo typograhico commiſſa eſſe intelligat. Vale, & de membranis Erfurtenſibus quid ſperandum ſit mone. Exarabam manu praepropera. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXII. a. d. XIV. Jan. Gregor.

EPI-

EPISTOLA XX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

TArdius promiſſi fidem libero, quam aut tuus in me amor, aut meum officium poſtulabat. Decem ipſi menſes ſunt, quibus ſilui, & tot tuis amantiſſime ſcriptis epiſtolis ne verbum repoſui. Mihi non eſt tam ferreum os, ut tantam ceſſationem apud te excuſare ſuſtineam, malo culpam agnoſcere & deprecari. Nolim tamen exiſtimes cauſam intermiſſionis litterarum fuiſſe oblivionem aut voluntatem. Quî enim illius obliviſcar, cujus doctrinam, ornamenta vitae, humanitatem, fidem, ſtudium, & merita erga me in omni ſermone libentiſſime maxima cum voluptate uſurpo? nec negligentiae tribuas, quum nihil antiquius & honorificentius mihi ducam tua amicitia; ſed & abſentiae meae, & moleſtiis, quae cum in transferendis, tum in conſtituendis rebus meis me oppreſſerunt, &, quod primum eſt, acerbiſſimo dolori, quem ex optimi parentis obitu cepi. Paucis diebus poſtquam tu in Sueciam abieras, ego Antwerpiam profectus ſum, ut haeredibus Rubenianis traderem diatriben de lato clavo, & omni poene re veſtiaria Romanorum, ex indigeſta mole a me magno ſtudio & labore compoſitam. Ibi ſex hebdomades deſedi, & omnes ſchedas τȣ̃ μακαρίτȣ excuſſi, reperique duos libellos, alterum de nummo Auguſti argenteo, qui eſt duodecimus pag. v. in tabulis a *Biaeo* Antwerpiae editis, alterum de Auguſti natali, qui eſt quidem imperfectus, ſed tamen auctore ſuo non indignus. In reditu mihi proceres Trajectini vacuam in hac Academia interpretandi veteres hiſtorias provinciam obtulerunt, quae res ancipitem mihi deliberationem attulit. Tandem illorum voluntati ac hominum amiciſſimorum, praeſertim *Gronovii* noſtri conſiliis & cohortationibus, quae cottidiano quaſi convitio ad hunc locum occupandum me impulerunt, parui. Hoc negotium, dum iter adorno, dum confecto itinere res meas compono, & ſtationem capeſſo, duos menſes mihi perdidit, quibus nec publicis nec privatis officiis mihi vacare integrum fuit. Tantum quod his moleſtiis defunctus eram, & animam jam ad intermiſſum litterarum & officiorum uſum inſtaurandum comparaveram, quum ſubito inopinus & luctuoſiſſimus de parentis mei morte nuncius quaſi fulmen me percuſſit, ut nihil aliud quam de eo cogitare poſſem. Nam hoc patre amiſſo, qui & ſanctitate morum incredibilique erga me pietate, ut deſiderio mei animam exhalarit, vix parem habet, non tantum conſpectum hominum, ſed ipſas litteras averſabar, a quibus alias levationem doloris petere ſolebam, quam illae haut invitae dabant. Simul ac me collegi, & redii cum Muſis, quae ut tu ſilentii longinquitatem, ſic illae diuturnum diſcidium mihi merito exprobrabant, in gratiam, nihil mihi prius fuit, quam priſtinam litterarum conſuetudinem, quam mihi tecum eſſe vis, revocare. In

 quâ

qua colenda tanta fide & diligentia verſabor, ut & frequentia & ubertate ſcriptionis tibi poſthac me ſatisfacturum recipiam. Non fallam tuam opinionem, nec meum promiſſum. Ovidium tuum, munus incomparabile, poſtquam ab *Elzeviriis* accepi, integrum perlegi, cujus partes antea libaveram. Summa quaevis de te ſibi promiſerunt dudum omnes, quibus ingenii tui ac doctrinae vis incredibilisque induſtria perſpecta eſt: ſed juro tibi te omnium ſpem & expectationem viciſſe longe. Nec enim quiſquam eſt, qui de his ſtudiis recte poſſunt exiſtimare, quos ego quidem novi, qui non divinitatem hujus editionis agnoſcant, & magnopere praedicent. Rapuiſti in ſtuporem omnes. Ne putes me inſervire tuis auribus, vide, amabo, quid de illo ſentiant ii, quos offenſos, ac gravius, quae minus clementer in illos juſtiſſima indignatione provocatus dixeras, accepturos eſſe verebamur. Sed vide quantopere illi ipſi nunc lucubrationes tuas laudent & admirentur. Quid quaeris? De mea ſententia ſic habeto, non prodiiſſe a renatis litteris ſcriptorem, qui tot mendis obſitus ad nos pervenit, tanta cura, ſtudio, & ingenio emaculatum, qui poſſit cum tuo Ovidio comparari: neque extare ullum hujus generis ſcriptum, quod tantum ornandis & augendis literis contulerit, quam tuae divinitus in hunc poëtam ſcriptae animadverſiones. Qui non gratulantur rei litterariae, tantum te ei extremis his temporibus attuliſſe opis, quantum nemo ſuſpicari poterat, illos ego decrevi iratis Muſis & Gratiis eſſe natos. Plus tuae curae fere debet Ovidius, quam ſuo ingenio. Si enim aegrotus conclamatae valetudinis tantum beneficium a Medico, cujus opera convaleſcit rurſus & confirmatur, accepiſſe creditur, quantum a parente, quem neceſſitas ei dedit, ingenioſiſſimus poëtarum non minus tibi debebit, qui ſalutem, colorem ac nitorem miſero reſtituiſti, quam ſibi ipſe; ſane ille dies ei, ſi quis manium ſenſus, natali ſuo gratior erit, quo felices manus ejus operibus admoviſti. Hanc felicitatem tuo invident *Virgilius*, *Propertius*, *Lucanus*, *Valerius Flaccus*, caeterique, qui tuam opem implorant, quam fruſtra ab aliis tam diu expectarunt. Nec eſt unde eam ſperent, ſi tu illis adeſſe nolueris. Tuas animadverſiones dum avide ſic perluſtro, hic quoque homo ſe *principibus permixtum agnovit Achivis*, ſed magno cum pudore. At ubi ad illam partem veni, ubi meum nomen attextum vidi illi peplo tuo, tot praeclariſſimis noſtrae aetatis viris inſigni, obſtupui, & admiratione ſummi tui erga me amoris confuſus, ne nunc invenio quid dicam, aut quo orationis genere tibi gratias agam. Vellem quidem peperciſſes pudori meo, (ſcis enim quum ante hos binos annos in familiari ſermone aliquid tibi de hac re excidiſſet, me ſummis precibus invidioſum hunc honorem principibus rei litterariae debitum, eſſe deprecatum) non poſſum tamen non tanto tuo in me ſtudio mirifice delectari. Hoc enim mihi multo amplius eſt, quam ipſum illud pulcherrimum munus, quo me affeciſti. Nam multa magna & immortalia munera interdum etiam importuniſſimis hominibus, qui opibus & potentia florent, tribuuntur, talis autem viri tantam benevolentiam ac voluntatem, quam iſta in me hominem umbraticum, a quo praeter obſervantiam & gratam voluntatem quod exſpectes nihil eſt, benignitate declaraſti, nemo poteſt

teſt conſequi, niſi quem virtutis ac eruditionis aliqua opinio tibi conciliavit. Non quidem tantum mihi ſumo, quantum tu mihi das: tamen eſſe me aliquid non quidem ego tibi credam, qui, puto, ipſe me novi optime; ſaepe enim me domi meo metior pede, ſed alii tibi credent, qui in tuo viri integerrimi ac doctiſſimi judicio acquieſcent, quod ego etiam in aliis omnibus rebus, ſi ab hac diſceſſero, facio libentiſſime. Equidem expertus loquor, qui teſtimonii & divini muneris tui fructum jamdudum cepi uberrimum, cum alibi, tum praecipue Antwerpiae ante aliquot menſes apud *Jacobum Wallium*, hominem, ut noſti, diſertiſſimum, qui me ignotum, ſimul nomen meum acceperat, tui erga me ſtudii magnitudine incitatus, quam ex hac προσφωνήσει cognoverat, cupide complectebatur. At quas tibi nunc gratias agam pro tanto munere, quo majus, quodque plus dignitatis perpetuum mihi afferret, dare nullum potuiſti? Pudet me profecto inanibus tantum verbis defungi. Neque tamen ulla excogitari poſſunt, quae non leviora ſint ſummis tuis erga me ſtudiis & meritis. Nihil video, poſtquam omnia circumſpexi, rationeſque ſubduxi, mihi eſſe relictum, quam ut, dum vivam, ſummis opibus nitar, omni cura, cogitatione, totaque mente in id incumbam, uti tui obſervantia, cultu, praeſentique officiorum pietate omnes tuos amicos ac neceſſarios vincam, tibique probem nihil mihi aeque curae eſſe, quam ut tu aliique agnoſcant me nulli mortalium plura ac majora debere, quam tibi, idque unice optare, ut tua beneficia tibi ſint jucunda, & gaudeas illa non male eſſe locata. Quod niſi rebus oſtendero, ipſe jubeo ſciſcoque, ut ſacer inteſtabiliſque, ac omnium bonorum odio dignus habear. In re litteraria quid in Germania, quid hîc, quid alibi gentium geratur, vix quod ſcribam habeo. Indies magis obſoleſcunt bonae artes, & contra ea barbariei opes convaleſcunt. Tecum & cum paucis illis, qui dignitatem ſuſtinetis elegantiorum ſtudiorum, aliquando illa efferentur, quod ut ſero contingat, deum veneror. Proſtat in Germania magna pars commentarii Barthiani in Statium, mihi adhuc inviſitati; ſed nondum integer. Neque ſpes eſt fore, ut unquam reliqua lucem videant. Typographus enim, ſi fama non mentitur, conturbavit. *Reineſius* editioni paratum habet ſecundum tomum Variarum Lectionum, & Commentarium in Inſcriptiones *Gruteri*, multaſque ineditas, noſque propediem illa jubet ſperare. Anno praeter epiſtolas, quas vidiſti, edidit explicationem obſcuriſſimae inſcriptionis Patavinae, quam tamen ego non probo. *Daumius* promittit notas in Prudentium & Miſcellaneorum aliquot libros. *Andreas Boſius* ex bibliotheca Lipſienſi molitur editionem Geneſii, qui ſcripſit hiſtoriam Conſtantinopolitanam, quae inſcribitur βασιλεῖα. Eſt ἀνέκδοτος, nec comparet in corpore Hiſtoriae Conſtantinopolitanae Lutetiae edito. Argentorati fertur ſub praelo eſſe Polybius. Si quid novi in Catalogo Francofurtenſium nundinarum, quae cum maxime celebrantur, deprehendero, faciam te certiorem. *Gronovii* obſervationum libri priores interpolati, & aucti compluribus novis emendationibus, cis paucas hebdomades extabunt. Senecam ejus Tragicum, & Martialem a *Screvelio* editum, ſed multis inſignibus *Gronovianis* correctionibus ornatum te vidiſſe puto. Livium ejus

ejus cum notis recenſitis brevi *Elzevirii* dabunt. *Huetium* librum de recte interpretandi ratione publicaſſe ex *Voſſio* accepi. Sed is nondum ad nos allatus eſt. *Faber* ad me curavit ſuum Apollodorum, in quo nihil novi, praeter aliquot pagellas emendationum. Bibliopolae Trajectino perſuaſi, ut *Meurſii* libellum de Ceramico utroque ſubjiceret proelo. In paucis diebus publice legetur. Laconica ejus vidiſti credo. *Gerhardi Voſſii* Etymologicum poſt tantam expectationem tandem lucem adſpexit. *Iſaaci* opuſculum de LXX. interpretum verſione a multis impugnatur. Nonnullorum refutationes nunc Lugduni typis deſcribuntur. *Coccejus* jam refellit, ſed cui noſter acriter reſcribit. Publicavit modo diatriben de luce, Electori Palatino dedicatam, qua omnes in ſe incendit Carteſianae diſciplinae alumnos, aeque ac altera illa Theologos. Egit nobiſcum aliquot hebdomades, & etiam nunc hîc moratur diſtrictus calumniis litium forenſium, ex quibus ſimul ac ſe expedierit, iter in Angliam & Gallias adornabit. Cottidie ipſum video. Saepe tu es in noſtris ſermonibus. *Rubenii* opus de lato clavo commiſi edendum *Moreto* cum illis duobus, quos ſuperius commemoravi, libellis. Fidem dedit ſe ſtatim juſſurum operas movere proela, ſed etiam nunc moras nectit. Lentum erit negotium, quod tamen propediem ſe aggreſſurum eſſe promittit. Perluſtravi omnes chartas *Rubenii.* Illa, quae in gemmas commentatus eſt ὁ μακαρίτης, nuſquam reperiuntur. In noviſſimis litteris ad me datis illius commentarii mentionem fecit. *Gevartius* ſervat explicationem ejus pervenuſtam grandis illius gemmae & commemorandae ex cimeliis Regis Galliarum, in qua ἀποθέωσις domus Auguſtae exprimitur, ſed quam non niſi cum ſuo commentario typographis committere decrevit. Hoc vero quando futurum ſit nemo exputabit. Non ignoras viri ingenium, quod multa promittit ac in humeros ſuſcipit, ſero vero aut nunquam aliquid praeſtat. *Donii* libellum ipſe habeo, faxo ut calci adjiciatur, niſi typographus noluerit. Mihi in tenui labor eſt. Hoc ver impendam animadverſionum libellis expoliendis, qui indies intumeſcunt. Heſiodum meum, quam primum ultimae editionis exemplaria vendita fuerint, *Elzevirius* proelo tradet. Nuperius eum commiſi cum duobus codicibus manu ſcriptis Voſſianis, ſed recentioribus, in quibus nihil niſi ἔργα, operae tamen pretium tuli. Vellem Θεογονίας, quae mendis ſcatet, exemplaria nanciſci poſſem, antiquiora praeſertim. Penes *Langermannum* extare unum ſatis antiquum, Lutetiae in Regia & Memmiana eſſe aliquot inſignia *Voſſius* narravit. *Langermanni* ſi poſſem impetrare, pignori meam Anthologiam a *Sylburgio* collatam ei dare conſtitui. Ad *Bigotium* ubi ſcribes, fac, quaeſo, eum inſtituti mei admoneas, ut & excerptorum ex antiquis Polyaeni codicibus. Nuperius litteris ad *Voſſium* datis ſe illa per illuſtrem *Thuanum*, ad nos revertentem, curaturum recepit, ſed *Voſſius* nihil adhuc ſe vidiſſe ait. Si *Elzevirius* Heſiodi editionem traxerit, praecedet Polyaenus, modo mihi illarum variarum lectionum copia fiat. *Deſiderius Heraldus* in Adverſariis promiſit novam Polyaeni editionem ex multis veteribus libris emendatam. Forſan excerpta apud haeredes latent. Si pretio poſſint parari, non parcere argento certum eſt. His curis, & negotiis publicis quicquid temporis

poris poſſum ſuffurari, tribuo Quintiliano. *Latini Latinii* emendationes utinam *Bigotius* praeſtaret! qui quae tibi nunciavit fac, quaeſo, mecum communices. Tua liberalitate, ſimul ac animadverſionibus meis ultimam manum impoſuero, utar, & librum tuum, quem promittis, evolvam. *Gudius* Romae agit, ad quem hoc ipſo nomine ſcribam. Utinam Urbinenſem ac Mediolanenſem codicem aut ipſe conferre aut invenire poſſet, qui mercenariam operam nobis locare vellent, &, quod vix ſperandum, poſſent. Ovidium tuum avidiſſime perlegi, & cum in ipſis Ovidii verbis, tum in notis deprehendi nonnullos naevos typographicos, quos tu tamen maximam partem ipſe vidiſti. Sed in illo ardore legendi non potui ad has minutias animum advertere. Quae ſcriptionem meam cohibuerunt, illa quoque obſtiterunt, quo minus iteratae lectioni potuerim vacare, cui tamen neglectis rebus propediem me accingam. Claudianum & Ovidium mihi promiſerunt Erfurtenſes. Haec panegyris Francofurtenſis aut Lipſienſis feret illos, niſi fidem denuo fefellerint. Ego ſaepius illos urgeo. Quamprimum adportabitur, tradam *Elzevirio*. Coloniam per illas domeſticas curas nondum mihi licuit excurrere, quamvis & res familiaris & ſumma cupiditas excutiendi Laurentianum collegium propter Ovidii Faſtos, & *Cathedralem* Eccleſiam propter Quintilianum, cottidie me ad iter illud impellant. Per ſcholas publicas & domeſticas nondum potui abeſſe. Forſan proximis feriis, quum Sirius prolatis rebus curam docendi relaxaverit, illuc contendam. Memini *Daumium* ad me ſcribere, *Barthium* editionem ſuam noviſſimam Claudiani contuliſſe poſtea cum codice manu exarato. In cujus manus poſt ejus fata iſte liber inciderit nondum potui reſcire. Forſan in illius Sileſii, qui adverſus *Vlitium* futiliſſimum libellum ſcripſit. Is enim morienti adfuit, & adverſariorum tomos ineditos omniaque ejus ſcripta abſtulit, praefatus ſe illorum haeredem a *Barthio* eſſe nuncupatum. Vidua & liberi repetunt & legibus experiuntur. Videbo, ſi poterit ille liber aut excerpta haberi. In Valerio tuo lib. IV. 654. conjectura, ubi pro *Abjecti Phaleri*, legis *Actaei*, mihi non diſplicet. In illam, quam ex me aliquando audiviſti, haec ratio me induxit, quod remi confecta navigatione interdum reponebantur in navem. Plautus Aſinaria:

Ad loquendum & tacendum tute habes portiſculum,
Qui pol ſi repoſivi remum, ſola ego in caſteria
Ubi requieſco, omnis familiae cauſa conſiſtit tibi.

Quod in antiquiſſimis navigiis factum eſſe ſemper nullus dubito, quamvis poſteriores alligaverint lateribus. In tanta autem perturbatione quis non abjeciſſe potius remos, quam repoſuiſſe Argonautas credat? lib. I. verſ. 520. vulgo legitur,

Profugo quin agmina Phrixo
Annuit, Inoas ultro nec venit ad aras.

Legendum puto:

Abnuit, Inoas ultor nec venit ad aras.

AEetes abnuit, noluit agmina jungere Phrixo, nec Graecos ulciſci. Vale, Vir Summe, & me, ſi mereor, amare perge. In poſterum nemo erit tuo-

rum, qui ſcribendi aſſiduitate mecum audebit certare. Non impingam denuo in hunc lapidem. Iterum vale. Trajecti ad Rhenum a. d. VIII. Kal. April. CIↃIↃCLXII. Epochae Dionyſ.

EPISTOLA XXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

Febri jactabar, quum priores tuae mihi traderentur, quarum lectio mirifice me relevabat, quamvis illa ſic me confecerat, ut nec publicis nec privatis officiis colendis par eſſem. Interim dum lento pede decedit, alterae tuae ſupervenerunt. Ὁμηρικῶς, ὕστερον πρότερον, reſpondebo. Amanuenſem, qualem deſideras, ſpero me tibi reperiſſe. Amſterodami eſt adoleſcens φιλομαθὴς καὶ φιλόπονος, [1] *Jacobus Tollius*, *Cornelii* τοῦ μακαρίτου, Harderviceni Profeſſoris frater, qui dein *Gronovio*, poſtea hîc Trajectinis Profeſſoribus operam dedit, ex quibus intellexi illum & morum probitate & cupiditate diſcendi omnium bonorum ſtudio eſſe digniſſimum. Ante aliquot annos, quum parentes propter rei familiaris anguſtias ad uſum & cultum copioſe ſuppeditare non poſſent, operam ſuam locavit *Blavio*, bibliopolae Amſterodamenſi, qui illo praecipue uſus ad deſcriptiones regionum, quas Atlanti ſuo inſeruit, Latine vertendas, & alia negotia in Auſtria & Germania curanda, in quibus conficiendis fidem & induſtriam ſuam ei probavit, ut aegre ſit paſſurus eum a ſe digredi. Ille tamen mavult ad ſtudia ſe referre, a quibus nunquam ſic feriatus eſt, quin ſubſecivi temporis aliquid cottidie eis impenderet, & in iis excolendis, & tibi in tuis lucubrationibus & epiſtolis deſcribendis operam navare. Dicitur & linguam Gallicam, Italicam, Hiſpanicam, & Germanicam didiciſſe & memoria complexum. Vix puto te aptiorem huic muneri hominem eſſe inventurum. De καλλιγραφίᾳ ex his, quas ad me dedit, litteris ipſe potes exiſtimare. Tuum reſponſum expectamus. Ubi juſſeris, itineri ſe accinget. Intellexi modo *Plumerum*, qui, dum haec ſcribo, ad me inviſit, tibi commendaſſe *Gulartium* quendam, hominem Gallum. Si iſtum judicaveris recte has partes poſſe gerere, fac, quaeſo, quam primum me certiorem, ne vana ſpe *Tollium* lactemus. Excerpta codicis Urbinatis Polyaeni per *Elzevirium* ad me curavit praeſtantiſſimus *Bigotius*. Videntur eſſe quantivis pretii. Nondum tamen per valetudinem accurate illa examinare potui. *Bigotio* autem plurimum me pro hoc officio & labore debere profiteor, faxoque gratum & memorem me ſciat vir humaniſſimus & boni publici rei litterariae ſtudioſiſſimus. De te vero quid dicam, cui haec omnia accepta fero, quique nullum in me ornando hominis amiciſſimi officium praetermittis? Indies novae meritorum acceſſiones fiunt, quibus ego nihil repono adhuc, niſi inania verba, quorum hercule me pudet. Sed illucefcet

cefcet

1 Hunc amanuenſem, ſed brevi tempore, habuit *Heinſius*, queſtus ſibi furto quaedam ſcripta ab eo ſubducta. Vid. Epiſt. ad Gronov. CCCLXXXVII. & ad Voſſ. CVI.

ceſcet, ſpero, illa dies, qua teſtatum facere potero, quantis tibi obſtrictus ſim beneficiis. Mercatores noſtros ex nundinis Lipſienſibus, nondum rediiſſe domum Amſterodamenſes ſignificant. Illi ſpero aut ipſi libros Erfurtenſes, aut certi aliquid de iis referent. Non deſino praefectum bibliothecae crebris urgere litteris, ut nos votorum compotes faciat, ſed nec ab ipſo, nec ab aliis amicis illius tractus a longo tempore aliquid reſponſi tuli, neque tamen eorum negligentiam aut ſocordiam accuſandam exiſtimo, ſed meorum, aut illorum, quibus epiſtolas committunt, fidem. Nam poſt optimi parentis fata ego multorum deſideravi litteras, illos viciſſim de meo ſilentio conqueri audio. Quod ſi meas recte accepiſſent, minime hujus culpae ſuſpicione tenerentur, ſed de his videro. Meritiſſimae, quas tuo tribui *Ovidio*, nullae ſunt phalerae. Ille non tantum meo, ſed omnium praeconio ſuperior eſt. Poſteritas, ſi quod fuerit eruditionis pretium, merita tua agnoſcet. Ab hoc ſaeculo, quod bonarum rerum ſenſum exuit, non eſt ut dignum tuis laboribus praemium expectes. Omnia citato curſu ruunt in barbariem. Hîc mera ſolitudo eſt. In tanta urbe ne unum novi, qui elegantiore doctrina vel leviter tinctus ſit. Sed inanibus querelis non lubet te obtundere. Ad *Gevartium*, *Wallium*, *Bollandum*, quae dono miſiſti, *Naſonis* tui exemplaria perlata eſſe ex ipſorum ſermonibus cognovi. Miror nullum horum tantum munus dignis proſecutum eſſe laudibus, aut ſaltem gratias tibi auctori egiſſe. Sed aetas illa fuit, qua praeclarae virorum doctorum lucubrationes plauſu excipiebantur συμμύςων. Eſt & hoc inter ſigna pereuntium litterarum & invaleſcentis barbariei. *Gevartius* aetate & viribus confectus abdicavit ſe munere, cui tot annos praefuit. Spero in tam pingui otio illum tandem editurum, quae tam diu parturit. *Reineſii* epiſtolae ex his nundinis Francofurtenſibus demum in noſtras oras pervenerunt, cui propediem, quae de antiquis inſcriptionibus Romae edendis narras, indicabo. Ex *Plumero* accepi Pariſienſes proelo ſubjecturos rurſus familias *F. Urſini*. Niſi animi fallor apud mercatorem Colonienſem, cujus, olim, quum Duisburgi aetatem agerem, numiſmatum ingentem vidi theſaurum, eſt in mundo, unde haec editio egregie ornari poſſit. In paucis diebus ad illum de hoc negotio litteras dabo. Illuſtris *Schelii* patria tandem rationem habuit. Nuper praefectura Iſelmundana (noſtrates *Droſtſchap* appellant, quae ſumma apud Tranſiſalanos equeſtris Ordinis dignitas eſt) nec ambientem, nec prenſantem, imo nec opinum auxit, quum alii ambitu, largitionibus, ſordidis artibus ac precibus hanc provinciam affectarent. Eſt haec quidem inter minores & meritis ejus inferior, ſed ad maximas via & patens porta. *Voſſius* iter Gallicum & Britannicum adornat brevi inſtituendum. In Catalogo Francofurtenſi quod te delectare poſſet nihil deprehendi, niſi forſan aliquid bonae frugis continuerint epiſtolae hoc indice proſcriptae; *Georgii Richteri & familiarium epiſtolae ſelectiores ad Viros Cl. datae ac redditae. Accedit* I. *Richteri vita*, II. *Orationes &c.* III. *Mantiſſae ſex, quarum prima epiſtolas continet Caſp. Hofmanni ad varios, ſecunda Variorum ad Hofmannum, tertia Andr. Dinneri ad Varios, quarta ad Dinnerum, quinta Variorum ad Varios, ſexta judicia ſeptem*, IV. *Specilegium epiſtolarum*

rum illuſtrium, *Norimbergae apud Mich. Enter. in* 4. An non vadimonium deſeris? Vale, meum decus, & me ama. Scripſi ὡς τάχιςα. Trajecti VIII. Kal. Jul. CIƆIƆCLXII.

EPISTOLA XXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

Ante duos quaſi menſes copioſe binis tuis reſpondi, tibique tradidi adoleſcentem optimum, *Jacobum Tollium*, *Cornelii* τȣ͂ μακαρίτȣ fratrem, cujus manu in deſcribendis tuis lucubrationibus & epiſtolis utaris. Vix puto te eſſe inventurum, qui modeſtia, morum elegantia & probitate, antiqua frugalitate, praecipuarum linguarum, quibus cultior Europa nunc utitur, cognitione, litterarumque ſtudio cum hoc poſſit conferri. Quin ego in hanc opinionem cum teſtimonio aliorum, tum meo ipſius judicio adductus perſuaſum habeo, nemini rectius has partes mandari, tantopere ſe mihi liberale ejus ingenium, honeſtarumque artium cupiditas probavit, quae magno ipſum contubernii tui deſiderio accendit. Sunt complures, qui ei conditiones deferunt non ſpernendas; ſed cum nemine conſtituet, antequam tuum animum ac voluntatem perſpectam habuerit. Litteras non inſcite ducit, ut tute cognoſcere potuiſti ex epiſtolae ejus ad me ſcriptae exemplo, quod meae continebant. Recte perlatas eſſe illas litteras ſpero. Commiſi eas tabellario Trajectino Hamburgum ad *Romerum* curandas, qui inde tibi mittat. Hac occaſione tum uſus ſum, ut celerrime ad te pervenirent, quae vellem. Amſterodamenſis nauta negligentia meorum nobis elapſus erat. Inde ad noſtros homines me contuli, quorum fides in reddendo nunquam deſideratur, quod niſi feciſſem proximus nuntius fuiſſet exſpectandus, & hoc forſan fuiſſet conſultius. Nam tuum ſilentium & ſuſpicionem mihi adfert non redditarum litterarum, quum negotium iſtud longam moram, ut tum ſignificavi, non ferret; & ſollicitum me habet, quia nemo omnis officii te eſt diligentior. Incerta autem iſta rerum humanarum inopinis quotidie ac acerbiſſimis exemplis nos noſtrae fragilitatis admonentia quem non commoveant, ac curis & ſollicitudinibus torqueant? O fata crudelia & nullis aequa virtutibus! Audi quantum auſa ſint nefas. Eripuerunt nobis pridie Nonas Julias epochae *Dionyſiacae* illuſtrem *Schelium*, illum incomparabilem heroëm, qui unus, aut praecipue effecerat, ne ſuperiorum temporum felicitati haec aetas invideret: quem lapſis reipublicae juxta ac ſapientiae & doctrinae rebus datum ac quaſi coelo miſſum omnes boni modo laetabantur. Tanti viri obitus me dies noctesque cruciat. Quantam jacturam in illo fecerunt omnium laudandarum artium ſtudia! quantum praeſidium amiſerunt omnes docti, quantum libertatis cuſtodem patria! Nulla dies magni viri memoriam & deſiderium ex animo meo delebit. Plura vellem, ſed lachrymis conficior.

Deus

Deus te ſervet, Heinſi, decus meum. Trajecti a. d. XII. Kal. Auguſt. CIↃIↃCLXII. Conſtitui Nobiliſſimo *Schelio* parentare, ſi haeredes ſuppeditaverint, quae ſcire mea intereſt. Sollicitabo viros eruditos, ut ad manes ejus ornandos ſymbolas conferant. A te expecto elegiam. Velim quoque Gallos tuos incites, ad tam pium officium. Iterum vale.

EPISTOLA XXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

Vides hîc, quem nuper tibi commendavi, *Jacobum Tollium*, cujus mores, ſpero, ſe tibi probabunt. Hoc tibi poſſum praeſtare, eum a pergraecatitione ac cauponis omnique intemperantia & laſcivia eſſe valde alienum, totumque ſe compoſuiſſe ad antiquae frugalitatis legem, ſi frons, & amici, qui ipſum interius norunt, non fallunt. Modeſtiam in illo nunquam deſiderabis, ea, qua debet, obſervantia te proſequetur. Procaces enim iſtos mores, quos licentius vivendi genus & parentum nimia indulgentia plerisque tuis popularibus affricat, pridem exuit in illis regionibus, quas peragravit. Si eam diligentiam litteris excolendis adhibuerit, quam prae ſe fert, (ait enim ſe ſtudiorum cauſa ſpretis lautioribus conditionibus tibi ſuam operam addicere,) nullus dubito, quin votis tuis & opinioni noſtrae ſit reſponſurus. Mitto nunc *Meurſii* librum de Ceramico utroque, & gemmas, quas illuſtravit *Rubenius ὁ μακαρίτης.* De quibus prolixius in litteris, quas hemerodromis Amſterodamenſibus commiſi. Duos antiquos codices *Virgilianos*, quos *Rottendorffius* ad *Elzevirium* curavit, & Obſervationes *Gronovii*, *Tollius*, ſpero, tibi adportabit. Vale, mea lux, & me ama. Trajecti ad Rhenum V Eid. Auguſt. CIↃIↃCLXII. Dionyſ.

EPISTOLA XXIV.

NIC. HEINSIUS

Job. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Quo acceptiores mihi ſunt tuae, & ſunt mehercules nunquam non acceptiſſimae, eo iniquius fero tam infrequentes ad me perferri. Nam quae *Schelii τοῦ πάνυ* mortem nunciabant, quanquam Laconicae, hoc tamen nomine nimiae videbantur, quod hiſtoriam narrabant longe funeſtiſſimam, & quam animus meminiſſe horret; poſtea nullas a te vidi. Quamvis *Tollius*, qui ante hoſce dies octo huc advenit, teſtatur alias apud *Plumerum* ſe conſpexiſſe, quae Ceramici Meurſiani pagellas comitarentur. Ipſas pagellas cum ectypo gemmarum

veterum mihi a te reddidit, literas per *Plumerum* tabellario eſſe traditas, aut ſaltem fore tradendas, amicum noſtrum prae ſe tuliſſe aſſeverat. Eae ſi ad aedes *Stryckeri* fuiſſent perlatae, quo omnes ad me curandae deferri ſolent, dubium non eſt conſpectum meum ſubituras fuiſſe, cum ex faſciculis ejus opera ad me miſſis nil, quod ſciam, deſideretur hactenus. Itaque aut oblivione *Plumerum* hîc peccaſſe ſuſpicandum eſt, aut puerum, cui tuas ad *Stryckerum*, uti ſolet, ferendas dederit, officio negligentius eſſe perfunctum. Quapropter te rogo obſecroque, ne graveris litteris ſecundis iterare, ſi quid illae complectebantur, quod ne ignorarem mea intereſſe ſis arbitratus. De Prudentio, cujus editionem a *Daumio* adornari ſcribebas jampridem, plenius duplici epiſtola jam a me actum eſt, quam ut hanc cramben repeti ſit neceſſe. Non defore ſubſidia quantivis pretii jam ſatis tibi inculcatum eſt, ſi vir doctiſſimus ſerio hanc curam, quam pollicetur, moliturus operae mox ſe accingat. Narrat *Tollius* penes *Witſenium*, Reip. Amſtelaedamenſis conſulem, ejuſdem Poëtae codicem exſtare pervetuſtum, cujus uſum *Plumerus* impetrare fortaſſis tibi poſſit. Eſt enim ille *Witzenii* filio multa familiaritate conjunctus. *Virgilium* a me recenſitum & plurimis locis caſtigatum jam ad *Elzevirios* miſi. Notas etiam premo, quod membranas plures ab amicis hinc inde expectem. Certe duos codices minime contemnendos *Rottendorphius* proximis diebus ſuppeditabat, aliis ſperare praeter hos juſſis. *Claudianum* editioni ſecundae jam paratum moratur ſpes a te mihi facta de membranis Erfurtenſibus. Codicem ejus minime contemnendum *Bigotius* mittebat nuper e Galliis. Pro pagellis Ceramici multum tibi debeo. Utinam ſit apud vos, qui reliqua viri eruditiſſimi poſtuma juris publici faciat. Creten praecipue, & Rhodon & Cyprum e tenebris protrahi in lucem velim unice. Eas enim a Regiae bibliothecae cuſtode poſſe obtinere non deſpero. *Gronovii* noſtri obſervationes tamdiu ſub praelo haerere impatienter fero & indignor. Totis ſeptem aut octo menſibus vix unicam ab amico noſtro habui epiſtolam, ſed quae de libello deſideratiſſimo mentionem faciat plane nullam. *Schefferus*, credo, Phaedrum mox ſuum typis deſcribendum curabit. *Mauricii Tacticis* latinitate a ſe donatis Typographum etiam circumſpicit, neſcio an inventurus, niſi ſit in Belgio noſtro, qui provinciam libri edendi in ſe ſuſcipiat, quod negotium tuae fidei atquae curae jam nunc commendo. *Schelii* optimi funus inconſolabiliter lugeo, ſic ut unicam ſororem ſub idem fere tempus ereptam mihi, pluribus lacrymis non ſim proſecutus. Ut parentes viro, optime de nobis litteriſque merito, vehementer te adhortor. Id ſi ſerio a te agi cognoſcam, addam & ego verſus, pietatis meae & affectus indices. Ex Italia diu eſt quod literarum nihil ad me perfertur. Tacent & Galli: expecto tamen indies a *Bigotio*, quae illum poſt diuturnam abſentiam Pariſios ex Neuſtria rediiſſe nuncient. Vale, *Graevi* ſuaviſſime. Exarabam Holmiae Suecorum CIƆIƆCLXII. a. d. x. Octobr. Gregor.

EPI-

EPISTOLA XXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio

Ultrajectum.

SCripſiſſe me nuper & verboſe, & frequenter ſcio, mi Graevi. Eae vero literae an ad te perlatae ſint, illud eſt quod ignoro. De Prudentio edendo cum cogitare *Daumium* monuiſſes, huic inſtituto unde incrementum ac ornatus ingens ſperari poſſet, verbis uberrimis ſemel iterumque jam deſignavi. De aliis etiam rebus tecum confabulatus ſum, quas nunc iterari nihil eſt neceſſe. Majo praeſertim & Quintili menſibus hinc abierunt ad te epiſtolae, nequid illas commemorem, quas Octobri nuper exarabam, erant enim illae admodum breves. Ultimae, quas a te habui, Sextili menſe conſcriptae ſunt. Illas quippe diu apud ſe neglectas *Plumerus* nuper miſit. Penultimae menſem Quintilem prae ſe ferunt. In utriſque Laconiſmum anxie captaſti, & magis quam vellem, cum nihil ſit, quod in hac ſolitudine me conſoletur aeque ac oblectet, quam amicorum conſolationes. *Tollio*, quem operoſe commendas, bene apud me fore auguror. Video enim ad praeclara ferri aſſiduo ſtudio hunc juvenem. [1] *Schelio* me parentaſſe ex hac elegia licet colligas, quam ubi legeris ad *Gronovium* noſtrum mittas, obſecro, eum enim ſpectat proxime. De Obſervationibus amici noſtri ne γρῦ quidem. Excute, quaeſo, ſi potes, hanc illi libidinem tacendi, & pertinacis ſilentii veternum. De Virgilio quid decreverint *Elzevirii*, haud dixerim. Miſi certe exemplar jam pridem locis a me pluribus caſtigatum. Notas etiamnum premendas duco, dum adſint plura exemplaria. Quinque codices jam ad *Elzevirios* Antwerpia *Moretus* miſit. Plures hinc inde expecto. Catalogus nundinarum Francofurtenſium Criticos nonnullos in annum proximum nos ſperare jubet. Quos inter variarum Lectionum *Lotichii* libros XII. *Philippi Caroli* (ſi probe memini) in Curtium. Ciceronis Epiſtolas, alios ſcriptores animadverſa. Nomen hominis mihi hactenus plane ignotum fuit. *Capoferrei* in Naſonis Metamorphoſes notata tandem ſum nactus, ut de iis ſecurum eſſe te nunc jubeam. Si quid ex Germania rerum novarum didiciſti, communica, quaeſo. Ego ex Gallia Italiaque jam pridem nihil audio; quod mirari ſatis non poſſim. Abfuit aeſtatem totam Lutetia *Bigotius*, in Neuſtriam evocatus. Nunc cum in eo ſit, ut revertatur ad *Menagium* ſuum, cujus contubernio ſolet uti, frequentius ſcripturum eſſe, non eſt quod dubitemus. *Schefferi* Phaedrum jam ſub praelo eſſe ſignificavi. Plurimas a me conjecturas acceperat, quas tamen omnes operi inſerturum eſſe non opinor. Eſt enim timidus admodum, & qui nihil mutari ferat in ſcriptoribus, niſi cum literae unius aut alterius res agitur. Vale. exarabam Holmiae Suecorum CIϽIϽCLXII. a. d. XXII. Novembr. Gregor.

1 Vid. *Nic. Heinſii* lib. IV. Eleg. 7.

EPI-

EPISTOLA XXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

HAE tertiae ſunt, quas tuis noviſſimis repono, ut culpam tarditatis, q ua antea contraxeram, nunc exuam frequentia & aſſiduitate ſcriptionis. T vero cognoviſſe ſpero meam cauſam, omnemque bilem expuiſſe, quam tib moverat mea ceſſatio; eam tamen non tam mihi, quam praefecto bibliothecae Erfurtenſis aſſignandam eſſe perſcripſi ad te antea. Iſtius hominis reſponſum poſt tot meas meorumque compellationes, & promiſſa adhuc fruſtra expecto. Affinem meum nihil quod ad hanc rem conficiendam pertinet praetermiſiſſe ex hac ſcida, quae complectitur ejus de hoc negotio verba, cognoſces. Cis paucos dies cum fratre meo, qui Lipſiae bonis artibus incumbit, agam, ut ipſe Erfordiam contendat, & omnia tentet, ut tibi Claudiani & Ovidii codices, mihi veterrimum Ciceronis orationum volumen, quod ibi ſervatur, ſed in alio collegio, impetret. Spero rem ex ſententia eum geſturum. Inferias, quas Illuſtris *Schelii* manibus dedi, [1] publicabo propediem. Expecto propinquorum juſſa & nonnullorum carmina. Tua elegia digna eſt tui ingenii elegantia & praeclaris Sororis ac *Schelii* virtutibus. Illuſtrabit ea utriuſque memoriam, & praecipue meam orationem, quam niſi pietas & tuum inſigne carmen commendaret, nunquam in doctorum conſpectum prodire auderet. Acerbiſſimum luctum, quem mihi tanti viri mors attulit, nondum concoxi. Solet dies minuere dolores & lenire, ſed profecto meos accendit. Nam quo ſaepius & diutius mecum reputo maximas viri hujus, & ſupra ſeculi iſtius captum, virtutes, ſanctum illum & excelſum animum, ſummam eruditionem, dicendi vim & gravitatem, amorem patriae & libertatis, candorem & morum ſuavitatem inaeſtimabilem, tanto vehementius tantorum bonorum deſiderio crucior. Ne dicam de jactura domeſtica. Scis enim utrumque noſtrum amiſiſſe ſummum amicum. Sane qui te tuaque in rem litterariam merita fecerit pluris & praedicarit liberalius, paucos invenies. Nullus erat noſter congreſſus, quum Daventriae agerem, quem non tanquam legitima acceſſio, tuae laudes, ſuaviſſimum utrique, acroama jucundiorem faciebant. Candide enim cujuſvis dotes aeſtimabat, & laudabat benigne, ubi ferebat occaſio. Quod ſi plures, qui eruditionis & humanitatis laude cenſeri volunt, hanc virtutem colerent, melius cum doctrinarum & ſapientiae ſtudiis ageretur. At perpauci in eruditorum natione hoc ſeculo ſunt, qui non malint alienae laudis & exiſtimationis obtrectatione nomen magnum, ſi diis placet, quaerere, quam conſulentibus in commune applaudere, & candore ac ingenui-

1 Numquam vivus edidit *Graevius*, ſed ego poſt ejus mortem, cum inter ſcedas reperiſſem, ab haeredibus accepi, & inter reliquas orationes cum publico communicavi Anno 1617.

genuitate poſteris commendari. Haec eſt labes illa & macula hujus temporis, quae praeſtantiſſimis artibus apud barbaros, rudes, & ſemidoctos non ſolum adfert contemtum, ſed & ruinam minatur, quam maturat caſus: videmus enim illa columina everti, quibus doctrina & ſapientiae ſtudiorum incolumitas innitebatur. Quare, quum tanta ſit plerorumque perverſitas, incumbamus, per Deum immortalem, in hanc curam, ut tantarum virtutum, quae in *Schelio* eluxerunt, memoria in Belgii & hujus aetatis decus, & futurae exemplum, ad poſteros propagetur. Utinam ad iſtius officii ſocietatem & alios viros inſignes, *Menagium*, *Capellum*, & tuum praecîpue *Hadrianum Wallium* & *Vlitium* ſollicitare velis. Τȣ̃ μακαρίτȣ ſcidae ac chartae ſervantur omnes ob *Ottone Schelio*, qui illas *Hogerſio*, aut *Cocio* Swollano edendas committet. Narrant amici eum reliquiſſe confectam & ab amanuenſe deſcriptam magnam partem tomi ſecundi, quem de re militari Romanorum adornabat. Saepe a vivo audivi commemorari ea omnia in adverſaria jam congeſta eſſe, & non niſi ultimam manum, & ſcribae ac librarii operam expectare. Annotationes ſuas in Auctorem dialogi de cauſis corruptae eloquentiae *Gronovio* non longe ante obitum, quum de nova iſtius ſcriptoris editione Lugduni curanda audiviſſet, commiſit. [1] Libellum elegantiſſimum *de Libertate* olim legi, quem edendum curabo, ſimulac haeredes ejus copiam facturi fuerint. Ex Germania accipio *Reineſium* moliri commentarium de familiis Romanorum, Norimbergae prodire *Philippi Caroli* animadverſiones in epiſtolas ad Atticum, in Gellium, in Curtium, *Scipionis Gentilis* Commentarium ad orationes Principum, *Virdungi* ad Eutropium & Paulum Warnefridum, *Ruperti* ad Valerium Maximum. *Lotichii* antiquarum lectionum libri nunquam, credo, edentur. Quis enim portentoſo illi libro & nugaciſſimo edendo operam navet? Puto te viri ingenium noſſe ex notis in Petronium, quas ex Calepinis & aliis Lexicis compilavit. Ex Galliis nuper allatus eſt *Danielis Huetii* perquam elegans & venuſtus Commentarius de interpretandi ratione & claris interpretibus. Hujus viri ingenium & caſta dictio mihi mirifice probatur. Lucretius *Fabri* indies expectatur: praela enim dudum reliquit. Nunc fertur eſſe in adornanda nova editione Dionyſii Characeni. Ex Italia narratur in Dalmatia repertum eſſe ineditum fragmentum Petronii, & Romae doctorum virorum cura vulgari: *Lamcium* ejuraſſe mores & caerimonias patrias, & Romae ſe proceribus venditaſſe, ſed faſtidia omnium paſſum Viennam petiiſſe, ibique foeda ambitione curam Palatini Apollinis nactum. De operibus poſtumis *Rubenii*, de meis nugis,

1 Hunc civis & rectoris optimi, & patriarum legum amantiſſimi foetum edidit *Theoph. Hogerſius* Amſtel. 1666. adjecta Oratione, qua probat Caeſarem Tyrannum fuiſſe. Sed haec *Hogerſii* pietas fraudi ipſi poſtea fuit. In Germanicam linguam hunc librum vertit *J. Henr. Rhonius*, & Tiguri edidit Anno 1678. aeque Helvetis ac Batavis tuendam eſſe libertatem ſignificans. Idem *Hogerſius* edidit quoque *Schelii* libellum poſtumum de *Pace & cauſſis belli Anglici primi* Anno 1669. & tertium *de Jure imperii* Anno 1671. quae omnes illuſtriſſimi viri lucubrationes diligenter a Batavis legi merentur, qui jura Patriae ſuae publica intelligere, & tueri velint, non ut ipſi dominentur in aequales, ſed ut aequas omnibus leges fortiter & fideliter exercere diſcant.

nugis, de *Daumio* copioſe egi in prioribus. Hic in ultimis, quas modo accepi, promittit, ſe propediem ad me miſſurum emendationes & conjecturas *Barthii* in Ovidium, quae penes ſe ſint. Ipſe lib. I. de Triſtibus IV. verſ. 9. pro vulgato *ſtridore* legit *ſtridere*, quod rectum eſt. Bibliotheca Scriveriana haſtae ſubjicietur Amſterodami a. d. III. April. Gregor. ſi frons non fallit, plerique libri manu ejus ſunt conſcripti. Si Ovidios, Claudianos, Virgilios reperero cum Manuſcriptis collatos, qui tuis inſervire ſtudiis videbuntur, & editioni illorum poëtarum, quos promittis, operam dabo, ut tibi eos liciter, ſi per negotia publica auctioni intereſſe potero. Virgilium tuum quando videbimus? Quid tricantur *Elzevirii?* Nae tu bonis auſpiciis ſalutares manus admoviſti poëtarum principi. Ille equidem plus tibi debebit, quam tot monſtroſorum commentariorum plauſtris, ſub quibus gemit. Phaedrum *Schefferi* avide expecto. Excerpſi ex obſervationibus meis unam atque alteram conjecturam, quas, ſi videbitur, cum viro doctiſſimo communicabis. lib. I. fab. 16.

Fraudator nomen cum locat ſponſu improbo,
Non rem expedire, ſed mala videre expetit.

Hunc locum in variis ſuis lucubrationibus mire vexavit *Salmaſius*. Sed legendum eſt ex ſcidis *Petri Danielis*, *mala dare expetit*. Senſus eſt: Homo fraudulentus, qui ſponſore improbo pecuniam mutuam accipit, aut emit aliquid non praeſente pecunia, nunquam de debito ſolvendo cogitat, ſed inficiari debitum, & damno creditorem afficere laudi ſibi ducit. In Praefat. libri II.

Quicunque fuerit ergo narrandi locus.

Legendum: *narrantis jocus*. lib. III. fab. 6: *Et loca frenis continet ſpumantibus*. lege: *Et ora frenis continet ſpumantibus*. Sic *ora temperare lupatis* apud Horat. *ora coërcere frenis* apud Senecam & Ovidium. Hunc poëtam male reprehendit noſter amicus ad Pomp. Melam, lib. II. cap. 3. quod lib. I. Metam. in Fabulâ Jûs Inachum Epiri confuderit cum Argivo ejuſdem fluvio nominis. Veteres enim poëtae crediderunt unum eundemque eſſe, ut Strabo oſtendit lib. VI. quod quamvis commentitium ſit, non magis tamen hîc perſtringi meruit, quam quod ſcribit Alpheum in Sicilia emergere. Sed jam ſatis nugarum. A *Tollio* audio te eſſe abalienatum, ob neſcio quas contentiones inter domeſticos tuos ortas. Si quid imprudenter egit, rogo, ut hoc dones ejus adoleſcentiae, & omnem indignationem ex animo ejicias. Nullus dubito, quin hanc offenſam omnibus ſtudiis, cultu, & obſequio ſit expiaturus. Si animi tui aequitatem novi, ſcio, veniam mihi in hoc dabis. Illum adhortatus ſum, ut tibi ſatisfaciat. Vale, Vir Summe, & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. V. Mart. CIↃIↃCLVIII. Gregor.

EPI-

EPISTOLA XXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

QUa via, aut per quos curaris jam pridem litteras ad me videndum tibi eſt, mi Graevi. Nam ex tribus, quas recenſes, non niſi unicas eaſque poſtremas accepi. Cum tamen nihil horum interciderit faſciculorum, quibus literas ſingulis hebdomadis ad me mittendas includit, & quaſi conglutinat *Strykerus*. Ad illum ſi Amſtelaedamum eſſent perlatae, dubium non eſt, quin huc inde perventurae fuerint. Si *Plumeri* opera es uſus (nam & tuas, quas Ceramico Meurſiano addideras, ſatis negligenter & lente curavit) *Elzevirii* potius opera in poſterum utaris, cenſeo. Cujus fidei cum epiſtolae Gallorum atque Italorum frequentes credantur, nullam hactenus intercidiſſe ex mihi hactenus reſcriptis recordor. Virgilio manus ſuprema imponetur, cum excerpta variorum codicum per *Elzevirios* ſubminiſtranda aderunt, quae indies expecto. Interim quae ad Valerium Flaccum obſervavi non pauca, jam in ordinem redegi. Proximis diebus Silianas etiam animadverſiones abſolvam. Uterque ſcriptor valde etiamnum depravatus eſt. Omnia enim loca adfecta perſanare non potui, quanquam ablatis aliquot naevorum centuriis. Siliana editio omnium peſſima eſt, quam *Dauſqueïo* debemus. Ad Naſonem nec pauca nec contemnenda juſſit ſperare *Gudius*, quem aeſtate proxima fore reducem in Belgio auguror. Ea ubi fuero nactus, ad ſecundas curas opera noſtra convertetur. Nam *Bigotius* & *Langermannus* jam nonnulla ſubminiſtrarunt haud parvae rei. In duabus amiſſis, ſi quid occurrebat, quod ſciri intererat mea, id ne graveris iterare poſtulo. De Claudiani & Naſonis Codicibus Erfurtanis, quando cuſtos bibliothecae tam difficilem ſeſe praebet, ne te fatiges in poſterum, obſecro. Manes *Schelianos* libens videbo. In Elegiacis meis verſibus nonnullos corrigi ac mutari velim, ſic ut mutandos eſſe mox monebo. a *Vlitio Wallioque* fruſtra nonnihil carminum expectes. [1] Cum neutro enim literarum mihi commercium intercedit. *Vlitio* etiam unice nunc occupato in illuſtranda antiquitate barbara. a *Wallio* verſus impetrare *Voſſius* tibi, ſi velit, poſſit. *Coccium* diu eſt quod per literas *rogavi*, copiam uti faceret mihi eorum, quae ὁ μακαρίτης ad Valerium Flaccum annotarat. Sed cum reſcribat nihil, parum abeſt quin perſuadear, ut credam litteras meas non ad illum perlatas. Tu interim operam da, quaeſo, ut poſtuma amici noſtri omnia diligenter colligas, ac publico impertiaris. *Reineſium* de familiis Romanis edendis cogitare laetor. *Fulvii*

1 Mirum hoc; cum *Wallii* & *Heinſii* epiſtolae plurimae, hoc etiam tempore ſcriptae ſuperſint, & tomo tertio a me editae. inter quas Epiſt. VII. *Wallius* de carmine rogatus, ſubterfugit hoc onus, quod nondum cum Muſis in gratiam redierat.

vii Urſini opus plurimorum numiſmatum illuſtratum acceſſione, ſtudio *Caroli Patini*, ex Galliis indies expecto. *Huetii* dialogum merito commendas. Eſt enim libellus iſte multo lepore, multa ſermonis elegantia inſignis. Lucretius *Fabri* ex Gallia ad me miſſus eſt, ſed nondum huc perlatus. Idem & Dionyſium Longinum & Epiſtolarum Criticarum partem alteram praelo commiſiſſe dicitur. De Petronii fragmento nihil inaudiveram, cum tamen literas Romam nuper admodum habuerim a *Falconerio*. *Bigotius* etiam horum diligens ne verbo quidem unico rem tangit. Palmaria eſt emendatio Naſoniana *Daumii*. vide quaeſo quantilla ſaepe aciem ingenii noſtri fugiant. De viro illo plura geſtio doceri. Etiam quid *Capoferreo* ſit factum, cujus animadverſa in Metamorphoſes Naſonianas me hîc terrarum jam nactum eſſe, ni fallor, proxime ſignificavi. Catalogum bibliothecae Scriverianae *Plumerus* ad me miſit, indice tamen codicum Manuſcriptorum non addito, quem potiſſimum avebam perluſtrare. *Schefferus* poſt Phaedrum publico datum, Mauritii Tactica, hactenus inedita, praelo jam, ut opinor, commiſit. Plurimas in Phaedro conjecturas illi ſuggeſſeram, quarum partem vix alteram produxit, nimiumque brevitati ſtuduit in multis. In loco libri I. fab. 16. Videbis *Gronovio* & mihi eadem veniſſe in mentem, ſed verſu ſecundo ut metro conſulatur, videtur ſcribendum, *malum dare expetit:* praefatione libri ſecundi ego quoque caſtigaram *narrantis jocus*. Sed hoc, ut pleraque alia, *Schefferus* haud monuit: teneo tamen apographas epiſtolas, quibus de Phaedri locis corruptis aut obſcurioribus cum illo egi. libro III. fab. 6. *Ora* pro *lora* etiam *Praſchium* neſcio quem caſtigaſſe *Schefferus* monet. Libelli hujus exemplaria mox ad vos perferentur. Nam mare hactenus occluſum atque impervium eſt apud nos. CIↃCLXIII. Mart:

EPISTOLA XXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

DUm diu meditor accuratam deprecationem, qua tam longinqui ſilentii culpam expiem, tibique merito mihi ſuccenſenti ſatisfaciam, nullam enim tam diu intermiſſi officii excuſationem habere poſſum, nec opinum me opprimunt litterae *Elzevirii*, quae tibi nunciari poſtulant quamprimum, cui debeas *Barthii* Statium. Deprehenderunt me eae ſummopere diſtrictum in componenda oratione funebri in exceſſum *Henrici Moreelſii*, qui olim juris Romani diſciplinam docuit in hac Academia, poſtea conſulatu & aliis muneribus hîc cum ſumma prudentiae & probitatis laude eſt functus. Hoc onus cum maxime mihi impoſuerunt noſtri Proceres, ut nulli rei minus, quam litteris exarandis praecipue ad te, quem omnibus modis mihi mitigandum propoſueram, vacare poſſim. Non tamen mihi committendum putavi ut haec, quae ſcire cupis, ex alio potius quam ex me reſciſcas. Statium *Barthii* dono tibi

tibi dat *Daumius* noſter cum Catone. Is quoque conjecturas aliquot ad me miſit in Ovidium tecum communicandas: ſimul his occupationibus defunctus fuero, eas accipies. Tum & ipſe tecum agam de nonnullis locis ingenioſiſſimi poëtae. *Rubenii* opuſcula poſtuma ſpero tibi tradita eſſe cum Statio. De iis quid exiſtimas? Longe cultiora prodiiſſent, ſi ipſi auctori licuiſſet ultimam eis imponere manum. Noſti ex indigeſta ſchedarum mole mihi haec omnia fuiſſe colligenda & componenda, praeter diatribas de Urbibus Neocoris & duabus gemmis, quas conſummatas reliquit. Cis paucos dies videbis meum Heſiodum, qui longo tempore cum typographorum tarditate, aeque ac *Rubenii* libelli, colluctatus eſt. Primum folium mitto. Si dignas judicas meas curas, quae carmine a te ornentur, maximo munere me affectum a te judicabo. Sed revoco me, & impudentiam meam agnoſco, quae haec a te petere auſim: cum nihil aliud mihi cogitandum ſit, quam de via & ratione, qua te placare ac bona fide in gratiam tecum redire poſſim, quam ſi deus mihi aliquis oſtenderit, ipſe deus ero. Neque enim alia nunc cura me aeque macerat, ac dies noctesque ſollicitum habet. Fateor me in illis numerari, quos nigro ſale perfricas in pulcherrimo [1] alloquio ad *Beuningium*. Dignus ſum & longa graviora mereor. Sed eo me demitto, unde nullum exitum reperire poſſim, praeſertim his temporis anguſtiis. In tua humanitate omnis mea ſpes eſt repoſita, quae ſi me fallet, nullus mortalium me eſt miſerior. Quî enim non miſer ſim, qui ipſe mea cunctatione & negligentia unicum omnium optimum & candidiſſimum, a quo ornatus ſum mirifice, & poſterorum memoriae commendatus, perdidi? Utinam hoc patiaris tibi perſuaderi me, etſi in ſcribendo fuerim valde negligens, minime tamen lentum fuiſſe in amando. Hoc enim tibi poſſum ex animi ſententia confirmare nullum diem abiiſſe, quo non cum gemitu deteſtatus fuerim hanc meam cunctationem. Sed neſcio quae fatalis procraſtinatio ſemper meam ſcribendi voluntatem retardarit. Redibo nunc in officii carceres, & dabo operam, ne in poſterum ullam officium meum accuſandi & excandeſcendi tibi praebeam cauſam; quod ſi non ſancte praeſtitero, non impedio, quin me deinceps in eorum cenſum referas, qui tua amicitia ſunt indigni. Hoc ſi mihi accideret, nihil meae infelicitati poſſet addi. Pro Claudiano & divinis tuis poëmatis immortales tibi ago gratias. De utroque libro propediem plura. Laudes, quas in illuſtriſſimum *Montauſerium* contuliſti, & ejus carmen tuo honori ſcriptum me accenderunt cupiditate meum Heſiodum illi Heroi dedicandi, ſi me operae pretium facturum, & ei hoc officium haut ingratum futurum cenſes. Sine tuo enim conſilio non auſim tantum mihi ſumere. Rogo te, ut ſi quae tibi cura ſupereſt hominis tardi quidem in colendo litterarum officio, tui tamen ſtudioſiſſimi, ut quam primum tuam ſententiam mihi de hoc negotio aperias. Vix enim unum atque alterum folium reſtat typis deſcribendum. In notis meis nunquam ſine praeconio emendationes & expoſitiones maximi Parentis tui, quas probo commemoro; ſi quando, ut

1 Ante librum quartum Elegiarum pag. 89.

ut in hoc ſcribendi genere, diſſentio, ſemper ejus nomen ſilentio praeterii, quod tu, ſpero, non improbabis. *Gevartium* ante aliquot hebdomades obiiſſe ex aliis, credo, accepiſti: cum hoc viro in illo tractu ipſum litterarum nomen elatum eſt. Neomagi quoque ante hos quatuordecim dies lues peſtifera, quae illam Urbem graviter infeſtat, extinxit *Joannem Schultingium*, in ipſo aetatis flore & opere multarum praeclararum rerum. Erat vir acri ingenio & judicio. Declamationes Quintiliani & Senecae infinitis locis emendaverat. Sed quae in [1] Quintilianum & veteres Rhetores meditabatur, omnes enim Graecos & Latinos illuſtrandos ſuſceperat, inchoata reliquit. In magnum me dolorem utriuſque mors conjecit, ſed praecipue iſtius, cujus aetas & ardor multa haud protrita minabatur. Ille enim annis confectus nunc otio ſe dederat & quieti. *Gronovius* etiam diu cum adverſa valetudine conflictatur. Sed nunc ſe confirmavit. Vides quanta hîc locorum ſit ſolitudo. Deus te ſervet, litterarum columen. Vale, & meae feſtinationi ignoſce. Vix enim haec relegere licuit. Trajecti ad Rhenum Poſtrid. Kal. Septembris CIƆIƆCLXVI.

1 Ea ex ſcedis & liturariis deſcripta, beneficio *Antonii Schultingii*, filii, Amici & Collegae mei amiciſſimi, nuper in nova editione Quinctiliani publicavi. Memoriam viri eruditiſſimi poſteris commendavit Theologus egregius *Chriſt. Wittichius*, qui juſta collegae ſuo perſolvit.

EPISTOLA XXIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MIrum equidem videri poterat, Graevi jucundiſſime, tam operoſum eſſe te in deprecanda diuturni ſilentii culpa, qui culpam minori longe negotio poteras non admiſiſſe. Sed non ego is ſum, qui amicis nihil indulgeam in tanto praeſertim delinquentium numero. Nec tu offenſas meas & ſimultates formidare debes, cum officia mea vix unquam bene tibi ceſſerint. Inter amicos Sigalionas principatum facile obtinet *Voſſius*, *Gudiuſque*. Tu & *Gronovius* ſecundas vobis jure veſtro vindicatis. Nam alios officii negligentes moderatius fero, meque ab horum contemtu paribus armis aſſerere poſſum & ulciſci, uti facio. *Moreelſii*. & *Schultingii* mortem invitus ex tuis percepi, etſi alterum leviter notum habebam. Nam cum *Schultingio* arctiorem aliquanto neceſſitudinem interceſſiſſe mihi, haud opinor, te fugit. Pro poſtumis *Rubenii* τȣ πάνυ commentariis gratias haudquaquam vulgares me debere tibi agnoſco. Plurima illic eruditionis reconditae argumenta occurrunt, & quae intempeſtivum auctoris funus complorare nos jubeant. Pag. 122. ſigillum Romuli aeneum laudari, nec exhiberi miror. Sed ejus ἔκτυπον in ſcriniis μακαρίτȣ oberrarit alicubi haud dubie. Nunc reliquum eſt, ut Lectionibus Heſiodeis me in-

ingurgitem, optatiſſimo nectare. Nam quae inde delibanda obtuliſti mirificum in modum placuerunt. Eorum copiam & *Scheffero* proximis diebus feci, qui vir eximius ſecundam Phaedri ſui editionem praelo typographico jam nunc permiſit. Curis etiam ſecundis rem nauticam inſigniter adauctam propediem daturus, ſi typographum ſibi circumſpexerit. Heſiodus tuus quominus ducem *Montozerium* pro patrono amplectatur nil obſtat, & probo vehementer conſilium. Eſt enim vir litteraturae humanioris ſumme ſtudioſus, & in re lauta conſtitutus. Praemium ſi quod tamen ex ejus arca tibi polliceris, ſpes iſtas fovere nolim, qui ſciam per Gallias moris vix eſſe, ut iſtiusmodi clientelae magno venditentur. Nihil itaque temere adfirmo. Ubi exploratum habebo perſiſti abs te in hoc propoſito, ut reſciſcat *Montozerius*, operam dabo, & qui ſis, & quid meritis tuis debeatur. Carmen etiam encomiaſticum a me ferres, niſi in ea nunc incidiſſemus tempora, quae rei Muſicae inaſſuetum jampridem hominem ad curas moleſtiſſimas avocarent, & in publicis cogitationibus ſolis defixum ſibi manciparent. Cl. *Daumium* ut pro dono egregio remuneres quodammodo, feret ille per te, aut per *Elzevirium*, exemplar meorum poëmatum. Majora enim nunc non ſunt in promtu. Quae tu & vir ille doctiſſimus in Naſone meo obſervatis, libenter videbo, cui ſcriptori lucis nonnihil per curas ſecundas hyberna tempeſtate foenerabor, ſi paulo plus otii, quam nunc adfulget, dabitur. Interea Prudentium a me flagitat *Praeſul Paderbornenſis*, quem Poëtam paene totum caſtigationibus, ſed ſubitaneis & minime elaboratis, jam percenſui ante paucos menſes. Dierum trium quatuorve otio opus eſt, ut tela omnis detexatur. Vidi *Schelianum* de Libertate publica foetum, & miratus ſum nihil tuum operi huic acceſſiſſe, quem viro ſummo funebri oratione parentaſſe acceperam. Vale, mi Graevi, & me ama. Holmiae Suecorum CIƆIƆCLXVI. a. d. v. Octobr. Gregor.

EPISTOLA XXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

Ego vero non miror, ſed indignor, mihique ipſe ſuccenſeo, qui maluerim culpam deprecari, quam non admittere. Te vero, *Heinſi* omnium optime & humaniſſime, quid amabilius eſſe, quid ſuavius & officioſius ab ipſis G - tiarum manibus poteſt fingi? Tua vero haec ſingularis plane facilitas, ac mirifica indulgentia in diſſimulandis amicorum peccatis, offenſisque obliterandis, meum animum admiratione & pudore quaſi defixum tenet, ac dies noctesque ſupinam hanc in colendis officiis, quibus abſentium fovetur amor, negligentiam mihi exprobrat, nec patitur me ante mihi ſatisfacere, quam tibi ſatisfactum eſſe aſſiduitate & frequentia ſcriptionis intellexero, tuque teſtatus fueris ex eorum cenſu meum nomen eſſe expungendum, qui merito a te deſerti officii ac

cuſan

cuſantur. *Schultingio* propediem parentabitur Neomagi; ejus obitum, ſi tantum tibi a publicis occupationibus otii eſt, ut brevi carmine celebrare digneris, peto. Alii etiam amici ſollicitabuntur ad hoc officium optimo & doctiſſimo viro praeſtandum. Sigillum Romuli, quod laudat ὁ πάνυ *Rubenius*, in ejus forulis & ſcriniis non potuit reperiri, quamvis omnia cum pulviſculo quaſi ſint excuſſa. Nolui tamen quae de eo annotaverat inducere, ſi forſan in amici manum ectypon ejus incidiſſet, cujus ſtudio poſtea revocaretur in lucem. *Gevartii* bibliotheca nuper Antwerpiae haſtae fuit ſubjecta, numiſmata etiamnunc veneunt. Indicantur a genero ſexies mille florenis. Lectiones Heſiodeas brevi videbis. Nihil enim reſtat ſubnectendum iis, quae jam edita ſunt praeter notas *Scaligeri*, & *Guieti*, quas mecum communicavit *Bigotius*. Laetor ſpecimen, quod miſeram, tibi non diſplicere. Satis magnum laborum meorum fructum me cepiſſe exiſtimabo, ſi tibi, cujus ego judicium maxime reformido, probabuntur, quae tam longe ab omni recondita doctrina & elegantia abſunt, quamvis hanc tuam de his notis opinionem ex vi quadam amoris erga me tui profectam eſſe putem. Conſilium adoptandi patronum Heſiodo meo *Montoſerium* mihi fixum ratumque eſt. Non modo ſpe & expectatione, ſed & votis majora conſequar, ſi in tanti viri gratiam incompta haec lucubratio me fuerit poſitura. Non fortuna iſta & ſplendor; ſed admiratio virtutis & eruditionis ejus, quam te, *Menagium* omneſque viros eruditos una voce ſummis laudibus praedicare cognovi, & res ipſa teſtatur, me in hanc impulerunt cogitationem & ſententiam, quam ubi tuo ſuffragio confimari vidi, quid animi mihi fuerit, quanto gaudio exultaverim facile per te ipſe intelligis. Non ſolum igitur illa mei animi inductione, ſed tua potiſſimum auctoritate fretus, & ſub umbra tuae commendationis audebo ad benevolentiam Illuſtriſſimi Ducis adrepere. Si quid aliud acceſſerit, quo Muſis meis ſit melius, ſic habebo, id praeter ſpem eveniſſe, & omne in lucro deputandum eſſe. Sed haec inter nos: ἀυτοί γὰρ ἐσμέν. Simul lucem adſpexerit Heſiodus, curabo exemplaria aliquot ad Cl. *Capellinum*, a quo nuperius litteras accepi, plenas officii & humanitatis, quibus mihi pro *Schelii* libello & *Rubenianis* opuſculis, quae per *Bigotium* ei tradideram, gratias agit. Sed interea tua ad me referetur reſponſio, quae Cynoſurae loco mihi erit in iſto negotio. Cl. *Schefferi* ingenium & eruditionem olim colo & ſuſpicio. Cujus mei in eum ſtudii argumentum extare volui in meis ad Heſiodum annotationibus. *Gronovius* noſter ejus nomine mihi tradidit pereruditam diatribam de Philoſophia Pythagorea. Pridem ei gratias egiſſem, niſi religioni mihi fuiſſet inanibus tantum verbis defungi. Expecto tempus, quo ἀντιδώρῳ quodam, licet minime ἰσοταλάντῳ, gratiam poſſim referre. Evolvi & alia ejus opera, quibus de republica litteraria praeclare meritus eſt, praecipue quos nuperrime publicavit Τακτικῶν ἀνεκδότȣς ſcriptores. Phaedri & Rei Nauticae ſecundam editionem avide expectamus, nulli dubitantes, quin novae acceſſiones, quibus locupletabuntur, egregia multa ſint docturae. Te ſtudium & induſtriam tuam ad percolendum & repurgandum poëtarum Chriſtianorum elegantiſſimum contuliſſe, ſummo mihi gaudio

dio fuit, Cupide illum videbo, & nihil mihi longius erit, quam ut ſpem, quam feciſti, brevi expleas: ii enim, quos antea foetus ingenii edidiſti, tantum eorum, quae expectantur, deſiderium commoverunt nobis, ut illi ferendo vix ſimus. Eſt penes me Prudentius *Giſelini*, quem *Salmaſius* contulit cum antiquiſſimo codice Puteaneo. Habeo & antiquiorem editionem, cujus marginibus multas conjecturas adſcripſit *Johannes Cauchius*, ut & alias ejuſdem notas & excerpta veteris libri, quae olim a *Voſſio* habui. Horum tibi copiam faciam illico, ſi tuis meditationibus inſervire poſſe exiſtimas. Vidi ejuſdem poëtae vetuſtiſſimas membranas aliquando apud conſulem Amſterodamenſem *Witſium*. Dum haec ſcribo, adfertur ad me catalogus librorum, quos *Voſſius* praeconi ſubjiciet Leidae pridie Kalendas Decembris epochae Gregorianae. In hoc multi ſunt inſignes libri, cum editi & a viris eruditis collati cum priſcis manuſcriptis voluminibus, tum & non pauci vetuſtiſſimi membranacei codices, quorum nonnullos ante hos tres dies Hagae Comitis vidi, & inter eos Prudentius, ut index prae ſe fert, hunc enim non inſpexi, ſatis antiquus. Juſſi *Elzevirio* eum catalogum ad te perferendum curari. Ego nunc Homero recenſendo manus admovi ejuſque ſcholiis, quae ſub Didymi nomine circumferuntur, quibus accedent *Voſſii* inedita, quae Porphyrii eſſe creduntur, & quae olim in IX. Iliados ex bibliotheca *Caſelii* ab *Hornejo* publicatae fuerunt expoſitiones, excerptae ex antiquo codice Florentino, quem ſemel iterumque laudavit *Victorius* in Variis. Utinam ea integra extarent! Quarum ſpecimen *Holſteinius* edidit ad Porphyrium de non necandis animalibus, non videntur eae eſſe, quibus *Victorius* & *Caſelius* eſt uſus. Adjicientur praeterea Porphyrii Quaeſtiones, Heraclidis, ut vulgo vocant, Allegoriae Homericae, Plutarchus de vita Homeri, & libellus, quomodo adoleſcenti poëtae ſint legendi. Si quid ad hanc editionem ornandam potes conferre, magnam a me Muſisque omnibus inibis gratiam. Nuper aliquid ſucciſivi temporis poſui in aliquot dialogis Luciani illuſtrandis. In Pſeudoſophiſten dialogum obſcuriſſimum obſervationes non paucas ex ſchedis meis collegi, quae forſan brevi edentur. In hac Urbe nunc ſub praelo eſt Suetonius, cum omnibus notis *Caſauboni*, *Torrentii* & *Marcilii*, quibus adſpergetur quicquid Viri docti poſt hos ei illuſtrando & enodando prodiderunt. Textus quoque, ut loquuntur, emendationi in nonnullis locis ſtudui. Lugduni Batavorum *Palmerii Grentemenilii* doctas in varios ſcriptores Graecos annotationes deſcribi typis ex aliis dudum puto intellexiſti. *Gronovius* in Gellium aliquid notarum concinnat. [1] *Scaligeri* excerpta, quae Hagae Comitis nuperius prodierunt, vidiſtine? Qui viri boni ſunt, hujus libelli editionem execrantur, qui non ſolum in famam tot praeclarorum virorum, quos in monu-

1 Hoc anno prodierunt Hagae, deinde A. 1668. Lugduni repetita, & Groning. 1669. auctiora multum, adjectis etiam Primis Scaligeranis a *Tanaq. Fabro* editis. Vide *Simon. Biblioth. Choiſie* pag. 109. & *Patini* Epiſt. 426. & 427. *Marvill.* Melang. d'Hiſtoir. & de literat. t. III. pag. 148. & qui de hujus generis libris egregie commentatus eſt, *Joh. Chriſt. Wolſium* in praefatione ad Caſauboniana, qui plurima luce haec perfudit, & de iis recte judicare mihi viſus eſt.

monumentis ſuis, cum in vivis eſſet ille heros, ad coelum extulerat, injurius eſt, ſed & in ipſum *Scaligerum*, cujus manes, ſi quis eorum ſenſus, non poterunt non indignitate hujus facti dolere. Nota levitatis & malignitatis indelebilis ejus nomini eſt inuſta, ſi perſuaderi ſibi patientur homines, cum tam procacis & impotentis linguae fuiſſe, ut haec in omnes omnium ordinum & aetatum homines maledicta effuderit. Cui enim, ſive antiquorum, ſive recentium ſcriptorum parcit? Sed ſuppoſititia pleraque eſſe plurimis argumentis facile, ſi eſſet neceſſe, vincerem. Valeant litterae, ſi animum & mores non emendant; ſed ſuos cultores reddunt immaniores quovis ex arena gladiatore, quique conviciandi libidine nullo poſtremae ſortis ſcurra ſint inferiores. Sed abſit, ut haec de divino viro ſuſpicemur, cujus non eruditionem ſolum, ſed & candorem & probitatem omnis aetas mirabitur. Id potius verum eſt, abortus hujus parentes eſſe illos, quibus nihil in vita ſuavius eſt, quam omnium capitibus inſultare, & qui ex nulla re majorem capiunt voluptatem, quam ſi alii exagitentur & acerbe traducantur. *Schelii* opuſcula poſtuma nonnulla alia nunc adornantur edenda. Exempla epiſtolarum, quas ad te exaravit, ut cum *Hogerſio* communices peto. Is eſt ἐργοδιώκτης. Videbo ut & mea oratio, qua ſummo Viro hîc parentavi, adjiciatur. Publica adhuc fluctuant. Ex veſtro ſeptentrione modo laetiora quaedam afferebantur. Deus faxit, ut rata ſint, & brevi pax Europaeum Orbem reſpiciat. Vale, Vir Ampliſſime, & me, quod facis, ama. Trajecti ad Rhenum A. D. Kalend. Novemb. CIↃIↃCLXVI. Dionyſiac. Adjecturus eram, quae de meis *Daumiique*, (ad quem ut recte curentur tua poëmata, ſi *Elzevirius* nondum imperio functus eſt, ſtudebo) annotationibus in aliquot loca Ovidii promiſi, ſed cogor ea differre in proximum. Iterum Vale, meum, patriae, Muſarumque decus ac praeſidium.

EPISTOLA XXXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Breviter & paucis nunc tecum agam, quod a morbo recenti vires necdum ſatis ſint confirmatae. Male adfectum quippe crus dextrum uſum inceſſus omnem pene mihi eripuit, meque menſem jam fere totum lecto ac cubiculo adfixit. Melius quidem agitur nunc mecum, ſed lente omnia procedunt, vitio remiſſi humidique coeli; cum quo diu luctamur praeter ſolitum hac anni tempeſtate. *Schefferus* optime tibi vult, ac perlubenter vidit, quae tu in tuis ultimis tam honorifice de ſe verba apud me feciſti. Quin in mandatis *Curioni* bibliopolae dedit, uti copiam Upſaliae veteris, nuper editae, per Elzevirios faciendam tibi curet. Unde colligas, cupere virum praeſtantiſſimum te ſibi propius conciliatum. Leſſum Poëticum *Schultingio* quod petis, ſcis ipſe, in ea

ea incidiſſe nos tempora, quae verſibus ſcribendis haud quaquam ſunt idonea. Meque jam piget inter iſtas nugas conſeneſcere, ex quibus tantum abeſt emolumenti aut lucelli quicquam redundare, ut vix plauſum conſequaris. Poëmatum nuper mea exemplaria cum munus plurimis amicorum in Belgio ſint oblata, pauci admodum teſtati ſunt, ſe libellum nonnulla cum voluptate aut excepiſſe, aut gratum habuiſſe. Judicium de eo vix unus atque alter tulit, quod & tu in penultimis me juſſeras ſperare. Si facultas per proceres noſtros mihi dabitur excurſum vere proximo ad vos moliendi, uti flagito jampridem, quae ad Prudentium & alios ſcriptores habeo parata, mecum feram publici juris facienda. Sed id difficillimo hoc tempore ſperare atque optare poſſum, certo augurari non poſſum; praeſertim cum mei neutiquam ſim juris. De Homero agitare te gaudeo. Et ſpes eſt ex bibliothecis Italicis comparari nonnulla poſſe, quae inſtitutum tuum egregie exornent. Qua de re & jam egi cum *Dato* ac *Falconerio*, & denuo hodie ſum acturus. Florentiae in bibliotheca ducis *Salviati* vidiſſe me membranas Homeri veteres complures cum Scholiis antiquis recordor. Hos codices dux ipſe jam olim, me intercedente, Reginae oblatos voluit, ad quam tamen non pervenere, neſcio qua de cauſa. Nunc eos haud dubie ſibi vindicabit *Coſmus Mediceus*, imperio Florentiae ſucceſſor deſtinatus; qui & litteras amat tenerrime, & in bibliotheca inſtituenda nunc eſt totus. Dux *Montoſerius* exhibitum ſibi a te honorem acceptum haud dubie carumque eſt habiturus. Agam ea de re cum *Capellano* & *Bigotio* proxime, ne quid illis hujus negotii inopinatum ſuperveniat. Ad Gellium quae Hagae-Comitum nuper ſunt edita non vidi. *Schelianas* epiſtolas ad me exaratas in ſcriniis meis indagabo. Mitte, quaeſo, quae Tu & *Daumius* ad Naſonem obſervaſtis. Volumen ſecundum epiſtolarum *Tanaquilli Fabri*, in quo & multa Naſonis tentari dicuntur, nondum videre nobis contigit. Roma accepi munus a Cardinale *Barbarino* Pachymeris hiſtoriam a *Petro Poſſino* editam, qui in tomo ejuſdem ſcriptoris ſecundo edendo nunc occupari dicitur. Accedet hic liber pars hiſtoricis Byzantinis editionis regiae, unde fit, ut eadem forma quoque edatur. Vale, Graevi jucundiſſime. Holmiae Suecor. CIↃIↃCLXVI. ad XVI. Decemb. Gregor. Praepropere.

EPISTOLA XXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Nullam a fortuna mihi factam eſſe majorem injuriam exiſtimo, quam cum ante aliquot hebdomades tuo me fraudavit complexu, cujus cupiditas me ad illud iter faciendum exciverat. Suavitates enim ingenii ſermonumque tuorum, quibus in tranſitu hîc apud nos tuo poſt tantum intervallum frui non diu licuit, penitus animo meo inſederant, eique perpetuo obverſabantur, ut

 tanto

tanto tui exarſerim deſiderio, ut illi ferendo vix eſſem, pluſque moleſtiae ex tuo ceperim abitu, quam gaudii, quod ante nunquam fieri poſſe credidiſſem, ex tuo ceperam conſpectu. Sane ſimul ac per publica Academicae rei negotia mihi licuit domo abeſſe, pati non potui, quin ad vos excurrerem, ſperans unum alterumve diem me jucundiſſime tecum poſiturum, ſic ut ſemper tuo lateri adhaererem, aſſiduusque a tuo penderem ore, ſatisfacere enim aliter meae aviditati tuae conſuetudinis non poteram. Quatriduum ipſum te expectabam Hagae. Sed cum reditus tuus incertus eſſet, ego vero diutius abeſſe non poſſem, cum propter alias occupationes, quae inſtabant, tum propter vicinum uxoris partum, diſceſſi perinvitus, indignansque domum reverti. Vix pedem retuleram, quin uxor clamaret, *Juno Lucina*. Poſtero die puellam enitebatur teneram & exilem, ut non videretur perennatura. Sed nec puerpera belle ab ipſa hora natali filiae ſe habebat, neque etiam nunc confirmata plane eſt valetudine. Ab illo tempore quid me retinuerit, & ne hoc iter, quod maxime volebam, repeterem, retardarit, facile per te ipſe vides. Acceſſit aliis moleſtiis taedium transferendae ſuppellectilis in aliam domum, in qua componenda modo totus fui. Nec nihil morarum objecit tarditas illa typographorum in paucis, quae reſtabant, pagellis deſcribendis, totoque Heſiodo conficiendo. Omnia enim, cum tu adeſſes, quae ad hanc editionem abſolvendam deſiderabant, eis tradebantur. Indies eam expectavi. Suppudebat autem me ſine illo munuſculo, cujus toties ſpem feceram, & conceptis verbis te intra diem unum atque alterum id viſurum promiſeram, aut ipſum venire, aut litteris querulis & inani expectatione te diutius ducere. Tandem ante unum atque alterum diem *Elzevirius* ſignificat omnia eſſe profligata, & exemplar Heſiodi ad te (ſic enim juſſeram, ut ſimul ac proela reliquiſſent tibi, *Montoſerio*, & *Capellano* exemplaria ornarentur & curarentur) miſſum eſſe, quod rogo, ut tu pro pignore meae in te obſervantiae, conſtantisque ſtudii & amoris teneas, donec graviore aliquando auctoritatisque pleniore teſtimonio declarare potero, quanti ego divinum tuum ingenium & doctrinam, quantique tuam, qua me complecteris, benevolentiam faciam. Cujus quantam ſignificationem noviſſimae tuae litterae dulciſſimis verbis ſcriptae habuerunt! Tune beneficii numero habeas, quo nullum majus, certe nullum acceptius, mihi tribui poteſt? Tenuis fuit apparatus, quo tantum accepi hoſpitem, quocum tam libenter vivo, ut Regibus & omnibus beatis ſua non invideam bona, ſi cum eo paucisque ejus ſimilibus liceret omnem aetatem exigere; ſed prolixa fuit noſtra voluntas. Quae quod non contemſeris benigne tu quidem feciſti, & quod bonitati liberalitatique ingenii tui eſt conſentaneum; nos vero pro eo tibi debere plurimum exiſtimamus. Si hanc frugalitatem municipalem non faſtidis, fac quaeſo, quoniam mihi propter hanc, quam gero, perſonam, aliasve curas integrum non eſt ad vos nunc contendere, tui nobis hîc copiam, ut una ſimus aliquot dies. Si *Gronovio* perſuaſeris, ut ſe comitem tibi praebeat, Deus ero. Quid enim complexu duorum hominum, quos ego ſuperis aequo, mihi poſſit accidere optatius? Tibi multa narrare habeo, cum de veſtro Heroë, tum de noſtrae Urbis

Pro-

Proceribus, quos nuper hîc vidiſti, qui paucis horis, poſtquam abieras, in diverſorio te officii cauſa quaeſiverunt. *Falconerii* diſſertationem de nummo Apameenſi avide videbo, cum ad nos veneris. Illi quoque & Sereniſſimo Principi *Leopoldo*, & *Carolo Dato*, & *Chimentello* (hujus enim, niſi fallor, humanitatem effuſam cum non vulgari eruditione conjunctam valde praedicabat olim *Gudius*, niſi fuerit *Cavalcantus*) deſtinavi exemplaria. Si quos alios noſti in Italia, qui a noſtris litteris non alieno ſunt animo, eos quaeſo mihi ſignifica. Si non alium, hunc ſaltem fructum mihi, ſpero, feret Heſiodus, ut occaſionem praebeat in notitiam & amicitiam plurimorum doctorum hominum, quorum in primis cupidus ſum, irrependi. Interea a te expecto ceras tuas miniatulas in meas lectiones; quibus, ſi me amas, cave parcas. Quo implacabilior eris meis hallucinationibus, tanto te mei ſtudioſiorem eſſe cognoſcam. Plauſum non eſt quod expectem a vobis, qui novi quam nihil hîc ſit, quod vos poſſit delectari. Heſiodo & Graecae linguae ſtudioſis, qui non longe in illius cognitione progreſſi ſunt, ſi non nihil mea proderit opera, non periiſſe mihi oleum & impenſam putabo. Exemplaria haec rogo ut perferri jubeas, quibus ſunt inſcripta, ac praenomen tui affinis & *Friqueti*, quem litterarum Graecarum cupidum eſſe cognovi, & nomina Comitis *de Guiche*, qui te magni facit, ut nuperius ex ejus collegi ſermonibus, fac mihi quaeſo ſignifices, ſi forſan tuo itineri aliquod impedimentum objiceretur. Si praeter exemplar, quod habes ab *Elzevirio*, plura deſideras, appella ipſum. Meo nomine plura tibi dabit. Proxime ſcribam *Montoſerio*, *Capellano* & *Bigotio*, ad quem per *Elzevirium* curavi undeviginti exemplaria viris eruditis diſtribuenda. *Reineſium* τὸ πάνυ obiiſſe ex aliis, credo, intellexiſti. Cum hoc lumen litterarum in Germania extinctum eſt, quae nec ingenio, nec copia & varietate doctrinae nunc parem ei habet. *Daumius* ad me miſit epicedia, quibus docti viri ejus funus decorarunt, & catalogum librorum ἀνεκδότων. Alius vir doctus illius plagae mihi ſignificat, poteſtatem ſe noſtris typographis facturum Inſcriptionum antiquarum cum ejus Commentario, ſi haeredibus praemium aliquod decernatur. Sed quis operam ſuam tam pretioſo operi addicet? Cis unam atque alteram hebdomadem Luciani ψευδοσοφιστὴν videbis; in quo aeque tricantur typographi, ac antea in Heſiodo. Utinam tibi tantum eſſet ab occupationibus curisque tuis otii, ut duobus tribusve verſibus hanc lucubrationem meam illuſtrare digneris! Nihil dudum flagrantius deſideravi, quam divinis tuis verſibus commendari poſteritati, ut immortale nomen, quod propter ingenii mei maciem conſequi non poſſum, per te conſequar, cujus carminibus nihil eſt ornatius, nihil praeſtantius, quae in pretio erunt, quam diu litterarum ſtudia florebunt. Illis ſane invideo, quos in libellis tuis carminum immortales reddidiſti. Sed ineptus ſum. Noli, amabo te, ambitioni meae iraſci, & quicquam moliri, quod incommodo feceris. Vale, Vir Illuſtris, & me, quod facis, ama. Trajecti ad Rhenum Kal. Jun. CIϽIϽCLXVII.

EPISTOLA XXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litteras, quibus de *Bocharti* & *Fabritii* obitu mecum egiſſe narras, nullus vidi. Eas periiſſe vehementer doleo. Quidquid enim a te proficiſcitur, ſint licet verſus pauciſſimi, cum propter ſingularem & exquiſitam quandam elegantiam, ſuavitatemque inimitabilem, tum propter meum in te amorem, mirifice me delectat. Hujus vero epiſtolae jacturam in primis aegre fero, quod in illo ſententiam tuliſſe de Heſiodo meo viſus fueris. Reſarſiſti quidem hoc damnum dudum in alteris illis tuis noviſſimis, ſed nimium in iis dediſti tuis in me ſtudiis & benevolentiae. Non ego tam inſanus ſum & ſuffenus, ut hoc mihi ſumam, quod tu tribuis. Pro prolixa tamen hac tua erga me voluntate, liberalitateque ſingulari niſi operam dedero & omnibus officiis pro mea facultate effecero, ut tibi gratiam referre voluiſſe videar, merito mortalium omnium ingratiſſimus, & tua gratia benevolentiaque indignus non ſolum a te aliiſque, ſed a me ipſo habebor. Auctoritatem tuam in curandis exemplaribus in Italiam & Gallias ſequar, jamque id negotii *Elzevirio* dedi. An in comitibus legatorum Anglorum ſint, quibus aliquid cum Muſis ſit commercii pervelim ſcire, ut ex iis reſciſcam, num ſuperſint *Mericus Caſaubonus* & *Pearſonus*, quanquam de hujus morte nonnihil videor mihi audiviſſe. Prudentium tuum quantocyus prodire volo cum Silio, & Valerio Flacco, ac notis in Virgilium. Nihil mihi erit longius, quam videre tam nobilia litterarum inſtrumenta, ex quibus tam multa praeclara & recondita hauriemus omnes. In Suſpicionibus *Gruteri* deprehendi hinc inde aliquot hymnos Prudentii cum Palatinis codicibus collatos. Excerpam propediem ſingula, illorumque te compotem faciam. Nondum enim per Scholas publicas ac domeſticas huic negotio vacare licuit. Perendie defungar his moleſtiis: tum ſtatim ad vos excurram. Diutius enim non poſſum ferre deſiderium tui complexus. Videbis itaque me cis duos treſve dies, ſi vivo & valeo. Ampliſſimo viro de *Weede* illud tuarum litterarum caput praelegi, quod ad eum ſpectabat. Valde tibi hac comitate tua virum Illuſtrem obſtrinxiſti. Multas dabat ſignificationes doloris, quod tuo fraudatus ſit nuper colloquio Hagae, teſtabaturque ſe te tuaſque virtutes facere plurimi. Verum de his coram pluribus. Vale, meum & litterarum decus unicum, & me ama. Trajecti ad Rhenum Kal. Jul. CIϽIϽCLXVII. Secundum faſtos Dionyſiacos. *Friqueto* quaeſo ut hoc exemplar tradi cures meo nomine. Addidiſſem litteras, ſed per occupationes non licebat.

EPISTOLA XXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SUavitas illa tuarum epularum, tot leporibus ac ſalibus eruditiſſimiſque fabulis condita, meum incendit deſiderium tuae conſuetudinis, doloremque hujus diſcidii auget indies. Quem ut leniam rus ibo, ibique me macerabo. Sed rus illud eſt ſuburbanum, ex quo, ſimul tu *Gudiuſque* fidem datam liberaveritis, veſtroque adventu noſtrae ſatisfeceretis expectationi, advolabo. Litteras tuas aliorumque, ſi quid interea me volueris, recte curabit uxor. Suſpiciones *Gruteri* heri excuſſi, ſed quas in Prudentium ſperabam me inventurum lectiones & excerpta codicum antiquorum, ea nullus inveni, cognovique memoriam me decepiſſe, niſi quod in paſſione S. Laurentii pro *curvis unguibus*, ex optimo, ut ait, Comelini libro, laudet *curvis ungulis*. Et alio loco. Extat apud Prudentium contra Marcionitas: *Et placet eſſe deos ſceptris ſocialibus aequos*. ex Manuſcripto ſcio legit: *eſſe duos*, quia *deos* modo praeceſſerit. Ibid. *Tranſtulit objectae praeſcripta repagula ripae.* Manuſcripto *objectas*, & *ripas*. quod probat. Poſt: *Qui ſub adumbrata dulcedine.* Manuſcripto *obumbrata*. Deinde: *Securam rapiens medicato vulnere vitam.* Manuſcripto *Securam penetrans.* Iterum: *Rus dum per ſtipulas agreſti oburitur aeſtu.* Melius Manuſcripto *agreſti amburitur aeſtu.* Non longe a fine, *Oceani fines atque ultima littora Thules Tranſcurrit* Manuſcripto *tranſadigit*. Sed haec tanti non videntur eſſe. Miſſum in hanc urbem eſt a *Chriſtiano Caſſio Danielis Morhofii* Profeſſoris Kilonienſis carmen in obitum *Vincentii Fabritii*, hac lege, ut Lugduni rurſus ederetur, adjecto tuo epicedio, quod credit te olim condidiſſe: ſibi enim perſuaſum eſſe, te tanti amici funus tacitum non eſſe praetermiſſurum: aut, ſi non condidiſſes, rogare tamen ſe, ut illi officio, ad quod ab omnibus bonis & eruditis ſollicitaris, uti vides ex Elegia, quam hîc ſubjeci, te ſtatim accingas. Quid decreveris fac, quaeſo, ut quam primum ex te cognoſcamus. Non ante enim praelo carmen iſtud longum ſubjicietur, quam de tua nobis conſtet ſententia, deque ea poſſimus *Caſſium* facere certiorem. Loci illius Heſiodei, de quo mecum egiſſe narrabas in perditis litteris, memoriam velim mihi refrices. De pace certa, ſi fama non fallit, res eſt. Ne fallat deus faxit, teque diu ſalvum & ſoſpitem liberumque ac ſolutum his, quibus nunc exerceris, moleſtiis ſervet patriae & ſeculi decus, & *Voſſium*, ac *Gudium*, nec non *Sciaſſium*, ſi videris, ſaluta. Lucianus cis duas, credo, hebdomadas lucem videbit, ſed invitus & aegerrime ferens, quod non prodeat tuo carmine ornatus. Iterum Vale. Trajecti ad Rhenum a. d. XI. Jul. CIↃIↃCLXVII. epochae Dionyſiacae. De Codice Suetonii viduae *Elzevirii*, ſi quando Lugdunum excurreris, aurem velle, quaeſo. Nam amici illi noſtri, qui id in ſe receperant, non videntur de ea re eſſe ſolliciti. Ordines ſi tuis deſideriis ſubſcripſerint, vehementer gaudebo.

EPI-

EPISTOLA XXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ANte hos decem dies litteras ad te dedi, miſique carmen illud, in quo ſollicitabaris ad juſta perſolvenda manibus *Fabricii*. Id ſubjiciebatur alii longo carmini, quod complectebatur laudes *Fabricii*. Typis deſcriptum huc miſerat *Chriſtianus Caſſius*, hac lege, ut rurſus praelis ſubjiceretur, ſimul ac tu, quod te obnixe rogat, tuum epicedion adjeciſſes. Sin forſan carminibus pangendis nunc vacare minus poſſes, deque ea re liquido nobis conſtaret, rogat ut id quoque ſignifices, neque aliorum carminum editionem moreris, quae tua quaſi juſſa expectant. Simul ac enim aut tuum leſſum miſeris, aut nos ſaltem tuam ſententiam intellexerimus, votis ac deſideriis *Caſſii* ſatisfaciemus. Audio comitem *de Guiche* nunc agere Hagae Comitis. Num vera rumor nunciet cupio per te certiorem fieri, ſi tantum abs re tua tibi otii eſt, ut poſſis his nugis operam dare. Tuas res ſpero ex voto ſucceſſuras. Quod ſi audiero, triumphabo. Luciano meo index tantum adtexendus, & praefatio praefigenda eſt. Vale, Vir Illuſtris, & me de *Caſſii* deſiderio certiorem fac, quid jubeas veliſque. Ex rure ſuburbano Trajectino poſtrid. Kal. Auguſt. CIↃIↃCLXVII. Gregorianae epochae.

EPISTOLA XXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

BInis litteris te compellavi de carmine, quibus funus *Vincentii Fabricii* honeſtari a te flagitabat *Chriſtianus Caſſius*, illique ſubjici carmini, quod huc miſerat, quam primum Lugdunenſibus typis deſcribendum. Sed quoniam nihil a te reſponſi tulimus, ſive quod negotiis curiſque moleſtis diſtinearis, ſive quod iter adornes in Sueciam, ſive quod alias ob cauſas ad carmen pangendum animum nunc non poſſis applicare, non ſuſtinuerunt tamen diutius expectare, quorum fidei hoc negotium fuit commiſſum, ſed typis Hackianis hunc [1] *Morhofii* leſſum ſubjecerunt. Urgebat enim editionem *Caſſius*. Ejus nomine nunc ad te haec mittuntur exemplaria, quae communicabis cum iis, quos nominis

1 Legitur inter Poemata *Morhofii* a *Muhlio* collecta lib. III. Manium pag. 526. Longius vero mihi ab elegantia & ſtructura carminis, quam quod *Heinſio* probari poterat & *Graevio*, & quam ſuis laudatoribus videtur, abfuiſſe *Morhofium*, exiſtimo. Unde nec laudare illud, ut alias ſolebant, viros ſummos id magnopere deprehendes.

minis *Fabriciani* ſtudioſos eſſe noſti. De tuis rebus, quas pulchre & ex voto provenire volo, deque tuo ad nos adventu incredibili flagro deſiderio certi aliquid ex te cognoſcendi. Gallica nomina Comitis *de Guiche* & ducis *Montoſerii* ſignifica quaeſo, & ubi locorum hic degat. Litteris meis ad ipſum latinam inſcriptionem praefixi, illaſque commendavi *Capellano*. Velim tamen & illorum certiorem fieri, ſi forſan alio tempore ad illum ſcribendum ſit. Vale, Vir Illuſtris, & me ama, tuoque complexu cum *Gudio* noſtro me brevi bea. Ex rure ſuburbano prid. Kal. Septemb. CIƆIƆCLXVII. Secundum faſtos Dionyſiacos

EPISTOLA XXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUod non contemſeris exilem apparatum, rebuſque veneris non aſper egenis, gaudeo ſummopere, ſemperque tuam humanitatem tot documentis mihi perſpectam, ſed quam jam denuo luculento mihi argumento probaſti, in ore feram, & oculis. Proceres noſtri invident mihi hanc felicitatem, & queruntur quod ſuavitate tui ingenii & ſermonum iis frui non licuerit. Vide quantam mihi invidiam conflaveris, quam tamen facile diſcuties, ſi brevi redieris, & tui copiam iis in meis aedibus feceris. Illuſtris *Weedenius* & *van Someren* tibi plurimam adſcribunt ſalutem. Pro nuntio a praeſtantiſſimo *Bigotio* tibi debeo ἐυαγγέλιον. Si Illuſtriſſimo Heroi ſtudium meum, & viris eruditis opera Heſiodo praeſtita non improbabitur, nihil eſt quod votis a diis amplius ambire ſuſtineam. Sane hoc de mea lucubratione judicium tantum mihi injecit ardorem accelerandi Homeri novam editionem, ut dies noctеſque de nulla alia re cogitem. Apotheoſin Homeri avide expecto. Litteras has tuae commendo fidei. Si potes ex ullo indicio, ex *Bigotii* aut *Capellani* litteris, ſubodorari meas, quas ante has ſex ſeptemve hebdomades per *Elzevirium* ad eos dedi litteras, fuiſſe curatas, non eſt ut has Lutetiam mittas. Sunt enim illarum exempla. Sin vero, quod valde ſuſpicor, nec leves ſuſpicandi cauſas habeo, in via interciderunt, fac, quaeſo, ut quamprimum *Bigotio*, aut *Capellano* hae tradantur cum iis, quas ad ducem *Montoſerium* exaravi, quibus Heſiodum ei offero. Eiſque velim addas nomen urbis, in qua jam agit. Quaeſo ne indigneris quod tantum mihi ſumam, tantumque tibi negotii faceſſam. Faxo mea viciſſim tibi conſtent officia ſine ulla temporis & loci exceptione. Vale, Vir Excellentiſſime, & perſuaſiſſimum habe, nihil mihi poſſe accidere optatius, quam ſi pergas mihi, ut ante hac, bene velle. Trajecti ad Rhenum a. d. VIII. Sept. CIƆIƆCLXVII.

EPISTOLA XXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

CAtalogum *Berckringerianum* hîc vides. Bina exemplaria communicabis, ſi non grave eſt, cum amicis noſtris communibus, *Gudio* & *Sciaſſio*, plurimaque eos ſalute imperties: propediem litteras ad eos dabo. Si qui in hac auctione fuerint, quos deſideretis, libri, ſimul de voluntate veſtra mihi conſtiterit, extabit meum ſtudium in iis comparandis. Quae de *Capellana* narraſti, voluptati mihi fuerunt, praeter ea, quae de optimi & officioſiſſimi *Bigotii* adverſa valetudine ſignificas. Litteras meas priores ad *Montoſerium* & *Capellanum* in itinere periiſſe puto. Itaque rogo ut quamprimum quas tibi commiſi ad *Capellanum* cures. Si illae alterae recte perlatae ſunt, juſſi *Capellanum* has ad Illuſtriſſimum Heroem conſcindere. Sin intercidêre, longum profecto eſſet expectare Perilluſtris *Beuningii* adventum, qui, ut nunc eſt, trahetur opinione noſtra longius. Plurimum tibi debebo, ſi quamprimum & ad hunc & ad *Bigotium* has meas epiſtolas miſeris. Tabulae Amersfortenſes cis unum alterumve diem vendentur. Vos videritis. In Ovidii Metamorphoſ. II. verſ. 439. *Unde pedem referens* &c. Mallem ex duobus Berſmanni codicibus: *Inde pedem referens.* Et Metamorph. VIII. verſ. 349. *Auctor teli Pagaſaeus Jaſon.* Quid ſit *auctor teli* non intelligo, legendum vero exiſtimo *actor teli*, ut apud Stat. VIII. Theb. *teli non eminet actor:* Plura alias. Velim autem ſic habeas, nihil mihi probari, niſi quod tibi rectum videbitur, cujus auctoritas & judicium mihi eſt inſtar omnium. Vale, Vir Excellentiſſime, & tibi perſuade neminem eſſe, qui te mihi ſit carior, & a quo magis velim amari. Uxor mea te amantiſſimis verbis ſalutat. Trajecti ad Rhenum praecipiti calamo a. d. XVIII. Septemb. CIϽIϽCLXVII. Secundum faſtos Dionyſiacos.

EPISTOLA XXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

AMico meo, qui ad vos excurrit, commiſi *Morhofii* poëmata tibi tradenda. Nolui enim hanc occaſionem praetermittere fidem, quam nuper dedi, liberandi. Prudentius tuus quando tandem lucem videbit? Quouſque nos patieris deſiderio macerari! Vereor ut fruſtra Gallorum ſubſidia tam diu expectes? Abrumpe, quaeſo, moras omnes, & nobis vota tandem noſtra repraeſenta. Miſſa quoque haec *Titii* carmina mihi ſunt, quae ad te perferri curarem.

Per-

Perilluſtri *Wedio* recitavi, quae nuperius de tua valetudine, per quam officium ei praeſtare non poteras, ſcripſeras. Suſpicit is vehementer tuam humanitatem, teque peramanter ſalutari juſſit. In editis libris ſcriptorum ſolutae orationis multa extare exempla caſuum quartorum in numero multitudinis, in quibus *is* pro vulgato *es* ſcriptum ſit, ſcis me nuper affirmaſſe. Ex multis & infinitis apud Tacitum & alios locis haec nunc, cum quod ſcriberem aliud non eſſet, tantum adferam. Lib. I. cap. 3. *Omnisque per exercitus oſtendebatur.* Et cap. 4. *Pars multo maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant.* Cap. 36. *Si auxilia & ſocii adverſum abſcedentis legiones armarentur.* Cap. 23. *Ni miles Nonanus preces, & adverſum adſpernantis, minas interjeciſſet.* Sed ubique magna ſeges. En etiam leviculum quid in tuo Ovidio. 11. Metamorph. verſ. 833. Legerim: *ſua mens infecerat illum*, ſcilicet lapidem, non *illam*. Sed deſino nugari, teque valere diu cupio. De tuis rebus utinam audiremus brevi quae volumus! Iterum vale, Heinſi, decus noſtrum, & mihi perge bene velle. *Gudium* & *Schiaſſium*, ſi quando videris, ſaluta, quaeſo. Nec ad hos, neque ad Florentinos potero per hos quatuor quinqueve dies ſcribere propter varias, quibus conflictor, moleſtias & occupationes. Quis Palatini Electoris negotia procurat Hagae? Per hunc enim *Spanhemius* ad ſe curari juſſit, ſi quae illuc eſſent ableganda. Sed nomen mihi excidit. Iterum iterumque vale. Trajecti ad Rhenum ὡς τάχιςα a. d. XVIII. Octob. CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA XL.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Et Illuſtris Herois *Montoſerii* & utraque tua epiſtola, nec non faſciculus *Capellani* mihi recte traditus eſt. Serius tuis reſpondi, quia deſtinabam ſimul ad te curare reſponſum ad *Montoſerii* litteras, humanitatis & benevolentiae pleniſſimas: ſed tot miſere nunc diſtringor occupationibus, iis quidem non magni momenti, ſed quae tamen omne meum tempus occupant, ut nondum ſcriptioni litterarum vacare potuerim. Fiet tamen propediem. *Bigotio*, ubi reſcripſeris, plurimam meo nomine ſalutem remetire, quaeſo. De Scholiaſte Homeri, quo *Victorius* uſus eſt, memini me ante tecum agere. Utinam extaret ille! Nam praeſtantiſſimum fuiſſe, cum ex iis intelligere licet, quae laudantur a *Victorio*, tum, quae ex eo in Iliados 1. deſcripſit *Joannes Caſelius*, & poſtea Helmſtadii edidit *Hornejus*, quae & ipſa meae inſeram editioni, quamvis maximam partem deprehenderim extare in Scholiaſte Voſſiano. Leguntur tamen in illis paucis foliis nonnulla cognitu digniſſima, inter quae & fragmentum illud inſigne, quod de Thebis Aegyptiacis ad Melam ſuum adfert *Voſſius*. Sed dubito num Scholia, quae ſunt apud Ducem *Salviatum*, ſint eadem

dem Victorianis. Nam guſtus, quem praebuit ex illo opere *Holſteinius* in diatribe de vita & ſcriptis Porphyrii cap. VII. non videtur reſpondere praeclaris illis annotationibus, quas *Victorius* & *Caſelius* videre. Sed hoc facile poterit cognoſci ex iis, quae ex Muſeo Caſeliano prodiere. Ex quibus ſpecimen ad priores verſus deſcribam & ad te mittam, curandum ad *Carolum Datum*. Si exploratum fuerit illum codicem adhuc ibi extare, nihil mihi contentionis reliquum faciam, & quovis pretio paciſcar, ut illorum ſcholiorum poſſim compos fieri. Phaedrum ſecundae editionis *Schefferi* nondum vidi. Nec etiam nunc ad eum miſi meum Heſiodum. Tuum enim expectavi diſceſſum, qui, quoniam, ut video, trahitur, aliam circumſpiciam occaſionem, qua commode ad eum perferatur. Ejus Pacatum, & Commentarios de Re Navali, ac Re antiquorum vehicularia avide expectamus. Nam ejus ſcriptis me vehementer delectari & erudiri egregie nunquam non prae me fero. Richersbergenſe Chronicon jam alium invenerat emptorem, cum tuae mihi redderentur. Viliſſimo procul dubio pretio veniit. Inquiram in poſſeſſorem, & ſi potero, tibi librum illum afferam. Ex bibliotheca *Graſwinckelii* velim mihi emi Ennodium Sirmondi, qui eſt numero 7. inter miſcellaneos in 8. ſed ſalubri pretio. De Servii loco, quem mihi oſtendiſti ad confirmandam ſcriptorum Codicum auctoritatem & fidem multum te amo. Nihil illo eſt illuſtrius. Hoc teſtimonio fretus nullius metuo reprehenſiones. Sunt enim, qui hoc meum conſilium corrigendi veterem librariorum errorem damnent & accuſent, quos nunc ego plorare jubeo. In Ovidio II Metamorph. pro *ſi quid adhuc ſupereſt*, lego: *Quicquid adhuc ſupereſt*. Multa enim ſuperfuiſſe teſtatum erat omnibus. Sed hoc leve eſt. Mitto tibi exemplar variorum poëmatum *Morhofii*, quae nuper amicus cum epiſtola mihi tradidit, in ea litteras ad te Hamburgum ſe miſiſſe aſſeverat, quas acceperis, nec ne mihi non liquet. Ex Illuſtriſſimo *Beuningio*, ſi occaſio tulerit, fac quaeſo cognoſcas, num Heſiodum meum Lutetiam miſſum acceperit, eumque meo nomine verbis amantiſſimis ſalutes. Sin minus, faxo quamprimum ad illum exemplar curetur. *Wedium* aliquoties quaeſivi, ut quae ad eum perferri volebas, ei recitarem. Sed domo ſemper aberat. Operam tamen dabo, ut haec ex me reſciſcat. Vale, Vir Illuſtris, & cura valetudinem. In tuo enim capite ſalus litterarum & Muſarum decus vertitur. Ingenti gaudio cumulabor, ſi accepero te nunc confirmata uti valetudine. Iterum vale, & ſi uxorem meam, quae te ſalutat, placare volueris, fac brevi te hîc complectamur in noſtris aedibus. Trajecti ad Rhenum a. d. XXII. Octob. CIƆIƆCLXVII. Dionyſ.

EPI-

EPISTOLA XLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NArro tibi, Vir Per Illuſtris, cis paucos dies te viſurum fratrem *Octavii Falconerii*, & *Magalottum*, Nobilem Florentinum, qui Magno duci in cubiculo apparet, viros natalium ſplendore, humanitate, doctrina, plurimiſque aliis ingenii & animi dotibus praeſtantes. Hodie mihi attulerunt litteras *Spanhemii*, nunc ſcapham conſcendunt Amſterodamum petituri. Dehinc recta ad vos contendent. Totum hunc diem eis dedi, nec memini, a quo tuo carui complexu, ſuavius me tempus cum ullo mortalium poſuiſſe. *Magalottus* in primis habet aliquid ἑλκυστικὸν ad alliciendas hominum voluntates. Edidit nova experimenta Philoſophica, quae propediem huc afferentur. Magnam prae ſe ferebant cupiditatem te & *Gudium* noſtrum videndi, quem amantiſſimis verbis ſaluto, rogoque ut cum eo haec communices. Crebri fuiſtis in noſtris fabulis, & praecipuum earum argumentum. *Spanhemius* promittit ſe brevi miſſurum notas in Julianum, & varias diſſertationes Gallicas, quae noſtri bibliopolae luci donabunt. Tibi & Prudentio tuo gratulor, quod tam inſigni acceſſione locupletatus ſit. De Scholiaſte Homeri & ipſi hi Florentini benigne pollicentur. Si quid litterarum dederis ad *Carolum Datum*, quaeſo, ut ei ſignifices, me per *Bigotium* ad illum curaſſe exemplar Heſiodi & Rubenianorum opuſculorum, ut & ad Sereniſſimos Principes *Coſmum* & *Leopoldum*, nec non ad *Andream Cavalcantem*, *Chimentellum*, & *Maegliabeccum*, in eundum faſciculum conjeciſſe Heſiodi tria exemplaria. Scholia, quae in Ducis *Salviati* bibliotheca ſervantur, ſi mihi praeſtare poſſet, me gratum fore tantorum in Homerum meritorum praeconem. De dedicatione nolim quicquam polliceri ante tuum congreſſum. Illuſtriſſimo *Montoſerio* ſcribam propediem, ſimul ac me his, quibus nunc diſtringor, negotiis expediero, intra unum alterumve, ut ſpero, diem. Si interea per te reſciverit, me litteras ejus accepiſſe, & aut reſpondiſſe, aut propediem reſponſurum, ſummopere me tibi obſtringes. de Ampliſſimo *Beuningio* aurem vellico. Si cognovero Heſiodum, quem ei deſtinaveram, non fuiſſe traditum, quam primum faxo ad vos apportetur. De tuis rebus, quae ſignificaſti, gaudio me perfuderunt incredibili. Spero eventum noſtris votis & deſideriis reſponſurum, tandemque patriam intellecturam, quantum in te habeat, nec praecipuum ſuum ornamentum in ultimas terras ablegaturam, ſed hîc pro meritis aucturam. Vale, Vir Excellentiſſime, & me perge amare. Trajecti ad Rhenum a. d. 11. Novemb. CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA XLII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

VIde quae me lubido inceſſerit Sereniſſimo Hetruriae Principi inſcribendi unum meorum librorum, qui ſub proelo nunc ſunt. Noſti vero & Juſtinum & Luciani Soloeciſtam jam confectos eſſe, & nihil deſiderari in illis, quam praefationes. Utri vero hanc praefigam nondum decrevi. Lucianus, quod noſti, pulcherrimis typis eſt deſcriptus, & ad eum quoque Illuſtrandum plus olei & operae impendi, quam ad Juſtinum, ſed eſt exiguus libellus, & vix excedet decem, ut ajunt, philyrarum modum. In Juſtinum etiam non niſi paucorum foliorum extant animadverſiones. Praeferrem ego Lucianum, ſed argumentum Juſtini aptius videtur huic meo inſtituo. Haereo & quid ſequar non extrico. Tu, quaeſo, aeſtuantem expedi, ſi putas hoc officium *Coſmo* non ingratum futurum. Omnem rem tuo committo arbitrio. Si cenſes praefigendam eſſe hanc praefationem alterutri lucubrationum mearum, quaeſo te, ut ſevere illam recenſeas, & caſtiges ſi quid in illa deprehenderis, quod aut tuas, aut, cui ſcripta eſt, aures ſit offenſurum. Nullius velim gratiam facias. Sin vero exiſtimaveris haec dona tanto Principe eſſe indigna, abjiciemus hoc conſilium. Totus pendeo a tua auctoritate & nutu. Quicquid decreris mihi rectum videbitur. Vale, Vir Summe, & fac quaeſo haec nemo ex te cognoſcat, ſed ut quam primum tuum recipiam reſponſum. Typographi enim quotidiano convitio praefationes poſcunt. Iterum Vale, meum grande decus. Trajecti ad Rhenum a. d. IX. Kal. Febr. CIϽIϽCLXVIII. Dionys. Quando te hîc videbimus? Res tuas ex ſententia provenire modo accepi, & iter te nunc adornare. Utinam ante profectionem cum *Gudio* noſtro ad nos excurrere in animum inducas. Gratius hercle nihil mihi accideret.

EPISTOLA XLIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TAntum quod tuas acceperam litteras, cum ipſe *Elzevirius* me inviſit, cui illico praefationem meam dedi, utque feſtinaretur in ejus editione rogavi. Fidem dedit ſe operam daturum, ut cras aut ſummum perendie omnia ſint confecta. Te interim rogo ut aut per te ipſe, ſic ferret ſi occaſio, aut per Excellentiſſimum virum *Maniliam* via huic libello ſternatur, ne Principi ignaro hujus mei propoſiti offeratur. Tuam potiſſimum auctoritatem ſecutus Lu-

Luciano decrevi hanc dedicationem praefigere. Prioribus tuis in me meritis quam plurimis ingens accedet tumultus, ſi hanc mihi veniam dederis. Forſan te Amſterodami videbo, ſi Principem ſecutus fueris: eo enim proximo die Martis aut Mercurii me conferam. Sed quando tandem tuus nobis conſpiciendus offeretur Prudentius? quas quaeſo nunc, cum omnia ſint profligata, moras nectis? Enecas nos deſiderio, & longa expectatione. *Gisbertus Cuperus*, juvenis elegans & doctus, Lutetia mihi ſcribit, ſe Variarum Obſervationum libros propediem eſſe publicaturum, idque ſuaſu virorum doctorum. *Fabrum* adornare novam editionem Terentii & Callimachi, & *Hadrianum Valleſium* notitiam Galliae. Utinam ex te poſſem reſciſcere, num Amſterodamum ſis excurſurus. Si enim ibi te conveniendi ſpes fuerit, utar illo hoſpitio, in quod tu ſoles diverti. Vale, mea lux & decus. Trajecti ad Rhenum ὡς τάχιϛα a.d. VI. Kal. Febr. CIƆIƆCLXVIII. Dionyſ. Viros Excellentiſſimos *Maniliam* & *Monſacchium* amantiſſimis verbis ſaluta, quaeſo, ſi in illos incideris, ut & noſtrum *Gudium*.

EPISTOLA XLIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TAnta eſt ingenii tui ſuavitas, ut, cum a te poſt aliquot dierum conſuetudinem avellor, aegre poſſim tui deſiderium levare. Cum quo jucundius ponam tempus neminem novi. Et rara eruditione, & ſingulari quadam venuſtate ac lepore tuos condis ſermones, quibus ita delinis omnium aures, ut nemo ſit, qui te norit, qui non tuae conſuetudinis ſit cupidiſſimus. Quis praeter te eſt, qui antiquae & vernaculae feſtivitatis poſſeſſionem tueatur? Utinam diu nobis frui his bonis liceat, aut, ſi redeundum eſt in ſeptentrionem, brevi cum dignitate in patriam revoceris, quae ſi tuas dotes & virtutes intelligeret, non ablegaret te, praecipuum ejus decus, quem tot Principes & exterae gentes admirantur & ſuſpiciunt, in extremas terras. Sed nulli infeſtior eſt quam ſibi ipſi. Tua enim doctrina & ingenii elegantia, ubicumque gentium ages, grandem tibi pandit ſcenam, ex qua virtutum tuarum lux per totam diffunditur Europam. Prudentium tuum diligenter domum reverſus evolvi, ingeniique ac judicii tui vim, diu quidem antea mihi perſpectam, hîc etiam cognovi. Nunc demum, qui deliciis his Chriſtianis capiuntur, majore cum voluptate & fructu praeſtantiſſimum poëtarum ſui ſaeculi legent. Antea tot maculae, quibus obſitus erat, non paucos ab ejus lectione deterruerunt, ſaltem inter legendum moleſtiam & taedium creabant ingens. Si tanta diligentia & ingenio alii quoque poëtae & ſcriptores eximii emendarentur, non longe abeſſent ab illa perfectione, qua ſcripti ſunt. Tam magnum vero reliquarum lucubrationum tuarum nobis de integro nunc excitaſti deſiderium, ut dies noctesque quo-

quotidiano quaſi convitio te ſimus fatigaturi, donec fidem datam liberes. Nihil mihi longius erit, quam ut illud nectar poſſim ingurgitare. Conficior, mihi crede, deſiderio. In litteris ad *Datum* non ſcripſi me faſciculum ei deſtinatum, ſicut & exemplar, quod *Chimentello* mitto, commendaſſe fidei *Felicis Monſacchi*, quaeſo te, ut in tuis ejus rei mentionem facias. *Chimentellianae* diſſertationis de Biſellio fac amabo copiam mihi in uſum aliquot dierum, &, ſi quid apud te poſſum & valeo, operam da, ut ante abitum tuum te cum *Gudio* noſtro hîc videam. Ei juſſi tria exemplaria dialogi Lucianei per *Elzevirium* tradi, ſimul compacta fuerint accipies. Alterum Nob. *Schieſſio*, alterum *Voſſio* meo nomine tradat rogo. Ipſe ſcribam ſimul ac Juſtinum miſero, quem cis unum alterumve diem vos jubeo expectare. Trajecti ad Rhenum a. d. VII. Febr. CIↃIↃCLXVIII. Dionyſ.

EPISTOLA XLV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NEſcio num proximae litterae meae, quas ad te dedi, recte curatae ſint. Eas commiſeram convictori meo, qui ad vos Hagam excurrebat praeterito ſolis die. Doleo me fraudari tuo complexu, quo me Amſterodami ſperabam fruiturum eſſe. Nunc vero ex *Elzevirio* intelligo te hîc fruſtra a nobis expectari, & Illuſtriſſimum *Beuningium* cras itineri Gallico ſe daturum eſſe. Hunc rogavi, ut aliquot exemplaria tuis adjiciat Prudentii exemplaribus, quae Gallis deſtinaſti. Sed vix haec ſex potuerunt expediri, eaque madentia de praelo & incompacta. Niſi huc me heri ipſe contuliſſem, omnia jacerent imperfecta. Tandem eo rem deduxi, ut circa veſperam exemplar poſſit Principi tradi. Proxime & tu & alii amici habebitis, quae vobis debentur, ubi etiam accuratius de tuo agam Prudentio. Nunc quidem nil, niſi infinitas tibi ago gratias. Ex ſex illis exemplaribus Luciani, unum velim tradi Illuſtriſſimo *Beuningio*, reliqua quinque *Capellano*, qui unum ſibi ſervabit, alterum Illuſtriſſimo *Montoſerio*, tertium *Bigotio*, duo fratribus duobus *Valeſiis*, tradat. Ad *Bigotium*, *Capellanum*, & *Montoſerium* cis tres quatuor dies literas dabo; ad alios amicos exemplaria, ſimul ac confecta fuerint, alia curabo occaſione. Vale. Amſterodami a. d. x. Febr. 1668. raptiſſime ex *Elzeviriana* taberna.

EPI-

EPISTOLA XLVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

BInis tuis, quas proxime miſiſti, litteris magnopere ſum conſternatus, ut qui te hortari debebam ac confirmare, nunc ipſe alloquiis habeam opus. Tua enim jactura & aegritudo a me non poteſt eſſe aliena, qui ut pro ſummo meo in te amore bonis tuis incredibiliter gaudeo, ſic maximum ex adverſis tuis rebus capio dolorem. Miror vehementer hominum, penes quos harum rerum arbitrium eſt, levitatem & inconſtantiam, qui intra tam paucos dies ſua decreta audent reſcindere, ſuumque beneficium tibi immerenti eripere. Videntur aucupati eſſe Illuſtris *Beuningii* abſentiam, qui cum hîc eſſet, in omnibus tuis rebus acerrimum tui defenſorem ſe praebuit. Sed poſtquam ille ſe dedit itineri, quaſi facto agmine in te faciunt impetum. Utinam rurſus, ut nuperius, aliquis e machina Deus haec conſilia diſcuteret, & tuam dignitatem in tuto collocaret! Sed vereor ne urgendo & inſtando vincant, ut ſolent, qui te oppugnant. Nihil autem mihi turpius & ſceleſtius viſum eſt, quam impudens &, ut molliſſime dicam, ingratus animus candidati hujus provinciae, qui ut ſuae ſerviat ambitioni & cupiditati, optime de ſe meritum amicum, qui ejus laudibus & commodis ſemper ſtuduit unice, ejuſque parentem publice ornavit non vulgariter, ſed perquam invidioſe, nititur evertere, ejuſque ſtationem peſſimis artibus invadere. Quid poterat a tanti herois filio foedius, quodque majorem ſuae paternaeque famae maculam inureret, deſignari? Te tua virtus, probitas, fides, merita in patriam vindicabunt, & in coelo locabunt, ipſaque haec hominum injuria tuam illuſtrabit laudem, cum omnes boni iſtam perfidiam, indignitatemque hujus facti ſint execraturi. Nihil enim a boni viri officio eſt alienius, quam ſui commodi cauſa alium, praeſertim amicum, in famae & fortunarum diſcrimen conjicere. Sed deus, ſpero, nos reſpiciet, & patriae tuae meliorem inſpirabit mentem, ut intelligat quam male de te, qui ejus bono & ſaluti ſemper invigilaſti, & de ſe ipſa mereatur, ſi has partes in iſtum contulerit. Nunc quid factum aut futurum ſit cupidiſſime ex te audiam. Non cibus, non ſomnus ante me juvabit, quam hac cura, qua dies noctesque angor, me levaveris. Apud noſtros proceres ſi putas me tibi commodare poſſe, ſignifica, quaeſo, paucis. Nihil mihi curarum & contentionis reliquum faciam, ut meum tibi probem ſtudium & voluntatem. Vale, Summe Vir, & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. XI. Febr. CIↃIↃCLXVIII. Dionyſ.

EPISTOLA XLVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

COmmentarium eruditiſſimi viri, *Valerii Chimentellii*, de honore biſellii magna cum voluptate & fructu perlegi. Multa enim me docuit egregia. Compluribus, praecipue in Gallia, magis placeret, ſi reciſis nonnullis de vulgaribus & ſatis exploratis rebus diſſertationibus, teſtimoniiſque ſcriptorum non graviſſimorum, non niſi ea exequeretur, quae minus pervulgata ſunt, & is erudite obſervavit. Sed virtutes longe penſant ſi quid hîc peccatum ſit. Tibi, quod ejus libri mihi copiam facere volueris, gratias ago ingentes Prius ad te rediiſſet, niſi qui illum feret, abitum ad vos aliquot expectaſſet dies. Is vero eſt Paulus *Stolzenbergius*, Baronis a *Kalenberg*, qui hîc in meis aedibus aliquamdiu egit, ejus vero parens primas tenet apud Electorem Saxoniae, praefectus, vir egregius, tuique & litterarum perquam ſtudioſus. Cum maxime molitur reditum ad patrios lares: ſed religio ei fuit ex his terris diſcedere, te, qui earum ſydus & decus es, inſalutato. Tranſibit Paderbornam, & ibi officii cauſa ſalutabit ejus Urbis Praeſulem Illuſtriſſimum. Si quid ibi curatum velis, huic manda. Praeſto tibi recte curatum iri. Fides enim ejus mihi longo uſu ſpectata eſt. De poëtis Chriſtianis ineditis, quos in lucem daturus eſt *Boherius*, quae narras, multum te amo. Utinam brevi illos videamus. Accipis hîc meum Juſtinum. Sed in illo nihil invenies oculis tuis dignum. Tibi injuriam eſſe factam noſtri quoque Proceres fatentur. Sed de tuis rebus plura coram. Spero enim te propediem noſtris deſideriis ſatisfacturum eſſe & tuis promiſſis. *Gronovius* cis unum alterumve diem ad nos excurret. Si res tuae *Gudiique* tulerint, comites vos ei praebere poſſetis. Sed quandocunque veneritis, deſideratiſſimi gratiſſimique venietis. Vale, Vir illuſtris, & me ama. Trajecti ad Rhenum Kal. Mart. CIↃIↃCLXVIII. Alterum exemplar Juſtini fac quaeſo ad *Voſſium* perferatur.

EPISTOLA XLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Sperabam equidem me te & *Gudium* his feriis cum *Gronovio*, qui aliquot dies ſuaviſſime nobiſcum egit, viſurum fuiſſe; ſed ſpe hac fruſtratus nunc magno deſiderio illam expecto lucem, qua fidem, quam dediſti, es liberaturus. Non unis enim litteris recepiſti te nos, antequam viae in ſeptentrionem te dederis, inviſurum,

Cave

Cave alîus utaris hoſpitio, quam meo, ſi tenuem apparatum non faſtidis. Cognoſces bonum vultum, ut tuus Naſo loquitur, & prolixam voluntatem. Non eſt enim inter homines, cujus adventus mihi magis eſſe poſſit deſideratus & expectatus. Carmine tuo, cujus copiam mihi feciſti, nihil terſius, nihil rotundius, nihil divinius, ita me Muſae ament, legi a longo tempore. Facile primas fert inter omnia tua epigrammata. Mallem ego ejus auctor eſſe, quam illam laurum meruiſſe, quam praedicas. Prudentium tuum credo jam *Daumium* accepiſſe. De *Scheffero* quae narras gratiſſima habeo. Phaedrus ſecundae editionis jam mihi traditus eſt. Mauricii Tactica jam olim aere meo comparavi. Sed antiquitates Upſalienſes, & Philoſophiam Pythagoricam, munera acceptiſſima, ejus nomine *Gronovius* mihi obtulit. Pro quibus gratias agam & ſimul per te ad illum curabo, ſi non grave fuerit; Heſiodum, Lucianum, & Juſtinum meum. Suetonius teſtudineo procedit gradu non mea, ſed typographi culpa. Promittit tamen ſe propediem magnis paſſibus ad calcem properaturum. His nundinis accipiemus luculentum *Freinshemii* indicem, quem in hunc ſcriptorem olim adornavit. Schefferianis lucubrationibus de re Navali ac Vehicularia utinam poſſimus invenire typographum! Sane & ipſe dabo operam, ut emergant in lucem, & num quem poſſim excitare, qui operas ſuas velit egregiis his ſcriptis commodare. Amo enim viri ingenium, & eruditionem ejus magni facio; nec parum ex ejus librorum lectione me profeciſſe fateor. In Ovidio tuo vide quid nuper mihi in mentem venerit. lib. I. Am. El. 14. v. 40.

Non anus Haemonia perfida lavit aqua.

Vetus codex legit: *laeſit aqua.* Quid ſit refingas *laeſit acu.* Noſti *defixiones* veterum in magicis, & quam frequens earum mentio ſit apud poëtas. Sed mihi non ante probabitur, quam ſi tibi fuerit probata haec conjectura. In *aqua* tamen iſta *Haemonia* fateor mihi aquam haerere. Vale, Vir Summe, & me ama. *Gudio* & *Sciaſſio* ſalutem plurimam dico. Trajecti ad Rhenum a. d. IV. Kal. April. CIↃIↃCLXVIII. *Hogerſium* noſtrum ad conſulatum fuiſſe evectum, ut nunc ejurata docendi provincia reipublicae animum cogatur applicare, modo accepi, idque non potui non tibi ſignificare.

EPISTOLA XLIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

HAs litteras heri exaraveram, ſed vitio & negligentia mei pueri tabellarius nobis erat elapſus. Hodie tuae mihi adferuntur longe gratiſſimae. In iis hoc unum me male habet, quod denuo tibi cum adverſa valetudine fuerit conflictandum. Sed jam ſpero te confirmaſti. Tui complexus tanto ardeo deſiderio, ut ei ferendo vix ſim. Quando tandem te videbimus? His feriis mihi

 abeſſe

abeſſe domo non licuit. Gratiſſimus enim hoſpes *Gronovius* noſter, qui ipſos ſex dies nobiſcum poſuit, me detinuit. Utinam tu quoque cum *Gudio*, quod ſperabamus, advolaſſes, ut ſimul eſſe potuiſſemus. Fabularum noſtrarum tu magna pars fuiſti, & tuus Prudentius, quem evolvimus; in quo ſolertiam tuam & ingenii vim mirabamur. Inter alia praecipue nos capiebat palmaria emendatio in Tertulliani de pallio libello, de mari mortuo. Nihil illa certius, nihil ingenioſius. Sed de his coram propediem agemus pluribus. Illuſtriſſimi *Capellani* carmina Gallica accepi, & fateor pro iis me debere etiamnunc viro praeſtantiſſimo gratias. Quando ad illum ſcribes? Faxo meas habeas, quas tuis inſeres, proximo die Martis aut Mercurii. *Gudio* gratulor de hac ſparta, quae ei offertur. Utinam eam ornandam velit ſuſcipere. Ego ſane, a quo *Hogerſius* ad conſulatum fuit evectus, non deſtiti urgere, & cotidianis convitiis ſtimulare Daventrienſes amicos, ut nihil intentatum relinquant, ad virum illum expugnandum. Ubi invenient, qui decus litterarum poſſit ibi tueri, ſi hic alienus ab hoc loco fuerit? Vides enim quanta ſit ſolitudo. Deum rogo, ut quicquid decrerit, approbet, utque te diu ſalvum & incolumem ſervet. Trajecti ad Rhenum a. d. III. Kal. April. CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA L.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Utraeque tuae litterae magnam mihi voluptatem attulerunt, quibus tam diu non debuiſſem reſponſum, niſi te ipſum indies expectaſſem. Nullus enim dubito, quin promiſſa ſis repraeſentaturus, antequam in Sueciam affectaveris iter. Tuo ſane complexu nihil nobis accidet optatius, praeſertim hac tempeſtate, qua, uxore abſente, ſolus domi ſervo. *Gudius* noſter recepit nobis ſe comitem tibi futurum. Sunt quae in ſinum tuum effundere geſtio. Jampridem ad vos advolaſſem, niſi me retinuiſſent catenatae hujus dolii, quod mihi verſandum eſt, curae. Per eas mihi etiam nondum licuit expedire quas ad *Capellanum* alioſque amicos Gallos conſtitui dare literas. Propediem tamen manum iis admovebo. De *Principe Paderbornenſe* quae narras infinita me affecerunt laetitia. Quid enim? Tanti Principis judicio & benevolentia non triumphem? Tua vero merita & officia, quibus me a multis annis devincire nunquam ceſſaſti, ne mente quidem, nedum verbis aſſequi poſſum. Tibi enim uni debeo tot Illuſtrium virorum amicitiam, & famam, ſi quam habeo, omnem. Nihil autem mihi erit antiquius, quam ut tua beneficia, tuumque in me tuear amorem. Ad ipſum Principem cis unum atque alterum diem ſcribam, mittamque Juſtinum meum teſtem & praedem meae obſervantiae. Negotium Daventrienſe volo e re *Gudii* noſtri & litterarum provenire. De loco Ovidii miror me ante non inſpexiſſe tuas animadverſiones. Plane ita ſe res habet, ut tu ſcribis. Ex adverſariis meis illa excerpſeram. Si quae habes ad lectio-

ctionem vulgatam defendendam mihi ſignificaveris, ubi ad tuos redieris libellos, nihil mihi gratius accidet. A *Boſio* hiſce diebus litteras habui, quibus multa de Joſepho ſuo & Nepote, uti & de duabus diatribis, quae ſub praelo ſunt, quarum una de epocha Joſephi, laudes Chriſti ſervatoris complectente, altera de Eſſenis agit, ſcribit. Ex Catalogo Francofurtenſi didici [1] *Schoockium* moliri grande volumen contra *Gronovium*, hujus tamen ſententia de foenore unciario ſole ipſo clarior eſt. Sed prodiit ille ex diſciplina & ludo noſtrorum hominum, qui quaecunque arripuerunt, pertinaciſſime tuentur, neque quicquam penſi habent quid dicant, quid ſcribant, quidve de eorum ſcriptis exiſtiment docti, modo habeant quod poſſint reponere, etſi ne ſpecies quidem veri in illis ſit. Sed de his coram pluribus, ut ſpero, propediem. Vale, meum & litterarum decus, & me ama. Trajecti a.d. x. April. CIƆIƆCLXVIII.

1 Vide Epiſt. Gronovii LXXXVI. & CCCLXXIII.

EPISTOLA LI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUi has feret *Jeremias* genere Graecus eſt, domo Conſtantinopolitanus, qui in patria ſuos cives docet artes optimas, in quibus non eſt vulgariter verſatus. Multa mihi narravit de bibliothecis Athenienſibus, & quae in monte Athone a monachis fuerunt adornatae: ibi ſervari novem integros Polybii libros, & varia ἀνέκδοτα Appiani. Morum prae ſe fert integritatem, alienam a ſuorum popularium ingenio & fallaciis. Adoleſcentis quaerendi cauſa, quem in noſtras oras ad imbibendas litteras miſerat, ſed qui in via periiſſe cum nave, quae ab Anglis ſuppreſſa eſt, dicitur, ſe contulit. Nunc domum itionem molitur, & viaticum quaerit. Commendavi eum noſtris Conſulibus, qui non nihil contulerunt ad itineris moleſtias & ſumtus levandos. Nunc ad vos contendit, rogavitque, ut ſe tibi traderem, utque tuo ſibi liceret uti conſilio, quod, qua es mirifica in omnes benignitate, non aegre, ſpero, feres. Dediſſem & ad *Gudium* litteras: ſi non interceſſiſſent quaedam negotia, per quae mihi non licet nunc ſcriptioni prolixiori vacare. Tuae de Ovidii illo loco ſententiae plane ſubſcribo. Nec dubito ipſos Salmaſianos amicos ejus correctionem damnaturos. *Winterſoni* animadverſiones in Heſiodum nuper accepi; ſed non ſunt magnae rei. Ex canonibus recentium Grammaticorum de accentibus fere omnes conflatae ſunt. *Boſio* reſcribam propediem, & quae juſſiſti ſignificabo. *Bigotius* num Lutetiam venerit aveo ex te cognoſcere. Quando tandem te videbo? deſiderio conficior. *Schoockius* ille, qui virulento libro *Gronovium* inſectatus eſt denuo, paucis, poſtquam prodiiſſet, diebus fatis functus eſt. Vale, Vir Excellentiſſime, & cum *Gudio* noſtro & Nob. *Sciaſſio* veni. Trajecti ad Rhenum a. d. XXIV. April. CIƆIƆCLXVIII.

EPISTOLA LII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litterae tuae, quibus ſpem tui ad nos adventus omnem praecidiſti, vehementer me perculerunt. Nihil magis mihi nec opinanti poterat accidere, quam iſte nuncius, nihilque quod acriorem meo animo dolorem inureret. Jampridem expectatione tui complexus, cujus toties me certum eſſe juſſiſti, cogitationeque ſuavitatis, quam is mihi eſſet allaturus, unice ſolatus ſum moleſtias curaſque, quibus perpetuo conflictor. Nunc neſcio quae fatorum malignitas meis intercedat deſideriis praeter omnem ſpem & expectationem. Si vero haec rata ſit, teque hîc videndi nulla copia fuerit, nolim enim quicquam contra tua commoda poſtulare, ſimul ac intellexero, quem diem tuo itineri dixeris, excurram, ſi vivo ac valeo, Amſterodamum, & ambitioſius hedera tuo inhaerebo collo. Non ſpero tam invenuſtum & infelicem me natum eſſe, ut & iſtud votum caſus aliquis inſperatus mihi ſit intercepturus. Sed mitto δυσφημεῖν. Ad *Datum* brevi dabo alias litteras, in quibus cum illo agam de Homero, in quo nunc totus ſum. Miror ad *Bigotium* non perlatas eſſe, quas pridem ei miſi. Si Tacticis inſerturi fuerint Polyaenum, mea opera non nihil huic inſtituto ornando poſſet prodeſſe: habeo enim, ut noſti, unde longe poſſit emendatior, & repletis lacunis quam plurimis, cultior & integrior prodire. Sed prae Homero nunc vix illi ſcriptori manum poſſim admovere. Eſt & in hac Urbe Urbicius Manuſcriptus, cujus copia mihi fiet brevi. Si deprehendero aliquid, quod poſſit *Schefferi* editioni excolendae inſervire, id omne in ſpem ejus gratiae annotabo, & diligenter perſcribam. *Elzevirium* juſſi in faſcem conjicere Heſiodum & Pſeudoſophiſtam meum, ut, ſi non grave fuerit, eos tecum feras ad *Schefferum*. Adjiciam etiam aliquid litterarum. Velim quoque ad *Meibomium* & *Bartholinum* hos libros meos perferri, & Lucianum ad *Langermannum*. Sed ſi tot faſciculi tuis ſarcinis graves nimis futuri fuerint, aliam inveniemus viam. Regis Chriſtianiſſimi numiſmata utinam, quod tu nuncias, deſcribantur brevi & edantur! Vale, Vir Illuſtris, & tibi perſuade non eſſe inter natos homines, qui te ſtudioſius colat & amet, quam ego. Trajecti ad Rhenum a. d. xv. Maii CIↃIↃCLXVIII. Gregor.

EPISTOLA LIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

A quo a nobis abiiſti, nihil de te accepimus, quod ſummo nobis dolori eſt, quamvis ſperemus te itinere hoc tam longinquo, & taedii moleſtiarumque pleno, ex ſententia defunctum eſſe. Nihil ſane nobis longius eſt, quam ut ea, quae volumus & optamus, de te audiamus. Utinam patria brevi te revocaret, ſed auctum dignitatibus, fortunis, & commodis! Si ſua noſſet bona, & tuas dotes intelligeret, non pateretur praecipuum ejus decus in ultimo Septentrione conſeneſcere. Sed, ſpero, fata viam invenient. Illuſtris *Beuningius* dicitur reditum adornare ad nos. Claſſis Anglorum, quae commeatibus & militibus indies magis magisque ornatur, multos tenet ſollicitos, quo curſum ſit directura. Sunt qui viciniae veſtrae metuunt. *Gronovius* noſter nondum cum priſtina valetudine redit in gratiam, fertur tamen in melius ire. *Andreas Brummerus*, haeres *Reineſii*, Lutetiae de lege Cincia diſſertationem edidit, quam narrant probari doctis in illa urbe viris, hîc nondum viſa eſt. *Gaasbeeckii* Lugdunenſes manum admoverunt edendis Ciceronis libris de officiis. Auctor eis fui, ut *Victorii*, *Urſini*, *Caroli Langii*, *Gruteri*, *Franciſci Fabritii* & *Suffridi Petri*, notas integras addant, & calci ſubnectant *Eulogium* in ſomnium Scipionis. Nec abhorrent ab hoc conſilio; ſed *Fabritii* & *Suffridi* notae haberi non poſſunt. Si eae in tua extant bibliotheca, rogo ut eas loces deſcribendas, eas refundemus illico, cui juſſeris. Memini me quoque olim audiviſſe Cl. *Schefferum* nonnihil notarum in hos libros conſcripſiſſe. Si eas ad nos curaverit, operam dabimus ut nunc edantur. Vide quaeſo, ſi maturandus tibi ſit reditus, ut tecum ferre poſſis ἀνέκδοτα Meurſiana, quae in Regia bibliotheca Holmiae ſervantur, ſi non omnia, ſaltem potiora, ut de trium inſularum antiquitatibus, & Regibus Lacedaemoniorum. Nihil mihi curae reliquum faciam, ut ſimul ac ad nos pervenerint, lucem videant. *Langermanno*, *Bartholino*, *Meibomio*, *Scheffero* recte tradita eſſe, quae eis deſtinaveram, nullus dubito. Huic proxime ſcribam. Habuiſſet nunc litteras, niſi amici interpellaſſent. Vale, Vir Summe, & me ama. Trajecti ad Rhenum a d x. Jun CIϽIϽCLXVIII. Dionyſ. Nobiliſſimo *Silverkroonio* ſalutem dico verbis amantiſſimis.

EPI-

EPISTOLA LIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Dies agitur viceſimus, quod ſalvi in hanc civitatem, via feliciter decurſa pervenimus. Sed, ut fit, primis ſalutationibus temporis non parum fuit dandum, dum Regem, Reginam matrem, Procerum potiſſimos compello. Fuit & laſſitudo corporis, in itinere permoleſto contracta, blandis amicorum alloquiis, aliiſque id genus fomentis, abſtergenda, mi Graevi. Inter quae magnae mihi voluptati magnoque ſolatio futura, oblata eſt tua epiſtola. Hanc merum coagulum & medullam intimam tenerrimi affectus jure dixeris; tanta ſuavitate animum mihi omnem ac ſenſus altiſſimos penitus demulſit: quale bonum ut frequenter mihi obtingat, dum alter ab altero abſumus, unice exopto. De Lege Cincia *Brummerianum* commentarium non illaudatum in ſuis ad me litteris *Bigotius* dimiſit, cujus copiam quam primum mihi fieri velim. *Gaasbeeckiorum* fratrum de edendis Tullii officiis inſtitutum collaudo: atque adeo litteras hodie ad *Schefferum* dabo, per quas explorem, ſi quid ab illo, quod ad ornamentum operis hujus faciat, ſit expectandum. *Suffridi* in iſtos Ciceronis libros annotata nequicquam quaero hactenus, ut ſaepius tibi indicaſſe memini: *Fabricii* obſervationes ut poſſidere me ſcio, ſic ignoro ubi in ſcriniis ſim inveſtigaturus; quod Bibliothecae ſuppellex omnis ciſtis ſit incluſa, & tranſmarinae migrationi parata. *Lambini* interim vide ne obliviſcaris, cujus animadverſa in reliquorum numero non percenſes, erudita ceteroquin & minime negligenda. de *Meurſianis* ἀνεκδότοις agam cum *Figrelio:* qui olim mihi eſt profeſſus, in ſe moram haud quaquam fore, ſi iis publico tradendis typographus apud nos inveniretur. Tu modo vide, ne illi, qui nunc operam offerunt, nos poſtea deſtituant ac fruſtrentur. *Langermanno* Lucianum tradidi in manus. *Bartholinus* Hafnia aberat, cum illac tranſibam; relicto per me domi ejus faſciculo. *Meibomium* Helſingorae vidi, ſummo mane & in tranſcurſu. Videbatur is non abhorriturus a Profeſſione bonarum artium publica, ſiquid tale a Foederatis Belgis offeretur. Quae *Scheffero* tradenda mihi conſignabas, necdum huc advenere. Sed expectantur quotidie, ſarcinis meis partem potiſſimam adhuc navigantibus. Rerum novarum cum nuntiare nunc quidem nil omnino poſſim, mitto verſiculos in via effuſos, ne opineris iter prorſus otioſum atque illitteratum nobis fuiſſe. *Schefferi* rem navalem atque vehiculariam publici juris faciet, puto, *Elzevirius*, niſi conditiones aequas prorſus non admittit. Vir ille doctiſſimus Pacati panegyricum in lucem emiſit nuper, curis ab ſeſe ſecundis illuſtratum. Tu an pulchre tibi opera procedat in Suetonio edendo, ne mihi cela; tum ecquid praeterea nunc moliaris: quidque rerum amici agant, quorum Principes *Gudius*, *Schazziuſque*. Denique ſignifica, ſi quid forte ex Ger-

Germania codicum novorum acceperis. Vale iterum iterumque. Salveant uxor & liberi. Holmiae cIↃIↃCLXVIII. *Brunnerus* de Plinii epiſtolis edendis cogitat. *Schefferus* libellum medii Aevi de Epiſcopis Ubſalienſibus luci adornat.

EPISTOLA LV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

TE longi itineris taediis ac periculis ex ſententia defunctum eſſe, ſoſpitemque perveniſſe Holmiam ſummae mihi voluptati fuit. Vehementer enim me ſollicitum habuit valetudo tua, quae, cum hinc diſcederes, nondum erat bona fide confirmata, & vix videbatur futura ferendis moleſtiis tam ſpatioſae viae. Sed tanto majore gaudio me tuae perfuderunt litterae, quae hoc metu me liberarunt. Nunc vota pro felici tuo reditu nuncupamus, deumque quaeſumus, ut patria tua te brevi non ſalvum modo complectatur, ſed & honeſtum eſſe velit, ac ſtatione digna tuis in ſe meritis, dignaque tuo ingenio & eruditione auctum retineat. Niſi culpam emendaverit, dataſque tibi injurias penſarit largiter, nunquam apud poſteros & cultiores gentes eluet maculam, quam inuſſit ſibi ipſa, cum praecipuum ſuum decus aut ignoravit, aut parum reverenter habuit. Sed illuceſcet, ſpero, illa dies, qua & eam & fortunam iniquitatis erga te ſuae poenitebit. Commentarium ſuum de lege Cincia *Brummerus* ad te per *Gronovium* curari juſſit, ut ex ipſo, cum nuperius hîc curandae valetudinis cauſa tranſiret, intellexi. Spero te jam eum vidiſſe. Me cepit eruditio & culta hominis dictio, quamvis non ubique ei ſubſcribam, nec probem, quorum Romani eloquii parentem arguit. Italiam nunc, ut audio, ſequitur. *Fabritii* & *Suffridi* notas in Ciceronem de officiis doleo me nuſquam eruere. Cl. *Schefferum* ſpero praeſtiturum, quae ipſum dudum illuſtrando huic libello congeſſiſſe fama ad nos pertulit. *Meurſianorum* ἀνεκδότων curam & editionem, qui ſuſcepturus ſit typographus, in promtu eſt. Sed ſi fidem fallat, non difficulter alium inveniemus. Tu modo vide, ut *Figrelius* eorum nobis copiam faciat. Niſi tu ea ante tuum abitum aſſerueris liberali manu, nunquam ex carcere illo erumpent. *Meibomio*, quem dudum colo facioque plurimi, velim in noſtrarum academiarum aliqua locus daretur commodus. Nam & ei eſſet ornamento, & litterarum ſtudiis praeſidio. Doleo ſane tam inſignem virum in negotiis a ſuo ingenio alienis conſeneſcere. Leidenſes feruntur deliberare de arceſſendo *Tanaquillo* in *Thyſii* locum. Sed vix mihi perſuadeo eum adduci poſſe ad migrandum. Utinam *Meibomii* habeant rationem! Sed nec eſt, qui eos moneat, nec ſi ſit, audiretur. Daventrienſes, cum *Gudium* non poſſent expugnare, quamvis iterum iterumque eum enixe ſollicitaſſent, *Cupero* hanc ſpartam obtulerunt jam ex Galia reduci, meo potiſſi-

tiſſimum ſuaſu. Recepit ſe venturum. Nunc in expoliendis ſuis obſervationibus elaborat, quas ubi elimaverit edet. Pacatum *Schefferi* & libellum de Epiſcopis Upſalienſibus avide expectamus. Quos de re navali & vehicularia commentarios adornavit, ut publicet *Elzevirius*, frequenter urgemus. Nec videtur abhorrere ab iis edendis. Ex Germania quid allaturae ſint, quae inſtant, nundinae Francofurtenſes illico ex me cognoſces. A quo abiiſti, nihil ex illa plaga novi accepi in re litteraria, niſi aliquot carminum libellos a *Moorhofio*. Bibliopolae noſtrati tradendas luci commiſi *Baudii* in Plinii Panegyricum notas. Non quidem in iis multa recondita, & ab aliis non viſa, multa tamen venus & lepos, pro ingenio & elegantia viri. *Gaasbeeckii* fratres non ſolum Tullii de officiis, ſed omnia ejus opera cum notis *Manutii*, & quas eis commendabimus alias, publici juris facere decrerunt, meque, ut conſilio & re juvarem, rogarunt. Nec renuo, ſi per negotia ei curae vacare potero. Si nihil aliud praeſtitero, (& quid in tantis temporis anguſtiis & occupationum aliarum mole poſſim aliud praeſtare non video) hoc ſaltem providebo & efficiam, ut ſinguli libri prodeant cum optimis, qui unquam extiterunt, commentariis veterum juxta & recentium interpretum, ne operam & ſumtus perdant optimi viri. Ad hoc propoſitum perſequendum pauca, niſi fallor, deſidero. *Muretum* praecipue in Philippicas, & *Goveanum* in libros de legibus. Sed totius operis deformationem, & quos cuilibet libro deſtinaverim commentarios, propediem ad te mittam. *Elzevirius* idem inſtitutum urget, & me hoc nomine compellavit. Sed ei auctor ſum, ut ſociatis operis & voluntatibus hoc negotium capeſſant. *Schultingii* notae in Senecae declamationes brevi tradentur *Elzevirio*. Multa in iis bona & docta. Suetonius movet quidem, ſed parum promovet, non mea, ſed typographi culpa. Homero expoliendo praecipuam navo operam. Alia ſunt πάρεργα. Nonnunquam etiam obſervationum mearum libros reſpicio & augeo, ſed vix antequam Homerum depoſuero, iis ultimam manum potero admovere. *Gevartii* commentarius in M. Antoninum jam ſub proelo eſſet, niſi *Steenbergius*, neſcio quibus calumniis implicitus, cum adverſa conflictaretur fortuna. Sic narrarunt mihi Antwerpienſes amici, cum nuper in illa urbe aliquot dies tranſigerem. Sed nunc creditur ex his malis ſe emerſurus eſſe, diſcedente Praefecto Regio, qui ei & Muſis ſemper fuit infeſtus. *Ezechielem Spanhemium* gratia ſui Principis excidiſſe, & nunc Genevae agere magno cum dolore intellexi. Frater ejus fertur fuiſſe vocatus ad profeſſionem Theologicam Franeckeram. De *Plumeri* triſti caſu (en me κακῶν ἄγγελον,) nullus dubito, quin ab aliis ſis certior factus. Nunc decidit cum creditoribus. Ἀλλὰ ταῦτ' ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Ab *Octavio Falconerio*, *Carolo Dato*, & *Chimentellio* litteras accepi quam gratas. Ille promittit inſcriptiones a ſe illuſtratas, nummum Apameenſem mihi deſtinatum ad te miſiſſe ſcribit, & per *Bigotium* curavit ἀποθέωσιν Homeri ex antiquo marmore; & quas ediderunt diſſertationes de pictoribus veteribus & honore biſellii, cum nonnullis aliis opuſculis, quae Florentiae lucem adſpexerunt. Ab *Huetio* munus accepi eximium & mihi pretioſiſſimum, Origenem a viro illo nobiliſſimo inſigni commentario exornatum.

Ante

Antehac in illo elegantiam ingenii ſuſpexi, ſed nunc miror variam abſtruſamque eruditionem ejus in omni diſciplinarum genere, quam Origenianae illae diſputationes & notae per quam luculentae loquuntur. In Virgilianis tuis lectionibus multumne profligaſti? Sic ſperamus equidem vovemuſque omnes, qui earum deſiderio conficimur. Epigrammate tuo in pacem inſtauratam nihil terſius, nihil argutius fingi poteſt. Nec elegantia, nec acumine cedit illi, quod in Burgundos ſubactos pangebas praeterita hyeme. Saepe hac ambroſia, quae imas animi medullas mihi permulcet, paſci opto. De reditu tuo ubi quid certi conſtituiſti fac, quaeſo, ex te cognoſcam. *Amerongio* ſi quid nunciari velis, mihi manda. Vir egregius *Weedius* exiſtimabit ſe tibi debere, ſi te ejus memoriam retinere cognoverit, quod facile conſequeris, ſi ſalutem ei nonnunquam per me dixeris. Sed hoc tui eſt conſilii. Vale, Vir Illuſtris, & me ama. Trajecti ad Rhenum poſtridie Kal. Septemb. CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA LVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

EXpectabam jam pridem reſcripti nonnihil ad meas, quas exaravi ultimas, praeſertim, quod ex rumore cognoſſem, ab Amſtelodamiis te evocatum, ſtipendio haud modico, ad obeundam iſta in civitate litterarum humaniorum profeſſionem publicam. Cujus equidem rei per te ipſum ignarus eſſe haud quaquam debuiſſem, quum alii, uſu minore mihi perſpecti, ſignificare non ſint gravati. Interim cum *Edmundo Figrelio Gripenhelmio* proximis diebus egi de ineditis *Johannis Meurſii* operibus, quotquot in bibliotheca Regis aſſervantur, publico permittendis. Promiſit ille hac de re ſe acturum eſſe cum Regina matre, nec praevideri abs ſe difficultatem in hoc negotio, praeſertim ſi nonnihil horum voluminum Regi per te dedicetur. Potiſſimum quantum recordor, ſunt opera, Liber commentarius, quem *Bibliothecam Atticam* inſcripſit, ubi agitur de Atticis ſcriptoribus. Tum alius, de Antiquitate trium Inſularum, *Cypri*, *Cretae*, & *Rhodi*. Nam de *regibus Laconum*, deque vita *Theſei* ſunt libelli nimis grandes: quos tamen emitti in lucem publicae utilitatis interſit. Tuum nunc eſt ſine procraſtinatione bibliopolam nobis circumſpicere, qui hanc provinciam ſuſcipiat, ne Regem fruſtremur irritis promiſſis. De re litteraria, quod nuntiem ex hoc terrarum tractu, nil prorſus eſt in promtu. *Schefferi* litteras, quas per *Elzevirium* curabam non ita nuper, accepiſſe debuiſti. Ejus luculentum de militia veterum Navali commentarium jam oportet eſſe perlatum ad *Elzevirios*, qui per te incitandi ſunt, ne editionem operis praeclari trahant. Audio apud vos proximis diebus codices complures manu exaratos, in membrana veteri fuiſſe divenditos. Cujus notae iſtae fuerint, tum quid inde uſibus tuis compararis, fac ſciam. Quid *Gudius*? quid *Schazzius*? ſal-

ſalveant optimi mortales, quaeſo. Ex Galliis Italiaque diu eſt, quod nil rerum novarum ad me perfertur. Tu, qui in tanta litterarum degis luce ac bonarum artium, nobis in hoc terrarum angulo extremo conſtitutis non debebas invidere, quicquid bonae frugis ad te perfertur. Illuſtri *Weedio* me commendes, rogo, ſed nota de meliore. Tu vale, mi Graevi; feſtinabam manu praepropera. Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXVIII. a. d. XVI. decemb. Julian.

De *Gronovio* nihil audivi, ex quo pedem extuli patria. Ajunt illum cum pertinaci valetudine luctari. Quid Pliniana ejus? promoventne multum? Quid Tacitus? Elector Saxonicus *Andream Boſium* rogavit, ut curam Reineſianarum inſcriptionum edendarum in ſe recipiat. Quod ille onus a ſuis humeris eſt amolitus, cum in aliis ſit occupatus.

EPISTOLA LVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

NE meam iterum accuſes fidem, en, quam ante biennium dedi, libero. Septima me prole parentem ante hos tres dies uxor fecit, enixa puerum, cui, ſimul ac lucem vidit, precatus ſum mentem ſanam in corpore ſano. Nunc te rogamus, ne, quod olim recepiſti, nobis officium praeſtare die luſtrico graveris more majorum. Magno inſignique beneficio & honore nos auctos exiſtimabimus, ſi hanc nobis veniam dederis. Nomen ei erit *Nicolao Ludovico*. Partes tuas qui ſuſtineat, dum cerimoniis fungendum erit, providebimus. Nunc ad litteras tuas, quibus pridem reſpondiſſem, niſi cum aliis occupationibus, tum varia ancipitique deliberatione de migratione valde diuque diſtentus fuiſſem, a quibus vix dum reſpiravi. Bis me ſollicitarunt Amſterodamenſes ad capiendam in urbe opulentiſſima provinciam docendarum litterarum elegantiorum, propoſito lautiſſimo praemio trium millium florenorum. Noſtri tamen effecerunt conſtituto honeſto, & pro eorum copia, amplo ſtipendio duorum millium florenorum, quantum nunquam ullius artis & diſciplinae doctori in hac Academia fuit ante decretum, ut maluerim eſſe Teneates, quam Corinthius. Utinam te mihi licuiſſet adhibere. Nihil egiſſem hercle niſi ex ſententia tui conſilii, quo nihil prudentius, fidelius, & in omnibus meis rebus amantius cognovi. *Gronovium* monui, ut *Brummeri* de lege Cincia commentarium tibi deſtinatum quamprimum ad te curaret. Negligentiorem, credo, τὸ πάνυ reddiderat adverſa valetudo, e qua cum emerſerit, non patietur ullum erga te officium deſiderari. Te quoque ſpero nunc confirmato eſſe corpore, & priſtinae reſtitutum valetudinis integritati dudum, quo nihil mihi poterit afferri laetius & acceptius. In tuo enim unius capite ſalus fere litterarum vertitur. Cl. *Schefferus* quam ſpem fecit notarum, quas in Ciceronis

de

de officiis libros ſcripſiſſe dicitur, ut & *Meurſianorum* librorum ἀνεκδότων, qui in ſcriniis Regiae bibliothecae apud Holmianos aſſervantur? Libros *Schefferi* de militia veterum navali longe auctiores, ut & novas curas de re Vehicularia cupidiſſime videbimus. Eum non ſpero detrectaturum laborem valde glorioſum, & qui magnum ei fructum ferat, veteres Tacticos ſcriptores ineditos vertendi in Latinum ſermonem. Amſterodamum nunc tenet *Meibomium*, & in poſterum, puto, tenebit. Spartam enim, quam mihi Magiſtratus illius Urbis obtulerant primo, & dein *Gudio* noſtro, ſuſcepit; ſed conditionibus non optimis, quas *Gudius* merito reſpuit. Nuperius eum compellavi. Vidi etiam ibi Illuſtrem virum *Thevenotium*, qui hanc hyemem Leidae tranſiget, ut in lucem edat Geographum quendam Arabicum, & fruatur bibliothecae codicibus orientalibus, quibus illa, ut noſti, eſt inſtructiſſima. Salutem tibi plurimam dicit. In Cicerone publicando quam ſecuturi ſimus rationem inferius poſui. Si quid adjiciendum omittendumve cenſueris, fac, quaeſo, mihi tui conſilii copiam. Nihil enim nobis erit antiquius, quam ut editio prodeat pulcherrima, neve interpres ullus eruditus in ea deſideretur. Homeri curam cave nos abjeciſſe exiſtimes. Ei inſudamus unice, navamuſque diligentem & aſſiduam operam praeter caeteros. *Spanhemius* in Principis Palutini gratiam, qua ferebatur excidiſſe, reductus eſt. De *Steenbergio* nihil audimus. Sed in quo verſabatur periculo, credo deceſſum Praefecti nuperi eum liberaſſe. Excerpta codicis Colonienſis Italici Silii *Modium* collegiſſe nullus dubito. Certum me hujus rei non ſolum Lucretius meus jubet eſſe, quem vidiſti; ſed & Martialis, quem eadem manu cum membranis collatum nuper perluſtravi. Nuſquam quidem *Modii* legebatur nomen, ſed prima pagina haec verba prae ſe ferebat: *Contuli cum ſcripto libro Romae* 1468. *ſed ex optimo exemplari membranaceo, ut apparet. Wirzeburgi Kal. Maiis* CIↃIↃLXXIII. *mihi fuit donatus a Weidnero.* Sic ille. XXXIII. vero epiſtola in ejus Novantiquis lectionibus, nos non ſinit dubitare, quin manus *Modii* ſit, nec alius eſſe poſſit, qui tuum Silium commiſit cum antiquis libris. Eadem manu, niſi fallor, exaratae ſunt variae lectiones in Propertio, quas tibi utendas dedi, quamvis *Scriverius* cenſuerit eas a *Lernutio* collectas eſſe. Emendatione tua in libro VIII. verſ. 463. Silii nihil certius, nihil elegantius fingi poteſt. Nullum elicias ſenſum ex vulgata, niſi per abſurdum. De ſignificatione iſta τοῦ *illudere* nihil quidem notavi ad Juſtinum, nec *Schefferus*, ſi recte memini, ad Petronii fragmentum ſuppoſitium quicquam notavit. Exempla tamen aliquot in adverſariis meis congeſta deprehendi. Tacitus XIII. Annal. 17. *Tradunt plerique illorum temporum ſcriptores crebris ante exitium diebus illuſiſſe pueritiae Britannici Neronem.* Idem XV. Annal. 72. *C. Caeſar ſcortorum quoque cupiens etiam matri illuſit.* Apul. Metamorph. I. *Hic eſt, ſoror Panthia, carus Endymion, hic catamitus meus, qui diebus ac noctibus aetatulam meam illuſit.* Lactant. VI. Inſtitut. 23. *Nihil amplius iſtos appellare poſſum, quam impios & parricidas, quibus non ſufficit ſexus a deo datus, niſi & ſuum prophane & petulanter illudant.* Illuſtri *Weedio* tradidi, quas meae fidei mandaveras, litteras. Te ſalutat, aitque ſe non ita pridem earum auctori ſcripſiſſe, & ſaepius ante,

ſuaſque litteras Hamburgum, ad quem juſſiſſet, curaſſe, ſperare recte perlatas eſſe, quanquam amici tui epiſtola videatur aliud prae ſe ferre. *Mericus Caſaubonus* hiſce mihi ſignificavit diebus, Oxonienſes moliri Polybii editionem ex illius Academiae bibliothecis & auctiorem & meliorem, quibus acceſſurae ſint ſuae in praeſtantiſſimum illum ſcriptorem animadverſiones. Queritur optimus ſenex, ſe morbis & aetate confectum aegre ſpiritum trahere inter aſſiduos & atroces cruciatus. *Boeclerus* quoque me certiorem fecit ſe notas ſuas in eundem auctorem proelo ſubjecturum Argentoratenſi propediem. Nundinae Francofurtenſes nihil attulerunt memoratu dignum. *Gudius* & *Schazzius* in Holſatiam ante unum alterumque diem ſunt profecti. *Thevenotius* tibi ſalutem dici iterum iterumque juſſit. Amſterodami nuperius in *Thomam de Pinedo* Hiſpanum incidi, qui adornat editionem Stephani de Urbibus. Verſionem & notarum partem non indoctarum inſpexi, quamvis interſeruntur trita & vulgaria non pauca. Judaeum doctiorem nunquam vidi. Vale, Vir Summe, & me ama. Salutat te puerpera. Trajecti ad Rhenum a. d. XIII. Kal. Jan. CIƆIƆCLXIX. quem fauſtum tibi felicemque decurrere volo, utque is nobis ferat tuas lectiones Virgilianas, quarum incredibili deſiderio flagro. Te ipſum vero ſi reddiderit nobis, ſed auctum dignitate & commodis, ſummam votorum, cui accedere nihil poſſit, nos conſecutos eſſe exiſtimabimus. Iterum vale, noſtrum & ſaeculi hujus decus.

EPISTOLA LVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

QUas meae fidei *Schefferus* proxime credebat, hîc habes, mi Graevi: eas ad te perferri ſine litteris meis comitibus non ſum paſſus, etſi per morbum diuturnum valde viribus dejectus. Quapropter expectare noli, ut multa apud te nunc verba faciam: cum ceteroquin nihil omnino mihi ſoleat eſſe majori voluptati, quam confabulari tecum, homine multis nominibus mihi cariſſimo. Uxori tuae puerperium tam auſpicatum gratulor: honores mihi abs te habitos ambabus ulnis ſum amplexus. Sed de tota re aut coram ſub aeſtatem, aut certe per litteras, ubi melius paulo valetudo procedet; in qua curanda etſi promoveo utcumque, plus utique promoverem, ſi cum verna anni tempeſtate negotium foret. Nunc ab hybernis nimbis & intenſo frigore moleſtiae plus ſatis exhibetur. Ab Amſtelodamiis honorifice te invitatum eſſe ex *Elzevirianis* litteris jam eram edoctus. Et gaviſus ſum haud modice, quando comperio pretium aliquod poni bonis artibus. Si ex mea ſententia res gereretur, jam te Regis Chriſtianiſſimi quoque munificentia auctum videremus. Sed in hiſce talibus Fortuna plurimum poteſt: & neſcio quomodo pauci ex horum numero, quibus eſt gratificatus magnus ille Princeps, ſe gratos hactenus

nus praeſtitere, quod a pluribus noſtri ordinis illum demerendis nonnihil avertit. Mittebam Decembri menſe Epiſtolium ad te cum Epigrammate, natalitia vota, quae pro incolumitate Caroli XI. Suecorum Regis faciebam, complexo; ſed quod accepiſſe non videris. Per rumorem ſubaudiveram nonnihil de libris miſſis in civitate veſtra venum expoſitis ante hos ternos quatuorve menſes. Sed cum in tuis iſtius rei haud quaquam memineris, falſos nuncios id divulgare opinor. Quod ſuggeſſiſti varia auctorum loca, per quae meam in Silio caſtigationem confirmatam video, eſt cur ſummo opere te amem. Praelegeras, puto, illa ipſa mihi domi tuae ex adverſariis, quae ut lubricam nonnunquam experior memoriam, in tuis ad Juſtinum obſervatis videbar mihi legiſſe. Illuſtri *Thevenoto* ſalutem plurimam adſcribo, utinam veſtrae conſuetudini tertius accedam! Nec diffido fore, ut votis optatiſſimis fruar, ſi ille reditum ad ſuos in aeſtatem proximam trahet. Ampliſſimi *Weedii* litterae ad *Kellerum* probe ſunt curatae, ut ſpero, qui nunc ruſticatur in Weſtrogothia provincia, adſcitus Comitatui Illuſtriſſimi Comitis *Benedicti Oxenſtiernae*, cujus gratia egregie floret. *Gudii* & *Schazzii* iter Holſaticum valde clandeſtinum oportet fuiſſe, cum nihil de iis ad me *Langermannus*; quem ſi in via compellaſſent, nequaquam ille apud me fuiſſet diſſimulaturus. Stephani Byſantini editionem monachus neſcio quis in Galliis etiam molitur. Sed vide quo me provehat tecum colloquendi libido. Tu vale, Graevi jucundiſſime, & mihi, ut ſolebas, velle perge; Exarabam Holmiae Suecorum pridie Kal. Martias CIↃIↃCLXIX.

EPISTOLA LIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

Binas a te litteras accepi. Prioribus non ante reſpondendum duxi, quam inveniſſem bibliopolam, qui provinciam edendorum opuſculorum *Meurſii* in ſe ſuſciperet promitteret. Plerique omnes gravabantur hanc curam, praefati a paucis appeti hujus viri recens edita ſcripta, quamvis ſint praeſtantiſſima, quae vero non poſſint haberi, cupidiſſime magno pretio comparari. Tandem in hac urbe repertus eſt, qui ſumtus & operas ſuas velit locare in publicando commentario de trium inſularum antiquitatibus. Is eſt *Petrus Elzevirius*. Simul ac ad nos perlatus fuerit, movebit praela. Si Nobiliſſimum virum, *Edmundum Figrelium Gripenhelmium* videris, quem propter praeclaram eruditionem, quam inſignis ejus de veterum ſtatuis lucubratio prae ſe fert, dudum colo & ſuſpicio, velim cum eo de hac re agas, ut quamprimum hunc *Meurſii* libellum tibi curandum ad nos tradat. Non ſolum operam dabo, ut brevi nitidis typis deſcriptus in lucem prodeat, ſed & ut Potentiſſimo Regi Sueciae dedicetur. Hoc meo nomine, ſi tulerit occaſio, ei recipe. Nec fidem fallam;

lam; nec veſtram expectationem. Hoc opuſculum, ubi lucem viderit, forſan excipient cetera, praecipue de Regibus Laconum liber. Sane ne diutius premantur & tandem intercidant pro mea copia providebo. Bibliotheca Attica, & de Theſei vita, quae litteris conſignavit, in noſtrorum hominum manibus verſantur. His quoque ſpero me reperturum, qui manus admovere velit. Carmine tuo, quo *Caroli* XI natalem celebraſti, nihil terſius, nihil elegantius fingi poteſt. Suavitas vero ejus tanta eſt, ut legendo ſatiari non poſſim. Perpetuo meis obverſatur auribus. Neminem paullo humaniorem vidi, cui non recitaverim. Nemo fuit, qui non miratus ſit ingenii tui vim, dictionis nitorem, ac Veneres, & acumen ſententiarum. Utinam ſaepius mihi talia dona mittas, quae, mihi crede, Regum theſauris praefero. Si quid pangis, noli, quaeſo, me fraudare ejus conſpectu & voluptate, quam ex lectione tuorum verſuum capio maximam. *Elzevirium* monere non ceſſabo, quamprimum redierit Lutetia domum, expectatur autem indies, ut ſine procraſtinatione pulcherrimum Cl. *Schefferi* de Navali re militari veterum opus praelis ſubjiciat. Ei recte traditum eſſe novi. De *Gudio* & *Sciaſſio*, quamdiu a nobis abſunt, nihil audio. *Gronovius* redditus eſt priſtinae ſanitati. Notas ejus in Plinium intra paucos dies videbimus. Filius in Polybio & Macrobio edendis totus: Tacitus & meus Suetonius lente procedunt. Suetonius certe non mea, ſed typographi culpa. Reineſianarum curarum poſtumarum editionem adornabit *Brummerus*, quamprimum redonabitur patrio coelo, cum maxime perluſtrat Italiam: ejus diſſertationem de lege Cincia puto te accepiſſe dudum. Adverſa valetudine te conflictari, eaque diuturna & pertinace, quae vires tuas exhaurit, ubi ex noviſſimis tuis litteris cognovi, peream, niſi moerore poene fuerim exanimatus, a quo recreari, & ad animi aequitatem revocari non ante potero, quam te confirmatum eſſe audiero. Si quid apud te poſſum, leva me quamprimum hac cura, quae me dies noctesque cruciat. Niſi in valetudine curanda te nonnihil promoviſſe ſcripſiſſes inferius, plane ferendo dolori non eſſem. Nam & in tuo capite vertitur ſalus elegantiorum litterarum, quae in primis mihi cordi eſt, & inter mortales natos, nec proximas neceſſitudines excipio, nemo eſt, qui te mihi ſit carior. Nemini plus etiam debeo, quam tibi, qui tot tantiſque beneficiis a plurimis annis me affeciſti, ut ne cogitanda quidem gratia illa poſſim unquam aſſequi. Nec ceſſas novis ſubinde priſtina tua erga me meritis cumulare, ut natus eſſe videaris ad me ornandum, teque totum devoviſſe meis commodis augendis. Etenim cum onus tibi nuper a nobis impoſitum honorem interpretaris; cum tantopere mihi gratularis de honorifica vocatione Amſtelodamenſium, cum gaudes & triumphas fortunas meas hac occaſione eſſe amplificatas, quid ſunt, niſi nova effuſiſſimi in me amoris, voluntatiſque tuae argumenta? Quid dicam de commendatione tua in aula Regis Chriſtianiſſimi, qua laboraſti & me participem facere munificentiae, qua viros eruditione ac ingenio praeſtantes proſequitur? Feciſti tu quidem hoc abundantia amoris; ſed ego me non tanto dignor honore, qui non niſi tibi, tuique ſimilibus, ſummis ſcilicet & eruditiſſimis viris debetur. Non erravit Fortuna, cum

cum effecit, ne tua commendatio pondus haberet. Novit enim, aeque ac ego ipſemet novi, quam curta mihi ſit ſuppellex. Sed fortuna ſuas ſibi res habeat, modo nihil unquam illi liceat in tuum, quo me complecteris, ſtudium. Libri manu exarati, qui hîc ante tres quatuorve menſes venditi ſunt, omnes nullius erant pretii. Ne unum ex iis mihi emi. Illuſtrem *Thevenotum*, a quo Amſterodamo pedem extuli, non vidi. Agit Lugduni Batavorum, & perlegendis deſcribendiſque voluminibus Arabicis, qui in illius Academiae bibliotheca ſervantur, incumbit. Propediem tamen ad nos ſe promiſit excurſurum. Quae ad illum perferri voluiſti faxo, ut quamprimum ex me intelligat. In re litteraria nihil bonae frugis ad nos dudum allatum eſt, praeter Socratem & Sozomenum ab *Henrico Valleſio* brevibus quidem, ſed pereruditis annotationibus illuſtratos. *Ezechielis Spanhemii* diſſertatio de praeſtantia & uſu antiquorum numiſmatum maximam partem profligata eſt, quam avidiſſime expecto. Multa praeclara nos docebit. In Germania ſilent Muſae. Quid hae nundinae Francofurtenſes ſint allaturae novi, brevi ex me reſciſces. De cauſſa exilii Ovidii nuperius, cum loca omnia, quae de illa queruntur, accurate examinaſſem, nonnihil mihi in mentem venit contra vulgarem aliorum opinionem. Sed de hac re alio die. Nunc vereor ne loquacitas hujus epiſtolae tuas aures obtundat. Vale, Heinſi, meum decus, meumque praeſidium unicum. Trajecti ad Rhenum a. d. IX. Kal. Apriles CIƆIƆCLXIX. Mea uxor ſalutem tibi dicit, nec non Illuſtris *Wedius*. Habes hîc indicem interpretum Ciceronis, quos illi, quam molior, editioni inſeram; ſi quos habes his plures aut meliores, fac, quaeſo, me certiorem. Utinam antiquos codices poſſem eruere ex bibliothecis. Epiſtolas ad familiares committo cum duobus non valde vetuſtis voluminibus, altero chartaceo, altero membranaceo, qui mei ſunt. Et ſane fero pretium operae. Tacticis ſcriptoribus in linguam Latinam vertendis quid fit? Jam me accinxeram reſponſioni litterarum Cl. *Schefferi*, ſed interpellor, & cogor differre in proximum.

EPISTOLA LX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

POſt graviſſimum morbum, etſi cum valetudine paulatim redeo in gratiam, proceſſu tamen id fit plus ſatis lento, mi Graevi. Eſt quippe ea anni tempeſtas in hoc ſeptentrione, ut decembri menſe crudiorem vix ſimus experti brumam. Mare etiamnum clauſum; omnia in vicinia hujus civitatis nivibus ac glacie adſtricta apparent, & plane faciem hibernam prae ſe ferentia; quae praefanda duxi, ne tu, qui mei flagras ſtudio ardentiſſimo, mireris, tam parum a me promoveri in curanda valetudine: vires enim acciſae, & caeli intemperies cubiculo focoque, lecto etiam, frequentem me affigunt. Ita fit, ut omni

propemodum motu corporis, re, ut ſcis, ſaluberrima, prohibear atque excludar invitus. His cognitis non exſpectas, ſat ſcio, ut ubertate epiſtolarum aut nitore orationis tecum certem: non enim aut meditationi intentae par ſum hactenus, aut proferendae continuandaeque in tempus vel breviſſimum ſcriptioni. Quapropter miſſa facio haec omnia, quae in meam commendationem perlatis ad me heſterno die litteris, prodigus, ſi umquam, ac nimius effundis. *Schefferum* in iis quae tangebant, ea vir optimus, jam, puto, reſcivit: diſceſſit enim heri ſub noctem tabellarius Upſaliam ex hac civitate cum mea epiſtola. *Elzevirii* properandum ad ſuos reditum audio libentiſſimus, qui videam, vix aliter rem navalem amici noſtri poſſe urgeri. Feret praeterea, ut auguror, nonnihil ſecum voluminum, aut in Galliis, aut in Italia recens editorum, quod me non pigeat evolviſſe. *Gripenhelmius* faxo cognoſcat a me proximis diebus, inveniſſe te typographum, qui *Meurſianis* trium inſularum antiquitatibus manum ſit admoturus. Librum ipſum, qui jam olim mihi viſus molis ſit magnae, cum ero nactus, ut tuto ad vos perferatur, ſedulam dabo operam: uſurus forſan opera Illuſtriſſimi *Grotii*: is enim domum, ut heſterno die ſumus edocti, ante aeſtatem proximam revertetur, Gallicanae deſtinatus Legationi: ac propterea mihi aliquanto diutius hîc fore ſubſiſtendum, quam eram auguratus, praevideo. Quod ferrem animo minus iniquo, ſi uſus Bibliothecae meae mihi pateret, libris omnibus jam pridem in ciſtas ſarcinaſque conjectis ac transfretationi paratis. Byſantinae hiſtoriae ſcriptores ut pararet mihi, diu eſt, quod *Bigotium* rogare volui. Sed ille totum jam triennium Lutetia abeſt, valetudini obnoxius, & praeterea de nuptiis neſcio quibus mihi dictus cogitare. Syncello prae ceteris mihi opus eſt inſpecto. Hunc ſi tenes in ſcriniis tuis, ita enim videor ex te intellexiſſe, ut *Elzevirio* operam hanc noſtram utrique praeſtante, ad me quam primum perveniat, neſcio an auſim flagitare, ſed audebo tamen. Tuum exemplar aut ad te hac aeſtate redibit integrum atque illaeſum, aut, ſi quid illi ſequius eveniat, quod nolim, per viarum ambages, damnum omne ſine procraſtinatione, uti jus faſque eſt (me vide) reſarcietur, fide optima. Erunt enim *Elzevirio*, quem dixi, nonnulla propediem huc mittenda, quibus Syncellus poterit adjungi. *Gudium Schazziumque* negat *Langermannus* ſibi viſos, quando in Holſatiam proxime contenderunt. Propoſitumne iis ſit diu abeſſe, tu me omnium optime docebis. *Gronovianas* in Plinîum caſtigationes diu eſt quod expectatione impatientiſſima totas devoravi. Utinam aliquando compareant! Polybium a filio ejus recognoſci ſciebam, de Macrobio nihil prorſus ad me erat perlatum. Lex Cincia haeret Gothoburgi, in illum portum autumnali tempeſtate ejecta, unde propediem mihi exſpectatur. Ciceronis tuae editioni favebo, quantum poſſum. Epiſtolarum familiarium veterrimam editionem manu hominis eruditi paſſim caſtigatam ſcio me poſſidere, & alia quaedam uſui tibi futura, Catonis Codicem pervetuſtum poſſidebam olim, quo Reginae ceſſi: excerpta ejus in ſcriniis meis latent alicubi. *Mureti* & *Faerni* in Philippicas annotata etiam poſſideo, & *Andreae Patricii* nonnulla, in Sarmatis

edi-

edita, non tamen omnia. *Goveanum* dubito habeamne, an deſiderem: Opera certe ejus in Bibliotheca mea exſtant, quibus an libellus iſte ſit inſertus, tuum eſt diſpicere. Habeo & alios complures, quorum tu non meminiſti. Coloniae Agrippinae in Cathedrali Ciceronis membranas vetuſtas vidiſſe me recordor. Complures Viennae ſibi deprehenſas in Bibliotheca Caeſarea monuit *Langermannus*. In Medicea extat epiſtolarum familiarium codex antiquiſſimus, quem *Petrus Victorius* jam ſenex exprimendum typis curavit. Eam editionem vidi Florentiae, ſed vidi tantum. Epiſtolas ad Atticum cum membranis optimis a *Caſaubono*, ſi recordor probe, aut *Patricio Junio*, collatas, *Iſaacus Voſſius*, cum ante annos hoſce XXVI. Londini una eſſemus, utendas acceperat; de iis plura ex ipſo cognoſces. Familiarium codicem Mediceum, quem modo dicebam, excuſſit *Gudius* quoque aut totum, aut ex parte. *Gerardi Voſſii* notas Philologicas & eruditas in Catonem aut Laelium Romae editas in urbe praeſtinaram, ſed naufragio perierunt. Tacticis Graecis quid fiat, prorſus ignoro. nullae enim perferuntur ad me a *Bigotio*: alii quoque amici Galli atque Itali, tamquam ex compacto, tacent: quo acceptiores mihi ſunt tuae. Nam *Gronovium* ſenectus excuſat. A *Falconerio* tamen habui exceſſum *Allatii* nuntiantes, cui ſucceſſor in Vaticana, commendante Cardinali *Roſpilioſio*, ſit datus *Sluſius*, Canonicus Leodicenſis, Vir Matheſeos & Graecae Litteraturae in primis peritus. Allatum in urbem fragmentum Petronii Dalmaticum, codicem ante annos CCC eſſe exaratum, ſic ſtatuente hominum doctorum conſenſu, ut ſuſpicionibus de fraude non ſit locus. *Allatius* ſcripta ſua & codices MSS. Cardinali *Barbarino* legavit. *Benedictus Mellinus*, qui Reginae Bibliothecam curat, Anaſtaſium propediem dabit. In Britannia cogitatur de edendo Johannis Antiocheni Chronico, quod lucem hactenus non vidit. Etiam de Polybio & Joſepho. Ovidii exilium ad Juliam neptem Auguſti referendum eſſe ſum ſemper opinatus. Cauſſas, ni fallor, aliquando ex me intellexiſti: Illuſtri *Wedio* ſalutem officioſam, dic, quaeſo, meis verbis. vale, mi Graevi. Holmiae XX. April. MDCLXIX.

EPISTOLA LXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

Dudum nihil de te audio, niſi rumore nuncio, te valere, & iter adornare in ultimam Sarmatiam reipublicae nomine. Quod ſi tibi ineundum eſt, vehementer & tuam & Muſarum, & meam deploro ſortem ac infelicitatem. Infinitae tibi erunt exhauriendae moleſtiae, tam vaſtas & barbaras regiones peragranti; Muſae deſolatae & orbae in ſqualore & ſordibus ſuum deſiderabunt praeſidem. Nos non fructu ſolum conſuetudinis tuae, ſed & ſolatio litterarum carentes, in perpetuo moerore omnem exigemus aetatem. Si tamen fatorum

decretis obluctari nobis non licuerit, quotidie vota pro felici tuo itu & reditu nuncupabimus, nec aſſiduis fatigare deum precibus deſiſtemus, ut brevi legatione defungaris bono reipublicae, ſalvuſque Muſis & nobis redeas. Litteras meas ſatis ponderoſas ante hos duos treſve menſes ad te exaratas ſpero te accepiſſe. Ex iis quid hîc & in Germania novi geratur accepiſti, in primis quam ſpem faciat *Daumius* excerptorum ex antiquiſſimo codice Prudentii, qui in bibliotheca Rhedingeriana ſervatur Uratiſlaviae. Significavi etiam me tibi miſſurum *Salmaſii* praefationem de homonymis hyles iatricae, & judicium de Plinio Divione publicatum, cujus unum alterumve exemplum ad me miſſum eſt, ſi id non videris. Alia nunc non libet recoquere. Nullus enim dubito, quin epiſtolam meam recte curaverit *Elzevirius* Ab illo tempore hîc vidimus Sereniſſimum Etruriae Principem, qui, cum de reditu ei in noſtras regiones gratulatus eſſem litteris, non ſolum benigniſſime & humaniſſime eis reſpondit, ſed & cum Trajectum tranſiret, petiturus Spadanas aquas, ad meas aedes inviſere dignatus eſt. *Magalottum* graviſſima febri conflictantem poſtea vidi Amſterodami, qui per Brabantiam contendit Pariſios. Sed ardores febris videbatur aequiore animo ferre, quam tui deſiderium. Dolebat enim vehementer ſe tuo complexu nunc non poſſe frui, nec non *Falconerius*, qui Principem comitabatur. *Gudius* noſter adhuc abeſt, nec poſſumus reſcire, ubi gentium & locorum haereat, & quas perluſtret terras. Opinio mea fert illum excutere varias Germaniae bibliothecas, praecipue Caeſaream; id enim non obſcure prae ſe ferebat, cum hinc anno diſcederet a nobis. Dedi ad illum litteras, ſed nihil reſponſi accepi. *Ezechiel Spanhemius* acidulis Swalbacenſibus utitur, ſervitque valetudini. Aliquot menſes male habuit. Me quoque febris aliquamdiu vexavit, ſed nunc confirmatus ruri dego in villa ſuburbana Trajectini agri. Ibi me totum Ciceroni dicavi. Utinam librariam ſupellectilem explicare tibi liceret, ut mihi copiam poſſes facere, quae ad hanc editionem ornandam habes plurima. *Gronovii* Plinius nondum prodit. Cauſſas hercule ignoro, niſi forſan eae ſint, quae meum morantur Suetonium, incredibilis nimirum bibliopolae tarditas. Nam & *Gronovii* & meae notae in hos ſcriptores dudum detextae ſunt. *Cuperi* tres obſervationum libri jam ſub praelo ſudant. Appianus cis paucos dies lucem adſpiciet, cujus calci nonnullas notas adjeci in aliquot loca belli Parthici corrupta. Rhotomagi eduntur a *Monachio* opera poſtuma varia τȣ͂ πάνυ *Bocharti*. *Boſius* prodidit memoriae diatriben de loco Joſephi, in quo de Chriſto agitur: ſed illam nondum vidi. *Meurſium* de antiquitatibus trium inſularum ſpero Illuſtrem *Grotium* ſecum laturum, ut praelo ſubjiciatur, ſimul ac ad nos pervenerit. Tuis lectionibus Maronianis quid fit? Deſiderio contabeſcimus. Praeſul Monaſterienſis praeterita hebdomade publicavit Monaſterii Academiam. Vale, Summe Virorum & Amicorum, & me ama. In agro Marſenſi. a. d. XIX. Aug. CIↃIↃCLXIX. epochae Dionyſiacae.

EPI-

EPISTOLA LXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Moſcuam.

NUllas a te litteras accipio, quin ſummae mihi ſint voluptati: ſed noviſſimis tuis, quas in ultimis Ruthenorum terris ipſis Decembribus Kalendis exaraveras, peream, ſi ullas optatiores unquam acceperim. Ingenti enim fui ſollicitudine de hoc itinere tam longo, tam difficili, tot periculis taediiſque pleno, quod per vaſtas ſolitudines, & incultiſſimas gentes, infirma valetudine, alieniſſimo anni tempore, quo plagâ illâ nihil infeſtius eſt, tibi fuit emetiendum. Hac hyeme tanta fuit hìc, ubi coelo longe fruimur clementiore, frigoris acerrimi immanitas, ut vix ejus injuria potuerit in noſtris tectis vitari. Hinc facile licet exiſtimare, quo vos loco fueritis in illo tractu, qui perpetuo frigore riget. Incredibili hac cura, per quam carebam omni delectatione, me iſta relaxavit epiſtola, quae te Moſcuam incolumem veniſſe nuntiat: ſed omnem tamen moleſtiam non exhauſit, nec exhaurietur antequam te reducem viderimus ſalvum & valentem. Sane pro reditu tuo quotidie vota facimus omnes, quibus litterarum ſalus eſt cordi. In ipſo barbariei penetrali inveniſſe te Muſarum κειμήλιον vehementer miror, planeque in animum induco meum ab ipſis Muſis tui cauſſa eo eſſe perlatum, ut eſſet, quo tuam oblectares ſolitudinem & obſidionem. Orationes Photii lucem nondum viderunt. Si a σεβασμιωτάτῳ ϗ σοφοτάτῳ *Paiſio Ligorida* illas poſſis impetrare, faxo ut hìc edantur. Ipſe hoc onus ſubibo, ſimul Ciceronem, in quo totus ſum, depoſuero. Utinam & alia hujus notae volumina, quorum ſpem facis, poſſis eruere. Monachus ille expugnatu, ſpero, non erit difficilis, praeſertim ſi machinas iſtas, quas dices, adhibueris. Aveo igitur cognoſcere, num votis reſponderit fortuna. Nullus enim dubito quin tandem libere prodeundi copia tibi facta ſit. Vratiſlavienſis codicis Prudentii, qui ſervatur in Rhedigeriana bibliotheca, varias lectiones, de quibus tecum egi in epiſtola illa, quam intercidiſſe narras, (eam ut alias omnes curandas *Elzevirio* commiſeram,) *Daumius* ante unam alteramve hebdomadem ad me miſit, cum litteris & faſciculo tibi tradendo, qui tuum expectat reditum. Ex iis quantopere probet tuam hanc Clementis editionem facile cognoſces. *Meurſiana* recte mihi tradita ſunt, idque duabus litteris ſignificavi *Scheffero*, a quo tamen nihil etiamnunc reſponſi retuli. Hyemis ſaevitia non permiſit, ut praela moverentur. Sed propediem huic operi imprimendo expedientur. Occupantur nunc in *Cuperi* libellis obſervationum, qui profligati ſunt ad umbilicum uſque. Cum *Blavio* nondum agere potui de his, quae apud illum exſtare dicuntur, voluminibus. Propediem eum hoc nomine compellabo, cum Amſterodamum contendero. *Gudius* noſter ante hos quinque menſes ad nos revertit, & nunc Hagae degit cum *Sciaſ-*

ſio. Nuperius mihi & Illuſtri *Thevenotio* cum eſſemus una, fidem dedit, ſe animadverſiones ſuas in Phaedrum mihi traditurum, ut eas meo arbitratu in lucem proferrem. Nunc expectamus quotidie, ut eam ſolvat. Peſtilens febris, quae autumno ſuperiore Lugdunum vicinam mirum in modum afflixit, & florem civitatis extinxit, *Gronovii* quoque domum funeſtavit, ſublata uxore ejus, liberis omnibus miſerrime habitis, & vi morbi fere confectis, praeter unicum filium. Ipſe quoque quam poene vidit regna Proſerpinae; ſex ſeptemve menſes graviſſimo & pertinaciſſimo morbo conflictatus, inedia, purgationibus, inſomnia, doloribus conſumtus vix ante paucas demum hebdomades coepit reſpirare, & quaſi ab inferis ſe emergere. Ne nunc quidem plane confirmatus eſt. Laborat adhuc faſtidio ciborum, & tumore pedum, per quem non niſi curru vehens poteſt prodire in publicum. Prodeundi neceſſitatem imponunt faſces Academici, nuperius ejus curae crediti. Indies tamen ſe melius habet. Animus valet. Narrat enim ſe lecto affixum aliquot loca Taciti, Statii, Tragoediarum Senecae, Apuleji Apologiae ſatis belle emendaſſe. Deo immortales ego gratias ago, qui hunc virum nobis ſervavit inter tot collegarum ſuorum mortes. Quantum diſcrimen in ejus capite res omnis litteraria fuiſſet aditura, tu omnium minime ignoras. Inter doctores illius Academiae, quos haec lues occidit, praecipui ſunt *Coccejus*, van *Thienius*, & *Hornius*, celebris ille Anatomes Profeſſor. *Junius* quoque, qui ludo litterario praeerat ibi, eodem fato periit, cujus exquiſitiſſimi libri cum maxime veneunt. *Meibomium* Amſterodamenſes provincia, cui anno eum praefecerant, multavere. Ajunt eum [1] imparem muneri docendi litteras eſſe. Mihi Lugdunenſes bis obtulerunt eloquentiae praecepta tradendi partes cum non poenitendo ſtipendio. Sed fata maluerunt me Teneatem eſſe, quam Corinthium. Ex Galliis dudum nihil accepi. A *Falconerio* nuperius litteras habui, qui promittit notas Latini Latinii in Ciceronem. *Chimentellius* Piſis diem ſuum obiit, cujus morte vehementer doleo, & quia non levem in illo jacturam fecerunt humaniores artes, & quia ſingulari in nos erat ſtudio ac officio, candoremque ac integritatem quandam eximiam in omnibus ſuis monumentis prae ſe ferebat. *Ferrarius* iniquo

1 Non tam imparem fuiſſe accepi a viris gravibus, qui eum noverunt Amſtelaedami, erat enim ſatis eruditus, ſed moroſum & minime obſequentem deſideriis Conſulum; quorum unus praeſertim filiorum erudiendorum cauſſa prius effecerat, ut *Graevio* offerretur haec provincia, qui cum repudiaret, itum fuit ad *Meibomium*, ſed qui privatis Scholis nolebat Juvenes erudire, ne ipſos quidem Conſulis filios, licet ampla ipſi merces & favor oſtenderetur. Sed cum ruſtice & inhumaniter detrectaret hanc moleſtiam, ut indignam doctrina ſua & gloria, coactus fuit ſe Profeſſorio munere abdicare: & moroſiorem fuiſſe omnes ſciunt, qui eum viventem noverunt. Erat enim paucorum, immo fere nullorum hominum: ita ut cum aliquamdiu Ultrajecti vixerit, ibi omnibus ignotus obierit. Ego certe vix ſemel eum & caſu conſpexi. Faſtus ejus indicium eſt, quod ſcribit *Heinſius Gronovio* Epiſt. CCLXVIII eum titulo ſubbibliothecarii offenſum deſeruiſſe Sueciam. vide & de eo Epiſt. CCCLXX. & quae *Voſſius* & *Heinſius* de eo ſcribunt Epiſt. LXXVI. & LXXVIII. & LXXXI. & ex multis epiſtolis, quae mox ſequentur, patet. Ferocia etiam apparet ex *Leibnitianis* pag. 155. Ejus vitam & merita in rem literariam, & lucri ſtudium enarraturum ſe in Cimbria literata promiſit *Joh. Mollerus* in Hypomnematibus ad *Bartholinum* deſcriptis Danorum pag. 317.

quo fert animo regni ſui fines attrectaſſe: *Rubenium* τ̀ μακαρίτην. Refutatio diſſertationum de lato clavo nunc operas exercet. Rhotomagi *Monachius* adornat editionem opuſculorum poſtumorum *Boobarti*, *Boſius* vero Jenae epiſtolarum *Reineſii*. Eas enim aere ſuo ſe comparaſſe mihi ſcripſit. Aliorum, quae affecta habuit, operum ſcidae in cujus manibus verſentur, nondum potui reſcire. Prodierunt quoque *Reineſii* nonnullae epiſtolae ad *Neſteros* patrem & filium Lipſiae, & aliae ad *Johannem Vorſtium* Berolini: Sed has nondum vidi, illae non magnae rei ſunt, niſi quod inſignes in iis aliquot mendas ex Hippocrate ſuſtulerit. Romae Nili epiſtolae cura *Leonis Allatii* ſunt publicatae, & Salmurii ἀνέκδοτα quaedam [1] *Scaligeri* excerpta *Faber* in publicum protraxit, gemina plane illis, quae Hagae lucem ante aliquot annos adſpexerunt. Lugduni Batavorum Stephanus de Urbibus, cum neſcio cujus commentariis, cum quo *Voſſium* ajunt communicaſſe, quicquid ex Codice *Salmaſii* excerpſerit aliiſque vetuſtis libris, quod ad illius ſcriptoris emendationem pertineat; ut & Hiſtoriae Auguſtae Scriptores cum *Salmaſii* & *Caſauboni* notis ſub praelo ſunt, nec non Victor *Schotti*, & *Ryckius* de Capitolio. Polybius cum notis nonnullis ἀνεκδότοις *Merici Caſauboni*, & *Jacobi Gronovii F. F.* propediem extabit, ut & Appianus. Socrates & Sozomenus *Valeſii*, *Falconerii* athleticae inſcriptiones: *Gronovii* notae in Plinium omnium manibus teruntur. *Voſſius* jam partem notarum in Catullum dedit *Blavio* typis deſcribendam. *Sluſius*, cui cuſtodia bibliothecae Vaticanae poſt *Allatii* obitum, quod noſti, eſt commiſſa, lucubrationem emiſit de Linguae Latinae praeſtantia contra Gallum quendam, qui ſermonem patrium ante omnibus aliis linguis ſcripto publico praetulerat. Sed nec hoc opuſculum mihi legere licuit. Epiſtolae *Petri Martyris* ab *Elzevirio* nuper in lucem revocatae ſunt. A *Seguino* habui elegantiſſimam diſſertatiode nummo regio, ex quo Alexandro Severo & Trajano Decio Romanis Imperatoribus ſuas vindicavit conjuges, quae inſcripta eſt noſtro *Falconerio*. Sed illam forſan & tu dudum vidiſti. Anaſtaſium *Mellini*, & Salvianum *Baluſii* expectamus indies. Haec ſunt, quae de re litteraria comperta habeo. Tu vero, qui apud hos Sarmatas non minus potes otiari, quam olim tuus Ovidius apud Scythas, quid moliris? Lectiones Virgilianas, notas in Valerium Flaccum, & Silium Italicum, curaſque ſecundas in Ovidium num habebimus, cum redieris? Quam diu nos patieris pulcherrimarum tuarum lucubrationum deſiderio macerari, carereque ſcientia multarum abſconditarum rerum, quas tu ſolus nos docere poteris? Si hunc fructum nobis pepererit obſidio barbarorum excubitorum, non eſt ut diras eis imprecemur, modo tibi valetudinis ratio conſtet. De *Magalotto* & Sereniſſimo Etruriae Principe dudum nihil audio. Ad *Magalottum* tamen propediem ſcribam, tuarumque litterarum ad Heroem datarum mentionem faciam. *Thevenotius* etiamnunc Amſterodami agit; ſed nunc reditum in patriam adornat, teque amantiſſimis verbis ſalutare juſſit. Narravit mihi ad ſe perlatum eſſe rumorem, mercatorem Batavum ab Imperatore Ruthenorum miſſum eſſe ante unum alterumve annum, ad explorandos ex-

[1] Vid. ſupr. ad Epiſt. xxx.

extremos Siberiae fines, qui ignotas antehac gentes aperuerit. Quaeſo te, ut ſi quid de hac re explorati habes, & de ipſius Siberiae, ejuſque incolarum cultu, moribus & ingenio indagare poteris, ut ea ad nos perſcribi cures. Plurimum pro hoc labore & officio tibi debebo. Nobiliſſimus *Friſius* per fratrem meum egit mecum, ut te ſuo nomine rogarem, ut lexicon linguae Ruthenorum, ſi quod poſſit haberi, emas, tecumque ejus fratris filiae, virgini doctiſſimae, *Henriettae Catharinae Friſiae*, feras, quae docta eſt linguam Hebraicam, Graecam, Latinam, Arabicam, Aethiopicam, Gallicam, Italicam, ſtudioſiſſima omnis antiquitatis, & omnium memoriarum hiſtoriae, teque facit plurimi. Pretium renumerabitur illico. *Schurmannia* noſtra ejuravit non modo omne litterarum ſtudium, ſed & venditis poſſeſſionibus relictaque hac Urbe, quam tot annos coluit, ſectatur fanaticum quendam Gallum, cui *Labadio* nomen. Huic propter ἑτεροδοξίας opinionem & ſynodus Gallica & magiſtratus Medioburgenſes abdicarunt in coetu Chriſtiano docendi munus. Fixit ſedem Amſterodami, & ſpecie mirificae cujuſdam pietatis multos allicit, qui ejus diſciplinae ſe tradunt, dieſque ac noctes ab ejus ore pendent. Hi ſocietatem quandam Pythagoream inſtituere dicuntur, ſive conſortium, ut veteres loquebantur, herčto non cito, cui & *Anna Maria* noſtra nomen dedit. Romae comitia Pontificia in ſextum jam menſem trahuntur, diſſidentibus purpuratis Principibus. Vereor ne fata triſtia huic reipublicae impendeant. Rex Galliarum dicitur cum excercitu numeroſo propediem moturus. Sed haec te aliorum rectius docebunt epiſtolae. Tuis litteris ſerius votis meis reſpondeo, retardatus graviſſimo caſu ac domeſtica calamitate. Ante aliquot enim hebdomades lapis grandior tecto decidens duas filias meas natu maximas afflixit. Earum ſalus ab omnibus complorata habebatur. Utraque tamen mirantibus Medicis omnibus adhuc ſpirat; quin & altera valetudinem priſtinam recuperavit; alterius lingua debilis eſt. Ancilla vero, quam idem lapis vulneraverat, diem obiit. Haec cura & ſollicitudo me non ſivit de ulla alia re cogitare. Sed vides me nunc verboſitate penſare longiorem paullo litterarum intermiſſionem: poſthac penſabo quoque crebritate & aſſiduitate ſcribendi, ſi quid, quod tua ſcire intereſt, intellexero. Catalogum Francofurtenſem cis paucos dies expectamus. Vale, Vir Summe, & imbecillitatem valetudinis tuae in aſperrimo illo tractu ſuſtenta. Deus te firmum & valentem nobis brevi redonet, in quo nobis erunt omnia. Trajecti ad Rhenum Eid. April. CIↃIↃCLXX. Regem Galliae narrant moliri molem inſanam ad inſtar Pyramidum Aegyptiarum, ad indagandos accuratius ſyderum motus. Filiolus meus, cujus arbitrium educationis tu ſuſceperas, paucis abhinc diebus animam efflavit. Quaeſo te, ut lituris ignoſcas. Deproperavi enim has multis occupationibus diſtentus, quae mihi non permittunt illas deſcribere. Hinc raro exempla litterarum retineo, nec illarum ullum ſuppetit, quae ſuperiore aeſtate ad te exaratae perierunt. Iterum Vale.

EPISTOLA LXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

QUam cauſam dicam tam diuturni ſilentii? Quid comminiſcar, Heinſi Nobiliſſime, quo hanc, cujus me ipſe alligavi, noxam expiem? Qui prior tibi occurrere, qui officium gaudiumque meum reduci ex ultimis terris, & frigore ac barbarie intractabili plaga, probare debebam, ne tuis quidem ſuaviſſimis & amantiſſime ſcriptis litteris ſollicitatus ad bonam frugem me recepi. Haereo hercle, nec exitum hujus orationis invenio, nec viam & rationem tibi ſatisfaciendi. Quid igitur? Ad tuae humanitatis facilitatiſque aram confugio. Haec deteſtanti & execranti hanc ſuam in ſcribendo tarditatem patebit, ſpero. Solet enim ea poenitentiae manifeſtos, & bona fide, in quibus offenderunt, emendaturos non gravari ac rejicere. In poſterum niſi cavero, ut culpa malim carere, quam eam deprecari, non impedio, quo minus amicitiae, quam mecum conſtitutam habes, renuncies, hoc eſt, vitae me renunciare cogas. Nihil enim profecto tua conſuetudine mihi jucundius eſt & antiquius. Solenni autem meae procraſtinationi acceſſit febricula ſatis moleſta, & quae hebdomades aliquot me male habuit, nec paſſa eſt ulli alii rei, quam valetudini curandae operam dare. Sed ſimul ac meliore loco coepit eſſe, monuit me relictis aliis rebus veterem tecum rationem deducere. Voluptati, quam ex tuo reditu & incolumitate cepi incredibilem, verba nulla ſunt quae reſpondeant. Maximopere nos ſollicitos habuit valetudo tua non firmiſſima, cui atrocitas illius coeli, feritas hominum, iter per tot vaſtas & incultas terras, non poterunt non infeſta fuiſſe. Deo laudes grateſque dicimus immortales, qui te ſalvum reſtituit Sueciae. Utinam patriae tandem reddat? Si hujus quoque voti damnabimus, exiſtimabimus nos omnia aſſecutos eſſe. *Paiſii Ligoridae* humanitatem exoſculor. Benigne is promittit, & ſpem facit amplam orationum Photii, quas ad me deſcriptas ſe miſſurum ait, ſi earum editionem velim adornare. In me nulla erit mora. Sed de proceribus noſtris non eſt ut quicquam nobis polliceamur. Quod pretium his mercibus ſtatuant quis ignorat? ſi non alia lege hoc volumen ab eo poterit auferri, omnis ſpes decolavit. In litteris tamen ad me ſuis nec Procerum ullam facit mentionem, niſi in epigrammate, quod eis ſubnectitur, nec praemii. Quamprimum ei reſpondebo, ſi qua via poſſint illuc litterae perferri intellexero. Epiſtolas etiam Photii ſe mecum communicaturum pollicetur, ſi ſit, cui ex vetuſtiſſimo libro & difficili lectu deſcribendas eas poſſit committere; ſin neminem reperire poſſit, ſe ipſum hoc onus ſubiturum. Sed epiſtolae jampridem Londini ſunt publicatae. Forte plures in ejus extant membranis. Verum de his agam cum ipſo *Paiſio.* Graecos codices obſidione barbarorum ſi poſſes liberare, plurimum tibi debe-

bit res litteraria, quam tot nominibus jam obſtrictam habes. Iſti theſauri peribunt, niſi tua ſervabuntur ope. *Petrus Elzevirius* in edendis *Meurſii* ἀνεκδότοις aeque mihi ſublevit os, ut ejus neceſſarius Cl. *Scheffero*. Ex me cum primum audiviſſet in Regiis apud vos pluteis haec *Meurſii* ſcripta poſtuma deliteſcere, tantopere exardeſcebat, ut enixe ac quotidiano quaſi convicio illorum editionem efflagitaret. Cum per te mitterentur exultabat gaudio, & ſimul expediiſſet quae tum occupabant praela, his edendis ſeſe accincturum recipiebat. Poſtea frigidam ſuffudit ὁ νῦν ἐν ἁγίοις *Ludovicus*. A quo tempore variis fruſtrationibus me lactare non deſtitit. Ante unum alterumve menſem acrius urgebam hominem, ut tandem poſt tam longam expectationem fidem datam liberaret. Tum indicavit ſe, teſtatus ſe abhorrere a libris edendis, qui tam raros inveniant emptores, ſaltem intra biennium ſe non poſſe huic operi manum admovere. Graviter conquerebar de ejus fide, & de foeda nota, quam & ſibi & mihi in potentiſſimi Regis aula inureret. Sed ſurdo fabulam narrabam. Indignans recipere volumina *Meurſiana* coactus ſum. Alios illico ſollicitavi typographos: verum in hac Urbe nulli potuit perſuaderi, ut ſumtum tam praeclaris operibus edendis praeſtare velit. Omnes *Elzevirii* faſtidium deterrebat. Functionis autem meae occupationes aſſiduae, & adverſa valetudo me non ſiverunt Urbe pedem efferre, ut Lugduni aut Amſterodami quaererem, qui magis ad ſuum quaeſtum calleret, & non invitus tam eruditi libri in ſe reciperet editionem. In paucis diebus cum magis me confirmavero, Amſterodamum excurram; nec dubito quin in opulentiſſima ſit urbe futurus, qui nobis ſuas velit operas commodare. Illuſtrem *Gripenhelmium* ut cauſam doceas rogo, & omnem ſubleſtae fidei ſuſpicionem a me amoliaris, tuamque interponas gratiam, ne moram hanc aegre ferat. Aut cum hirundine prima Regiae bibliothecae libri reſtituentur exarati manu *Meurſii*, quorum uſum nobis praeſtitit, aut proxima aeſtate accipiet aliquot typis deſcripta exemplaria, Regi Sereniſſimo inſcripta. Eadem fide cum optimo *Scheffero* agit ὁ Δανιήλ. Frequentiſſime compellatus a me moras ſemper nectebat varia cauſſatus. Tandem aperte detrectavit inſignis lucubrationis editionem. Quid agas his hominibus, qui modo ajunt, modo negant, & ad lucelli ſpem metumve vela vertunt ſingulis fere momentis? Illae peſtes optimorum commentariorum, notas variorum me intelligere noſti, in pretio ſolae ſunt apud noſtros bibliopolas. Alia omnia, etiam quantivis pretii, iis ſordent, quod certiſſimum barbariei magis magiſque convaleſcentis argumentum eſt. Hinc facile potes conjicere, quam pauca tibi narrare habeam de novis operibus. Lutetia Pariſiorum ante hos ſex menſes accepi *Franciſci Vavaſſoris* libellum de Epigrammate, quo nihil politius & doctius ipſae Muſae & Gratiae concinnarint: ei ſubjiciuntur tres epigrammatum libri, & ipſi cultiſſimi. Ex eadem urbe pulcherrimus etiam *Huetii* libellus ad me allatus eſt de ἐρωτικῶν ſcriptorum origine, lingua Gallica conſcriptus: quam elegans ſit facile cogitabis, qui viri ingenium & eruditionem non ignoras, quam ipſe Rex tanti facit, ut non ita pridem ejus diſciplinae mandaverit Principem juventutis, cum qui antea praeceperat ei fato functus eſſet. Cadomo vero

vero nuperius ad me miſſae ſunt epiſtolae Philologicae *Brioſii*, inter quas una &, niſi fallor, altera ad te quoque data legitur. In Germania *Boeclerus* edit varias lectiones & emendationes in Polybium ex Codice Auguſtano excerptas, quarum partem vidi. *Andreas Boſius* luce donat epiſtolas *Reineſii*, & jam quae ad *Daumium* ſcriptae ſunt, prodierunt Hamburgi. Sequentur aliae plurimae. Secundus tomus Variarum lectionum, & Commentarius in Inſcriptiones nondum potuit reperiri, nec in quorum manus incidit, indagari. Irreparabilem jacturam fecit reſpublica litteraria, ſi doctus hic labor intercidit. Accepi ſecundam partem bibliothecae *Lambecii* proſtare, ſed eam nondum vidi. Hîc prodierunt Polybius & Macrobius cum notis *Jacobi Gronovii*, ȣ πάνυ filii natu maximi, quae virum egregium ſpondent. Is nunc excutit bibliothecas Anglicas, & illinc mihi miſit epiſtolas ad Atticum cum antiquo codice ab *Iſaaco Caſaubono* collatas olim, ex cujus libro, quem cum eo communicari juſſit *Mericus*, qui etiam nunc aegrum trahit ſpiritum, aetate, morbis, & graviſſimis doloribus renum & articulorum confectiſſimus, eas varietates lectionum excerpſit. Brevi transfretabit in Gallias. In Italia *Ferrarius Rubenii* noſtri de re veſtiaria libellis reſcripſit. Aveo vehementer hunc commentarium videre. Spem ejus fecit *Antonius Maliabecchus*, vir plenus officii & humanitatis, qui non ſatis benigne nonnunquam *Rubenium* accipi ſcribit. Adjecit *Ferrarius* diſſertationem de Lucernis veterum. *Theodorus Ryckius* nuper ex profectione Gallica & Italica domum rediit, mihique attulit *Hadriani Valeſii* notas in Ciceronem, publico vero *Holſteinii* ȣ μακαρίτȣ annotationes in Stephanum, a Regina *Chriſtina*, & Cardinale *Barberino* ei hac lege creditas, ut quam ſplendidiſſime & elegantiſſime ejus cura hîc ederentur. Eſt Lugduni *Berkelius* quidam mihi ignotus, qui nuper Epictetum cum notis variorum emiſit in lucem, qui & ipſe hujus ſcriptoris editionem molitur, inſtructus, ut ajunt, haud poenitendis ſubſidiis ab *Iſaaco Voſſio*. Si ex Epicteto licet conjecturam facere, nihil praeclari nobis erit expectandum. Sunt tamen qui nos jubent ἐυφημεῖν, & Epictetum pro abortu habent. Suſtinendum igitur, donec apparuerit opus. Habes hîc litteras a *Daumio*, & excerpta in Prudentium, nec non encoenia bibliothecae Rhedigerianae. *Gronovius* lentiſſime convaleſcit. Etiam nunc conflictatur καχεξία, faſtidio ciborum, & pedum tumore, qui tamen indies minuitur, ut ſpes ſit priſtinam illum ſanitatem recuperaturum, quod ut fiat propediem deum ego non ceſſo precibus fatigare. Actum eſſet de litteris in patria tua, ſi, ut nunc res eſt, illi aliquid acciderit. Stationem *Thyſii* anno ſuperiore mihi a Curatoribus illius Academiae oblatam, cum ſederet hinc non movere, commiſerunt *Johanni Coccio*, qui olim ludo litterario Swollano, poſtea Hagenſi praefuit. Ante menſes aliquot *Georgius Hornius* obiit, cujus cerebrum mucco & ſqualore fuit obſitum, ut non mirum ſit mentem ei ſaepe non conſtitiſſe, cum in vivis eſſet. *Tanaquillus Faber* abdicavit praefecturam ſcholae Salmurienſis, & docendi munus in Academia, cum intellexiſſet fore ut eo mu taretur, propter praefationem, quam praefixerat libello Gallico de componendis controverſis Chriſtianae religionis capitibus,

cu-

cujus auctor, qui praeconem evangelii agebat in illa Urbe, & ipſe eſt in Caeritum tabulas relatus. *Tanaquillus* in villa ſuburbana degit, & fertur de itinere ad nos cogitare. Tu, qui cum Muſis nunc rediiſti in gratiam, quando Maronianas lectiones, quando Valerium Flaccum, quando Silium tuum dabis? De me ſi quaeris, totus ſum in Cicerone. Subinde nonnullas mendas inveteratas eluere mihi videor. In lib. x. ep. 8. ad Fam. in vulgatis legitur: *Ipſe ita ſum animo paratus vel provinciam tueri, vel ire quo reſp. vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciamque: ut vel omnem impetum belli in me convertere non recuſem, ſi modo &c.* Si attendatur recte, hiat oratio. MSS. duo: *Ipſe ſum animo paratus, ut vel provinciam tueri, vel ire quo reſp. vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciamque, vel omnem impetum belli in me convertere non recuſem.* In MS. Stewechiano non extat *non recuſem.* Hinc legendum eſſe cenſeo: *Ipſe ſum animo paratus vel provinciam tueri, vel ire quo reſp. vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciamque, vel omnem impetum belli in ſe convertere, ſi modo &c.* In ep. XXI. ejuſdem libri, ſicut & in aliis Planci epiſtolis, reſtitui ex antiquis libris *hoc* pro *huc*, quod nec Comicis infrequens, neque tuo Virgilio ignoratum, ut Servius ad x. Aen. notat. Eſt autem Plancus mire ſtudioſus archaiſmorum. Sed haec tenuiora ſunt. A te aliquid μυστικώτερον ex reconditis Muſarum orgiis, ad quorum ἐποπτεῖαν tu olim, & fere ſolus admiſſus es, expecto. De incredibili tarditate & negligentia typographi, qui Suetonium meum imprimit, piget ſcribere. Si ullus unquam Callipides fuit, certe hic eſt. Vix quot menſibus unum folium detexit. Caeſares tandem abſoluti ſunt. Reſtant de Illuſtribus Grammaticis & Rhetoribus libelli perbreves. Non auſim, nec poſſim operam meam jactare, perquam levem enim eam eſſe pulchre novi; hoc tamen praeſtare poſſum, non paucis locis hunc ſcriptorem nunc emendatiorem legi, quam antea lectus fuit. *Epiſcopo Paderbornenſi* ſcis me conſtituiſſe hanc editionem inſcribere, ſi non ingratum ei hoc officium futurum eſſe poſſem intelligere, & forte tu hunc ſcrupulum mihi poteris eximere. Mitto *Cuperi* obſervationes. *Gudius* noſter cum *Sciaſſio* in Holſatiam ante duos admodum menſes profectus eſt, circa ver rediturus. Sed tempus eſt manum de tabula tollere. Hoc non poſſum non adnectere, Affinis tui ſcriptores finium regendorum nunc praelum *Waesbergianum* exercere. Vale, meum & ſaeculi ac patriae tuae decus unicum. Trajecti ad Rhenum Eid. Jan. CIↃIↃCLXI. quem tibi feliciter cum plurimis ſecuturis volo decurrere.

EPI-

EPISTOLA LXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ANte has tres hebdomades litteras ad te dedi minime Laconicas, quibus prioribus tuis reſpondi, & culpam ſilentii deprecatus ſum. Interea ſupervenerunt alterae tuae, quibus merito de neglecto mecum expoſtulas officio. Sed in poſterum cautio mihi erit, ne in eundem lapidem impingam, & vulnus, quod nondum bona fide coiit, reſcindam. Dolor, quem ex adverſa tua valetudine capio, incredibiliter me dies noctesque excruciat, nec patitur tranquillo eſſe animo unquam. Te obſecro rogoque, ut totus, abjectis omnibus aliis curis, valetudini ſervias, eamque omni ſtudio in priſtinam reducere ſedem nitaris. Deum vero aſſiduis precibus fatigare non ceſſabo, ut te patriae, litteris, nobis conſervent, & ſanitatem reſtituant tibi. Ego non ante valebo, quam te valere cognovero. Tuo in has oras adventu nihil mihi deſideratius accidet, modo te firmum ac valentem hîc complectamur. Ad *Paiſium Ligaridem* proxime litteras a me habebis, & certiora de *Meurſii* & *Schefferi* ſcriptis. De *Meurſianis* hoc tibi praeſtabo, niſi brevi invenerint hîc typographum, me curaturum, ut ante tuum abitum redeant in ſuos foros. Amſterodami ante hos paucos dies denuo prodiit fragmentum Petronii Traguríanum, cum codice illo, ex quo deſcriptus eſt, accurate ac diligentiſſime collatum, cum diſerta Apologia *Marini Statilii*, in qua miſere vapulat *Wagenſeilius*; nec benigne accipitur *Henricus Valeſius*; *Sehefferus* vero noſter laudatur. Conqueruntur etiam de editoris primi Patavini audacia, & libidine plurima immutandi. Cis paucos dies videbis ἀνέκδοτον opuſculum τοῦ μακαρίτου *Schelii* de jure ſummi Imperii, quod *Hogerſius* edidit. *Schultingii* notae in declamationes Senecae praelum ſubierunt. Plinii Panegyricus etiam nunc cum operarum tarditate colluctatur. Aphthonium *Schefferi* cupide videbimus. *Daumiana* nuper miſi. Vale, decus noſtrum unicum, quantum potes cura valetudinem. Rogo ne feras aegre tam incultam & inſubidam epiſtolam, ſumma feſtinatione deproperatam, ad te mitti. Eram occupatiſſimus. Trajecti ad Rhenum a. d. XXIV. Febr. CIƆIƆCLXXI.

EPISTOLA LXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

INcredibilem in modum me tua valetudinis cura ſollicitum habet & anxium, quae ingraveſcit indies, quod ad binas meas nihil a te reſponſi acceperim,

 cum

cum nemo te ſit in hoc officii genere diligentior, nemoque in ſcribendo magis impiger. Te rogo vehementer etiam atque etiam, ut quamprimum hoc aeſtu me leves. Priores valde ponderoſae fuerunt. Nam & quicquid novi in re litteraria geri cognoveram complectebantur, & iis adjeceram *Daumii* litteras, & varias lectiones excerptas ex Prudentii codice Breſlavienſi, quas ille ad me miſerat. Spero tibi traditas eas eſſe. Nunc quod ſcriberem vix erat. *Meurſiano* de trium Inſularum antiquitatibus operi manus admovebit *Waesbergius*, ſimul ac ſcriptores finium regundorum, qui nunc ſub praelo fervent, expedierit. Cis paucas vero hebdomades ait ſe hac cura defuncturum eſſe. *Gronovii* filius ex Anglia redux paucis abhinc diebus me inviſit, & ſe quoque Prudentium cum veterrimis membranis contuliſſe narravit. *Nicolaum LLoydium* Oxfurti audio Nemeſianum de natura hominis edidiſſe, & *Thomam Gale* Cantabrigiae Phornutum, Palaephatum, omneque id genus ſcriptorum Graecorum, qui μυθολογίαν illuſtrarunt. Is quoque omnium Jamblichi operum editionem adornat. *Pearſonus*, Anglorum Doctiſſimus, molitur Apologiam pro Ignatii epiſtolis contra *Dallæum*. Agathemerum, ſic enim, niſi me fallit memoria, vocatur, Geographum Graecum poſterioris aetatis ἀνέκδοτον publicavit *Tennulius*, ſed eum nondum vidi. *Schefferi* de Navali re militari commentariis nondum potuit editor inveniri, quod indigniſſime fero, & vix invenietur hîc, quoniam non pauca apud pleroſque bibliopolas exemplaria prioris editionis etiam nunc proſtant. Auguſtae Hiſtoriae ſcriptores cum integris *Salmaſii*, *Caſauboni* & *Gruteri* notis, minori forma deſcripti modo prodierunt. Hiſce nundinis inſtantibus exſpectatur tertius tomus bibliothecae Caeſareae, *Lambecii*, & *Patini* numiſmatum nunquam antea vulgatorum grande opus, nec non *Spanhemii* praclarae de uſu antiquorum nummorum diſſertationes. Vale, Vir Excellentiſſime, & me ama, & fac ut de tua valetudine certior fiam propediem. *Voſſius* ex Anglia nondum rediit: non ante vero redibit, ut ajunt, quam graves argento fiſcos ſecum attulerit. Suetonius meus jam volaret per manus hominum, ſi *Epiſcopo Paterbornenſi* hoc munus non ingratum futurum eſſe cognoſſem. Iterum Vale, decus noſtrum, & ſi fert tuae valetudinis ratio, ecquid de Virgilio tuo, de tuo Silio, & Valerio ſperandum nobis ſit, & quando viſuri eos ſimus, ſignifica, quaeſo. Trajecti ad Rhenum a. d. IV. Kal. April. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA LXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Diu eſt, quod nil omnino de rebus tuis inaudimus, mi Graevi. Bis ante meam ex Suedia profectionem grandibus epiſtolis te compellavi, ſed ad quas reſponſi nihilum in manus meas hactenus eſt perlatum. Credo obtuſum atque enecatum verboſis litteris ſilentium tibimet te indixiſſe, ut loquaciſſimi allo-

alloquii injuriam ſplendide ulciſcaris iſta tam pertinaci taciturnitate. Quicquid ſit, aveo doceri, quo loco ſit tua valetudo, nam mea nequius, quam velim procedit, & tamen melius quam nuper. Hoc cum dico, non exſpectas a me, ſat ſcio, ut vela confabulationis intendam. Hoſpitium mihi eſt Hagae Comitum, quo & ante hoc triennium utebar. Quod moneo, ut ſi quid ad me velis, id quo mitti oporteat, ne ignores. Vale. Hagae CIϽIϽCLXXI. IV. Eid. Sextil.

EPISTOLA LXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PUdet profecto tam ſegniter, tamque frigide leges hoſpitales, nuper a me adimpletas fuiſſe, mi Graevi, non tam tua, apud quem licere plurimum mihi neſcio quo jure reor, ſed reor tamen, quam uxoris tuae cauſſa, & alterius illius elegantiſſimae virginis, quas ſane lautius & minus agreſtem in morem exceptas oportuit. Quod niſi tu, homo diſertiſſimus, peſſimae cauſſae patrocinaris, jam nunc metus eſt, ne nomen mox meum referatur in Cyclopum ac Laeſtrygonum ordinem. a Principe *Paderbornenſi* epiſtolium proximis diebus habui, ubi haec inter alia. *Graevii Suetonium meo nomini inſcripturi honor erit mihi acceptiſſimus, quem meis verbis ſalvere jubeas velim.* Vides, mi Graevi, nihil tibi reliquum eſſe, quam ut propoſitam operis dedicationem abſolvas. Hoc igitur age quam primum, & Vale. Hagae comitum Anno 1671. x. Kal. Octob. ad *Paiſium Ligaridem*, ſi quid voles, propediem parandum erit, cum ego vix auſim reſponſum ad amiciſſimas ejus litteras diutius procraſtinare.

EPISTOLA LXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SIngularis illa & mirifica tua comitas, apparatuſque minime tenuis, quo nuperius nos excepiſti, quum ad te inviſeremus, noſtris ſemper obverſatur animis, nec de ulla re aut crebrius aut majore cum voluptate loquimur. Me vero meae pudet tarditatis, qui non citius officio fuerim functus, tibique gratias egerim maturius. Mei quoque hanc procraſtinationem deteſtantur, ac nihil magis in votis habent, quam ut te propediem hîc ſalvum videant & incolumem, ut coram teſtari poſſint, quam gratam habeant memoriam illius prolixae voluntatis ac ſtudii in nobis benigniſſime accipiendis. Rogamus itaque te & obteſtamur ſummopere, ut, ſimul ac tuae valetudinis ratio fert, ad nos excur-

curras, & deſideratiſſimo tuo complexu nos bees. Coram licebit liberius de iis rebus tecum ſermones caedere, de quibus hîc noſtrae civitatis mores legesque explorare juſſiſti. Domus in ſuburbano agro ad Vechtam non unae proſcribuntur, nec inelegantes, nec inſano pretio. Celſiſſimum Principem *Paderbornenſem* non dedignari officium meum incredibiliter gaudeo. Cis paucos dies accingam me praefationi illi pangendae, quam non ante typographo tradam, quam tibi fuerit probata. Ad *Paiſium* quoque *Ligaridem* meas litteras videbis propediem. Emendationibus tuis in Statio, Salluſtio, Martiali nihil certius eſt & pulchrius. In Martialis tamen loco paullo longius a ductu verborum & litterarum tua videtur recedere correctio, quamvis nihil ingenioſius, nihil elegantius illa fingi poſſit. Apud Valer. Flaccum lib. v. verſ. 61. vulgo legitur: *vivo frondes & ceſpite tellus Aggeritur*, ſine ſenſu. Scribendum cenſeo: *vivo frondens e ceſpite tellus aggeritur*. Apud Livium lib. XXI. cap. 44: *Nullum momentum ad vincendum homini ab diis immortalibus acrius datum eſt. Magnum, parvum, momentum* ſaepe leguntur in ſcriptis veterum; ſed *acre momentum* inſolens eſt & contra uſum emendate ſcribentium. ſed *acre telum*, quae vox in vetere legitur editione, pulcherrime conjunguntur. *contemptum* vero quod in Codice Puteaneo aliiſque legitur, eſt rejiciendum, ſed reformandum in *Contemtu ſui*, totuſque locus ſic reſcribendus: *Nullum contemtu ſui ad vincendum homini ab diis immortalibus acrius telum datum eſt. Contemtus ſui*, eſt contemtus vitae animaeque ſuae, ut *vilitas ſui* apud Senecam. Livius Andronicus: *Uſque quaque ſapere oportet, id erit telum acerrimum.* Liv. IV. c. 28. *neceſſitate, quae ultimum ac maximum telum, ſuperiores eſtis.* Exemplorum magna meſſis in mundo eſt. Liv. lib. I. cap. 48. *Ipſe prope exſanguis, quum ſemianimi regio comitatu domum ſe reciperet, perveniſſetque ad ſummum Cypricum vicum.* Hunc locum corruptum eſſe jam *Gronovius* vidit. Mihi videntur haec verba *ſemianimi regio comitatu* eſſe gloſſemata, quae irrepſerunt ex margine. *ſemianimis* fuit expoſitio ꝫ *prope exſanguis*, & *regio comitatu*, ꝫ *apparitorum & comitum* quae praeceſſerant. itaque ſic refingendus eſt hic locus: *ipſe prope exſangis quum perveniſſet ad ſummum Cyprium vicum.* Habes hîc pro tuis optimis & praeſtantiſſimis iiſque plurimis correctionibus, paucas eaſque non magni momenti. Tuos obſervationum libros fac quaeſo ut videamus brevi. Nam aliae tuae lucubrationes moras & limam, ſi tibi credimus, poſtulant, ſed in his jam ita elaboraſti, ut cum maximo applauſu orcheſtrae eruditorum publicari poſſint. Noli, quaeſo, diutius noſtra morari gaudia. Auſonium *Tollii* puto te vidiſſe. Editio non eſt contemnenda, non ſolum quia raras *Freberi* & *Accurſii* notas in illum ſcriptorem nobiſcum communicat, ſed & quia non pauca nec protrita ab ipſo *Tollio* in hoc ſcriptore ſunt animadverſa. Contuli & ipſe ſymbolam, de qua tuum judicium utinam mihi liceret cognoſcere. Nunc Artemidori novam editionem *Tollius* molitur. Quid Francofurtenſis panegyris allatura ſit propediem ſciemus. Mitto hîc tria orationis meae exemplaria, unum tibi, alterum Ampliſſimo *Slinglandio*, tertium *Ryckio* noſtro: non quod in ea quicquam ſit, quod veſtros poſſit oblectare oculos; ſed ne officium meum poſſitis accuſare. Vale, meum & litterarum grande decus

cus & praeſidium, & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. VI. Kal. Octob. CIƆIƆCLXXI.

EPISTOLA LXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

VAletudo tua me mirum in modum anxium habet & ſollicitum, de cujus ratione certior fieri deſidero. Hodie *Patinum* hîc vidi, qui theſaurum ſuum Numiſmatum rariorum recens editum mihi dono dedit. Cras hinc Coloniam contendit: inde repetit Argentoratum, ibi uxorem Lutetia redeuntem expectat. Ubi ſedem ſit fixurus adhuc incertus animi eſt. Sperat Oeniponte ſe hyemem tranſacturum, & primo vere Italiam ſecuturum. Spem ait affulgere bibliothecam & cimeliarchium Magni ducis ordinandi. Cardilem *de Medicis* quam primum cum valetudine, qua nunc conflictatur adverſa, redierit in gratiam, hanc provinciam ei confecturum. Illuſtrem *Capellanum* nunc audio ſe habere meliuſcule. Sed de his tu certiora. Coloniae nuper haec inſcriptio eruta eſt, quam non poſſum non tecum communicare.

D. M.
C. SEVERINO VITALI VETERANO
[1] HONESE MISSIONIS EX BF. CŌS
LEG. XXXV. V. SEVERINIA SEVERINA
FILIA PATRI KARISSIMO ADSEREN
TE VITALINO HILARIONE LIBERTO
FACIUNDUM CURAVIT.

Tuum Virgilium & Obſervationes ſpero hac hyeme te ita expoliturum, ut lucem adſpecturae ſint cum prima hirundîne, aut etiam maturius. Me exercet Tullius. Utinam brevi te cum noſtro *Ryckio* hîc complecti liceret. Vale, Vir Illuſtris, & me ama. Trajecti Kal. Octob. CIƆIƆCLXXI. Dionyſ. anni.

1 HONESTAE.

EPISTOLA LXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ECce vix tandem literas, quas parari, fateor, jam pridem oportuit, cum ad *Daumium*, tum ad *Gebhardum*, quibus utrique grates aguntur, pro excerp-

cerptis ex Prudentio manu exarato Bibliothecae Rhedigerianae mecum communicatis, Vir amiciſſime. Si quid praeſidii ſperandum mihi a toties explorata tua iſta benevolentia, auguror fore, ut ne deſis mihi in iis tuto celeriterque curandis. Tum *Daumio* aurem peramanter leniterque uti vellas de reſtituendo veterum Poëtarum Chriſtianorum codice, quem noſti, regiae editionis. Eum enim ad me redire tandem aliquando par eſt, niſi quid, Trebati docte, diſſentis, quod me hercules nolim. Tu viciſſim fac memineris ad *Paiſium Ligariden* eſſe tibi litteras parandas, quas uti paraturum te jam ſaepenumero es pollicitus, ſic parari eas mora ſine ulteriore jus faſque eſt. Ni mavis meas ſine tuis Moſcuam propediem contendere. Vix enim auſim procraſtinare ſcriptionem de novo, quam plus nimio dilatam jam nunc agnoſco, non ſine plurimo ac praeſentiſſimo pudore noſtro. Apparatum, quo tu ac uxor nuper apud me excepti eſtis, tenuem admodum ac frugalem, quod extollis miris laudibus, quaſi lautiſſimum, aut ludis, ac jocaris, aut non meminiſti, quam tu diſſimilis noſtri in his ſoleas apparere, homo ſplendidiſſimus ac mire dapſilis. Quapropter ſic velim hac parte laudandus tibi ac aliis videri, ut frugalitatem meam aemulemini. Quamquam urbane hoc, ut cetera, a te factum, credo, ne ego excuſando deprecandoque culpam altius deſudem, quam non admitti ſatius omnino fuiſſet. Sed vos videritis, ne ſi iterum ad aegrotum viſatis, caena ferali denuo excipiamini. De meo ad vos excurſu nihil habeo quod pollicear, cum neque valetudo ſatis voto reſpondeat, nec deſint in publicis privatiſque hîc mihi, quae agam. Tu quidem patribus conſcriptis cum me ultro accenſeas, oportet recorderis tamen, non eſſe ex pedariis. Avolavit a me tota Pegaſorum cohors jampridem, ut nec meis nec alienis pedibus ad vos venire integrum ſit mihi. Auctor potius ſum vobis, ut, quando dentes rurſus prurient eſuritionis libidine, recta ad me contendatis. Ita enim fiet, ut inanitate pleni, ſicut nuper, domum revertamini. Oratio, qua collegae tuo *Manſveldio* parentaſti, perplacuit mihi: adeo eleganter, caſtigate, terſeque omnia illic dicuntur. Exemplaria, quae, praeter meum, mihi reſtabant bina, *Slinglandium* inter *Rycquiumque*, ut juſſeras, ſunt diviſa. Quae ad Suetonii editionem praefanda tibi propoſuiſti, cupio vehementer videre. Vide igitur, ne exſpectationem noſtram mora diuturniore teneas ſuſpenſam. Mihi quoque proximis diebus verba ad eundem Principem fuere facienda ex perſona *Elzevirii*, quae monumentis herois noſtri Paderbornenſibus lumen ipſum occupent. Aſſentando laudandoque plurimum illic permiſi mihi, plus etiam fortaſſe, quam par erat, ſed mos fuit gerendus ſaeclo, quo ſacra aliter haec non conſtare noſti, puto. Martialis locus altiorem Medicinam requirebat, ut mirum non ſit, conjecturam noſtram ab edita ſcriptura longius abire. Nam vulgatae lectioni cum nec ſenſus conſtet, nec numeri carminis (quam enim ſalebroſa illic omnia?) proximum fuit ad meliora confugere. Mea enim ut vera non praeſto, ſic ea amplector tamen pro veriſimilibus, dum praeſtabiliora ab aliis producantur. In Valerio Flacco, *Vivo frondens e ceſpite tellus*, mihi quoque jam pridem venerat in mentem, adſcripto libri tertii loco,

Dixe-

Dixerat, & ſummas frondentibus intulit aris,
Libavitque dapes;

Auctorem illum praelo *Plumeriano* deſtinavi jam olim, nec muto ſententiam, Quamquam fortunae ejus eo loco non videantur eſſe, ut ab iis quicquam ſimile poſſimus ſperare. Promittit tamen propediem nobis ſeſe adfore, quando agam cum illo de hac re: ut ſi ipſe editionem auſpicari non poſſit, alteri det locum. In Livii loco caſtigando feliciter verſari viſus es omnino nobis: miror que amico noſtro reſtitutionem illam non ſuboluiſſe, hariolatori cetera optimo. Auſonium editionis novae perferendum ad me curabo qnamprimum, ut videam, ſi omnia, quae ad Poetam non plane malum obſervavi, & ſunt complura, illic occupata occurrunt. In hoc peccavit ejus editor noviſſimus, quod conquiſitas per Germaniam, ubi editae perhibentur olim, *Rittershuſianas* caſtigationes in Poëtam eundem publico non dederit, ſunt enim rariores aliquanto inventu. Sed & in editione Aldina fragmentum recordor exſtare, quod poſtea in aliis exemplaribus, neſcio qua de cauſa, ſit omiſſum, etſi alterius Poëtae Chriſtiani foetum eſſe potius crediderim, quam Auſonii. *Patinum* Argentinam rediiſſe me non convento miror equidem, cui meliorem fortunam voveo. Illuſtris *Capellanus* te in ſuis peramanter nec ſemel jam ſalvere juſſit uti & in poſtremis ſuis *Bigotius*, qui panegyricos veteres cum variorum notis ad exemplar Lutetianae editionis procudi apud nos vellet. At tu, ni fallor, diu eſt quod monebas ab Ultrajectinis id fieri Bibliopolis. *Ryckius* Amſtelaedamum profectus eſt proximis diebus, interfuturus nuptiis amici, unde tamen craſtini die redux exſpectetur, quando tuas illi tradendas curabo. Ob inſcriptionem Coloniae nuper effoſſam, quam mittis, plurimum te amo. Miſit & nonnullas Noviomagi proxime repertas *Cuperus*, ſed nec illas magnae rei. Ad *Bigotium* vero, ut revertar, ſaepe is a me petiit, ut ſi venalem alicubi invenirem *Burſii* Dialecticam Ciceronianam in Polonia editam, eam ſibi compararem. Occurrebat liber is nuper venalis in Schulianae bibliothecae auctione, juſſique ut addiceretur mihi, ſed cum nunciaret *Ryckius* idem te juſſiſſe, deſtiti confeſtim a propoſito, cum Ciceroniani omnes libenter, quotquot ſumus, tibi fasces ſubmittamus, & quidem ultro. Quanquam non opinor iſti Dialecticae locum fore in editione Ciceroniana, quam paras. Volebam pluribus, ſed urget tabellarius diſceſſum. Salutamus ego & *Kellerus* noſter optimam uxorem tuam, ac parem illi ſororem. Tu vale, jucundiſſime Graevi. Exarabam Hagae Comitum CIↃIↃCLXXI. XVI. Octob.

EPISTOLA LXXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SUetonio patronum cum delegeris *Principem Paderbornenſem*, atque ego jam ante menſes hoſce binos ipſi principi ſignificarem, fore propediem, ut fides tua liberetur, moneo atque adhortor te, mi Graevi, interpellator nunc ego fortaſſis odioſus, non immaturus tamen, ut promiſſorum memineris, aut ſaltem cauſſas ignorari ne a me patiaris nimiae hujus procraſtinationis. Opinor, cum una proxime eſſemus, ex te mihi cognitum, ſolam dedicationem ſupereſſe conficiendam, reliqua illius operis jam typis eſſe deſcripta. Idque principem tuis verbis edocui: qua in re ne vanus fuiſſe videar metuo. Monumenta ejus Paderbornenſia propediem videbis. In fronte operis typographi partes mihi vindicavi, ac nonnulla in laudem herois noſtri ſum praefatus, quae cenſurae tuae ante editionem permiſſa voluiſſem, ſed feſtinabant operae. De Auſonio alias confabulabimur. *Gronovium* male valere audio & moleſte fero. A *Falconerio* nuper admodum habui officioſas ſane. In quibus haud perfunctorie tuam humanitatem extollit commendatque. Tum petit, nequid monere *Elzevirium* graver, de mittendo exemplari ad te Inſcriptionum Athleticarum, idque ſe facturum jam *Elzevirius* eſt pollicitus. Inſtigandus tamen tibi ac officii admonendus, ſi ceſſare perget. Quid ſperandum nobis de Seneca *Schultingii*. Quid de panegyricis antiquis? Vale, & nos ama. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXI. XV. November. Proximis meis copioſe ſatis tecum agebam.

EPISTOLA LXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

CErtum mihi erat non ante litteris tuis longe acceptiſſimis quidquam reſponſi reponere, quam ſimul cum iis tibi legendam offerrem praefationem Suetonii *Principi Paderbornenſi* dedicatam. Sed cum aliae aliaeque cotidie intervenerint tricae & occupationes, quae adhuc me non ſiverunt vacare huic meditationi, cumque interea Dantiſco perlatus iſte ad me ſit faſciculus a *Titio*, tibi tradendus, non potui hanc amittere occaſionem eum ad te curandi. Juvenis enim optimus, *Georgius Melchior*, qui olim in meis aedibus aliquot annos egit, poſtea Cadomenſi in Academia legum diſciplinae ſimulque litteris elegantioribus attendit, nunc vero in ſubſelliis cauſſidicorum apud vos habi-

habitat, mihi ſuam obtulit operam in perferendis, quae tibi deſtinata ſunt. Is a multis annis te ſuſpicit & colit unice. Millies enim ex me audivit, te inter paucos illos rei litterariae Principes eſſe praecipuum, qui dignitatem bonarum artium nunc ſuſtinent. Non dubito, quin pro incredibili tuo in litterarum cupidos ſtudio inter tuos cultores eum ſis admiſſurus. Monumenta Paderbornenſia expecto avidiſſime. Limatiſſima enim illa Summi Principum carmina, quae ipſae Muſae & Gratiae dictaſſe videntur, ingens deſiderium commoverunt videndi, quaecunque a tanto viro, aut ejus juſſu ac auſpiciis eduntur. Tuam quoque praefationem cupidiſſime legam. Fac ergo ut quamprimum ad me mittatur. Meae adlocutioni Suetonio praefigendae cis unum alterumve diem manus admovebo, tuaeque cenſurae eam ſubmittam, ſimulac litteris fuerit conſignata. Praeter alia me moratae ſunt additiones notarum, quae calci libri juſſi ſubjici. In illis unum atque alterum locum emendavi; ſed plura ſervo editioni aliquando ſecuturae. Cum maxime moleſtiis domeſticis diſtinebar. Efferenda enim hodie eſt filiarum minima, quae ante hoc biduum animam efflavit. Auſonius nuperus ornatior utique prodiiſſet, ſi *Rittershuſii* epiſtolae non fuiſſent omiſſae. Sed eas audio fruſtra hîc & in Germania eſſe quaeſitas. Inſcriptiones Athleticas *Falconerii* politiſſimi mihi tradidit *Elzevirius.* Eruditiſſimo homini quam primum gratias agam. Ad Illuſtrem *Capellanum* etiam litteras primo quoque die dabo. Eſt enim hîc Germanus, qui propediem Lutetiam contendet. Auctorne mihi es illi mittendi orationem, qua Conlegae meo parentavi, quia Suetonius nondum lucem adſpexit? Invitus has nugas magnis viris offero. Seneca *Schultingii* brevi comparebit in publico. In Panegyricis edendis lente procedunt. Ad eam tamen faciem, qua illos publicari vult *Begotius*, concinnantur. Iis notis, quas Pariſienſes collegerunt, adjungentur quae *Baudius* in Plinii, & *Schefferus* in Drepanii Panegyricum commentati ſunt. Rutilii itinerarium hîc eſt qui velit praelo committere. Ei ſuaſi ut *Caſtalionis*, *Sitzmanni*, & *Barthii* animadverſiones huic libello adjiciat. Si quid aliud ei ornando habes, fac quaeſo ex te cognoſcam. Emendationem tuam Martialis quo magis perpendo, tanto mihi videtur ingenioſior & doctior, ut ſi non ita ſcripſerit Martialis, ſaltem, ſi eam vidiſſet, ſic ſcribi voluiſſet. Vulgata ſane non eſt nauci. In eodem ſcriptore in IV. Epigr. Spect. vexatiſſimus eſt locus de delatioribus a Tito punitis:

Traducta eſt Gaetulis, nec cepit arena nocentes.

ita legitur in MSS. *aut traducta eſt Caetulis:* quae quoniam rationi carminis repugnant, varie viri docti correxerunt, ut noſti. Mihi videtur propius a lectione ſcripta abeſſe, ſi legatur: *Traducta eſt catulis. Catulus* eſt catena ferrea, qua vincti erant illi, qui traducebantur publice. Lucilius: *Cum manicis, catulo, collarique ut fugitivum deportem.* Sic etiam *canis* apud Plautum. *Furcam & canem feras.* Cum furca autem traductos eſſe nocentes conſtat, ergo & cum cane aut catulo. Apud Statium IV. Theb. verſ. 357. pro *moenia laſſa ſitu*, omnino legendum ſuſpicor: *moenia lapſa ſitu.* Et in lib. III. verſ. 73. *Et conſanguineo geſtis regnare. ſuperbus Exule:* pro vulgato *gliſcis*: nec enim quae viri docti

docti ibi afferunt de vocabulo *gliſcere*, videntur audax hoc loquendi genus poſſe tueri. Ad *Daumium* tuas curavi: poëtae quoque Chriſtiani reſtitutionem urgeo. Ad *Paiſium Ligaridem* ſi ſcripſiſti, dignas mea tarditate poenas luo. *Burſii* Dialectica Ciceroniana conjicietur in illum tomum, in quos congeram nonnulla facientia ad Ciceronis illuſtrationem, quae tamen non poterunt ſubjici Tullii contextui. Praeſtantiſſimum *Ryckium* velim peramanter ſalutes. Habebit propediem reſponſum. Illuſtris *Capellani* gratiam ſi mihi ſervaveris, novus cumulus innumeris tuis erga me beneficiis accedet. Vale, lux patriae & Muſarum, & me ama ac meae feſtinationi ignoſce. Trajecti ad Rhenum. a. d. xv. Kal. Dec. CIↃIↃCLXXI. Ordines Hollandiae feruntur *Voſſio* hiſtorias ſcribendi provinciam eripuiſſe ac alii mandaſſe. Mentiaturne fama nec ne ex te cognoſcam.

EPISTOLA LXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Dies elapſi ſunt pauci admodum, quod *Plumero* tradebam in manus libellum, ſive potius epiſtolam *Schefferi* noſtri, typis Upſalienſibus deſcriptam, cujus tibi faceret copiam, quod auctor ipſe ſic voluiſſet. Pro Titianis, mi Graevi, gratias habeo ingentes ad me miſſis, ipſi etiam *Titio* per litteras propediem habiturus. *Georgius Melchior*, cum a te commendetur, non poteſt mihi non eſſe commendatiſſimus, accedentibus praeſertim meritis ipſius viri haudquaquam contemnendis. Quod cogitare coepiſti de Suetonii tui dedicatione, facis profecto rem tua meaque fide digniſſimam, quam liberari utrimque noſtrae apud Principem exiſtimationis plurimum ſane intereſt. Monumentis Paderbornenſibus ad finem a typographo jam perductis moram objiciunt tabulae binae aut tres Geographicae, quas aeri incidendas additamentum operi Princeps nunc parat. Haec propter copiam tibi facere haudquaquam poſſum earum, quae in ipſo libri iſtius veſtibulo nuper admodum ſum praefatus. Auguror tamen fore, ut ante Januarias Kalendas opus omne luci publicae donetur. Filiarum agmen decreviſſe tibi doleo, vel potius unam Muſarum numero diſceſſiſſe, patre tam ingenioſo dignam. Poteram Χαρίτων μίαν dixiſſe: niſi tu hunc numerum heros fecundiſſimus jam dudum geminatum reddidiſſes. Si quis precibus meis ac ſpei locus, ſub feſtos dies proximos te in meis aedibus complectar, ac pro virili ſolabor. Nam nunc imparatus ad hoc officium acceſſero. Auſonianae editioni nuperae non ea tantum defuere ornamenta, quae proxime deſignabam, ſed Commentarius quoque *Franciſci Silvii* in Gryphos Poëtae illius editus olim Lutetiae, cujus exemplum in mea bibliotheca aſſervatur. Superſunt plurima autem caſtiganda in ſcriptore a librariis ſupinis peſſime habito, de quibus alias agemus, quaeque ego ſuppeditaſſe poteram e meis ſcriniis, ſi admonitus fuiſſem tempeſtivè hujus lucubrationis muſteae. *Capellano* ſalu-

ſalutem a te dixi heſterno die. Funebrem Orationem quid ni munus ad illum mittas, cum majora deſint mittenda? Senecae *Schultingii* neſcio an addendas curaris *Franciſci Jureti* notas. Fieri equidem id voluiſſem, quod illas in ſola editione Senecae Aurelianenſi recordor exſtare, cum in caeteris deſiderentur. Exhibebatur autem editio illa nuper admodum venalis in catalogo neſcio quo Bibliothecae apud Lugdunenſes ſubhaſtandae. In Rutilii Itinerario caſtigavi nonnulla, ſed minoris rei pleraque. in Martiale diu eſt, quod *Lipſius*, puto, caſtigavit *Traducta eſt titulis*. Quam caſtigationem *Salmaſius*, *Valeſius*, *Voſſius*, alii approbarunt. Nec auſim diſſentire, quod meminerim, delatores aliosque noxios, qui per arenam traducerentur, pectori adfixos habuiſſe titulos eorum criminum, propter quae damnarentur. Apud Statium vulgatae lectioni controverſiam haud movendam opinor; *Maenia laſſa ſitu*; alibi idem, *magnaeque Amphionis arces jam feſſum ſenio nudant latus*; non enim jam erant lapſa, ſed lapſum minabantur. *Feſſus ſenio* paſſim occurrit apud Poëtas, quod ad inanimata ſaepe transfertur. Apud Claudianum; *Torrentes immane fremant laſſisque minentur pontibus*, hoc eſt labefactatis. Plura conferri poterant. *gliſcit regnare* accipiebam, ut *tumet ire*. Et ſane multum ſibi permiſere in hiſce loquendi modis Poëtae. Sed nolo tibi praefractius obniti. De *Voſſio* ita eſt; ut audiviſſe te ſcribis. Sed ab amicis ejus, quos inter illuſtris *Beuningius*, remedium aliquod huic malo adhiberi, puto, poterit. De *Meurſianis* trium inſularum antiquitatibus nihil tu quidem, ex quo collocuti inter nos praeſentes ea de re ſumus. Velim tamen ſerio tandem aliquando a bibliopola id negotium agatur. *Panciatichus* Florentiam ſalvus pervenit. Habui hodie ejus rei nuntias ab ipſo magno Etruriae duce. Vale, Graevi jucundiſſime. Ad *Ligaridem* diſtuli hactenus ſcriptionem, dum praeſtolor tuas litteras, ſine quibus tam diu non tardaſſem. Hagae Comitum CIϽIϽCLXXI. Pridie Nonas Decembres Gregorianas.

EPISTOLA LXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litterarum tuarum deſiderio contabeſco, quae tanti mihi ſunt, ut nihil magis expetam, quippe quae ſolae moleſtias omnes, quibus ſubinde jactor, poſſunt abſtergere. Perpetuo enim memoria tuarum ſuavitatum, amorisque, quo me complexus es homo amabiliſſimus, quemque ego non cum regum omnium amicitia permutem, meo pectori infixa haeret. Nihil ſane, mihi crede, magis opto, quam ut quotidie tecum de communibus ſtudiis conferre poſſim. Hac tamen tanta voluptate, quam ex tuis epiſtolis capio, me ipſe fraudavi diuturno hoc ac pertinaci ſilentio, quod mihi ipſe indixi. Pudebat enim me litteras ad te dare ſine promiſſa praefatione ad Principem Paderbornenſem. Multa vero, ne opus apparuerit adhuc, quin ne ei dedicationi condendae potuerim

rim me accingere, fuerunt impedimento. Et nunc novas moras affert *Patinus*, qui typographo ſpem facit ducentorum nummorum, quos illuſtrando Suetonio collegiſſe ſcribit, & huc miſſurum ſe pollicetur, ſi leges, quas noſtro dicit, poſſint convenire. Haec deliberatio ſuſpenſum tenet bibliopolam, ut nondum colophonem huic operi imponere velit. Certum autem mihi erat non ante ad te ſcribere, quam fidem tibi datam liberaſſem. Nec nunc mutaſſem, niſi *Nathanaël Frederus*, qui ante menſes aliquot nobis a Cl. *Titio* faſciculum, quem ad te tum curavi, attulit, has mihi quotidiano quaſi convicio extorſiſſet. Cum hinc abiret, vehementer diſtringebar. Si nondum ad te inviſit, propediem tamen inviſet, nec dubito, quin optimum adoleſcentem pro tua humanitate benigne ſis admiſſurus, cui religio eſt ex Batavia diſcedere, (adornat autem iter in Germaniam,) antequam unicum ejus decus viderit. Nuper cum Amſterodamenſi *Waesbergio* egi, ut *Scheſſeri* commentarios de navali re Romanorum curam ſuſciperet edendi, & perpuli hominem, ut fidem ſuam nobis obſtringeret, ſi *Elzevirius* formas illas aeneas, quibus ornandi ſunt hi libri, ſalubri pretio ſibi velit vendere. Brevi Amſterodamum cogito, tum urgebo negotium, ut deſiderio doctiſſimi viri ſatisfiat, modo ne haec procella, quae noſtrae reipublicae impendet, malam ſcaevam objiciat denuo huic inſtituto. Meurſianae antiquitates trium Inſularum fervent ſub praelis. Te rogo ut me certiorem facias, ſi quid ex Galliis, Germania, Italiave novi de re litteraria fuit ad te perlatum, aut potius ut ipſe ad nos contendas. Valetudinem enim tuam nunc ſpero confirmatam eſſe. Tuo vero complexu nihil nobis accidere poterit deſideratius. Vale, meum praeſidium, & politiſſimum *Ryckium* peramanter meo nomine ſaluta. Trajecti ad Rhenum praecipiti calamo a. d. XVI. Mart. CIƆIƆCLXXII.

Tuis Virgilianis lectionibus & Obſervationibus quid fit?

EPISTOLA LXXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Georg. Graevio.

Ultrajectum.

VIde quam diſpari de cauſa contabeſcamus, mi Graevi, ego dedicationis tuae, quam *Principi Paderbornio* jam dudum debes promiſſum, tu mearum litterarum ingenti deſiderio. Cura igitur quam primum ut valeas: hoc eſt, ut fidem liberes, me ſponſore Principi obligatam. Hoc ſi praeſtiteris amota procraſtinatione omni, faxo de ſilentio meo ne quid conquereris in poſterum. Nunc mihi non eſt integrum per litteras te compellare, niſi tecum operâ eadem expoſtulem, & tu tacere, credo, me mavis, quam ferocire litigando, ac contentionis funem ducendo tecum, quem laudari ob rem bene geſtam ſatius omnino foret. Excute igitur torporem ac veternum, cujus apud Principem meminiſſe non poſſum, cum ſcribo, quin toties rubore praeſentiſſimo ſuffundar.

dar. Adeo cunctationis intempeſtivae cauſas exhauſi omnes, nec a te ſuggeruntur, quae multum patrocinentur tibi. Nam quod *Patinum* morae praetexis, qui nummos complures polliceatur, Suetonianas Caeſarum vitas illuſtraturos, vide, ne is ex nummis iſtis nummos ac lucra captet, certiſſimo tuo cum detrimento conjuncta: nam ſi ex nummis Suetonium exemplo Torrentiano cupiebas illuſtratum, cur *Goltzium*, aliosque rei nummariae antiquae non excuſſiſti indagatores, a quibus longe plura huc conferri potuere, quam tibi a *Patino* ſunt expectanda? Qui ut jam poſſideat id genus κειμήλια non pauca, nec a ſemet ipſo, nec ab aliis luce hactenus donata, ſuae potius gloriae, quam tuae iſta vindicatum ibit. Frigebit interim ac plorare jubebitur tua inter homines litterarum amantes exiſtimatio, quos jam nunc plus nimio taedet pigetque immenſae ceſſationis. Ut de Cicerone nil his ſuperaddam, qui interim negligatur eſt neceſſe. Annuum quippe tempus, ut jam feſtines maxime, negligitur, dum nummi iſti aeri inciduntur. Tres quatuorve aeneae tabellae Monumentis Paderbornenſibus addendae toto jam quadrimeſtri tempore typographum occupant ac morantur. Quid futurum cenſes in tanta nummorum copia? Quod ſi iis opinare lectorem haudquaquam carere poſſe, quin tu hunc Theſaurum omnem editioni ſecundae reſervas; unde ornatior illa luculentiorque, poſt priores curas proferatur in lucem. *Frederum*, quem narras, non vidi. *Schefferi* Commentario de Militia veterum navali, ſi typographum inveneris, multum equidem me demerearis. Sum enim in eo, ut volumen ipſum in Sueciam deferri curem, auctori reſtituendum. Tabulas aeneas operi inſervituras redimi poſſe ab *Elzevirio* conditionibus haud iniquis reor: ſic enim ipſe non ſemel aſſeveravit mihi. Si tergiverſatur, impellam ipſe refragrantem ac promiſſi admonebo. Ex Galliis Germaniaque nuntiandum nihil occurrit. Ex Italia copiam ingentem librorum exſpecto, atque in his Athleticas *Falconerii* inſcriptiones, a *Carolo* Dato tibi deſtinatas. Id exemplar ſi ad *Ryckium* noſtrum pervenire patieris, facies me non invito: cum ſciam ejus libri compotem jam te factum. Minimum aberat, quin Britannicis piratis codices iſti in praedam ceſſuri fuerint; ſed diſcrimen omne feliciter evaſerunt. Vale, & a *Ryckio* ſalve: tum liberam, ſed amicam, expoſtulationem aequi conſule. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXII. a. d. XXX. Martii.

P. S. *Patini* conſilium ſi arridet, id amplectare per me licet; dummodo dedicationem promiſſam praeſtes. Ita fiet, ut nos amici tui ſimus credituri, penes te culpam non eſſe dilatae tanto tempore editionis: quibus contrarium nunc eſt perſuaſum omnino: ſcis agi jam annum ſecundae Olympiadis, ex quo liber typographiae praelo committi coeptus eſt.

EPISTOLA LXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DIu multumque dubitatum a me fateor, Graevi jucundiſſime, perlatis horum, quae vides, voluminum ad me exemplaribus nonnullis, ac magni Principis juſſu inter homines litterarum apud nos cognitione praeſtantes dividendis, deberemne ego huic te numero accenſere, ac vocare principalis munificentiae in partem, an vero indonatum te atque inhonoratum praeterire: non quod aut guſtum haberem nullum tuorum in rem literariam meritorum, aut minus acceptum te rerer heroi noſtro, qui egregiis hiſce ingenii ſui monumentis ſaeculum ornari voluit, ſed quod ſine praeſentiſſimo tuo rubore id facturus haudquaquam videbar mihi: qui Principem Virum, eumque optimum ac tui amantiſſimum, caſſa praefatiunculae unius exſpectatione totum jam ferme biennium lactaſſes. Nam de Suetonii ipſius editione quid ego nunc dicam? Ad procraſtinationem tantam pro meritis increpandam ſatis, non epiſtolio, aut ſi poëtam egero, epigrammatio unico, at vero Iliade ingenti opus foret. Luſtrum diu eſt, quod conſumſiſti, dum mora hujuſce culpae a te in typographum, a typographo in te convertitur: ut nil relictum abs te nobis videamus, niſi ut Trojanae obſidionis longo decennio adaequetur Suetonius tuus: quo decurſo tempore, id fortaſſis expectandum erit nobis, ut Odyſſeae quoque argumentum omne exhauriatur, aut ſi egeris mitiſſime, ut Caeſaris cujuſque regnum in annos ſingulos extendas: qua me Hercule opera Galbas, Othones, Vitellios magis demereare, quam nos, qui ſeneſcimus & lucem praecipitamus, interim, dum tu aetati tuae noſtraeque ludos lentiſſimus facis. Quod ſi & a nobis nunc ludi arbitraris, verbis ſeriis rogo obſecroque, praeſtes te quam primum diſſimilem tui, fidemque ſi non tuam, at meam certe, liberes invidia perquam ingenti. Vale, & veterni morbum excute, quod in te eſt. Hagae Comitum An. CIƆƆCLXXII. ad XXVIII. April.

EPISTOLA LXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NOn auſus ſum ante litteras ad te dare, quam ſimul ad te mitterem ſollemnem dedicationem ad Celſiſſimum *Principem Paderbornenſem*, toties & tam diu de die in diem dilatam, ut juſtiſſimam tibi moverit indignationem. Meritus ſum verbera patruae linguae, nec invenio, quî culpam tantae pro-

procraſtinationis expiem, labemque hanc eluam. Hoc tamen velim conceptiſſimis verbis tibi juranti credas, malignum quaſi genium quendam meum ſemper retardaſſe conſilium, ac vi quaſi manuque me repreſſiſſe, quoties curae iſtam Praefationem ſcribendi volui vacare. Quoties manum admovi huic meditationi, aut curae quaedam praeſentiores, aut incommoda domeſtica, aut amici peregre ad me inviſentes, aliaeque remorae, quas recenſere longum eſſet, interceſſerunt. Praeterita tamen hebdomade, neglectis omnibus aliis negotiis curisque, me in hortos abdidi ſuburbanos, nec ante receſſi, quam hanc telam pertexerem. Nunc tibi mitto illam recenſendam & obelis tuis confodendam. Cave parcas perituris verbis. Quicquid tuis terſiſſimis auribus videbitur aſperum, aut indignum, quicquid minus apte dictum, expunge, jugula. Gratius accidere mihi nihil poteſt. Inſcriptio ſi tibi videbitur inſolens & ingrata futura Principi, utemur ſolemni carmine, quod aliis libris illi inſcriptis alii praefixerunt, niſi quod mallem pro *Epiſcopus* dicere *Pontifex*, niſi quid, docte Trebati, diſſentis. Itali ſane, qui avorum memoria cultius ſcribendi genus ſequebantur, non aliter fere loquuntur. Simul ac hanc praefationem recepero, paucis diebus reliqua omnia conficientur, & hac forte hebdomada. Pro carminibus & monumentis Paderbornenſibus & tibi gratias ago, & Heroi Illuſtriſſimo agam, cum Suetonium ad illum curabo. Epigrammate tuo nihil terſius legi, nihil acutius. Sed tu non potes alios verſus pangere, quamvis maxime velles. Regnas enim in hoc genere. *Capellanus* tibi plurimam ſalutem dicit, a quo litteras habui paucis abhinc diebus perquam humanas, ut & ab Illuſtriſſimo *Montauſerio*. De re litteraria utinam novi aliquid ex te mihi liceret audire. Sed eſt quod tibi novi narrem non quidem de re litteraria, ſed uxoria. Heri mea conjux enixa eſt puellam. Scito ante annos aliquot, cum filiolus ille diem obiret, pro cujus pia rectaque inſtitutione, cum ſacris aquis ablueretur, fidem tuam, ut ritus noſtri ferunt, obſtrinxeras, pollicitum eſſe, te eaſdem partes, ſi jactura haec ſarciretur, iterum ſuſcepturum. Expectavi adhuc, num puellus ſit proventurus. Sed videtur vena illa, unde maſculi promanant, in uxore exaruiſſe. Itaque licet puella fuerit tollenda, tuam tamen imploramus fidem, ego & puerpera, rogamusque ut ei ἀνάδοχον velis praeſtare. Propter infirmitatem veſperi ſalutaribus undis piabitur. Curabimus ut ſit, qui tuam perſonam gerat, nec enim dubitamus de tua in nos voluntate. Utinam vero te ipſum liceat hoc verno tempore hîc complecti. Si litteris non potero, videbo ut brevi coram precibus te meis poſſim expugnare, ut aliquando tuo deſideratiſſimo adventu nos beare in animum inducere velis. *Ryckio* noſtro propediem aut coram, aut epiſtolis gratulabor novum honorem. Plauſus, quo ejus fuit inauguratio excepta, hîc etiam audiebatur. Incredibiliter gaudeo τῷ πάνυ *Gronovio* ſubſtitutum eſſe, qui rei litterariae dignitatem in illa celeberrima Academia poſſit tueri: de qua Curatores optime merebuntur, ſi collegam ei appoſituri ſunt *Jacobum Gronovium*, cujus ingenium magna ſpondet, nec dubito quin, ſi maturuerit, doctrina patrem ſit relaturus. Vale, Heinſi, decus tui temporis, & ſi mecum in gratiam rediiſti, fac tuas brevi videam epi-

ſtolas. Iterum vale. Puerpera ſalutem tibi adſcribit. Trajecti ad Rhenum Id. Maii CIƆIƆCLXXII. Dionyſ. ὡς τάχιστα. Similitudo de laureatis agricolis neſcio an non reperiatur jam in aliqua dedicatione Principi ſacra. Dum enim haec deſcribo, videtur memoria me hujus rei admonere. Si tibi hoc fuerit cognitum & perſpectum, velim mihi ſignifices, ut deleantur, aut immutentur.

EPISTOLA LXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SUccenſebam fateor, tibi, & quidem graviter, non tam mea cauſa, cujus fidem tanto tempore obſtrictam teneri, nec liberari permoleſtum, ne quid diſſimulem, erat, aut reſpectu illius Principis, qui ob eximias plane animi dotes, intimamque litteraturae politioris cognitionem nobis praecipuo in cultu debebat eſſe; quam temet ipſum propter, a quo cum nihil non praeclari in tam opportuno appoſitoque argumento jure exſpectarem, neſcio tamen quo deſidiae frigore contactum ſpes pariter noſtras ac tuam exiſtimationem fruſtrari, ne quid acerbius dicam, multo medius fidius cum dolore ſentiebam. Tandem in virum te dignum, & in Graevium heroem, moribus antiquis inſtructiſſimum, evaſiſti. Cogor enim collaudare dedicationis tuae facundiam & leporem vel invitus. Nam etſi jam minus tibi iraſcar, quam diebus proximis eſt factum, tamen rediiſſe me tecum ſolidam in gratiam, non eſt quod opineris, aut prorſus rediturum ſperes, niſi prolato in publicum Suetonio Tranquillo,

Aeneam credam quid enim fallacibus undis,
Et coeli toties acceptus fraude ſerenis?

Vides, quam propemodum fides tua apud me decoxerit. Interim quod imparem me facile agnoſcerem exercendae in dedicationem tuam cenſurae, ſive quia temperata ac interquieſcens bilis atrociorem aliquanto me forſan praeſtitiſſet, ſive quod omnia illa ſupra malignam limae noſtrae raſuram poſita intelligebam, malui judicio doctiſſimi Principis tenerrimiſque auribus te totum permittere, quam arrogare mihi rem arduam in primis ac perdifficilem. Ab illo igitur exſpectemus neceſſe eſt, quicquid inde commodi ac gloriae in te derivabitur, quicquid promanabit reprehenſionis. De titulo ipſo, ne quid ignores interim, malim recepti apud omnes uſus veſtigiis inſiſtere, quam novare quicquam, etſi Latinitati congruum. *Pontificis* nomen, quam ſit apud nos odioſum haud te poteſt praeterire, vide igitur, ne dum nimia cura Latinus appares, Theologi noſtri te pontificium eſſe clamitando argutent. Ubi accepero reſponſum a Principe, ejus te confeſtim faciam certiorem: noli enim timere, ne procraſtinationes tuas umquam ſim aemulaturus, mi Graevi. Uxori tuae Junonem Lucinam obveniſſe propitiam laetor equidem atque exſulto: de

de faeminino partu, non eſt quod mireris tamen: nam a te cunctatore tanto quid virile maſculumque potuit expectari? in eo etiam injurius es, quod perſuaſum nobis cupis, exaruiſſe tua in conjuge venam illam, quae maſculos erat datura. Gnaviter illa partibus ſuis equidem eſt functa, nec ultra maternos menſes protraxit: tuum ſecuta exemplum non menſe decimo, quod fecit naturae convenientiſſimum, ſed hercule decimo anno, elephantinum in morem, peperiſſe debuit. Tuum ſit igitur maſculorum geniturae totum te dare: quod ſi feceris, nihil in illa morae erit, quo minus matura proferantur in lucem. Interim gaudeo honorem mihi abs te ac puerpera eſſe habitum, ſingularem plane, quo nomine veſtrum utrique gratias pleniores propediem ſum acturus. Vale, mi Graevi, & jocos, ſi felle nonnullo ſuffuſi videbuntur, in partem aequiorem interpretare. Hagae Comit. CIƆIƆCLXXII. May. *Ryckius* jam Leidam eſt profectus. De laureatis agricolis ullibi ſimilitudinem mihi lectam fuiſſe haud recordor in ſcriptis ad Principem deſtinatis.

EPISTOLA LXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NIhil, Heinſi, te eſt amabilius. Tantae ſunt ingenii tui ſuavitates, tanta vitae elegantia, ut, qui illam novit, & te non amat, ne ſe ipſum amare poſſe videatur, ſane non dignus ſit, qui a quoquam ametur. Nunquam a te diſcedo, quin illorum felicitatem praedicem, & invideam, quibus datur tua frui conſuetudine. Semper meo obverſantur animo eruditi illi ſermones, & Attico lepore conditi, illaeque epulae plenae deliciis litteratis, quas ego Regum & Principum lautitiis antefero, & quarum deſiderium vix ferre poſſum. Hoc tu facile poſſes levare, ſi in animum tuum induceres ad nos aliquando excurrere cum noſtro *Ryckio*, & tuo nos optatiſſimo complexu beare. Facile poterit iniri ratio, qua viae moleſtiae minuantur. Cum N. egi de quibus, cum eſſemus una, ſermones habebamus. Addidi nonnulla de procacitate linguae, non quaſi de ea quicquam ex te audierim, ſed ex aliis. Videbatur molliri, nec tamen an quicquam profecerim auſim affirmare. Habes hîc litteras a *Cupero* commodum mihi traditas. Lutetiae prodierunt Optatus Milevetanus cum notis de *Laubeſpine*, & Hermianenſis opera cum notis *Sirmondi*: Gloſſaria quoque *Labbaei* tam diu expectata propediem lucem videbunt, & in Germania Valerius Maximus *Johannis Vorſtii*, viri non indocti. Indicem librorum Italicorum, quem nuperius apud te vidi, ut ad me perſcribere velis, rogo. Perendie litteras daturus ſum in Germaniam ad *Friſium*, cum quo velim communicare, quae in re litteraria apud Italos gerantur. Utinam & de claſſe aliquid addere liceat, quod ſit in rem noſtram. Vale, grande decus noſtrum & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. x Kal. Jun. CIƆIƆCLXXII. Puerpera valet & te ſalutat, ſed filia vix videtur vitalis futura.

EPISTOLA LXXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

QUod te boni victus oppido inanem, praviſque in optimos Latinioris aevi ſcriptores obſervationibus onuſtum probe, dimiſi nuper ex meo contubernio, velim equidem, ſi liceat, quoquo modo culpam expiare, Graevi jucundiſſime. Certe ſi reverteris propediem, ut & lautius aliquando obſonemus, & ineptiarum minus tibi ſit audiendum, opera a me dabitur: nam ut ego excurram ad vos, exſpectare, quaeſo, nolito; ne hoſpitam adducam mecum adverſam valetudinem, cujus convictu permoleſto ad ſatietatem diu eſt quod fruor. Vix digreſſus eras a nobis, cum ſupervenit *Ryckius*, noſtrum utriuſque, ut ſcis, ſtudioſiſſimus: qui te ſibi apud Leidenſes ſuos non fuiſſe deprehenſum, animo indigno videbatur ferre. N. niſi tuis admonitionibus ad ſaniora pertraxeris, eſt quod tibi me Hercule debituri ſimus. Alia omnino illi inſiſtenda eſt via, ſi amicos paternos ſuis commodis ſolide conciliatos cupit, ac fortunis ſuis patrocinantes omni ſtudio. Uni ego virtuti me vectigalem ac obnoxium praeſto: hac alligarat me ſibi tenaciſſimum in modum ejus pater; quo vivente cavi diligenter, ne officiis ab illo ſepararer. Si, ut debitum, iſta in ſe derivari cupit, incipiat quoque beneficius eſſe neceſſe eſt, ac beneficiorum intelligentem ſe praeſtare. Ad optimum *Capellanum* cum ſcribes, fac, quaeſo, ex te cognoſcat, quae doceri ſe cupere ſignificarat tibi, & de quibus in familiari colloquio a me actum tecum potes meminiſſe. Tum *Wieri* opera ad Illuſtriſſimum *Pomponium* miſſa jam pridem a me, addita libro inſcriptione, qua' manifeſtum fiat, ipſi *Capellano* faſciculum eſſe tradendum. Poëmata *Epiſcopi Paderbornenſis* cum monumentis etamnum penes me aſſervavi mittenda, ſimulatque opportunitas apparebit, qua Lutetiam tuto perferantur. Paginas omnes Gloſſarii *Labbaei*, quotquot ex illo opere lucem aſpexere hactenus, mecum communicandas fore propediem *Bigotius* erat pollicitus. Quo beneficio mihi opus non erit, ſi volumen integrum poſt immenſas procraſtinationes publico donetur tandem aliquando. Valerium quoque Maximum *Joannis Vorſtii* lubentiſſimus videbo. Indicem librorum Italicorum hîc habes, ſed illa lege ut mox ad me revertatur, ne cum libri ipſi venerint, quos de die in diem adfore ſpem facit *Elzevirius*, ego ignorem ſi quid forte illorum deſit numero. Ad virum perilluſtrem *Henricum Friſe* tanto tempore nil litterarum me didiſſe piget, pudetque. Sed emendabo ac deprecabor culpam proxime apud ipſum. Tu interim in anteceſſum ſic mihi apud illum patrocinare, ut ne cum meae aderunt litterae, durius ex merito habeantur forte, ac ſummatis viri aditus difficiliores experiantur. A Principe Paderbornenſi ſimulatque recepero Dedicationem tuam, ut recta ſine ambagibus ad te mox con-

contendat, a me curabitur. Puerperae partuique ſecunda quaevis apprecor. *Vale*, flos hominum elegantiorum; Hagae Comitum CIↃIↃCLXXII. a. d. II. Junii.

EPISTOLA LXXXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

COncinnam oppido diſertamque Dedicationem tuam, redditam mihi jam nunc ab Heroe *Furſtenbergio*, ſine procraſtinatione ulla, mi Graevi, uti par erat, ne publice diutius ſubtrahatur, ad te venire volui. Tuum nunc erit, ne poſt nimias ceſſationes denuo quid peccetur cunctando, providere. De ea ſic Princeps ipſe pauciſſimis, *perlegi Suetonianam dedicationem Graevii eruditiſſimi viri*, *quae ſi tuo calculo approbatur*, *nobis etiam ſatisfaciet*, *quae in ea quoad titulum mones*, *tuo conſilio poterunt mutari*. Hactenus Princeps. Percenſui eam ego denuo ſeveris oculis, nec inveni quicquam, quod reprehenſioni malignae pateat obnoxium expoſitumque: loco τῶ *Furſtenbergii*, ubi Principem alloqueris, malebam, *Celſiſſime Ferdinande*; quod Principes Eccleſiaſtici nomen gentilitium ejurent quodammodo. Loco τῶ *Antiſtes plurimum reverende*, etiam quid aliud reperiri poſſit: cum *plurimum reverendi* & *admodum reverendi*, titulus ſacerdotibus trivialis notae ſoleat deferri, ut potes noviſſe. Vides, quam rigidae, quamque petendae longe fuerint cenſurae, ne viderer nimis indulgenter tecum egiſſe. Pluribus ante triduum cum egerim, nunc temperanda eſt nonnihil loquacitas. De *Meurſianis* trium Inſularum antiquitatibus addidiſſe te nihil miror, cum, quid promotum ſit eo in volumine ab operis typographicis, mea interſit ſcire maxime. Si alibi occupatus praefationi conficiendae vix vacas, vicarias ego partes & in me ſuſcipiam erit neceſſe, cum fidem obligarim de opere iſto Regi dedicando, quod non ignoras. Vale, & me ama. Salveat puerpera. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXII. Nonis Juniis Gregorianis.

EPISTOLA LXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

UTinam vero ſaepius ſic mihi liceret obſonare, aliis non inviderem Deûm epulas. Nam victu optimo & nectareo vino corpus, obſervationibus vero longe pulcherrimis animum paviſti, ut mihi non Hagae, ſed in Muſeo Alexandrino viderer coenare. Hoc unice doleo, adverſam tuam valetudinem nobis

nobis ſpem diu deſiderati tui complexus hac in Urbe praeſcindere. Sed forte aër iſte ſalubrior illam confirmabit. Vide igitur, ſi me amas, num viam aliquam poſſis invenire te huc ferendi, ut ſuaviſſimis tuis ſermonibus animum avocemus a malis, quae patriae incumbunt. Ad Illuſtrem *Friſium* & *Capellanum* quae mandaſti, mihi curae fuerunt. Illam elegiam elegantiſſimam, qua perfregiſti arcam Reginae occluſiſſimam, utinam mecum communicare digneris. Nihil enim videor audiviſſe venuſtius & ingenioſius. Judicio tuo & Celſiſſimi Principis de dedicatione mea triumpho, ſecurus de aliorum ſententiis, ſi vobis non diſpliceo. Quamvis vellem optaremque ſummopere, ut ſeveriorem cenſuram in illa recognoſcenda exercuiſſes, plane enim tuam limam deſiderat. Hac hebdomade ultima manus imponetur informi partui elephantino. Sequente faxo exemplaria ad te & Heroëm perferantur. Meurſianarum antiquitatum trium inſularum folia, quae deſcripta typis ſunt, indies expecto. Simul ac ad me perferentur, ad te ea curabo. Dedicationis partes ſi tibi ſumere vis, lubens eas trado, licet *Scheffero* fidem olim dederim, me Regi Suecorum eas inſcripturum. Sed mea voluntas nunquam a tua diſcrepabit. *Elzevirius* nunc nobiſcum agit, qui faſciculum librorum Italicorum nondum ad ſe perlatum eſſe ſignificat, quamvis Texelam miſerit, qui eum peteret. Panegyrici *Caroli Dati* exemplum ut mihi dones rogo. Videre quoque deſidero vitas Pictorum, *Latini Latinii* opera, tum Marmora erudita *Urſati*, epiſtolas *Bargaei*, Gemmas veteres *Leonardi Auguſtini*, Dianam Epheſiam, *Donium* de reſtitutione agri Romani. Horum librorum lectione ſi tuum animum expleviſti, illorum copiam ut mihi facias rogo, non omnium ſimul eodemque tempore, ſed ſingulorum. Grotianas epiſtolas prima occaſione remittam. Vale, medulla Suadae. Puerpera te ſalutat. Trajecti ad Rhenum a. d. VII. Jun. CIↃIↃCLXXII. Gregor.

EPISTOLA LXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SEdere tandem conſilium tibi de emittendo in lucem publicam Suetonio, Graevi jucundiſſime, hoc magis laetor atque exſulto, quod eam ſententiam tua cum exiſtimatione haud modica fore conjunctam praevideo minime vanus augurii. Exemplar Principi Paderbornenſi offerendum cum paratum erit, omnium optime per *Elzevirium*, ſi quid hîc video, id ipſum curari poterit, cui frequentiſſimum cum aulicis, atque adeo cum ipſo Principe litterarum commercium. Si quid exemplarium in Italiam per te deſtinatur, id, quaeſo, reſciſcam quam primum: nam cis dies pauculos ad *Carolum Datum* dandae ſunt a me litterae, quem ejuſce rei nolim ignarum eſſe, praeſertim cum & alia ſint in promtu nobis Florentiam mittenda ad communem amicum, quae mari opor-

oporteat committi, ſi id licebit, per bonos Britannos, qui ne ab hac quidem dape Phinea ungues acutos abſtinent. De praefatione Meurſianis trium inſularum antiquitatibus addenda abſit ut cogitem, ſi tibi otium eſt hoc agendi. Perinde enim eſt, uter noſtrum occupatur in re parum lucroſa, dum promiſſa praeſtentur. libros ex Italia tamdiu expectatos ubi accepero, perſuaderi tibi poſſe ſpero, ut ad nos excurras, ſin minus, nihil horum tuis uſibus ſubtrahetur. Vale, cum puerpera. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXII. a. d. x. Junii Gregor.

EPISTOLA LXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUantum in Meurſianis Antiquitatibus trium inſularum profligatum ſit nondum mihi licuit reſcire per horum perditiſſimorum temporum diritatem. Nihil enim reſponſi recepi, etſi litteris fuerit ſollicitatus a me bibliopola. Undecim folia typis deſcripta menſes ante tres ad me fuerunt curata. quot poſtea confecerint ſimul intellexero ex me cognoſces. In dedicatione noſtra Suetonii non niſi primum typorum ſpecimen vidi, quamvis quotidie urſerim typographum, ut reliqua conſummaret; non potuit tamen operas inducere, ut manum operi admoveant. Urbs enim noſtra & plebis ſeditionibus fuit jactata dies aliquot miſerrimum in modum, & nunc pavore hoſtium appropinquantium impleta aeſtuat. Heri videbatur animum recepiſſe, cum Princeps Arauſiacus in agris noſtris caſtra metaretur. Is nunc dicitur moturus eſſe, quia certis fertur nunciis huc perlatum eſſe Neomagum & Arenacum Gallis ſe dediddiſſe. Quis non miretur vices rerum humanarum, & tam florentem rempublicam tam parvo temporis momento concidiſſe. Niſi deus nos reſpexerit, perimus. Ego iſtis externis, ſive fortuita ſint, ſive, quod potius, crediderim, fatalia, non moveor vehementer, etſi me patriae ruentis cura tangat angatque, quia extra nos poſita ſunt. Itaque me meis libellis involvo, & decreta fatorum aequo animo expecto, ac fero haec triſtia tanquam tempeſtates ac nimbos. In tuum complexum ſi aliquando mihi venire datum fuerit, beabor. Mea uxor te ſalutat. Litterae tuae nobis erunt ſolatio. Vale, decus meum, & ſi Cl. *Ryckium* videris, meo nomine verbis amantiſſimis eum ſaluta. Trajecti ad Rhenum a.d. XVI. Jun. CIƆIƆCLXXII.

EPISTOLA LXXXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ul trajectum.

FRuſtra es omnino, mi Graevi, qui praeſidium proponas tibi petendum e meis ſolatiis. Adeo enim conſternatos procerum noſtrorum ac dejectos animos ubique offendo, qui rectius haud dubie intelligunt, quo loco ſint res noſtrae, quam noſmet ipſi, ut jam ſiniſtris auguriis hinc inde me prementibus, erigere animum ac munire adverſus validiſſimos fortunae inſultus, niſi temerarius maximae praeſentiſſimaeque calamitatis contemptor, non poſſim. Huc accedit, quod in aere eſt non leviter reſpublica, cui fortunas omnes & tot annorum continuos ac permoleſtos labores concredidi, ut bonum commune me totum, quantus ſum, ſecum trahat atque evertat. Vaticinii laudem nequaquam mihi vindico, praeſertim in rebus longe peſſimis adverſiſſimiſque; teſtari poſſit nihilominus noſter *Ryckius*, cujus in ſinum hyeme proxime decurſa cogitationes meas nonnunquam effudi, de ſtatu publicae rei praeſagiiſſe ea omnia mihi animum, quae majori nunc ex parte videmus effecta. Sed de his tutius opportuniuſque coram aliquando agemus. Tu vero, vir amiciſſime, ſolatiis firmioribus non aliunde munieris obfirmaberiſque adverſus praeſentia, quam virtute atque eruditione illa ſingulari: quibus ita es inſtructus, ut perire, ac fortunis excuti non poſſis, niſi univerſum litterarum ac bonarum artium nomen, quod abominor, intercidat. Ego etſi triſtiſſimus, tamen minori longe ſollicitudine me gravatum nunc ſentio, quam pridem, cum occurri maturo conſilio rebus nondum perditis potuit, debuitque. Vale, & quo loco ſint res tuae ac publicae, frequenter per litteras, ſi me amas, doce. Apud Cl. *Boeclerum* ſi defunctus ſis partibus tibi a me demandatis, reſcire cupio. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXII. a. d. 19. Junii.

EPISTOLA LXXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

PLuribus tecum acturus eram, Heinſi Nobiliſſime, ſed novus terror, qui tantum quod nobis injectus eſt, non ſinit me longiori ſcriptioni vacare. Sub meridiem hanc urbem intravit Centurio Gallicus cum viginti quinque equitibus, qui miſſus eſt ut Ordinum Belgicae Foederatae legatis ad Regem euntibus ſit praeſidio. Modo tubicen noſter, qui ad Regem fuerat amandatus, petens aditum noſtrae Provinciae Ordinibus, rediit cum aliquot equitibus Gal-

Gallicis, & Centurione, qui eos illuc deducat. Rex ipſe Doesburgum ad Salam oppugnat. Noveſium & Caſtellum *Schenckii* impetus hoſtium etiamnunc fortiter ſuſtinent. Amersfurtum heri manus hoſtilis ſubito oppreſſit & occupavit. Noſtri ordines plerique omnes fuga ſibi conſuluerunt, aeternamque ſibi inuſſerunt maculam. Sed non nulli paucas ante horas reverterunt. Quae ad *Boeclerum* mandaſti recte ſunt curata. Nos valemus, & te valere volumus. Deus avertat, quae nobis imminent, calamitates praeſentiſſimas. Trajecti ad Rhenum a.d. xx. Jun. CIƆIƆCLXXII. hora Octava veſpertina.

EPISTOLA LXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

AMſtelaedamo reverſus hodie tuas, ut ſunt ſemper, jucundiſſimas, ſuaviſſimaſque accepi: ex quibus certius aliquanto ſum edoctus, civitatem veſtram in poteſtatem hoſtis nondum deveniſſe, id quod Amſtelaedami indubitatis, uti contendebatur, argumentis perſuaſum mihi tamen volebant ex hiſce nonnulli, qui publicae rei negotiis admoventur. Sed in tanta rerum conſternatione quis veritati aut fidis rumoribus locus! cum plerique terrore panico occaecati obliviſcantur, quid patriae debeatur a bonis civibus, quantumque ſanguinis olim a majoribus noſtris conſervandae aſſerendaeque libertati ſit inpenſum. Victi enim ſumus ab ignavia noſtra, domitique ante ipſum bellum, & jam deponuntur prae degeneri timore arma, quae vix dum ſumſimus. Fidem poſteritatis ſuperabit profecto haec tam abjecta ſocordia, nec eſt quod plebem incuſemus, aut homines privatos, timidae in tanto rerum diſcrimine fluctuationis, cum ipſi, qui nobis praeſunt, & quibus bonum commune ſe concredidit, duces ſint noſtri in hac inconſulta animorum trepidatione, cujus unice me ſpectatorem pudet. Verum enim vero haec ſupra nos ſunt. Tu autem fac, ſi non optatos, continuos certe aut frequentes de te nuntios accipiamus. Amſtelaedami conventus eſt a me is bibliopola, qui Meurſianas antiquitates typis ſuis deſcribendas ſuſcepit, in quo opere nunc nihil promovetur omnino. Vale, decus litterarum. Hagae Comit. CIƆIƆCLXXII. a.d. XXII. Junii. Sub mediam noctem, dum ex Senatu ſeſe domum proripit *Johannes Wittius* ille, celeberrimus Batavorum Cyneas, a quatuor armatis civibus repentino atque improviſo latrocinio oppugnabatur, tribus confoſſus vulneribus, quae tamen pro letalibus haudquaquam habentur. unus atque alter reorum jam in vincula conjectus, reliquis fuga ſibi conſulentibus.

EPISTOLA LXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

IN ſumma hac rerum omnium perturbatione nihil eſt, quod magis me confirmet ac erigat, quam tuae litterae. Veriſſimum eſt, quod ſcribis, Heinſi Nobiliſſime, non tam a potentiſſimis regibus, quos armavit in hanc rempublicam fortuna, quam a noſtra ignavia nos ſubigi. Immodicus terror eorum praecipue, quibus ſumma rerum credita eſt, majorem nobis importavit cladem, quam ii, qui noſtras invaſerunt terras. Ante hanc fatalem procellam factiones, ambitus, acris avaritia, luxus aliaeque peſtes nos domuerunt. Quid vero poſſint hi tyrones ac lepores galeati? Majores ſane veſtri, ſi quis manium ſenſus, ejurabunt hanc poſteritatem, quae tanto ſanguine maximiſque laboribus eorum partam rempublicam incredibili animorum imbecillitate paucis diebus perdit ac amittit. Sed haec non ſunt in manu noſtra. *Wittii* ampliſſimi caſus magnum dolorem bonis civibus attulit. quem exitum haec res habitura ſit cupio per te, ſi licuerit, certior fieri. Vereor enim ne ſuaviſſimum hoc litterarum commercium noſtrum interpelletur. Sub meridiem manus Gallorum hanc in urbem venit, & praeſidiis portas munivit. Clementer & perquam humane in magiſtratus omneſque cives conſulunt. Regem cis paucos dies adfuturum ajunt, & Roterodamum petiturum. Caſtellum *Schenckii* expugnatum eſſe, & Sutphaniam ex illis accepimus: ſed Neomagum & Doesburgum etiamnunc inſultus defendere a ſe ac deprecari. Cum Muſae & leges ſileant, quid miri jacere etiam Meurſianas antiquitates? Ad Comitem *Guichium* heri litteras dedi, & in iis tuam ei adſcripſi ſalutem. Vale, meum & litterarum decus unicum. Trajecti ad Rhenum a.d. XIII. Jun. CIƆIƆCLXXII.

EPISTOLA LXXXIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Utrajectum.

EXſultavi prae gaudio ingenti ad conſpectum tuarum, quae ſub diſceſſum tabellarii jam nunc redduntur mihi, poſtquam triduum totum cunctatae ſubſtiterunt, neſcio ubi in via, mi Graevi. Ad ſubitam rerum mutationem & provinciae veſtrae cataſtrophen totus horreo; & mihimet ipſi rem incredibilem contemplanti vix credo. Pluribus acturus tecum, ſi non de publica re, de privatis ſaltem, ubi ero edoctus literas ultro citroque commeare tutiſſimum, ut ante, in modum. Aliter enim perſuaſum mihi voluere complures,

nec

nec hoc permiſſuros in poſterum Gallos, aſſeverarunt. Itaque totus a tuis oraculis pendeo, & quid reſponſi ſis daturus, aveo reſcire impatienter. Patriae profecto me pudet tanta cum ignavia rem gerentis, & dignae graviore, quo prematur, jugo. Quapropter cauſas eſſe juſtiſſimas cenſeo, cur unice in ſinu gaudeam, nullas omnino eſſe mihi partes in hac tragica publicae rei ſcena: quam ego ſpartam jam bis mille trecentis non expiavero. Vale, & ſi heroem praeclarum comitem *Guichium*, aut alios ex ea gente primarios viros, quibus ego homo, caetera obſcurus, ſim tamen cognitus, forte obvios habebis, iis de meliori nota ut me commendes, vehementer rogo. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXII. a.d. XXVI. Juny Gregor.

EPISTOLA LXXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litteras tuas vehementer deſiderabam, quibus nihil gratius in hac rerum omnium perturbatione, iſtiſque reipublicae ruinis mihi poteſt offerri. Eae enim ſolae a miſeriis his, in quas nos ſtupenda noſtra conjecit ſocordia, quae fidem apud poſteros non inveniet, cogitationes meas queunt avertere. Hinc iis viſis exilui. Credebam enim, ſilentio tuo, qui omnium in ſcribendo es diligentiſſimus, publico quoque rumore adductus, nobis iter ad vos eſſe praecluſum, non a Gallis, qui praedicant ſe nec publico nec privato commeatu commerciiſque cujuſcunque generis nos prohibituros, idque rebus praeſtant; ſed a veſtris magiſtratibus, qui de noſtra deditione conqueruntur, ad quam tamen deſtituti a noſtris copiis, deſolatique cunctis praeſidiis ſumus compulſi. Illi retinebant noſtros tabellarios ad vos miſſos, noſtroſque homines a ſuis arcere velle finibus jactabant. Sane perquam inclementer in pleriſque veſtris urbibus noſtros haberi cives audimus: nimirum hac ratione ſe culpam rei turpiſſimae a ſe amoliri poſſe falſo perſuadent. Qui oratores ex hac provincia miſſi ſunt ad Regem Galliarum, heri redierunt cum aequiſſimis conditionibus. Inter quas & hae, omnia ſacra humanaque nobis ſalva eſſe & inviolata: nihil in civili ordine reipublicaeque diſciplina & conſtitutione immutandum, Academiam tuendam. De poſſeſſionibus, quae olim ſacrorum uſui fuerunt dicatae, nihil liquido fuit reſponſum, prolixe tamen promittitur. Principia, ut nunc eſt, ſatis ex ſententia provenere: ſed poſtprincipiorum metu angimur. Rex ipſe cis paucos dies huc venturus eſt, & recta contendet ad vos, & vicinam Lugdunum. Metuimus ne captae provinciae veſtram quoque ſua involvant ruina. Neomagum etiamnunc reprimit omnem impetum vimque obſidentium. Hi ultimi dicuntur eſſe Batavorum, quorum ingens gloria ad ultimos uſque terrarum fines diffuſa nunc concidit penitus. Vix quemquam eſſe puto, quem non & patriae pudeat, & ſuae fortunae poeniteat. Sed moderatiore animo

nobis haec ferenda ſunt, quos praeclararum artium ſtudia contra omnes fortunae injurias armarunt, quorumque vitae rationes non niſi a nobis debent eſſe ſuſpenſae. Comiti *Guichio* num meae litterae ſint traditae ignoro adhuc. Qui tamen Regi eſt a ſecretis promiſit, ſe meam epiſtolam ad eum miſſurum, Non erat in caſtris regiis, ſed *Turennii*. Illuſtris *Pomponius* dicitur hîc exſpectari, cum quo tibi vetus intercedit neceſſitudo. Si ad eum litteras dederis, ubi ad nos futurus eſt, faxo rectiſſime ei tradantur. In iis velim me quoque viro tam excellenti commendes. Si quos videro litterarum ſtudioſos, cave credas de ullo plures nos habituros ſermones, quam de te. De ſicariis num quaeſtio habetur, & poenae ſumentur? Elegiam tuam de arca illa Regina quando habebo? illius enim te copiam mihi facturum nuperius pollicebaris. Faſciculum librorum Italicorum nullus dubito, quin acceperis. Cupio de rebus tuis certior fieri. Si per veſtros licuerit, tutum erit iter litteris. Vale, decus patriae & litterarum. Trajecti ad Rhenum a. d. XIX. Jun. CIↃIↃCLXXI. ſtatim cum tuas accepiſſem, quae exaratae erant XXVI. Jun.

EPISTOLA LXXXXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

INcredibili deſiderio totus teneor de rebus tuis, mi Graevi, certiora cognoſcendi: tum ſi praeterea quid perſcribi ad nos tùte poſſe judicabis. Nam quae ſignificabas nuper, admodum ea ſitim hanc in me excitavere potius, quam leniere. Reponebam quidem ante biduum proximum iis nonnihil. Sed plane incertus, an epiſtolium noſtrum ad te perferendum foret, id quod nec de hiſce literis aut exploratum ſatis habemus, aut habebimus, niſi per te quamprimum edocti. Age igitur hoc, quaeſo, &, ſi periculoſae plenum aleae opus cenſebis, ſuaviſſimis tuis intermiſcere nonnihil de republica, da ſaltem operam, ne quo privata domi tuae ſit loco me ſinas ignorare. Quin & totum te in hoc nuntio occupari velim, & quidem verboſe ſic ſatis: quod ſi ſolutam legibus orationem ejuraſti, cantato ſaltem, ut gallum decet. Nam nos inter gallinas adhuc numeramur. Pythagoricam iſtam tam repentinam μετεμψύχωσιν, Luciani profecto tui digniſſimam quae ſale defricetur, ſcenaeque bellicae cataſtrophen tam improviſam, vehementer, uti par eſt, admiramur. Nec perſuaderi poſſumus, ut credamus, hoſtili atque infeſtiſſimo nos animo a gente, quondam nobis conjunctiſſima, invadi, ſed ludum potius eſſe, & neſcio quod campeſtris exercitamenti genus, cujus eventum omnem in aliorum capita ſeſe mox eſſe exoneraturum. De cetero ſalvum hinc inde inter nos atque integrum jus hoſpitale fore. Victores certe appellari non poſſunt, quibus deſint, qui vincantur, cum pro victis ſoleant haberi, qui repugnantes ſuccumbunt. Vapulet interim nequiſſima fortuna, ac malam abeat in rem, quae tam

tam intempeſtive jocatur, noſtraeque libertati, tantis opibus, tantis tot annorum, tamque copioſi ſanguinis impenſis conſtanti, atroces delicias facit. Superamur enim dormiendo ſomniculoſos imitati glires, & aut nihil omnino, aut alia quaevis agendo, atque hac ignava ſocordia victori triumphum praeripimus, & maligne invidemus, ſupina aminorum abſentia armati, nec nobiſcum habitantes; crederes rem noſtram non agi. Tu vero fac valeas, Graevi jucundiſſime, & quidquid tandem decernit de nobis fortuna, vide etiam atque etiam, me conſtantiſſimum in modum pergas amare. Exarabam Hagae Com. Anno 1672. 28. Junii. Ampliſſimus *Hogerſius* parum feliciter munus publicum apud nos eſt auſpicatus nuper admodum, captae patriae ſuperſtes, & exequias dignitati ſuae propediem iturus. Ego & *Ryckius* animo tranquillo compoſitoque publicam calamitatem ſpectamus, adeo enim non ſunt nobis in promtu, quae poſſunt eripi, ut cum alios videamus ſibique ſuiſque paſſim ingemiſcentes, nos uni ingemiſcamus ruenti patriae, ceterorum ſecuri, ut optimos cives decet.

EPISTOLA LXXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

GAlli nos in hac urbe ſine injuria quidem habent & maleficio, ſtrepitus tamen armorum, hominum, jumentorum in tanta vicinitate caſtrorum Regis, animum non ſiverunt his cogitationibus curiſque vacare, in quibus acquieſcit maxime. Aliam cauſſam ſi credis tarditatis meae, cum litteris tuis jucundiſſimis, ſi quid jucundum eſſe poteſt miſeris his temporibus, ſerius reſpondeo, potes etiam credere, me amiſiſſe non ſolum, quod δούλιον ἦμαρ hominibus auferre Homerus canit, ſed ipſam ſanam mentem. Voluptatibus indulgere qui nunc poſſit, cum tam triſtes ac ſaevos ludos ludat de noſtro corio fortuna, civem eſſe non puto. Verebar quoque ne quid ſcriberem, quod vos, quibus hoſtium numero ſumus, magis in inſontes accenderet. Nec enim aequis auribus accipere videmini juſtiſſimas querelas noſtrorum civium, qui proditos ſe dolent. Verum eſt quod vir ampliſſimus tibi dixit, hujus incolas ſive pavore, qui omnes alios tum ceperat, perculſos, ſive furore potius quodam agitatos, noluiſſe praeſidium recipere, cum id maxime urgerent oratores Batavi, & in ea ſententia unum alterumve diem obſtinate perſtitiſſe. Sed neque id inficiari poſſunt vel illi ipſi Oratores, vel quibus ex ordinibus credita erat ſumma rerum, hos noſtros cives ad Principis Arauſionenſis adventum ſtatim rediiſſe ad ſanitatem & officium, magiſtratuſque recepiſſe, ſe in fide manſuros, & cum republica futuros, opeſque & ſanguinem laboranti impenſuros, ſi firmetur haec urbs praeſidio, & caſtra hîc ponerentur ad vim deprecandam. quae benigne illo die promittebantur, ut cuncti pleni eſſent ſpei & animo-

animorum. Poſtera die credebantur milites, operaeque ſummo mane & ſtudio feſtinaturae eſſe in caſtris & Urbe permunienda. Sed cum nemo manum operi admoveret, mirabantur omnes. A meridie litterae noſtris ordinibus oſtendebantur Haga publice ſcriptae, quibus jubebatur Princeps Arauſionenſis longius hinc cum copiis ſuis in Hollandiam ſe ſubducere. Noſtri deûm hominumque fidem teſtabantur, ſe prodi, idque ne fieret ſummopere precabantur, ad quos haec cura pertinebat, tantum non ad eorum accidentes genua. Cum nihil efficerent, id ſaltem ſibi concedi poſtulabant, ut praeſidio huic urbi duae legiones, quas illa ſuo tuetur aere, quaeque dum in agro ſuburbano conſidebant, relinquerentur; ſed ſurdis fabula narrabatur. Sequente dîe movebat exercitus, ne uno milite in vindictam hujus provinciae uſquam collocato. Quae igitur deſtitutis a ſociis, nec ingenio loci, nec operibus munitis via ſalutis alia dabatur, quam ea, quam iniimus: cum negligeremur ab amicis, fides hoſtium fuit imploranda. Rectiuſne nos fuiſſe facturos exiſtimant, qui fuga ſalutem ſibi quaeſiverunt, ſi ſtulta obſtinatione diem ultimum nobis arceſſiiſſemus, infinitis contumeliis, ſtupris, direptionibus, incendiis periiſſemus, funditusque fuiſſemus eradicati, quam cum deſolati dederimus nos genti, quae nobiſcum agit non inhumane nec inclementer. Agreſtes quidem conqueruntur de gravi damno frumentatoribus ſpem anni intercipientibus. Sed haec mala fert bellum, nec parcebant copiae Belgicae. Noſtri magiſtratus maxime indignabantur tantas impenſas a ſe factas in tutelam claſſis, & exercitus pedeſtris, & tam prompte ſemper quicquid foederati e re ſua fieri poſtulabant, & ſine ulla mora ſemper praeſtitum, tum ſe deſeri & omni praeſidio nudari, cum maxime ejus egerent, & praeſentiſſimum inſtaret periculum. Accipis hîc exemplum litterarum, hoc nomine datarum a noſtris Proceribus ad conſeſſum ordinum Foederatorum, in quibus nihil fictum eſt & compoſitum. Sed plura praeterierunt, ut tempori parerent, quae concinne potuiſſent annecti. Praeterito die ſolis ritu cerimoniiſque Romanis ſacra facta ſunt in Baſilica maxima hujus urbis, quam iis rite celebrandis luſtravit Cardinalis *Bullionius*. Eodem die Rex ſigna, quae plus decem diebus fixa fuerunt in vicino agro Seiſtiano, convertit in Geldriam, ſatiſque magnam eorum partem, ſi credere licet ejus militibus non ultimorum ordinum, Lutetiam refert. Illuſtrem *Pomponium* in caſtris bis fruſtra quaeſivi. Nec de Comite *Guichio* quicquam potui reſcire, quam quod in *Condei* caſtris agat. Neomagum decurſa die Veneris pacta ſalutem, ut ajunt, civium, & commeatum praefecto ac centurionibus, portas aperuit Gallis. Hi Woerda & Aqua Vetere ſua deduxerunt praeſidia. Copiis, quae in conſpectu urbis hujus metantur, praeeſt dux *Luxemburgius*. Vobis cum lethargum, qui nos vicinoſque perdidit, abſterſerunt ruſtici, ut inertiam, in qua tam diu jacuiſtis, exueretis, bene eſt. Sed non tam facile recipi poſſunt, quum amiſſa ſunt loca munitiſſima, niſi forte ſub Arauſionenſis Principis auſpiciis magis propitiis diis uſuri fueritis. De copiis auxiliariis Electoris Brandeburgici hîc quoque multa diſſeminantur, ſed ſine capite & auctore. quin littera, quae ex illa aula in hanc urbem a certis ho-

hominibus, iiſque noſtris, ante paucos dies fuerunt miſſae, non videntur famae fidem firmare. Aerdenburgenſium & Neomagenſium virtus eſt digna, quae praemiis decoretur, & immortalibus conſignetur litteris. De claſſe Belgica ſubducta verane ſunt quae jactantur? Pax cum Anglis num conveniet? *Albini* partes dicuntur hîc mandatae eſſe *Fagelio*. Sed de his Superi viderint. Quoniam interdiu cum Marte nobis res eſt, noctu non nunquam in Muſarum caſtra divertor. Nuper cum inſomnia laborarem, Virgilii Eclogas evolvebam. In quinta verſ. 68. legendum eſſe nullus dubito: *Craterasque duo ſtatuam*, non *duos*. & propter ſibili concurſum aſperrimum, & quia veteres codices hanc lectionem prae ſe ferunt, ut & Servius, qui id monuit non modo ad hunc locum, ſed & ad Eclog. VI, verſ. 18. Non uni loco Ciceronis hos accuſativos reſtitui ex MSS. codicibus ante fecerat *Victorius*. In Ecloga VI, verſ. 42. mallem cum Servio ſcribere *Promethi*, & verſ. 78. *Teri*, pro *Promethei*, *Therei*. Sic *Achilli* & *Ulyſſi*, quae non dubito quin ab Ἀχιλλεὺς & Ὀδυσσεὺς ſint formata, vetereſque dixiſſe *Achilleus*, *Achillus*, & *Achilles*, *Ulyſſeus*, *Ulyſſus*, & *Ulyſſes*. Sed haec levia ſunt. De Perſarum continentia, de qua nuper agebamus, inſignis locus Varronis eſt apud Nonium: *Perſae propter exercitationes pueriles modicas, eam ſunt conſecuti corporis ſiccitatem, ut neque ſpuerent, neque emungerentur, ſufflatoque corpore eſſent.* Vale Vir Illuſtris, tibique perſuade, te mihi meis oculis cariorem eſſe, licet nunc cum popularibus tuis in nos accingaris. Cl. *Ryckio*, ubi eum videris, ſalutem quaeſo dicito. Trajecti ad Rhenum Kal. Jul. CIƆIƆCLXXII. Dionyſ.

EPISTOLA LXXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ADeo vobis praereptam non eſſe victis libertatem, mi Graevi, ut integrum atque tutum relinquatur etiamnum amicos, diverſas partes ſecutos, per literas convenire, nec priſtinarum neceſſitudinum nodos penitus abrumpere, eſt ſane quod gaudeam vehementer atque exſultem. Nihil itaque impediet atque interveniet, ſpero, quo minus permaneamus in officio utrimque, & amicitiam illam veterem, illam ſanctiſſimam, mutuis alloquiis hinc inde foveamus porro atque nutriamus. Ego quidem voluptate non levi me perfuſum ſentio, edoctus per te, quo ſint loco res veſtrae, ex quo in poteſtatem Gallicanam tranſiviſtis verſipelles: foris nimirum dominus quaerendus atque invitandus fuit, quem in vobiſmet ipſis nullum habebatis, poſtquam pertaeſi libertatis optimae Dearum ac mitiſſimae luxui atque ambitioni ſpes totas donaviſtis, in effraenem effuſi licentiam. Video quae deſiderantur abs te concinne ſatis ſuper hac ſubitanea ſcenae Ultrajectinae cataſtrophe: Sed ſi quid *Slingelando* heroi credendum aliiſque, qui a foede-

ratis Belgis oratores ad vos fuere miſſi, priuſquam libertatem ejuraſtis, adeo dejecerat vobis excuſſeratque mentis caeca atque inconſulta trepidatio, ut ad ſaniora voſmet revocari fidiſſimis conſiliis haudquaquam pateremini, per viros rerum veſtrarum abunde intelligentes atque ſtudioſos. Sed hanc ego litem non facio meam, quam alieno nunc in foro diſceptandam mihi propronis. Quin, ut amicum decet, excuſare apud me malo, quidquid a vobis peccatum argutantur auctores magni, quia ſoli non peccaviſtis, ſed publicae in conſternationis conceſſiſtis fata, nolentes, credo, & in meliora temporum ſervandi: quos adverſa jam in tutum collocarunt forſan. Nos in praeſentiſſimo rerum incertarum aeſtu adhuc fluctuamus, diſcordiis inteſtinis agitati immane quantum, quaſi hoſtis potentiſſimi armis victricibus nos objici atque exponi ſatis non eſſet. A Dordraco ſeditionis auſpicium reliquis provinciae noſtrae civitatibus eſt captum. Inſecutae Roterodamum, Gouda, Delphi, Schiedamum: omnes certatim belli regiminiſque civilis ſummam principi Arauſionenſium depoſcentes. Quae quem exitum ſint habitura, ſi quid augurii laude pollerem, enuntiarem jam nunc atque in tacito ſinu hominis amiciſſimi deponerem concredita ſat tuto, ni fallor. Sed taedet, pigetque vatem malorum nimis veracem me fuiſſe multo jampridem tempore, dum fruſtra cantanti ventura, quae nunc evenere, non creditur. Itaque Apollo meus cum Marte civium noſtrorum fatis urgentibus conceſſere, atque a nobis emigrarunt. Ajunt adfuturum propedum Electorem Brandeburgicum, auxiliatorem nobis, cum manu validiſſima. Sed quando praeſidii nihil eſt in nobiſmet ipſis, fruſtra circumſpicimus apud exteros, atque aliunde expectamus, quod domi habebamus in promtu, ſi viri eſſemus. De ſicariis, qui in *Albini* caput conjuravere, ſic habe, reliquis fuga elapſis, unus horum nudius quartus capite multatus eſt. Ferunt ſupplicium quoque ſumendum mox, aut jam ſumtum eſſe de centurionibus, ac majoris in militia ordinis nonnullis, qui adverſus hoſtem perfide ignaviterque rem geſſere. Ex Galliis ipſis quod nuntiare poſſum de re literaria ſtudiiſque communibus, nihil omnino nunc occurrit, omni commercio epiſtolarum poſt exorta bella per me iſtos in tractus terrarum abrupto penitus ac neglecto. Codices Italos nondum, quod mireris, accepi. Aerdenburgum oppidulum in Flandriae Zelandiaeque collimitio leviter munitum opere, propugnarunt foeminae fortiſſimum in modum, multis hoſtium aut caeſis aut captis. Vide, quam praepoſtere victores rem gerant: qui viros jam ſubegere in hac expeditione, nondum feminis ſubactis. Vale, mi Graevi, & nuntios frequentes oppido de rerum tuarum ſtatu ad nos mitte. Hagae Com. Kal. Julii Gregor. 1672. Illuſtriſſimi *Pomponii* luculenta in me extare merita profiteor ultro: ſed horum memorem pulcherrime animum ut teſtari nunc apud virum ingentem aut auſim, aut debeam non ſinunt tempora.

EPISTOLA LXXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio,

Hoſtium Amiciſſimo.

Ultrajectum.

EN haec promiſſa fides eſt? ſub exitum menſis proxime decurſi per literas ſemel iterumque compellatus obnixe taces: quaſi poſt perditas Amyclas in ſilentio ſpem ſalutis collocatam haberes, quam in armis habere noluiſtis. Cum nullae omnino adventabant Ultrajecto huc literae, haudquaquam impetrare abs te potuiſti, ut taceres: nunc nos faſtidis jactura libertatis amiſſae ſuperbior, quantum apparet, factus. Quibus tu deliciis fruare per me licet, dum ne quid obmuteſcas, ac priſtinae neceſſitatis fas omne juſque ſacroſanctum abrumpas, ranis Seriphiis taciturnior. Praefectura provinciarum, quotquot ex naufragio bellico ſuperſunt, ad Arauſionis Principem diebus proximis eſt iterum devoluta. Auctores nobis ruſtici fuere noſtri, ut tandem ſaperemus, utinam ne ſero, cum priſcis Phrygibus! An ſub iſtis nunc paedagogis melius omnia apud nos ſint proceſſura, equidem ignoro. Spes eſt tamen ſic fore. Itaque magnis animis ad bellum paramur, e ſomno vix tandem excitati. *quondam etiam victis redit in praecordia virtus.* Sed noſtrum non eſt, ſententias loqui poſt rem peſſime geſtam. Tu vale, Graevi jucundiſſime, & ſcribe, niſi in hoc quoque certamine te ſuperari non pudet. Hagae Comit. 1672. 9. Quint.

EPISTOLA LXXXXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

EXacuit mihi bilem poeticam ignavia iſta tam imbellis meorum popularium, quam nulla oblitterabit aetas. Itaque e re mea eſſe exiſtimavi, ut ſuſpicionem conſortii foediſſimi a me apud poſteritatem amolirer, ſi memoria fortaſſe noſtri nominis eo pertingit aliquando, mi Graevi. expiare dedecus ſummum verſibus elegiacis aggreſſus ſum, neſcio an ſatis aptis ad gerendum hoc bellum. poſſum tamen excuſare factum auctoritate eorundem popularium, quos ad arma non minus inidoneos nuper ſumus experti. Si pergam inſanire, & luctari cum ignavis, ipſi verſus poſt detextam telam muſicam ad te fortaſſe venient. Interim pacem mox adfuturam jubemur ſperare, & quidem ea lege, ut pro multis heris, quorum auſpicio miſere vapulavimus, unum ſimus habituri poſthac. Si procedent vota noſtra & optatos exitus ſortientur, in alter-

nos complexus tu & ego propediem ruemus. Eris tu quidem hoſpes mihi exoptatiſſimus longe, & cujus in ſinum effuſas velim indignationis reliquias, quaſcunque Muſae meae fruſtrabuntur, & praeteribunt forte. Videamus licet invicem; quando miles iſte cavit pulcherrime, ſi dis placet, ne quid funeris lugendum ſit nobis, praeter amiſſam & proditam a nobiſmet ipſis tam foede libertatem. Ad haec aerarium publicum nequiter rem gerendo ignaviterque prorſus exhauſtum; ut cantare nobis nunc vacet cum Maroniano paſtore,

Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi.

Ego certe facultates omnes reipublicae impenſas fero, an unquam emerſurae ex aere hoc meo tam ingenti. Sed ne ſic quidem obſtat quicquam, quo minus cantemus vacui coram latrone. Quae proceres veſtri pro cauſſa ſua arbitrati ſunt in publicum proferenda, iis tanto magis ignoſcimus, quod non ſolis hiſce occaecavit mentem timor. Nam & nos fortaſſe nihilo fortiora eſſemus moliti, ſi armorum torrens iſte eodem decurſu nos involviſſet conſternatos. Nunc animum adverſus tam ſubitanea paratiorem recollegimus nonnihil. Claſſis certe omnibus neceſſariis inſtructa altum adhuc tenet, concurſura etiam cum hoſte, ſi urgebit neceſſitas, ac victor inimicus irruptionem in nos mari tentabit. *Albinus* ex vulneribus tardus domi etiamnunc deſidet, nec conſpectus eſt in publico, ex quo ſicarios ignaviter ſibi inſidiantes evaſit. In Marone *crateras duo* jam occupavit editio mea, ut & Ecloga VI. verſ. 18. *ſpe carminis ambo luſerat.* monuimus nos jam nonnulla ad Naſonem Metamorph. VII, 79. & plura ad Maronem his locis addemus. Georg. XV, 88. recte etiam ſcripti. *Verum ubi ductores acie revocaveris ambo.* Quod *Promethi* & *Theri*, pro *Promethei* & *Therei* mavis apud eundem, dubito. Nam *Achillei* & *Ulixei* apud Horatium quadraſyllabum occurrit, quomodo apud Auſonium *Muſa Simonidei*, pro *Simonidae*, a *Simonideus* pro *Simonides.* certe in diphtongum contraxit *Orphei* Maro & ex triſyllabo diſſyllabum fecit, *Orphei Calliopea*, *Lino formoſus Apollo.* Ad locum Petroniani fragmenti illuſtrandum egregie facit Varro apud Nonium de Perſis, teque vehementer amo, quod iſta tam appoſita ſuggeſſiſti. Libros Italicos nondum accepi, ſed exſpecto cis dies paucos. tandem enim faſciculum ſui juris nunc eſſe factum, teſtatus mihi eſt coram ante biduum *Elzevirius.* Vale, Graevi mellitiſſime. Hagae Comit. Anno 1672. a. d. 18. Julii.

EPISTOLA LXXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NE conqueraris temere fuiſſe, quod de nugis meis neſcio quid pollicebar nuper, mi Graevi, adfuturus mox tibi, ecce elegiam ſatis verboſam. Tu vapulantibus fave: & ſi quid in poſterum ad me voles, ad *Elzevirium* cura perferendum. Molior enim excurſum in viciniam, abfuturus ab hac civitate dies

dies fortaſſe nonnullos, & mutaturus larem. Quamquam de profectione illa nihil penitus adhuc decretum eſt mihi, ſed conſilium erit in arena, quod ajunt, capiendum. Vale. Hagae Com. 1672. a.d. XXVI. Quintil. Gregor.

EPISTOLA LXXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

CUm has eſſem exaraturus, tua, quam videre vehementer deſiderabam, mihi traditur elegia, qua patriae triſtiſſima fata, & libertatis interitum, deploras, militisque noſtri incredibilem inertiam deteſtaris. Nihil illa terſius & emendatius, nihil huic tempori accommodatum magis a te pangi potuit. Non praeſtantiſſimi ſolum poëtae, cujus laudis ſummam dudum tibi tribuit orbis eruditus; ſed & optimi civis partes in hoc carmine ſcribendo impleviſti. Utinam vero res inclinatas, ac prope perditas reſtituat is, cujus auſpicia defuiſſe nobis canis. Quotidie de novis vulneribus nuncii huc perferuntur, quae priſtinas cicatrices coire non patiuntur. Pacis ſpes quoque perexigua eſt, quantum audio. Qui ſplendide promittunt auxiliares vobis copias, vereor ne deludant hiantes. Sed futurorum curam Deo comittamus, qui patriam laborantem reſpiciet. Firmitudinem gravitatemque animi tui, quae ex tuis elucet litteris & pulcherrimis elegis, admirari ſatis non poſſum, quem vis tanta malorum ac tempeſtatum, quae cum fortunarum tuarum naufragio eſt conjuncta, frangere non poteſt, & abducere ab illarum artium ſtudio, quae non poſſunt coli, niſi animo tranquillo ac defaecato. Quanta, dii boni! Muſae ſuis cultoribus praemia perſolvunt? dum alii jacent abjecti, & jactura ſuarum facultatum, aut metu illarum amittendarum dies noctesque cruciantur, tu, quem prae aliis inſignis perculit injuria, tu ad litteras tuas te confers, & in illarum beato ſinu, tanquam in tutiſſimo portu, aut amoeno receſſu, ſuaviter conquieſcis, ridesque vulgi curas & labores. Tuo maxime incitatus exemplo meas aures obduravi ad clangorem tubarum, & armorum ſtrepitum, easque non niſi divino Muſarum cantui patere juſſi, ac praecipue Parentis eloquentiae Romanae voci. Suetonius tandem eſt detextus totus. Quamprimum tuto licuerit habebis exemplum. Sed quî nunc perferri poſſint ad Celſiſſimum *Principem Paderbornenſem*, quae ei deſtinavi exemplaria, vix video. Tu, ſi quam viam noſti, quaeſo te ut mihi indices. In Galliam quae deſtinavi, ſpero me inventurum, qua recte poſſint curari. *Gronovius* ante hebdomades aliquot tranſiit Lutetiam, & a *Valeſio* ineditum Polybii fragmentum accepit, & in Seguiriana bibliotheca manuſcriptum codicem reperit, etſi recentiorem, quo tamen per feſtinationem uti non potuit. Sed quando tecum mihi licebit eſſe Heinſi? Ita omnium votorum reus fiam, ut nullius rei majore teneor cupiditate, quam te videndi, tecumque de communibus noſtris ſtudiis ſermones

caedendi: mallem paucas horas tecum tranſigere, quam annum cum iis, cum quibus mihi neceſſario vivendum. Si cauſſae aliae pacis expetendae eſſent mihi nullae, vel haec una ejus maximum in me accenderet deſiderium. Tacitum *Gronovii* τ8 μακαρίτ8 audio prodiiſſe, nec non Senecam, ſed eos nondum vidi. Tuum Virgilium utinam accelerarent operae. Nam multo correctiorem futuram hanc editionem prioribus tuis tua prae ſe fert epiſtola. In Synalaepha *Terei* & *Ulyſſei* tuae ſubſcribo ſententiae. Vale, decus ſaeculi & meum praeſidium. Trajecti ad Rhenum a.d. XXVII. Jul. CIↃIↃCLXXII. Gregor. *Albini* aedes feruntur apud vos excubiis militaribus obſideri, & de fratris capite comitia haberi: quorum criminum compellentur liquido non conſtat. Si quid explorati perſcribere licet, rogo te ut tribus verbis mihi ſignifices. Larum mutationem, ſi ea ſedet, deum volo fortunare. Ubi eos Amſterodamum tranſtuleris, quaeſo te, ut non nunquam urgeas librarium, ut Meurſianas antiquitates emittat in lucem, & ſi quae imperfecta jacent, in iis abſolvendis ſtrenue pergat. Italicos libros tandem te accepiſſe ſpero *Ryckius* noſter num cogitat de *Holſtenii* in Stephanum annotationibus prodendis, ſi otium aliquando nos recreaverit? Sane reſpublica litteraria tanto Theſauro, talem enim eum commentarium pro ingenio, doctrina, rerumque Geographicarum peritia τ8 μακαρίτ8 eſſe auguror, diutius carere non poterit ſine maximo detrimento: ut & tuis obſervationibus in Virgilium, & variis illis lectionibus. In Valerio Flacco edendo num procedunt hac tempeſtate? En novam calamitatem, quae poſt tantas moras, Suetonium meum urget. Nullae hîc membranae poſſunt parari, quibus involvatur: nec a vobis eas ad nos perferre licet. Sed huic malo brevi remedebitur forſan. Iterum vale ὦ φιλότης.

EPISTOLA LXXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

CUm hodie perlatae ad me ſunt tuae jucundiſſimae atque amabiliſſimae, aderat noſter *Ryckius*, Leida digreſſus heſterno die, ut hoc feriarum Academicarum tempore ad me viſeret, mi Graevi: monendum enim id duxi, ne interpellante tam feſtivo capite exſpectes fortaſſis prolixos nunc a me ſermones, quos in tempus opportunum magis praeſtat rejiciamus. Suetonium tuum publici juris tandem aliquando factum gaudeo vehementer. Cumque cis biduum triduumve amicus non nemo cogitet ad *Principem Paderbornium* recta, auctor omnino ſum tibi illam ne quid occaſionem negligas, ſed operis iſtius exemplaria bina aut trina, quanta fieri poterit feſtinatione, Amſtelodamum mittas *Elzevirio*, atque illa quidem (unum certe ex illis) eo inſtruenda ornatu, quo ſolent id genus litteraria munuſculla viris principibus offerri. Velim & unum ex hiſce nullo indui tegumento, ut ſi urgendus ſit ab amico diſceſſus, non-

nondum parato voluminum ornatu, quem dixi, id certe offerri ab amico poſſit Principi, reliquis codicibus poſt ſecuturis alia occaſione arrepta, quae deeſſe ante autumnum vix poterit. Siſtet autem amicus ille, uti prae ſe fert, die Mercurii proximo ſeſe *Elzevirio*, quem fortaſſis & ipſe comitabor. Vixque eſt, ut moram apud Amſtelaedamios ſit tracturus: fac igitur, ut apud *Elzevirium* faſciculus ſit praeſto in tempore. De rebus publicis quod addam nihil habeo. Proximis diebus nihil calamitatis novae nuntiatum eſt nobis. *Monbaſius Grotiusque* rei uterque Majeſtatis, ſed nondum convicti fuga ſibi conſuluerunt. *Albinorum* fratrum natu major haeret etiamnum in laqueis, accuſatus conjuraſſe in caput Principis, quem exitum lis iſta ſit habitura adhuc ignoratur. Vale, ſuaviſſime & amiciſſime mortalium. exarabantur HagaeComit. CIↃIↃCLXXII. a.d. XXXI. Julii menſis.

EPISTOLA LXXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas pridie Kalendas Sextiles ad me dediſti, Kalendis ſub veſperam mihi traditae ſunt, ad quorum conſpectum exilui. Nihil enim cum aliis temporibus, tum praecipue his miſeris, mihi afferri poteſt jucundius tuis litteris, quae mentem meam ab omnibus moleſtiis abducunt. *Ryckio* noſtro ſi poſſim invidere, hanc ſane felicitatem inviderem, cui licet frui doctiſſimis illis & ſuaviſſimis tuis ſermonibus. Quem fructum eripuit mihi calamitas haec publica, non niſi pace finienda. Quae utinam brevi conveniret! Sed nondum videntur Regum animi ad otium & benevolentiam eſſe converſi. Bibliopolam ſtatim conveni, ut aliquot exemplaria mihi traderet: nondum enim ullum potui lentiſſimo triconum extorquere. Cauſſatur enim ſe nondum poſſe per hanc rerum omnium perturbationem animum adjicere ad colligendos faſces mire disjectos, ab omnibus famulis deſtitutum. Perpuli tamen hominem, ut illico concinnandis aliquot exemplaribus manus admoveret. Unum jam miſit, cras mane duo triave ſe adjecturum huic recepit. Conſui hîc & membranis involvi, ut nuperius ſcripſi, hîc non poſſunt. Nunc opera datur a me ut Amſterodamum mittantur ad *Elzevirium*, & ibi ornentur. Sed maxima rurſus difficultas hîc objicitur mihi eo hos libros curandi. Faſces enim non niſi per amicos & certos homines, & quidem aegerrime, poſſunt perferri, aditus omnes obſidentibus cuſtodibus cum regis, tum Batavorum. Cras tamen eo ſe conferent quidam cives noſtri, longo uſu mihi conjunctiſſimi: a quibus videbo, ut poſſim impetrare, ut aliquot ſecum ferant exemplaria *Elzevirio* tradenda. Tuus amicus, qui ad *Principem Paderbornenſem* viam affectat, urbemne hanc tranſibit? Utinam coram cum illo mihi liceat agere? ſed haec quoniam incerta ſunt, faxo ut litterae meae ad Celſiſſimum principem proximo

ximo die Mercurii apud *Elzevirium* ſint praeſto. Te quaeſo, ut mihi ſubſervias, & coeptum beneficium tuearis. De rebus publicis quod ſcribam nunc nihil occurrit. Manu bis mille peditum auĉta ſunt hodie praeſidia hujus provinciae & urbis. De Magni *Hugonis* filio quae fama pertulit ad nos, & tuae nunciarunt litterae, vehementer meum animum perculerunt. Credidi enim civem illum eſſe bonum, & patriae ſtudioſum. Heu nuſquam tuta fides! Deus te ſervet, patriae decus, & litterarum columen. Trajecti ad Rhenum Kal. Auguſt. CIϽIϽCLXXII. Gregor. *Gronovius* Bajona litteras dedit ad fratrem: *Ryckio* elegantiſſimo ſalutem velim dicas meo nomine.

EPISTOLA C.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

BInas mihi abs te epiſtolas Amſtelaedamum advenienti tradidit die heſterno *Elzevirius*. Tradidit & Suetonii exemplar jam ornatu omni inſtructum, quod tuo nomine *Principi Paderbornio* ſit offerendum. Hoc ego in Friſiam orientalem mecum fero, quo ſub noctem vela ſum facturus, ſi non hodie, cras ſaltem. Nec deſpero occaſionem defuturam, qua aut recta mittatur ad ipſum principem, aut certe ad *Torckium* principi conjunctiſſimum, qui Mindae, ut noſti, domicilium facit in vicinia civitatis Paderborniae. De me autem ſic habe: vix fore, ut ante menſem proximum ſim rediturus ad meos, quod ſi in ipſo itinere tuis longe ſuaviſſimis alloquiis beatum me atque exhilaratum cupis, *Elzevirio* committe, quidquid ad me voles, erit enim illi curae, ut litterae iſtae in manus meas feſtinato itineris decurſu perferantur quam primum. Eidem committe, ſi quae Suetonii tui exemplaria ad Italos cupis perlata. Relinquo quippe apud illum faſciculi nonnihil, Florentiam occaſione captata *Dato* noſtro mittendum. Vale. Amſtel. CIϽIϽCLXXII. VII. Auguſt.

EPISTOLA CI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TUum in Friſiam Orientalem iter magnam mihi ſollicitudinem attulit, qua non ante levabor, quam te ſalvum nobis & incolumem reſtituerit deus, quem pro itu & reditu tuo auſpicato ſupplex precor. Cura, quam ſuſcepiſti in mittendo Suetonio ad Celſiſſimum *Principem Paderbornenſem*, acceſſione magna tot tua in me merita, quorum nullam partem aſſequi unquam

quam potero, cumulavit. Commiſi quoque duo alia exemplaria, pro hujus urbis facultate ornata, perquam Reverendo *Neercaſſelio* ad Principem curanda cum epiſtola ſatis verboſa, quae, ſpero, recte perferentur. Fidem enim dedit Vir Excellentiſſimus, ſe certis hominibus per Tranſiſalaniam & Monaſterienſem διοίκησιν illa deportanda crediturum. Ab Illuſtriſſimo domino *Montoſerio* litteras hodie accepi, plenas amoris & humanitatis, quibus & alias addidit ad ducem *Lucemburgium*, hanc provinciam pro legato regis ordinantem, quibus me meaſque res ejus fidei tradit ac commendat. Litteras tamen meas, quas Argentoratenſi via miſeram, non videtur accepiſſe. Nullam ſane illarum mentionem facit. Vereor ne interciderint cum iis, quas ad *Capellanum* & *Boeclerum* exaraveram. *Pelliſonium*, elegantiſſimi ingenii hominem, qui magiſtri ſupplicum libellorum partibus fungitur apud Regem Galliarum, & cui mandata eſt provincia res ejus geſtas litteris & memoriae prodendi, in hac Urbe nuperius fuiſſe paucis demum diebus, poſt quam abierat, accepi. Doleo ſane fortunam mihi invidiſſe hanc, quam diu deſideraveram, occaſionem officium praeſtandi viro tam eximio. Heri aliquot odas Horatianas commiſi cum pervetuſtis membranis meis, & in carm. 22. lib. 1. deprehendi confirmari lectionem, quam tu in duobus codicibus antiquis repertam merito probaſti:

Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit eſculentis

Eram & de nonnullis aliis hujus poëtae, ut & Tullii locis tecum acturus, ſed haec differam in tuum reditum. Apud nos pro temporum horum ratione recte eſt. Te nuncios optatos allaturum ſperamus. Vale, ſidus noſtrum. Trajecti ad Rhenum a. d. VIII. Aug. CIↃIↃCLXXII. Dionyſ. De exemplaribus, quae Florentiam curari pervelim, rogavi *Elzevirium*, ut me quamprimum certiorem faceret de tempore, quo hinc ableganda fuerint, ut & de occaſione, qua poſſint mitti Amſterodamum. Hîc enim difficulter poterit illa inveniri, omnes aditus obſidentibus tam Batavis, quam Gallis praeſidiariis.

EPISTOLA CII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

CONfectis negotiis, quae peragenda apud Friſios Orientales, atque adeo Bremana ac Mindana in civitatibus habebam, ad Principem noſtrum in viciniam excurſum feci, cum ut venerarer coram deſideratiſſimum caput, tum ut profectione eadem valetudini dubiae conſulerem, ac medicatos fontes, quorum fecunda in primis ea regio, in potum adhiberem. Stimulabat me praeterea ad hoc iter, quod dubitabam haudquaquam ipſi principi adventum meum fore perquam acceptum, qui eruditiſſimis tuis in Suetonium obſervationibus venirem comitatus, in quibus plurimum mihi fiduciae deberet

 eſſe.

eſſe. Nec fefellit exſpectatio. Ita enim ſum acceptus, ut benignius ac hoſpitalius non poſſem. Tuo autem muneri, quantum pretii ponat Princeps, ipſe apud te propediem, credo; teſtabitur. Interim haſce, mi Graevi, ad te curandas duxi, ut ſcires curatum a me, quod mandaras, curandum. Videor enim aliquantisper moram tracturus hiſce in regionibus, dum September menſis ad metam decurrat. Nam aquarum potus iſte nequiter nimis procedit mihi, adeo turbantur fontes ab imbribus continuis, ac odioſum plane in modum vitiantur. Quaſi invidioſum ſit lympham puram potare illi, qui ne vinum quidem ſolcat diluere. Ceterum quod narras te recentes habuiſſe a Duce *Montoſerio*, habui & ego. Cujus ad ducem *Luccemburgicum* litteras *Capellanum* noſtrum nobis obtinuiſſe arbitror, etſi beneficium tale non flagitantibus: ad ipſum *Capellanum*, quia periiſſe ultimae tuae videntur, alias tibi exarandas ſuadeo. Velim enim is doceatur per te, quod uti doceretur, memini me abs te contendiſſe, cum ſcripturum te illis ſignificares proxime. *Gronovii* noſtri Tacitum nuperae editionis in comitatum adſcivi mihi hoc itinere; & jam video obſervaſſe nonnulla tuo fortaſſis calculo non improbanda. quale illud libro VI. Annal. cap. 25. *Sed Agrippina aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat.* Mirifice cum laudetur ob pudicitiam, egregiamque in maritum Germanicum pietatem, ac alias ob virtutes exquiſitas, a Tacito alibi paſſim haec femina (niſi quod regios animos prae ſe tuliſſe dicitur nonnunquam, ſi id crimini dandum tamen) non video cur hîc *aequi impatientem* faciat noſter. quod probroſum utique. Quid? quod aequitati nullus hîc locus, cum ex ſuperioribus ſatis ac ſuper manifeſtum fiat, inique omnino in plurimis a Tiberio habitam ac atrociſſimis adfectam injuriis. Scribo igitur *Obſequii impatiens.* Tyrannidem Tiberianam ferre non poterat mulier animoſa. Hinc lib. IV. cap. 52. illi objicit idem Tiberius, *Ideo laedi, quod non regnaret.* eodem lib. cap. 12. Hanc ipſam Tiberiani accuſabant, *ſuperba jam fecunditate ſubnixam inhiare dominationi, popularibus ſtudiis*, ſic enim malo, quam *ſuperbiam. obſequii autem impatiens*, ut violenta & luctus tolerandi neſcia eadem deſcribitur initio lib. Ann. III. & mox lib. IV. cap. 52. *Agrippina ſemper atrox, tum & periculo propinquae accenſa.* ubi *atrox* nihil aliud eſt quam animoſa: *cuncta terrarum ſubacta praeter atrocem animum Catonis* Horatio. Annalium XII. cap. 64. *truci contra ac minaci Agrippina, quae tolerare imperitantem nequiret.* ubi denuo deſcribitur obſequii impatiens. fortaſſis & corrigendum, *truci contra ac contumaci*, ut lib. IV. cap. 12. *Igitur contumaciam Agrippinae inſectari.* Et haec quidem hactenus. Plura fortaſſis, ſi te provocari hiſce patieris ad proferenda ea, quorum ſpem faciant poſtremae tuae. Vale, Graevi jucundiſſime. Paderbornae CIϽIϽCLXXII. VII. Kal. Septemb. de loco illo *minaci Agrippina* amplius deliberandum. agitur enim illic de altera Agrippina Neronis Matre.

EPI-

EPISTOLA CIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Neuhuſium ad Paderam.

NUllas abs te litteras accipio, quae non ſingulari quodam gaudio me perfundant. Sunt enim omnes plenae ſuavitatis & officii. Sed ad conſpectum noviſſimarum, quae VII. Kal. Septemb. Paderbornae ſunt ſcriptae, mihi vero III. Idus Septemb. redditae, exilui delibutus omnibus laetitiis. Nam hoc tuum iter infeſtum latrociniis & excurſionibus me dies noctesque ſollicitabat. Nunc his curis & angoribus, quibus conficiebar, levatus gaudeo his procellis, quibus nos miſerrime jactamur, te ſubduxiſſe, & in Celſiſſimi Principis ſinu, tanquam portu tranquilliſſimo, valetudini operam dare, cui nunc, ſi nos ſalvos eſſe cupis, unice fac ſervias, abjectis omnibus aliis negotiis & ſollicitudinibus: nec reditui te ante accinges, quam confirmatam ſanitatem tecum retuleris, & cum ea rerum optimam Pacem. Hîc etiam nunc totis turbatur agris. Inteſtinae diſcordiae, quibus vicinae civitates mirum in modum vexantur, nondum ſunt compoſitae. In urbe tua patria cunctis τοῖς ἐν τέλει magiſtratus a civibus abrogatus, & jam ipſos dies undecim ibi fuit ἀναρχία. Vix meliore loco res ſunt in proximis ei urbibus. Quem exitum hi tumultus habituri ſint explorato ſciri non poteſt. Divine tu: *Sarcina libertas.* noſti cetera. Caligae, quae non longe a veſtris finibus dicuntur conſidere, forte negotium hoc impeditiſſimum ſunt explicaturae. Sed audio cives tuos vereri, ne ſpes illorum deſtituatur. Abeſſe ſane vix poteſt, quin in hanc opinionem diſcedamus, cum tu in tuis ne γρῦ de illis in tanta vicinitate. Sed haec viderint, qui ad clavum ſedent. Te quid fieri poteſt venuſtius & fortunatius, qui nunc remotus ab his malis, quae quotidie videmus & audimus magno cum dolore, in ipſo quaſi Muſarum contubernio ſuaviter aetatem agis, ad ſalutares fontes, pulcherrimis carminibus non minus, quam Grajorum Hippocrene & Aganippe, celebratos. Athenis Atticis, ſi florerent, non poſſes majore voluptate frui, quam ubi nunc degis, dum quotidie paſceris doctiſſimis ſermonibus ſapientiſſimi Principis. Nae ego veſtram unam collocutionem praetulerim non ſolum illorum, quibus cum vivo neceſſario, λέσχαις, ſed & omnium, qui nunc laude doctrinae florent, ambitioſis ſcholis, & fucatis diſputationibus. Inviderem tibi hanc felicitatem, ſi poſſem. Sed non poſſum. Tuis enim bonis aeque laetor ac meis. Quanti vero me putas aeſtimare quod nuncias, nonnullo numero meas eſſe lucubrationes apud tantum Principem. Non potui fructum uberiorem meorum laborum non dicam referre, ſed ne optare quidem. Tibi multis quidem nominibus a longo tempore ſum aſtrictus, ſed quantum tibi debeam, quod aditum mihi ad Optimi Principis gratiam patefeceris, aliquando, ſi vivo, cognoſces, quamvis nunquam illius officii ullam partem, cujus religione tibi

ſum devinctus, potero dependere. Bina exemplaria, quae Reverendiſſimus *Nedercaſſellius* curanda per Monaſterienſem tractum recepit ante quatuor aut quinque hebdomades, ſpero ad vos eſſe perlata. Litterarum, quas eis adjeceram, exemplum nunc his incluſi, ut ſi forte libri ſubſederint alicubi, hae interea fungantur officio, donec aut illi vobis tradantur, aut, ſi interciderunt, alii ſubmittantur. Sin vero ad Principem jam pervenerunt illa, quae hinc curata ſunt, exemplaria, velim hanc epiſtolam conſcindas. Ad *Capellanum* ante hos decem dies litteras miſi minime Laconicas, in quibus copioſe ſatis egi denuo cum eo de iſtis, quae illum ſcire tua intereſt. De Taciti loco me beaſti, cum tuam mihi ſententiam oſtendiſti. Nihil eſt tua correctione ingenioſius. Nondum tamen poſſum a me impetrare, ut vulgatam ſcripturam damnem. *Aequi impatiens* dicitur Agrippina, quod non poſſet aequali cum ceteris ſtatu contenta eſſe, quod cuperet dominari: ſic in ſecundo Annali de Archelao: *Sed angore, ſimul feſſus ſenio, & quia regibus aequa, nedum infima inſolita ſunt, finem vitae ſponte cum fato implevit.* hoc eſt, quia Reges non poſſunt ferre, ut aliis aequentur, nedum ut illis ſubjiciantur. Sic *aequae leges* apud Phaedrum: *Athenae cum florerent aequis legibus*, hoc eſt cum libertate fruerentur, ut omnes eſſent aequali conditione, nemo ſupra alios ita emineret potentia, ut non poſſet legibus coërceri. Graecis eſt ἰσονομία. *Aequus* ſaepe eſt aequalis. Mela libro III. de Aethiopibus: *pulchri forma, aequi corporis*, hoc eſt, aequalis ſunt proceritatis. quem locum perperam *Salmaſius*, *Schottus*, aliique ſollicitarunt. Sic *aequum* hic eſt aequalitas. Hoc autem ingenio fuiſſe Agrippinam loca, quae appoſite tu attuliſti, declarant. Apud Tacitum Hiſtoriarum libro ſecundo cap. 64. de Sextilia matre Vitelliorum legitur vulgo: *Nec ullis poſtea fortunae illecebris, aut ambitu civitatis in gaudium evecta. Evehi in gaudium* non dixiſſe Latinos exiſtimo; ſed Tacitum ſcripſiſſe, *in gaudium evicta.* Ut Annali XI. c. 38. *quae florenti filiae haud concors ſupremis ejus neceſſitatibus ad miſerationem evicta erat.* Et XVI. Ann. c. 64. *Deinde oblata mitiore ſpe blandimentis vitae evictam.* Subjicerem plures conjecturas in alia hujus ſcriptoris loca, ut tuas elicerem: ſed ſuſtinendum eſt, donec mihi licuerit inſpicere novam hanc editionem, quae per iſtas, quibus conflictamur, temporum miſerias nondum potuit ad me deferri, ne quae alii jam praeceperunt ingeram. forte & hanc emendationem *Gronovius* ὁ μακαρίτης, qua erat ingenii praeſtantia, occupavit. De locis Horatianis alias. Nunc vereor ne loquacitatem meam reprehendas. Sed mihi licet apud te hallucinari. Vide, quaeſo, ut tecum aliquando feras Valerium Maximum *Joannis Vorſtii*, qui in Germania dicitur prodiiſſe, ut & ejus opuſcula de Latinitate male & recte ſuſpecta, & quae alia proximis annis edidit. Ejus Philologus ſacer mihi probatur. In vicinia tua procul dubio membranae antiquae voluminum Ciceronis reperientur, ſi ſit, qui illas velit ex tenebris eruere. Fuldae ſane fuerunt olim vetuſtiſſimae. Vale, virorum Excellentiſſime, & beneficium tuum tuere, gratiam illam dico, in quam me poſuiſti apud Principem ſingularis exempli, cui nihil par viget & ſecundum. Trajecti ad Rhenum prid. Id. Sept. CIↃIↃCLXXII.

De

De libris Florentiam mittendis nondum potui ullum reſponſum extorquere *Danielio* noſtro, quamvis iterum iterumque fuerit a me compellatus. *Gronovius* Madriti agit, conqueritur de magnis moleſtiis, quas in hoc itinere exhauſerit ſine ullo fructu: neque enim libros ullos, nec homines vidiſſe, qui litteras norint aut ament. Iterum vale, meum decus. Si vis litteras tuas in poſterum mihi reddi, fac curentur per Colonienſes nuncios. Amſterodamo nulla ad nos ab aliquot diebus ſunt delata; hinc tamen eo poſſunt adhuc mitti. Si amas me, da operam ne ſuaviſſimo tuarum litterarum alloquio, in quo unice miſeris his temporibus conquieſco, caream. CIƆIƆCLXXII. a.d. XI. Sept.

EPISTOLA CIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Didiciſſe jam debes ex iis, quas non ita nuper ad te dabam, Suetonium tuum Celſiſſimo Principi & traditum a me, & perquam acceptum fuiſſe. Poſt Heros idem incomparabilis munus conſignatum mihi credidit ad te perferendum, addiditque, parandas abs ſeſe ſub diſceſſum meum litteras fore, per quas ipſe ſit teſtaturus tibi, cultum ſui nominis haud tenuem, quem dedicatio iſta tua prae ſe ferat, nequaquam ſibi diſplicuiſſe. Ceterum de binis Suetonii exemplaribus, quae per neſcio quem huc mittenda te curaſſe ſcribis, nihil omnino compertum rei hactenus habemus: etſi ea huc perlata eſſe pridem oportuit, ſi aut Veſaliam, aut Bremam, aut denique aliam quamcunque per viam fuiſſent miſſa, uti curae ſibi imprimis fore amicus ille veſter erat pollicitus. Ego autem, etſi reditum ad paternos lares ob privatas cauſſas maturandum mihi intelligo, tamen propter tranſitus militis, qua Caeſariani, qua Brandenburgici per Paderbornam Dioeceſin hac tempeſtate continuos, ac itinerum omnia minime tuta, differendam profectionem in tempus magis opportunum ſum ratus, quod adfore propediem augurari nobis licet. Sed & ſpem facit Princeps optimus, poſt iratum nobis haud modice Jovem atque imbres iſtos quotidianos tanto tempore continuatos, benigniorem Phoebum aliquando adfuturum nobis, & ſereniores dies eſſe haud dubie exſpectandos, qui vim medicatis fontibus nativam ſoleant conciliare. At ego Phoebum Muſaſque omnes propter hoc ipſum infenſas experiri me reor, quod ad caſtra aquae potorum transfugerim ignavus, atque ordini poëtico plane pudendus homuncio. Interim Tacitum amici noſtri jam totum percurri, ad Suetonii tui lectionem tranſiturus hodie; tu autem de *Schultingii* ad Senecam patrem obſervatis mihi promiſſis vide etiam atque etiam bonum nomen uti ſies. Litteras abs te impatienter prorſus exſpecto: habet enim jam in mandatis *Elzevirius*, ut cum ſuas, tum amicorum litteras in poſterum, quas perferri ad me volet, Bremam mittendas curet. Itaque non eſt, quod tuas tibi perituras opinere, ſive pedem

 hinc

hinc cis dies paucos movero, ſive apud Celſiſſimum hoſpitem, quem favere praeſenti mihi non minus, quam abſenti ſolebat, laetatus equidem agnoſco, diurnandum erit; quod ut nolim mea de cauſſa, ſic caute agamus par eſt, ne munificentia Principis intercipiatur tibi ab hiſce, quibus neutiquam eſt deſtinata; latronibus, inquam, & militibus male feriatis. Quo ſint loco res tuae & quomodo conveniat tibi cum hoſpitibus novis cupio doceri. Equidem ego aliena quadra victitare malo, quam hoſpitalem tuo exemplo me praebere inſulſiſſimis mortalibus, atque hoc fungorum genus, olentes unguenta de meo, quotidiana exſecratione muſſitando inſectari, ac diris occultis devovere. Quamquam ſperare poſſumus, etiam apud illos tales praeſidii nonnihil fore tibi in tuis muſis, ne plebejo more habearis. Vale, mi jucundiſſime, & mihi velle ex animo perge. Neuhuſii Paderbornenſium CIϽIϽCLXXII. XXIII. Septemb.

EPISTOLA CV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

QUartus agitur nunc dies, quando per litteras certiorem te feci, vir Clariſſime, principalis munificentiae, quae in tuum proxime redundavit caput, me non nolente. Ceterum quod hactenus vix mihi relinquatur integrum per illos, quorum a nutu pendeo, domum reverti: atque adeo fieri poſſit, quod nolim tamen, ut diutius mihi in hocce terrarum tractu ſit haerendum, quam res meae privatim ferunt; doceas me velim, quid ipſi muneri factum cupias. Nummi aurei ſunt monetae Hiſpanicae, quos tabellariis hoc turbatiſſimo rerum ſtatu neſcio an caute ac prudenter ſane ſim permiſſurus: nihil enim te inconſulto hac ſuper re ſtatuere fixum eſt mihi. Quod ſi magis id fore e re tua perſuaſum habes ut credas, poteſt in mandatis *Elzevirio* a me dari, ut de meo parem ſummam argenti refundat tibi. Habet enim quo praeſtari id poſſit. Et haec quidem, ſi in Germania, ut dicebam, ſubſiſtendum ſit hoc anno mihi. Sin reditum ad meos mox impetravero, uti ſpes eſt, meis in loculis tibi feram, quicquid id eſt muneris, nam nec ipſe hactenus inſpexi obſignatum. Francofurtum cogito, ſi jubeor hibernare apud populares tuos. Atque illa occaſione excutiendum propono mihi, ſi quid veterum membranarum forte in vicinia illius deliteſcit civitatis. Sed quod paucis illic ſim notus, ne ſucceſſus deſideriis meis parum reſpondeat, ſubverendum videtur: tuas omnium tutiſſime *Elzevirio* credideris interim, dum certiora de rebus meis docearis. Quas ad Principem dediſti, eas a me heſterno die accepit, ac legendas inter coenam tradidit, non ſine addita facundiae tuae meritiſſima commendatione, poculoque ſaluti tuae libato. Credo ipſum gratias pro dedicatione Suetonii tui, *in* quo auctore perlegendo nunc ſum totus, propediem acturum; ſic promiſit cer-

certe, uti nuper ſignificabam. *Nedercaſſelius* iſte, quem tu jure tuo vocas *Reverendiſſimum*, quis ſit aterne an albus, haudquaquam in comperto a nobis habetur. Hoc nuntiare poſſum tibi, nec libros illius fidei abs te concreditos, nec epiſtolam tuam Principi hactenus viſos eſſe, aut ſciri, quando aut unde ſint adfuturi. Optimo *Capellano* quod mei memoriam, & illorum, de quibus coram a me proxime agebatur tecum, refricare non es gravatus, exoſculor, medius fidius, hinc tuam in me demerendo tam promtam expoſitamque ſedulitatem; *Montoſerio* duci gratias, quantas potero, pro rerum mearum ſingulari cura, agam propediem. De loco Taciti contentionis funem cave opineris me tecum nunc pertinacius eſſe ducturum: quare paucis me expediam. Agrippinam Germanici magno animo feminam fuiſſe, & quae ſe neptem Divi Auguſti probe meminiſſet, ac talem a Tacito deſcribi, cetera laudatiſſimam, concedo; ſed & idem Tacitus ubique nos docet, contumelioſe ſatis a Tiberio habitam eandem, tantum abeſt, ut aequali cum Livia Druſi aliiſque apud illum loco fuerit. videndus Suetonii Tiberius cap. 52. 53. Incendebant illi ac coquebant generoſum pectus aſſidue cum mors conjugis optimi violenta, tum alienior abs ſe animus ſoceri, quo & ipſo ſuſpiciones de mariti morte conceptae ejus in animo gliſcebant magis ac magis: non videbam igitur quis *aequo*, utcunque interpreteris, hîc locus eſt ſat commodus: ac cogitabam aliquando, *ſequi impatiens*. Non enim ſatis diſſimulabat injurias, aut obſequentem ſeſe atrociſſimo Tiberio praebebat; *ſequi* autem pro obſequi alias etiam Tacito uſurpatum. Sed, ut profitebar modo, tibi & hoc omne, & quicquid praeterea incogitantius mihi ſolet provenire, quod fit frequentiſſime, meliora docenti largior libentiſſimus. Erant complura in locis deficilioribus ac tantum non conclamatis; de quibus aliquando agemus coram. Hiſtoriarum lib. II. cap. 64. de Sextilia Gronovius *evicta* curavit edendum: ſic enim ſcripti codices: quod Rhenanus, Muretus, Pichena perperam immutarunt. Sed Acidalius recte tuetur. Paulo ante de eadem Sextilia, *non immitis triſtibus:* ante legebatur, *non minax.* unde, *minis triſtibus* idem, Rhenanus, Daneſius, Urſinus. At Codex M. S. Florentinus, *non inmix triſtibus*, unde Pichena, *non nimia triſtibus*, vel *non immitis.* Colerus, *non minima ex triſtibus*, ſed quid proclivius, quam inſiſtendo optimi codicis veſtigiis, *non immixta triſtibus* refingere? *triſtia* enim pro crudelitate Vitellii ponitur, qua ſignificatione & alibi Tacitus eodem uſus vocabulo. Vidit veram ſcripturam *Gronovius*, ſed dubitanter: cum nullus dubitationi locus ſuperſit. & haec quidem hactenus. De *Vorſtii* libris videbo. Tu jubeto, ſi quid praeterea curatum velis. De N. nil miror. Metuo ne ille juvenilius aliquanto eruditionis ſuae fiducia efferatur ac luxuriet, tenaciuſque agat cum Monachis atque avarius, quam quod oculatae illorum manus capiant atque intelligant. Muſis omnibus comitatum Homerum foras abire juſſum a puellis, quod nihil adtuliſſet, meminiſti. Vale, jucundiſſime amicorum. Nieuhuſii Paderanorum CIƆIƆCLXXII. Septemb. proxime mittam verſus, quibus fontem celebravi Dryburganum.

P. S. exaratis hiſce, denuo mihi ſermones fuerunt cum celſiſſimo Principe de

de te, rebuſque tuis. Multus ille eſt in te amando : atque hunc effectum denuo teſtari voluit per poculum, Genio elegantiae atque eruditionis Graevianae ſolemniter libatum. Dedit & in mandatis *Plettenbergio*, ſororis ſuae filio, qui praefatus eſt ad poëmata nuper edita, & Suetonium, & ſi quid Ciceronis lateret in antiquis membranis apud *Rottendorphii* haeredes, tibi ſeponendum hac hieme curaret, quando is Monaſterium excurret. Habes hîc non nihil nugarum mearum.

P. S. Ne ἀσύμβολος diſcedam; ad Tiber. cap. 21. mones *ſtomachorum*, pro *ſtomachos* in Memmiano, ſive ut tu mavis Salmaſiano legi. eſt autem ſcribendum, *ſtomachoſum.* Ita Cicero ſane nonnumquam tuus, ut de Claris Oratoribus: *quod erat in reprehendendis verbis verſutum & ſolers, ſed ſaepe ſtomachoſum, nonnunquam frigidum.* & de Oratore lib. II. *Me quidem hercule valde illa movent ſtomachoſa.* Sed & *Stomachari* paſſim apud eundem, uti & Horatium alioſque; *eques Stomachoſus* eidem Flacco. *Stomachos* aut *Stomachorum* pluralis numeri haud recordor mihi lectum apud ſcriptores bonos. In eadem Tiberii Vita cap. 46. omnino recte vetuſtiores libri: *Unde mora in Atellanico exodio proximis ludis aſſenſu maximo excepta percrebuit.* Niſi forte mavis, *morae excepta.* ut dictum vel verſus ſubintelligatur : ſtudet enim brevitati Suetonius ubique. Atellana exodia riſui movendo praecipue inſerta ludis, eamque ob rem conſtabant potiſſimum ex morionibus ſive moris, qua viris, qua feminis. Talis ille Mucius: nec mirum in Atellanis adhibitum Graecum vocabulum, cum Campani omnes fere bilingues, utpote Graeciae majori adſcripti. Hinc Capuanus ille Trimalchio in fragmento Petronii Tragurino Graeca frequenter intermiſcet latinis. Aliter τὸ *mora* Turnebus capiebat. In dicto Auguſti de Tiberio: cap. 21. *Miſerum populum, qui ſub tam lentis maxillis erit*, opinabar, *perit.* locutus de futuris Auguſtus, tanquam de praeſentibus, uti vaticinantes fere ſemper apud poëtas; & alluſum videtur ad Cyclopem Homericum, qui ſocios Uliſſis manducabat. nam illud *erit* friget mirifice. Uti & in Auguſto Antonianum illud in cap. 4. *farina tibi materna eſt.* Quare ſuſpicabar *eſtur* eo revocandum. quaſi fruges conſumere natum ſubinnuat acerbe, quod non intellexere boni librarii, ſed jam ſum nimius. In Suetonio mentionem abs te fieri non video eorum, quae *Gudius* ex Politiani Scholiis Florentiae exerpſerat. His jam exaratis heſternam ſuper coenam conſilium cepi ſubitaneum, de excurſu cis triduum quatriduumve adornando ad nundinas Francofurtenſes. Quod ſi Bibliothecas ea in urbe, aut in urbis vicinia compertas habes membranis antiquis inſtructas: propoſito huic meo ut ope tua ſuccenturieris rogo. Reſponſum tuum Francofurti praeſtolabor, quod commendari poſſit D. *Malepertio* Miniſtro DD ordinum: quamquam ne id quidem neceſſe. Iterum vale.

EPI-

EPISTOLA CVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Francofurtum.

INcredibili laetitia tuae me perfundunt litterae, cujuſcunque ſint argumenti, & quia te colo amoque unice, & quia illae plenae ſunt omnes amoris, Atticoque quodam ſale reſperſae. Binas vero tuas noviſſimas, Nihuſii Paderbornenſium exaratas, quantum mihi credis attuliſſe gaudium. Niſi corrumperetur triſtiſſimo hoc patriae ſtatu, qui me vehementer agit, nihil ei potuiſſet accedere. Quid enim optabilius eveniret mihi, quam tanti ac tam eruditi Principis, quem ſpectant omnes, cujus ob os Graii ora obvertunt ſua, gratiam mereri, quam tibi tamen praecipue acceptam refero? Quid ad commendationem nominis mei poterit amplius fieri, quam tam honeſto Herois incomparabilis ornari judicio? De munere vero, quod tanquam luculentum benignitatis ac voluntatis ſuae erga me pignus adjecit verborum honori, quid dicam non invenio. Haec non meam ſpem tantum & expectationem, ſed & vota ſuperant. Gratias agam Celſiſſimo Principi, quantas potero, quamprimum ex te de litteris ejus, quarum ſpem facis, certior fuero factus. Si tibi tradita ſunt, fac, quaeſo, per Colonienſes hemerodromos ut ad me perveniant. Viis tamen infeſtis nec illas, nec munus conſignatum & tuae fidei creditum velim committi, ne ab iſtis harpyis, quae tractum hunc omnem ad Rhenum infeſtant, intercipiatur. Tutius in tua cuſtodietur arca, donec aut tu tecum attuleris, aut, ſi nimis longum eſſet, commode poterint permutari hi nummi. Rogo tamen illos reſignes & inſpicias, mihique ſignifices, propter incerta caſuum humanorum, quantum in accepti tabulas mihi fuerit referendum. Si brevi reditum acceleraveris, praeſtabit forte uti permutatione propter viarum pericula. Sed hoc totum tuo permitto conſilio, qui illic rectius omnia videbis. Bina exemplaria Suetonii, quae Reverendiſſimus *Nedercaſſelius* ſuſceperat curanda, commendavit paſtori Swollano, ut ea mitteret per Monaſterienſem agrum Paderbornam. Nunc opera datur ut reſciſcatur, cui ille paſtor hos libros dederit ferendos. Si interciderunt alias illuc mittam, quam primum facultas fuerit. *Nedercaſſelius* eſt [1] Nuntius Apoſtolicus, ut vocant, & Epiſcopus Caſtorienſis, nunc vero palam agit Epiſcopum Ultrajectinum, quam-

[1] Puto *Vicarium* fuiſſe, ut ſunt fere in his haereticorum, ut curia Romana vocat, partibus Epiſcopi; qui titulis longe remotarum urbium inſignes, veteris Archiepiſcopatus Ultrajectini jura uſurpant, ſed nomine abſtinent, ut tuto in Belgio morari poſſint. *Joannes Neercaſſelius* vero fuit Gornichemius, Epiſcopus Caſtorienſis, & per foederatum Belgium Vicarius Apoſtolicus, cujus vitam deſcripſit auctor Bataviae Sacrae part II. pag. 477. ***Hugo Franciſcus Heuſſenius***, qui fuit aſſiduus ejus comes & ſocius, ut ipſe ſaepe teſtatur.

quamvis nondum id nomen ſibi vindicet, vir multis animi ingeniique ornamentis excellens. Tu nunc judica, quo jure *Reverendiſſimum* appellaverim. Ex Galliis miror nihil prorſus litterarum afferri ad tot meas, quibus *Carellanum* & alios amicos ſollicitavi. Impatienter eas expecto. Francofurti ſi hyemaveris, poterit excuti Fuldenſis bibliotheca, quae in vicinia eſt. nec dubito quin apud Moguntinos lateant veteres membranae. *Modius* ſane & *Palmerius* eas laudant. Aditum vero tibi faciet ad omnes illuſtriſſimus *Boineburgius*, qui Francofurti agit, ut & Ampliſſimus *Leibnizius*, qui Electori Moguntino eſt a conſiliis, longo uſu mihi junctiſſimus. Uterque, cum ſint pleni officiorum, te complectentur mirifice. Te enim jam olim amant, & tuum admirantur ingenium. Ad utrumque mittam Suetonium, ſi copia dabitur mittendi. Utrique, praeſertim Illuſtriſſimo *Boineburgio*, ſalutem meo nomine velim dicas verbis officioſiſſimis. Longe plura volebam. Sed interpellor ab amico. Differo in proximum. Si me vis valere, fac ſaepe tuas litteras accipiam, ubicunque fueris. Tuas emendationes in Suetonium omnes probo laudoque. Ornabunt aliquando ſecundam editionem. Vale. Trajecti ad Rhenum a. d. xx. Oct. CIↃIↃCLXXII. Publicae res nondum ex ſententia tuorum popularium fluunt. Pace nobis & otio eſt opus, niſi funditus velimus perire.

EPISTOLA CVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MOleſtiam ac curam omnem omitte, quam ex ſilentio tuo videor colligere, etſi minime divinus. Hactenus enim ſalvi ſunt tibi apud me nummi tui, probeque ac pudice ſervantur, mi Graevi. Atque adeo auguror, etſi iter faciendum mihi per medias Harpyarum rapacium manus, eodem ſucceſſu ſoſpites in poſterum ac intactos tibi fore; per me ſaltem, ſi per Gallos tuos licebit, quos in illo ſterquilinio nimium curioſos experiri nolim. De Taciti loco aſſentior tibi, vulgatam lectionem defendi poſſe, nec male Agrippinam *aequi impatientem* dici. In Suetonio etiam metus eſt, ne augurium omni ex parte propitium ſim expertus. Tueri enim poſſis, *ſub tam lentis maxillis eris*, ut *eſſe ſub ictu*. Sed ne ſic quidem vulgata ſatis arridet. & *mora* eripi mihi non patior. noviſti illud Suetonii tui *morari* prima ſyllaba producta, de Claudio. Sed & amat Graeca vocabula Latio vindicare is ipſe ſcriptor. Sic *pallacas* recordaris, puto, alibi occurrere pro pellicibus. In hanc civitatem ſerus poſt nundinas acceſſi. Peream male, ſi quicquam jejunius offendi tota vita bibliopoliis Francofurtenſibus. In quibus nec Cornelius Nepos *Boſii* ex poſtrema editione, nec *Reineſii* anecdotae epiſtolae potuerint haberi. Val. Maximum tamen, & eundem Nepotem ac Sulpitium Severum *Johannis Vorſtii*, cum paucis aliis libellis oppido vulgaribus, inde abſtuli: quibus, etſi ſarcina ſatis onero-

roſa, minus periculi tamen ab hoſte incumbit, quam tuis nummis. Baronem *Boineburgium* hîc vidi, eruditum hominem, praeterea neminem. Vale. ὡς τάχιστα. *Boeclerus* abiit ad plures. Abierunt *Tanaquillus Faber* & *Guido Patinus* in Galliis. Coloniam nunc cogito, ſed Moguntiam prius. Francof. ad. Moenum 1672. 27. Octob: In cathedrali urbis hujus eccleſia codices ſcripti nonnulli dicebantur aſſervari, ſed Decano extra urbem profecto, admitti ad conſpectum eorum haud potui.

EPISTOLA CVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Francofurtum.

SAepe cauſſa ſilentii apud te mihi dicenda fuit, nunc mea me liberat aſſiduitas ab hac culpa. Binis tuis ultimis, quas Nihuſii Paderbornenſium ſcripſeras, quaeque eodem fere tempore mihi redditae ſunt, nulla interpoſita mora reſpondi; eaſque litteras ad *Elzevirium* miſi, non per tabellarios, quorum & fides fallax, & ſarcinae nonnunquam excutiuntur; ſed per ipſius *Elzevirii* ſervum, qui tum commodum de rebus domeſticis ablegatus ad nos remigrabat Amſterodamum a. d. XVII. Octobris. Tuae, quas nuperrime Francofurto accepi, a. d. XXVII. ejuſdem menſis ſunt exaratae, ut meae potuerint ad te perveniſſe antequam tuae iſthinc mitterentur. Sed his temporibus non exigenda ſunt omnia ad priſtinae diſciplinae leges. In tanta rerum omnium confuſione non mirum eſt curſum publicum quoque claudicare. Interea tamen recte curatas eas ſpero. In iis te rogaveram, ut mihi ſignificares, num epiſtolam Herois Paderbornenſis, cujus ſpem feceras, tecum ferres, utque, ſi haberes, ad me quamprimum eam mitteres, aut earum exemplum, ſi ipſam mittere parum tutum duceres. Nollem enim tantum κειμήλιον mihi perire, aut in gratiis perſolvendis meam fidem officiumque deſiderari. Munus quoque, quod mihi opportas, & tam caſte & pudice tenellae virginis inſtar diligentius nigris uvis aſſervas, petii ut inſpicias propter dubios, quibus mortales obnoxii ſumus, caſus, & quantum nummorum arcae meae ſit inferendum ſignifices. Vehementer me ſollicitum habet tuum iter, quod moliris ad Ubios, non tam argenti, quam tui cauſſa. Omnem enim illam ripam ad Confluentes uſque dicuntur infeſtam habere turmae Gallicae, in quas vide ne incidas. ſi tamen huic viae te dare ſedet, permutarentur credo nummi tutius Francofurti. Sed tu videbis, quid e re mea & tua ſit. A *Capellano* reſponſum tandem habui; ſed ad meas ultimas; priores non accepit, ſicut nec perlatae ſunt, quas ad ducem *Montoſerium*, *Thevenothum*, alioſque ſcripſi. Nunc exempla, quae interciderunt, epiſtolarum mitto, in quibus de iis, quae mihi mandaveras, egi diligenter. De te quae *Capellanus* perquam amanter ſcripſit, calci harum litterarum ſubjeci. Obitus hominum erudítiſſimorum *Patini*, *Boecleri*, *Fabri* dolo-

dolorem & moleſtiam, quam ex fatali reipublicae pernicie & peſte traxi maximam, vehementer auxit. Vulnera, quae rei litterariae iſtorum obitu ſunt impoſita, non video ut in tanta ſolitudine ſanari poſſint. Vereor ut his, iiſque, qui non ante multos annos occiderunt, luminibus extinctis, *Reineſio*, *Gronovio*, *Freinshemio*, *Buchnero*, aeterna nox omni liberali doctrinae offundatur, tam craſſae tenebrae, coecaeque nubes obducuntur undique. Faxit Deus, ut qui nunc ſuccreſcunt, *Ryckius*, &, qui ei collega nuperius datus eſt, *Jacobus Gronovius*, nec non *Francius* noſter, ut matureſcant, & dignitatem litterarum tueantur. Me diebus hiſce Nobiliſſimus *Spanhemius* invitavit ad docendam humanitatem in Academia Heidelbergenſi. Tecum utinam diem liceret ponere! Tuum enim conſilium plenum fidei, amoris, prudentiae deſidero. Pulcherrimum de medicatis aquis carmen tuum teſtatur ſane te non vulgares fontes potaſſe; ſed meram Aganippen, & Hippocrenen, volentibus Muſis & Gratiis. Apollinem vero cum vultum avertiſſe ſcribis, veritum credo, ne omnes ejus artes ſolus exhaurires, ut quod aliis impertiret poſtea non haberet. *Mora* Suetonio per quam venuſte & ingenioſe reſtitutum eſt. Blanditur quoque *ſub maxillis lentis perit*, quamvis vulgatae nondum auſim renunciare, ut tu quoque in poſtremis mones: videtur eſſe idiotiſmus. Rogo te, ut alia, quae in Suetonio & Tacito correxiſti & notaſti, mecum communices. Repono nunc tuas conjecturas in Virgilianis ποιημάτιοις. In Culice legitur de ſerpente ſine ſenſu:

Merſus ut in limo magno ſubſideret aeſtu.

ſcribendum: *Merſus ut in limo magno ſub ſideris aeſtu.*

In Ciri non capio quid ſibi velint:

Impia prodigiis ut quondam exercita amoris
Scylla, novoſque avium ſublimis in aëre coetus
Viderit.

Illane ante non viderat aves? quae ſunt illae *novae aves*, quas tum demum vidit? Ipſa nova erat avis. legendum exiſtimo:

Novoſque avium ſublimis in aëre coetus
Auxerit.

Joannis Vorſtii Nepos non eſt illius *Johannis Vorſtii*, qui Valerium Maximum edidit, ſed hominis ineptiſſimi e faece litteriorum, ſi is eſt, quem Lipſiae vidi olim editum. Fertur quoque *Caſparis Sagittarii* prodiſſe de Ciceronis editionibus & interpretibus libellus, de quo quamvis nihil mihi promittam praeclari, vellem tamen vidiſſe. *Rupertus* in Juſtinum hîc nondum conſpectus eſt, nec *Vorſtii* libellus de Latinitate vulgo neglecta, nec *Lambecii* poſtremi tomi de bibliotheca Caeſarea: nec ipſe noviſſimae panegyreos catalogus. *Petrus Lotichius*, Petronii ille Aſiaticus interpres, qui ante annos aliquot promiſit Variarum lectionem editionem, Francofurti habitat. Moguntiae *Leibnizium* videbis, hominum doctum & officii plenum, cui pridem litteras debeo, ſed officio fungar propediem. Vale, meum decus & praeſidium unum. Trajecti ad Rhenum Kal. Novemb. CIƆIƆCLXXII. Dionyſiacorum faſtorum. Haec

Ca-

Capellanus de te in litteris Lutetiae datis XII. Octob. 1672. *Noſtre cher M. Heinſius eſt mieux à Paderborn qu'à la Haye, & il luy doit eſtre bien doux dans ſa retraitte d'y vivre en tranquillité a l'abri & ſous la protection de ce genereux & docte Prelat. qui eſt pour noſtre Ami dormir en ſureté pendant cette tempeſte entre le bras de Muſes, de ces Muſes l'honneur de l Allemagne, qui contubueront autant, ou plus que les eaux medicinales de ces quartiers la, a luy rendre ſa ſante ancienne. Si vous luy escrives, je vous prie de le bien aſſurer de mon ſervice & inviolable voeu de mon amitie.* Si quid ad amicum volueris praeter quae olim juſſiſti, mone quamprimum. Has litteras miſi Coloniam ad *Spanhemium*, rogavique, ut, ſi ibi non eſſes, eas curaret Francofurtum. De tuo itinere valetudine & rebus certior quamprimum fieri cupio. Vale iterum, mea lux. Poëmatis tui de aquis ſalutaribus fac aliud ad me perferatur exemplum. Hoc amici interceperunt.

EPISTOLA CIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PErlatas ad te binas haſce, quas Paderbornenſi ex agro poſtremas deproperabam, haudquaquam ſane invitus ex tuis ſuaviſſimis, nuper admodum in hanc reverſus civitatem, ubi illae me praeſtolabantur, dum brevem molior excurſum Wormatiam, Spiram, atque Heidelbergam verſus, Mi Graevi, ſum edoctus; ut dubitem nullus, cum iiſdem literis meis traditam fuiſſe elegiam quoque, qua fontem medicatum tractus Paderani laudandum ſuſceperam. Heidelbergae cognovi poſt ſublatum e vivis *Tanaquillum Fabrum*, ſereniſſimum Electorem de te in Academiam illam evocando conſilium fovere, idque ipſe *Spanhemius* etiam noſter per literas eſt teſtatus. Sed cum *Ludovicum Fabricium* coram monuiſſem de ſtipendio ſatis lauto, quod ab Trajectinis tibi numeratur annuum, perculſus iſto nuntio, viſus eſt mihi ſubdubitare, an Principis aerarium munificientiae iſti par eſſet. Rebatur tamen vel ſic per ipſam temporum horum calamitatem, perque ſtatum Academiae veſtrae praeſentem, in equile Gallicanum tantum non converſae, moveri haud difficulter te poſſe, ut conditionem minime poenitendam ulnis ambabus amplectare. Tu vero etiam atque etiam tecum delibera, quid tibi ſit agendum; ne praecipiti conſilio temet in anguſtias des irretitum, unde regreſſus volenti exire non pateat. Nam ſive pax optata propediem affulgebit, praeferendam tibi ſedem, cui nunc inhaeres, mecum, ut opinor, arbitraris; ſive bella diuturna incumbunt, quod abominor, Palatinatum horum immunem fore, patentem expoſitumque tractum bellicis inſultibus, nihil omnino cauſſae eſt in promtu, cur cenſeamus aut ſperemus; ſed ut haec tam triſtia abigantur penitus, tibique res tuas curandas relinquam, qui conſultoris non eges. De bibliothecis in hac vicinia vetuſtioribus opinionem conceptam quodammodo in-

vanum cecidiſſe agnoſco. Moguntinam cathedralis eccleſiae, quam vocant, perluſtravi totam: ſive potius reliquias Suecanae expilationis. Theologorum ſcripta pervetuſta complura ſeſe obtulerunt quidem mihi, in quibus evolvendis haerere haud multum vacabat: ceterum pauca admodum, quae ſtudiis noſtris ornandis viderentur conductura. Horatium & Prudentium & Macrobii in Somnium Scipionis commentarios ſatis antiquae manus contigit videre: tum Suetonium, ſed notae recentis. Francofurti in eccleſia metropolitana nihilo plura. Sola Naſonis opera & commentarius Boëthii in Ciceronis Topica, cum Aratore & Proſperi epigrammatio illic a me inſpecta. Wormatiae bibliothecam non vidi, quod abeſſet cuſtos. ferebant tamen & codices illic aſſervari antiquos. At Spirae totum in bibliotheca exegi diem; quamquam autem deſiderabantur complures ex libris, quos catalogus promittebat, atque in his Saturnalia Macrobii, orationes aliaque Ciceronis, atque in eas Pedianus Aſconius, Florus, Antonini itinerarium, cum pervetuſto Metamorphoſeôn Naſonianarum exemplari, quod *Langermannus* ante octennium inſpexit, occurrebant tamen haud pauca minime contemnenda, de quibus coram. Officiorum Ciceronis tria, ni fallor, exemplaria ſatis vetuſta, Rhetoricorum duo, aliaque Tullii tui manus inciderunt meas. Nam Epiſtolae aetatem non niſi annorum. ccc prae ſe ferebant. Et haec quidem hactenus. Coloniam cum cogitem propediem, doceri cupior, cuinam in ea civitate bibliothecae a *Franciſco Modio* in Novantiquis adſcribatur codex Faſtorum Ovidianorum pervetuſtus, cujus ille opera locos iſtius poëmatis complures caſtigavit; nam nec liber is in mira codicum bonorum inopia per haſce bibliothecas eſt ad manum, & eadem de re jam olim egiſſe tecum recordor. Homines etiam eruditi oppido hîc rari. *Leibnizius* in Gallias profectus dicitur. *Boinebergium* vidi ſemel iterumque: ſed ille in politicis totus, nec ſtudia noſtra videtur ſatis aeſtimare, & praeterea Gallicanae partes, quibus ille ſe totum dicitur devoviſſe, minus familiarem mihi praeſtant hominem, cetera fautorem artium bonarum inſignem ſane. *Nedercaſſelium* iſtum, quem tu *reverendiſſimum* recte nuncupabas, jam quis ſit, tuo beneficio ſum edoctus. Ignoſce vero aequus, mi Graevi, ſtupori huic noſtro atque ignorantiae. cum adeo recte nos Batavi a vobis obſideamur, ut nuntiis iſtis Apoſtolicis aditum vix ipſa fama ad nos indulgeat. Ipſe etiam Princeps Paderbornenſis negabat hominem ſeſe noviſſe, quo levius inſcitiae meae tu iraſcaris velim. Interim auctor ſum tibi, ut ſi quid curatum velis ad nos in poſterum, Sileni potius vectorem quemcumque advoces ad partes, quam nuntios Apoſtolicos illos, plane teſtudineo gradu procedentes. Si *Torkio* Monaſterii faſciculus fuiſſet traditus, aut alteri cuiquam ex Principis neceſſariis, quos habet illic plurimos, non incuſaſſem medius fidius ſuſpectam Apoſtolici illius nuntii fidem. Ego, qui pro nuntio Apoſtolico me venditavi aut geſſi nunquam, & cui cum pedibus ſic convenit, ut pejus vix poſſit, Achilles tamen fuiſſem cum hoc Apoſtolico comparatus nuntio, ſi mihi curam iſtius libri ad Principem perferendi crediidiſſes; metuo equidem, ne vacillet apud nos voſque fides Apoſtolica, ſi tam lentis pedibus inniti perget, & nun-

nuntiis uti, Plautini Soſiae, quam Mercurii, alati illius Dei, ſimilioribus. Laudo interim modeſtiam viri, qui pro nuntio ſe palam non gerat, ſed tibi in aurem quidquid illuſtrium id genus titulorum poſſidet, concrediderit. Si me audit, non quidem Romam revertetur, unde male feriatum extulit magno noſtro cum malo pedem, ſed [1] Cretam recta contendet, ut a 1. Lada feſtinare curſum diſcat aliquanto inpenſius. Eſto equidem ille vir multis animi ornamentis inſtructus (nam credo hîc tibi,) dum ne aut fidem ejus, aut pedes in majus extollas, ſi vis me in caſtra tua tranſire. Sed omiſſa jocandi licentia, quia non ingrata habuiſti, quae ad Suetonium tuum annotavi, doceas me, rogo, an lib. IV. cap. 10. hiſtoriarum Taciti quod legitur, *proditor corruptorque amici*, id ipſum aliae quoque editiones agnoſcant; cum veriſimile vix videatur, a tot hominibus doctis non animadverſum ſcribi oportere, *correptorque amici: corripere* enim Tacito eſt, deferre, accuſare in Senatu. idque rei geſtae congruit, cujus & apud Juvenalem Satyr. IV. 8. mentio, apud quem loco vexatiſſimo pariter caſtigandum, *Nemo malus felix, minime correptor, & idem Inceſtus*, ubi perperam editi & ſcripti *corruptor.* Sed libri non ſunt in promtu. Vale, amicorum praeſtantiſſime cum tuis, & me ama. Moguntiae 1672. a. d. 6. Novemb. Nummos a Principe deſtinatos tibi non reſignabo, niſi teſtes adſint, qui numerum juxta mecum arbitrentur. Coloniae fortaſſis *Spanhemio* praeſente id fiet, ſi itinera minus tuta videbuntur. Iterum, Iterumque vale.

1 Reſpicit hîc Heinſius *Ladam* illum, a Catullo memoratum, carm. LVI. Sed male videtur Cretenſem facere. Ita enim Catullus.

Non cuſtos ſi ego fingar ille Cretum;
Non Ladas ſi ego, pennipeſve Perſeus. &c.

Ubi *cuſtos ille Cretum*, diverſus a *Lada* eſt. Non vero Daedalus, ut perperam plerique interpretes, ſed *Talus*, ut recte *Voſſius* & diu ante eum *Meurſius* notavit, de Creta lib. IV. cap. 14. intelligi debet. reliqua de *Lada* collegit *Raderus* ad Martial. X. Ep. 100.

EPISTOLA CX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Francofurtum.

Litteras, quas ante has tres hebdomades per *Elzevirium* ad te miſi, nec non quas praeterita hebdomade curavi ad *Spanhemium* Coloniam, nullus dubito quin acceperis, ex iiſque intellexeris officium in me accuſari non poſſe. Nunc quidem quod ſcriberem nihil erat. Tuas expecto cupidiſſime, ut, ſimul ac didicero, quae de litteris Celſiſſimi Principis doceri velim, gratiarum munus Heroi perſolvam. De argento rectiuſne permutetur, an perferatur ad nos, tuum conſilium eſt, cui res meae aeque cordi ſunt ac tuae, quod exploratiſſimum habeo. De tuo itinere, num propediem ad Batavos ſis reverſurus, an vero Francofurti aut Coloniae hac hyeme ſubſidere decreris, nec non quo loco tua va-

valetudo ſit, certior fieri vehementer deſidero. O dies, quando illuceſces, quo mihi licebit in tuum deſideratiſſimum complexum venire! O pax, quando mihi haec gaudia repraeſentabis? Ejus ſpem nunc faciunt noſtri hoſpites, ſed tui cives ab illa videntur alieniore animo eſſe. Faxit Deus, ne triſtiora fata maneant eos, ſi frigus acrius aquas conſtrinxerit, neve nimia virium auxiliorumve fiducia eos perdat. Conditionibus res inclinatae ſunt reſtituendae, armis vix video ut recreari poſſint, niſi quid ἀπὸ μηχανῆς: Triginta navium claſſis dicitur a tuis popularibus deducta eſſe, quo conſilio & eventu dies docebit. Me invitare Palatinum Electorem ad humanitatem docendam in Academia Heidelbergenſi ex nuperrimis meis, quas *Spanhemio* commiſi, cognoviſti. Si quae ſpes hîc eſt rebus communibus, intelligis per te ipſe, quae mihi ſtet ſententia. Sin, quod deus avertat, haec mala fixa ſunt, praeſtat quovis gentium abire, ubi nec Pelopidarum nomen, quam hîc perpetuis conflictari miſeriis, exhauſto aerario, vectigalibus perditis, ſtipendio nullo. Tui conſilii copiam, quae mihi pro tuo erga me ſtudio deeſſe non poteſt, utinam facere nunc velis. Omnia facilius potero ferre, quaecunque fatorum neceſſitas impoſuerit, quam hoc noſtrum diſcidium, ſi tam longe a tua conſuetudine & complexu dimovear, quo nihil mihi in rebus humanis gratius eſt & jucundius. Tui carminis de medicatis fontibus Paderbornenſibus vide ut aliud ad me perferatur exemplum, hoc amici abſtulerunt. Eram tecum de nonnullis Ciceronis locis acturus, ſed differam in aliud tempus, cum tuum reſponſum nactus fuero. Quae *Capellanus* optimus de te nuperrime ad me ſcripſerit habes in iis, quas *Spanhemius* tibi reddet. A *Cupero* litteras accepi, qui *Perizonium*, Theologiae doctorem celebrem & eruditum, mihique amiciſſimum, Daventriae diem ſuum obiiſſe narrat. Sic funera funeribus cumulantur. Pauciſque annis fere omnes amiſi, quos litterarum ſtudium mihi junxerat. Deus te ſervet, qui mihi es inſtar omnium. Trajecti ad Rhenum a. d. XVI. Novemb. CIↃIↃCLXXII. Gregor. De nummorum ſumma nullus dubito, quin brevi ſim ex te intellecturus, quod a te in meis prioribus petii. *Cuperus* nunc eſt in Luciano emendando.

EPISTOLA CXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DIes agitur decimus, ſi recordor probe, quando poſtremum te per literas compellavi, vir amiciſſime. Nunc ad me perferuntur nobiliſſimi *Spanhemii* beneficio tuae, quas illi curandas nuper admodum permiſiſti. iis e veſtigio reſpondendum duxi, non quod ſint in promtu, quae nuperis meis ſuperaddam, ſed ut eliciam abs te nonnihil, cujus compellationes quo frequentiores obtingunt mihi, eo plus voluptatis ferunt. In candorem animi tuum, eam-

eamque, qua me complecteris jampridem ſingulari prorſus, benevolentiam cum plurimum permittam mihi, auſus ſum ultimis meis nonnulla liberius effutire, in reverendiſſimum nuntii illius Apoſtolici caput, cui tu, tanquam fidei articulos, Suetonii tui exemplaria in Germaniam perferenda tradidiſti. Sed adeo libri iſti poſt tantum temporis intervalium non comparent, ut mirum ſit, ni praepoſtero itinere Romam ſeſe contulerit, cum in Germaniam deberet, tuus ille Suetonius, atque illic aut in Collegio de propaganda fide, aut in indice expurgatorio vapulet pro meritis ac defricetur, cui ego mehercules tergum meum vicarium non praeſtabo. Nimium certe meminiſſe mihi viſus eſt Apoſtolicus ille nuntius (tuum enim non appellabo, Suetonianum multo minus) haereticis fidem praeſtari haudquaqam oportere, adeo ille Caeſaribus Romanis non dedit, quae erant Caeſarum, nec tibi, quae erant tua. Caeterum poſtremae meae jam te docuiſſe potuerunt objectum me praeter expectationem militi male feriato, nec ſtudiis vacare poſſe, nec valetudini. Cras tamen cum illi vaſa jam colligant, ad thermas vicinas excurram, crure tenus iis immergendus, unde ſi celeripes emerſero, vae illi nuntio, qui ni in poſterum clitellas ſuas excutiat, ſcazonte non uno erit ſtimulandus ac fulciendus. Sed heus! unde frigus illud repentinum, quo arma Gallicana nunc adſtringuntur? Qui tanto impetu nobis fugientibus inſultabant nuper, cur inſultantes fugiunt! ſi pergent a ſemet ipſis deſciſcere, jam habeo, qui Petronianum locum de Gallicanae hyemis intenſo frigore interpretentur, ipſos nimirum Gallos hieme Gallicana frigidiores. De nummis tuis quod addam non habeo, praeter id unum, me reſignatos illos non cupere, niſi vel *Spanhemio*, vel alio quocumque ex amicis communibus praeſente, cujus eos fidei ſuſpiciendos committam. De Cornelio Nepote *Vorſtii* recte omnino mones. Eſt enim editus is liber Lipſiae, non Berolini, & tamen ille, qui Valerium Maximum nuper dedit, ſi recordor bene, indicem Cornelii Nepotis a ſe locupletatum laudat. Opus *Lambecianum* de bibliotheca Caeſarea excreſcet, ut audio, in tomos XXIV. cujus volumina V. jam prodierunt. in bibliothecis excutiendis nihil ferme emolumenti ad me redundavit. Sed nec *Leibnizium* apud Moguntinos inveni. Inveni *Ericum Mauritium* Spirae, hominem prorſus officioſum, & in paucis eruditum. Si in thermis moram traxero, agam tecum propediem non de locis tantum, quos ex Culice & Ciri excutiendos mihi proponis, ſed de aliis quoque: nam nunc feſtino. Ad optimum *Capellanum* cum ſcribes, de cultus mei conſtantia per te certior fiat vir ille, quem in oculis & in pectore aſſiduus indivulſum circumfero. Vale, Graevi mellitiſſime, & tuis beare me, ſed frequentibus, in poſterum perge. Mogunt: a. d. XIII. Novembr. Scripturum ſeſe tibi ac gratias acturum pro Suetonio promiſit *Princeps Paderbornenſis*, quando ego de repetendo lare paterno eſſem cogitaturus. Videbatur autem velle, ut ad ſeſe recurrerem; ſin minus, inſtituti mei ignarum ſeſe ne paterer eſſe flagitabat, quo literae illae aut Coloniam, aut alio quocunque tempeſtive ad me perferri poſſent. Cum in eo ero, ut feſtinem domum, audebo Principem admonere promiſſi. Hoc volebam neſcius ne eſſes. Elegiae etiam meae

 exem-

exemplar non unum tibi ſervatur: quod ex loco proximiore propediem feras. Iterum vale.

EPISTOLA CXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

RErum tuarum ſtatus, mi Graevi, valde ſollicitum me habet, quas & meliore loco videre vehementer exopto, nec tamen imponi iis neceſſitatem emigrandi alio, cum ſis praecipuum, unicum ferme dixeram, artium apud nos bonarum ornamentum: quae ſi praeſidio tuo hac tam calamitoſa tempeſtate privantur, vix video quî ſeſe tueri poſſint adverſus atrocem barbariae incumbentis vi tota aſſultum. Qua propter, ſi unquam, nunc certe ſalubribus conſiliis fluctuantem fulcire pervelim, & animo dejectum erigere, mihimet ipſi immane quantum hoc officio gratificaturus, cui fore peracerbum praeſentio, ſi tua conſuetudine, capitis amabiliſſimi, & in cujus ego ſinum cogitationes meas liberrime effundo, etſi ineptus & nugax ſic ſatis confabulator quandoque, ſit carendum in vicinia. Heidelbergae ex *Ludovico Fabritio* jam eram edoctus agitari conſilia a Sereniſſimo Electore de te in Academiam ſuam evocando, priuſquam tuae mox ſupervenientes litterae id ipſum quoque nuntîaverunt. Properato igitur epiſtolio auctor tibi fui, quantum recordor, ne temet praecipitares in illices iſtos ac blandientes laqueos, ſed reſponſum traheres procraſtinando, non quidem belli hujuſce eventum praeſtolaturus, ſed anni jam exſpirantis decurſum. Poſſe enim maximas rerum mutationes adfulgere propediem, armis Gallicanis poſt mirificos ſucceſſus nutantibus quodammodo, atque interim numero illorum, qui nimiae victoris potentiae occurrendum mature reantur, magis magiſque in diem accreſcente. Cujus argumenti complura poſſem ſubtexere, ſi tutum id arbitrarer. Quod ſi in proximam aeſtatem proferentur arma, quae vos graviſſimum in modum nunc premunt, vix erit, ut illorum praeſtet immunem ſeſe is, in cujus ſinum meditaris fugam; irritato Caeſare reliquiſque foederatis haud leviter, ſi rumori credimus, ob pacta cum imperii Romani hoſtibus clam inita. Eaque propter jam nunc me inexſpectante Manhemium ſe ſubduxit Heidelberga Princeps, diffiſus viribus loci illius! quid ſi tota tempeſtas bellica Palatinatum invadat? omnia aperta illic ac patentia militari incurſui, ſi unum alterumque oppidum excipiuntur: Praeter Manhemium certe Franckendaliamque nihil illic, quod aſſultum qualemcunque ſubſtineat in dies pauciſſimos. Haec brevius jam ante tibi ob oculos poſita a me, denuo nunc iteranda duxi, ut cunctando potius tibi conſulas, quam feſtinanter amplectendo, atque inconſiderate, cujus te ſero poenitere, quod nolim, poſſit. Munus Furſtenbergium tui quod juris nondum eſt factum, permoleſte equidem me habet. Auguror tamen fore, ut ante Januarias Kalendas de reditu in patriam

patriam a me cogitetur. Tuas ſi aliquando tempeſtivius accepiſſem, quae teſtantur non ingratum tibi fore, ſi pro nummis ipſis parem pecuniae ſummam per negotiatores noſtros annumerandam tibi curem, jam deſideriis tuis ſubſcriptum a me eſſet. Francofurti enim, dum haerebam, fieri id oportuerat, ubi & arbitros ex noſtratibus nonnullos advocaſſe poteram, qui munus obſignatum inſpecturo mihi adfuiſſent, de nummorum numero teſtimonio perhibituri. Sed Francofurto Moguntiam jam eram profectus, cum tuae mihi tradebantur: nec quaeſitum illic *Leibnitium* inveni, aut alios quoſcunque, in partem negotii hujuſce adhibendos ex numero aut familiarium tuorum, aut meorum popularium. Coloniam ſi iter hinc fecero, eſt illic *Spanhemius* noſter, huic a me rei deſtinatus. Sin iter iſtud minus opportunum videbitur, aut ſecurum, Francofurtum recurram: ubi ſpes tuas potero implere. Nam ſine arbitris ut reſignetur a me faſciculus, haudquaquam obtinebis. Interim ne magnos illic theſauros latere opineris, aut Croeſi divitias, omnia modica proponas tibi ſuadeo. Si Florenos ccc noſtrates munus exaequet, eſt quod tibi gratulere. Et haec quidem hactenus. Index Cornelio Nepoti nuper attextus, quem tu alterum, neſcio quem, *Vorſtium* auctorem prae ſe ferre contendebas, eſt ejuſdem *Vorſtii* labor, qui Valerium Maximum & Sulpicium Severum nobis dedit. Ne dubites, laudat in praefatione indicis commentarium de Latinitate falſo ſuſpecta, ut ſuum. Sed & in animadverſis ad Valerium auctorem ſeſe indicis illius profitetur. *Capellano* & *Cupero* cum ſcribes, & hunc & illum de conſtantia affectus mei ſecuros redde. *Cuperus* in Apotheoſi Homerica illuſtranda conatus ſuos exercere quidnam intermiſit? Rogaveram per litteras *Falconerium* id inſtitutum ope ſua ne fovere gravaretur; ſed reſponſi nihil ab illo ad me perlatum eſt. Nunc audio *Falconerium* ipſum dignitate internuntii ex aula Romana ablegatum Bruxellis propediem exſpectari. Habebit itaque collegam tuus *Nedercaſſelius*, ſed ut ſpero, minus ſupinum in demerendis amicis. Quamquam iſti nuntii Apoſtolici altum nimis mihi videntur ſperare, atque adeo toti eſſe in contemplatione rerum ſublimium, ut terrena haec ſtudia noſtra tanquam humilia prae ſuis iſtis negligant ac contemnant: uti magno ſuo cum malo Suetonius tuus nuper admodum eſt expertus. Proinde, mi Graevi, ſi quid tuarum rerum diligenter in poſterum fideliterque voles curatum, minorum gentium nuntios adhibeto. Apoſtolicis iſtis an Romani carere poſſint, ipſi viderint: nos, puto, carere poſſumus. De Ponte Argentinenſi, a Gallis exuſto, jam rumores inaudiviſti credo. Hoccine facinus illorum, qui ſe Pontificiae religioni ſacramentum dixiſſe prae ſe ferunt? ſi ſic pergent odioſos ſe praebere etiam iis, a quibus laeſi non ſunt, vae pontibus pontificibuſque! Sed ut omiſſis pontifragis foedifragiſque ad Muſas noſtras revertamur, Francofurtum adveniens ante hos duos menſes, *Boeclerum*, quem in vivis credebam adhuc eſſe, conveni per litteras, nec tamen prorſus id mihi periiſſe officium poſtea intellexi, etſi de exceſſu ejus factus per amicos certior. Reſcripſit enim ad eas litteras elegantem oppido atque perhumanum in modum *Ulricus Obrechtus*, qui ſeſe generum fert τοῦ μακαρείτου, ſpemque fecit, ſibi curae fore, ut quae a

ſocero ſuo mihi pollicebar, ſua opera nanciſcar excerpta codicis catalectorum Virgilianorum, quem Baſileae in bibliotheca publica vidiſſe me recordor, recentem quidem atque in charta exaratum, hoc tamen nomine non aſpernandum, quod & Cirin & alia nonnulla complectitur, quorum nec *Scaligero*, nec mihi ullae ſe membranae obtulerunt. Nam Culicis codices pervetuſtos inveniri, etſi rariores quoque illos, minime te fugit. In quo poëmatio complura caſtigavi, pauciora in Ciri, exemplaribus antiquis deſtitutus. Succurrit tamen ad utrumque locum abs te mihi propoſitum annotaſſe me nonnihil, quale tamen id ſit haud equidem recordor. Scies, cum domum ero reverſus, in Culice membranas exhibere *ſubſideris aeſtu* & *ſubſiderit*, uti & priſcas editiones, redeo in memoriam. in Ciri pro *novis avium coetibus* reponi poſſe *leves coetus* opinor. Sed ne indonatus interim a me abeas, en locum in eadem Ciri, quem magnus *Scaliger*, *Barthius*, *Reineſius*, parum feliciter tentarunt. Ac hujus quidem epiſtolas, credo, habes ad *Daumium* ſcriptas. quarum pagina 333 locus expenditur

Omnia me potius digna atque indigna laborum
Millia viſuram, quam te tam triſtibus iſtis
Sordibus & ſcoria patiar tabeſcere tali.

Pudet me profecto inſignium eruditione virorum, qui tamquam ex compacto nihil hîc loci agunt, reponentes *ſcabie*, *carie*, *foria:* cum Lucilio illis rem eſſe diceres. At quanto ſimplicius & ipſo poematii nitore dignius dediſſent, *& cura. cura* pro amore. apud ipſum divinum Poëtam, *curae non ipſa in morte relinquunt. Tum regina gravi jam dudum ſaucia cura.* Nihil magis obvium apud Poëtas. *tabeſcere cura* ut apud Naſonem Triſt. v. Eleg. I. *Nolumus aſſiduis animum tabeſcere curis.* Sed ſunt & alia, quae me morentur ac offendant in iſtis verſibus a ſummis hominibus haud deprehenſa. nam iſta *omnia laborum millia* quam frigent: deinde & *viſuram* languidiuſculum eſt. experturam voluiſſe nutrix aut tentaturam, non ſpectaturam. uti primo quidem illud *milia*, ſic enim ſcribebant Veteres, quantilli ſit negotii, ſi mutetur in *filia. filiae* vocabantur a nutricibus alumnae, & nutrices ab hiſce *matres.* quorum plenae ſunt tragoediae, qua Graecae, qua Latinae. apud Naſonem. Met. x. diu eſt, quod ex membranis vetuſtioribus caſtigabam in fabula Myrrhae id ipſum, ubi Nutrix ad alumnam:

Atque ita complectens infirmis, Nata, lacertis,
Senſimus, inquit, amas: ubi antea legebatur, *infirmis membra lacertis.*

Videtur vetus ſcriptura fuiſſe, *Filiaturam*, cum geminari debuiſſent poſteriores litterae in *filia*, *Filia laturam.* poſſes & *paſſuram.* Tale certe quod deſideratur.

Omnia me potius digna atque indigna laborum,
Filia, laturam: quam te tam triſtibus iſtis
Sordibus, & cura patiar tabeſcere tali.

triſtes ſordes pro triſtitia. Sunt enim & moerentibus ſuae ſordes, uti reis: vide *Reineſium*, & mirare *foricarias nugas.* Vir ille cetera ſummus conſenuit in tractan-

ctandis medii infimique aevi ſcriptoribus; quae ſordes adeo illi adhaeſere, ut ad nitorem elegantium auctorum capiendum vix potuerit aſſurgere. Video in iis epiſtolis frequenter me laudari, & quidem ſupra meritum, nonnunquam & reprehendi. Neſcio autem, quid ſibi *Daumius* velit, dum dicam mihi dicit, quod Epigramma Claudiani, quo Chriſtianos ludibrio videtur habere, ad Jacobum Magiſtrum equitum, non expunxerim. An expungerem ego, quod omnes ante meam editiones praeferebant, quod in ſcriptis exemplaribus ad unum omnibus, quotquot quidem Idyllia & epigrammata Claudiani exhibeant, agnoſcunt? quod denique ipſius Claudiani genuinum cenſebam? infenſum enim Chriſtianis fuiſſe ex Auguſtino, Oroſio, aliis antiquorum diſcimus. At exſtant & Chriſtiani argumenti nonnulla ſub ejus nomine. Eſto. Nondum enim liquet nobis genuina illa eſſe. Quamquam quid vetat, Claudianum ſub extremam aetatem Chriſtianiſmo ſe addixiſſe. Vivo enim adhuc Claudiano Auguſtinus & Oroſius ejus tamquam ethnici pervicacis meminere. Sed profecto *Daumius* in multis cavillatur, quo nomine non ſemel vapulat *Reineſio* haud immeritus. Dedi litteras ad illum Francofurto benevolentiae teſtes, quas tamen an acceperit, haud ſcio. Lipſiam illae recta ſunt curatae; qua in civitate niſi ſedem figit, perierint puto. Nam a Barone *Friſio*, ad quem ſub eandem tempeſtatem ſcribebam, jam reſponſum habui. De Tacito proxime agemus, cujus vetuſtum codicem apud amicum vidi, & propediem exſpecto, qui *Rudolphi Agricolae* fuerat. Elegiam meam de medicato fonte Driburgico locis nonnullis ad ſecundas curas revocatam accipies a me ex vicinia, cum ad meos ero reverſus. Libellos, quos recenſes, *Sagittarii* de Ciceronis interpretibus, Juſtinum *Ruperti*, *Vorſtii* de Latinitate vulgo neglecta nondum vidi, nec ſcirem [1] prodiiſſe in publicum, niſi tu moneres. In officinis bibliopolarum Francofurtenſium ſummam bonorum librorum eſſe penuriam jam puto ſignificavi. *Reineſii* nihil illic repertum mihi praeter epiſtolas ad *Daumium* & ad *Neſteros* ſcriptas. Audio & prodiiſſe ſcriptas ad *Vorſtium* & *Hofmannum*, de quibus tu me doce. *Lambecii* de bibliotheca Caeſarea tomos v. me opinor vidiſſe. *Lotichius* jam pridem abiit ad plures. Vale, Graevi jucundiſſime, & adverſis animum fortem ac te dignum oppone. Wisbadae in agro Moguntino. CIƆIƆCLXXII. a.d.x. Decemb. Greg.

P. S. In Ciri verius eſt, ſcribi oportere *Filia verſuram*, pro *verſaturam*. ſic apud Valerium Flaccum initio Lib. VII. *Vertere tunc varios per longa inſomnia queſtus. ſtimulos ſub pectore vertit Apollo* Aeneidos VI. *Cora* pro *cura* in veterrimis membranis apud alios ſcriptores exaratum non ſemel offendi.

1 Neque etiam tunc prodiit: promittit illum *Vorſtius* ad Valer. Max. I. I. 14. Sed nunc demum ante paucos annos, Berolini edidit *Chriſt. Frider. Bodenburg.* Gymnaſii Berolinenſis rector Anno 1718. titulo, *de Latinitate ſelecta & vulgo fere neglecta.*

EPISTOLA CXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TAbeſcebam deſiderio tuarum litterarum, non ſolum hoc nomine, quod illae moleſtias, quae concoquendae ſunt, minuunt; ſed & quod me ſollicitum haberet tuum iter, quod moliris hyberno ſydere, non confirmata plane valetudine, viis omnibus infeſſis a latronibus & hoſtilibus copiis. Vide, quaeſo, etiam atque etiam, ne tam carum Muſis caput periculis objicias praeſentiſſimis. Noli te viae dare, niſi exploratum habueris, te tuto eam & ſine injuria affectare poſſe. Ex iis, quas ad te dedi non unas, video tantum illas, quas Paderbornam miſi, tibi redditas eſſe, cum tuas noviſſimas, quas accepi, ſcriberes. Scriptae vero ſunt a.d. XVI. Novembris Gregoriani anni. Sed ſpero & quas poſt illud tempus exaravi, minimum tres, ad te perlatas eſſe, praeſertim quas per *Spanhemium* curavi. De negotio Heidelbergenſi tuum conſilium plenum fidei, amoris, & prudentiae, probo ſummopere. Ab eo mea non diſcrepat ſententia. Non rejeci quidem in litteris ad *Spanhemium* ante menſem datis Sereniſſimi Electoris invitationem, aut potius invitandi voluntatem, illamque mihi longe gratiſſimam eſſe ſum teſtatus, nondum enim invitabar, ſed de hac re deliberandi ſpatium petii, quoniam quo hoc bellum erupturum ſit ignoramus, videaturque id illi tractui ad Rhenum impendere. Quomodo hoc reſponſum accepturi ſint Heidelbergae aveo cognoſcere. Mihi quidem ſedet hinc non movere, quamdiu iſthic pati potero. Sed vereor ut, ſi pax hac hyeme non fiat, collationibus, quae imperantur, pendendis tuendaeque familiae ſimus futuri pares, fraudati omni ſtipendio. Ideo deliberando, ſi potero, menſem unum atque alterum eximam, donec licuerit videre, num haec atrox tempeſtas hîc ſit deſaevitura, an vero terras in alias ſe latura. Sane ſi hîc bellum ducetur, praeſtabit quemvis nidulum alibi locorum quaerere, quam hîc omnium rerum penuria confici. Fertur nunc induciarum paciſque ſpes affulgere, ſi hoſpitibus noſtris fides. ſed vicini ab illa, ut audio, abhorrent. Verum haec tibi in aurem. Recipio ſpondeoque me nihil, niſi de tui conſilii ſententia, facturum. Nolim omnem adventus mei ſpem praecidas Palatinis, ſi in quos incideris. Bibliothecas illius plagae non reſpondere tuae, quam de iis conceperas, opinioni credo equidem. Veterum membranarum apud iſtos homines vilis eſt annona. Miror tamen te Fuldenſem bibliothecam, quae omnium habita eſt praeſtantiſſima, & antiquiſſimis libris fuit referta, non excuſſiſſe in tanta vicinia. quamvis metuendum ſit, ut & ea ſit deflorata. De Ciceronis libris, quos in Spirenſi bibliotheca vidiſti, agam propediem cum amico, qui in illa urbe degit. Ovidiani Faſti, quos *Modius* evolvit, olim apud ſodales Laurentianos extabant Coloniae: ſed ante annos aliquot eorum

eorum magiſter mihi affirmavit, codicem illum a ſe non poſſe reperiri. Ipſam tamen bibliothecam tum mihi perluſtrare non licuit, neſcio quas ob cauſſas, quas praetexebat. Nec cathedralis, ut vocant, Eccleſiae bibliothecae inſpiciendae poteſtas dum mihi facta eſt, in qua Quintiliani & Ciceronis orationum pervetuſtum codicem aſſervari audio. Expecto quid ſentias de duabus emendationibus Virgilianis, de quibus tecum egi in epiſtola, quam ad *Spanhemium* miſi, Francofurtum deportanda, ſi te Coloniae non deprehenderet. Cum hiſce diebus apud tuum Naſonem legerem epiſtolam Penelopes, vitium mihi haerere videbatur in illo diſticho:

Reſpice Laërten, ut jam ſua lumina condas:
Extremum fati ſuſtinet ille diem.

Legendum vero diſtinguendumque puto:

Reſpice Laërten, ut tu ſua lumina condas
Extremum fati ſuſtinet ille diem.

Laërtes te expectat, & fata quaſi moratur, ut ejus oculos claudas. *Gronovianam* Taciti editionem nondum, quae noſtra nunc eſt infelicitas, vidi. Hinc locum iſtum, de quo ſcribis, invenire non potui. Nullus autem dubito quin recte a te ſit emendatus. Sed in Juvenalis verſu non auſim tibi ſubſcribere. *Corruptores* enim dicebantur alienorum matrimoniorum ſubſeſſores, quod tu non ignoras. Ille noſter nuntium Apoſtolicum palam agit, ſed non Epiſcopum Ultrajectinum. Si duo iſta Suetonii exemplaria ne nunc quidem pervenerunt ad Celſiſſimum *Principem Paderbornenſem*, alia, quamprimum dabitur occaſio, ſubmittam. Pudet mei, cum nondum gratiarum officio functus ſum apud illum Heroëm. Sed illius epiſtolae, cujus ſpem faciebas, expectatio me retinet. De nummis conſilium tuum eſt, ſive tecum eos ferre volueris, ſive permutatione Amſterodamum curare, quod mihi in tanta latrociniorum licentia tutiſſimum videbatur, ne corriperentur ab iis, ad quos minime pertinebant. Sed tu agito quicquid e re noſtra tibi videbitur eſſe. Id unum mirabar, te ſine arbitris eos nolle reſignare. Tune potuiſti in animum tuum inducere, me hominem eſſe tam ſuſpicacem, qui tuam fidem in dubium vocet & integritatem. Indignabar cum haec legerem. Neſcis quanti apud me ſis, qui non ſolum tuam eruditionem admiror, & in coelum fero, ſed & tuam probitatem ſuſpicio, qui te unum eſſe illorum antiquorum hominum exiſtimem, cum quo in tenebris micare liceat: qui uni tibi, hoc quicquid lucelli eſt, acceptum fero. Videris injurius fuiſſe in noſtram amicitiam. Sed verbum non addo, cum forte ipſe nimia cautione in prioribus litteris meis hunc ſcrupulum injecerim tibi, maleque de meo in te animo ſuſpicandi anſam praebuerim. Tu quicquid egeris mihi probabitur. Vale, o & praeſidium & dulce decus meum. Trajecti ad Rhenum a. d. XVI. Decemb. CIƆIƆCLXXII. Carminis tui in laudes fontis medicati aliud exemplum peto, cum hoc abſtulerint amici. Francofurti degit *Spehnerus* verbi divini praeco, cujus doctrinam multi mihi laudarunt amici. Lugduni Batavorum mortuus eſt celebris Medicinae Profeſſor *Syl-*

Sylvius. Apud Horatium lib. II. Carm. I. non intelligo qui nam ſint illi *modi*, de quibus canit Poëta:

> *Motum ex Metello conſule civicum,*
> *Belliqueque cauſſas & vitia, & modos*
> *Ludumque fortunae.* & quae ſequuntur.

Hujus vocis in iſto loco intelligentiam tuam ut mihi oſtendas ſententiam rogo. Memini aliquando ex te audire complures Latinas voces oblitteratas, quas ex codicibus antiquis revocaſti in lucem; ſed eas fugitiva oblivio meae ſubduxit memoriae. Si quando per otium eae tibi ſuccurrunt, quaeſo te ut in chartam illas conjicias, mecumque communices. Iterum iterumque vale.

EPISTOLA CXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Francofurtum.

ANte hos tres dies litteras ad te dedi. Et has, & quas ante miſi unas atque alteras, verboſas omnes, recte ſpero ad te perlatas eſſe. Nunc quod ſcriberem vix erat, niſi me & a *Juſtello* & *Bullialdo* litteras accepiſſe. Hic de te: *Elegantiſſimo Heinſio valetudinem meliorem precor.* Ille ſignificat tertium tomum Hiſtoriae Eccleſiaſticae *Henrici Valeſii* edi, fratrem vero *Adrianum* in notitia Galliae concinnanda elaborare. Exitum belli putabamus appropinquare, ſed nunc audimus ſpem pacis evaneſcere. Carolinum Regium fertur obſideri. Me communium temporum reſpectus ſollicitum habet, & neſcio quî magis adverſos eventus metuam, quam ſecundos ſperem. Medicinam malorum nullam invenio, niſi in litterarum cultu, & tuis epiſtolis. Quamdiu his bonis mihi frui licuerit, deſperationem in conſilium non adhibeo. Fac, quaeſo, ut crebro de te ac tua valetudine certior fiam ex tuis litteris, ſi me ſalvum eſſe cupis. Noſtrae miſeriae indies ingraveſcunt. Deum veneror, ut pax aequis conditionibus redintegretur, utque incolumis nobis redeas, tecumque dearum optimam reducas, aut nos perimus. Vale, virorum & amicorum excellentiſſime. Noſtri omnes te ſalutant. Trajecti ad Rhenum a. d. x. Dec. CIƆIƆCLXXII.

EPI

EPISTOLA CXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PLurimum ſane moleſtiarum ac ſollicitudinis mihi demſerunt perlatae ad me heſterno die ſuaviſſimae tuae, mi Graevi: metuebam enim ne te ſubiratiorem experirer, certe ne fuiſſem gravis atque odioſus, dum Amicum illum tuum *Reverendiſſimum*, ut pro meritis fortaſſe, quia nequiter ac ſupine res tuas agentem, ſic tamen liberius juveniliuſque incurſo atque exagito, quam aut meae aetati conveniebat, aut tuis, ut nunc ſunt, fortunis. Caeterum, cum hoc me liberavit metu peramicum ac mire benignum epiſtolium tuum, auctor tibi ſum, atque adeo impulſor, ut toto nuntiorum grege juſſo valere, recta inpoſterum ad me eas, ubi apud exteros habebis, quae confici ſine praecraſtinatione oporteat. Nam etſi pedibus aeger debiliſque, ut noſti, Mercurios tamen hoſce barbatos multis paraſangis praeverto curſu: cum domi habeam non quidem Sphingem (haud enim magis ſum Oedipus, quam nuntius Apoſtolicus) ſed Pegaſum volatilem, cui mandes in poſterum licet, ac tuto concredas, quicquid curatum ubicumque terrarum voles. Scripturus proxime ad Principem, non intermittam percunctari an acceperit reliqua bina Suetonii exemplaria: ſi negabit ſe accepiſſe, poterit jactura per te reſarciri nova liberalitate. De negotio Heidelbergico non improbari tibi conſilium meum, eſt quod laeter. Egi de eodem iterata ſcriptione menſe, quantum recordari licet, Decembri. Nam in iis, quas ante hebdomadas quinas *Spanhemio* curandas permiſi, rem iſtam intactam praetermiſi, quarum tibi copiam nondum fuiſſe factam, cnm ultimas exarabas, equidem miror, ipſo etiam tacente *Spanhemio*, ut faſciculum intercidiſſe in via minimum abſit, quin perſuadear, ut credam. Idem *Spanhemius* offerebat primo, curaturum ſeſe, ſi vellem, ut diplomate Gallicano munirer, adverſus omnem latrocinii inſultum, Colonienſi via ad paternum larem rediturus. Poſtquam conditionem ſum amplexatus, mire diligentem in modum tacet. Niſi miſſae ſunt ab illo litterae, ut & alias factum, Moguntiam per *Boinebergium* curandae; cum ipſe *Boinebergius*, dum ego thermis Wisbadenſibus pedes adfectos immergo, ad plures abierit nuper admodum. Heidelbergae Sereniſſimum Electorem ſalutavi, ſed in tranſcurſu; Quod is ipſe eo die Manhemium profectionem inſtituebat, meque uti ſeſe comitarer, invitabat. Sed quia comites in via habiturus dicebatur Oratorem Gallicanum alioſque ex nobilitate gentis ejuſdem, mihi haud quaquam ignotos, ne calumniatores ſpargerent fortaſſe, me cum hoſtibus patriae quid clandeſtini conſilii eſſe molitum, haud e re mea ſum arbitratus parere Principalibus juſſis. quod ille in partem haud optimam mihi viſus eſt interpretari: ipſum ejus Capitolium a Senonibus, non, ut Romanum olim, obſeſſum, ſed vero inſeſ-

ſum penitus vidi & miratus ſum, iiſdem nempe ab hoſpitibus, qui de veſtro corio nunc ludunt. De te illuc evocando cogitari *Ludovicus Fabricius* ſignificavit mihi. Sed cum laute te haberi ab Ultrajectinis monuiſſem, ac percunctanti rationes ſtipendii aperuiſſem tui, videbatur haerere quodammodo ac dubitare, an ſummae iſti aequandae Princeps par eſſet. Si protrahentur in aeſtatem proximam bella, per occultos cuniculos effectum dari fortaſſe poſſit, ut clam Lugdunum inviteris, & poteris fruſtrari hoſpites tuos, ſi iter in Germaniam ad Paternum larem eſſe tibi inſtituendum prae te feras. Sed tota hac de re melius e vicinia. Nummorum tuorum onere incommodo me ſublevatum vehementer velim: ſi Francofurtum recurram, qua de re ante Februarias Kalendas proximas deliberati nonnihil ſtatuendum erit, facile invenietur via, qua uterque voti compotes reddamur. quod reſignare faſciculum nefas cenſeam, datum id a me non tam tibi, apud quem licere mihi plurimum non ignoro, quam ipſi Principi, cui reverentiam integram ac ſacroſanctam devovi. Jamque me conjeciſſem in pedes patriam repetiturus, niſi ſpes haud vana eſſet ſuborta, thermarum fomento debilitatem pedum permoleſtam, ſi non profligari penitus, in melius certe nonnihil converti poſſe. De *Spehnero* nihil inaudiveram. Vivis ereptum jam pridem *Lotichium*, ingenteſque ejus commentarios in Petronium ab haeredibus aſſervari ſignificatum a me tibi opinor. Elegiam meam in fontem Driburgicum medicatum accipies brevi ex propinquo a me, & quidem multis locis caſtigatiorem. Nam alteram illam de apibus noſtris rege viduatis *Elzevirium* me abſente typis deſcripſiſſe denuo, curis ſecundis a me paſſim emendatam, audio. De Bibliothecis Germanicis jam indicavi nullam a me viſam hactenus codicibus manu exaratis inſtructam, praeter Spirenſem unam, ut mirari ſubeat, *Janum Gruterum*, tot ſcriptoribus antiquis editis, nuſquam ejus tam vicinae meminiſſe. Uſum illorum codicum niſi procuret tibi nonnemo apud Epiſcopum, qui Electori Moguntino datus nuper eſt Coadjutor, ut vocant, vix impetraveris. Ego quidem illa in civitate homines eruditos vix inveni, praeter unum *Mauricium* elegantis ingenii virum, ſed tricis forenſibus mire diſtrictum. Fuldam ut excurrerem e re mea non fuit, perdifficili, ut ajunt, itinere, & a latronibus hac rerum facie paſſim infeſſo. Quid quod *Theodoricus Chriſtianus Plettenbergius*, Juvenis non ineruditus, ex Furſtenbergia Principis noſtri ſorore natus, habitaſſe ſeſe eo in oppido mihi aſſeveravit, nec quicquam veterum librorum in Abbatia ſupereſſe, etſi *Gudius* noſter contrarium mihi jam olim perſuaſum voluerit. De Erfurtanis codicibus Ciceronis, ut gratificaretur tibi, *Boinebergium* monebam Francofurti ante hoſce binos menſes, ſed frigidius reſpondebat, teſtatus te etiam per litteras eadem de re ſecum egiſſe. Sed vir ille, ut mihi eſt viſus, nihil praeter ſtudia politica tractabat, ceterorum aut oſor aut negligens. Ad amicos Gallicanos ſi ſcribis nonnunquam, velim illuſtriſſimo *Montoſerio* cures ſignificandum, me in angulo Germaniae remotioris conſtitutum accepiſſe litteras ejus omnibus officiis cumulatas; quas reſponſo ſuo fraudaturus non ſim, ad meos ubi revertar, propediem. Tum inquiras velim an Gloſſaria *Labbaei* proſtent typis de-

deſcripta, quae tot annos ſub praelo typographico haeſere. Certe proditura mox ea Catalogus nundinarum vernalium Francofurtanus ſpondebat proxime. Sed hoc autumno nihil librorum ex Galliis eo advectum. Revocaſſe me in jus civitatis Latinae complura vocabula, quae hîc illic in ſchedis meis latent diſperſa, verum eſt: *Salmaſiumque* ea in re videri mihi verſatum ſatis infeliciter plerumque, qui gloriatus ſit, ſe linguam Latinam trecentis & pluribus vocabulis adauxiſſe. Quale eſt, quod praefatione libri de Modo uſurarum atque alibi in Arnobio contendit reſtituendum ex vetuſto codice, de Veſta ubi agitur, ſi probe memini, *in penetralibus coliginis* pro vulgato *coeligenis*, idque ceu unionem quantivis pretii ambitioſe ſaepius oſtentat: mihi autem ſuborta aliquando ſuſpicio Arnobium reliquiſſe in *penetralibus Trojugenis* hoc eſt Trojanis. nam Trojanum numen Veſta. *Ignem Trojanum* vocat Lucanus.

Ignem Trojanum & Veſtam colit Alba minorem.

Hoc non intellexerunt boni Monachi, qui Arnobium nobis deſcripſerunt. In Horatio *modos* intelligebam, quibus bellum civicum iſtud ſit geſtum, ſed mihi ſine libris agenti nimium arrogem me hercules ego, ſi tanquam ex tripode ad quaeſtiones tuas eruditas reſpondeam. Locus Taciti de *correptore amici* eſt Hiſt. IV. cap. X. *Celer profeſſus ſapientiam, dein teſtis in Baream, proditor correptorque amici corripere* paſſim Tacito eſt, delationem inſtituere. Tangit hanc ipſam rem & Juvenalis alibi: *Stoicus occidit Baream, delator amicum, Diſcipulumque ſenex.* credidi in eadem narratione apud Juvenalem occurrere, *Nemo malus felix, minime corruptor:* itaque *correptor* reponebam, cum meminiſſem varie tentatum locum. ſed ſi de *Celere* non agit is locus, ipſe conjecturam damno. Vides quam familiariter tecum agam, qui nihil illorum premam, quae in buccam veniunt, dum confabulationi argumentum qualecunque praeſtetur. Litteras tuas, in quibus locum unum alterumque mihi ex Culice Maronis proponis enodandum, Moguntiae reliqui. Nec Virgilius eſt ad manum. illud *ſideris aeſtu* in editionibus nonnullis exhiberi reor. Hagam reverſus ſententiam meam ne ignores operam dabo. In Epiſtola Penelopes, quod reponis *tu* pro *jam*, optime ad ſenſum facit, ſed abit longius a vulgata lectione. Cogitabam aliquando exaratum primo fuiſſe, *ut janſia lumina claudas*, vel *condas*, nam utrumque eſt in ſcriptis: unde *jam ſua* promanarit: cum reponi debuiſſet *hiantia lumina*, & *hiare* hac ſignificatione Naſoni locis compluribus, Propertio, Statio, Tacito, aliis reſtitui. *iare* legitur paſſim ſine aſpiratione in vetuſtis exemplaribus: umbra Cynthiae apud Propertium. lib. IV.

At mihi non oculos quiſquam inclinavit hiantes. ubi nunc *euntes* perperam. Vellem plura ſubjungere, ſed jam epiſtolae limites exceſſi. De *Daumio* te nuper ſum percunctatus, an is Lipſiae ſedem fixerit. Habuit *Barthius* vetuſtam catalectorum editionem, quae multum a libris noſtris diſcrepabat. Hanc erui poſſe vehementer velim. Vale, mi jucundiſſime, Wisbadae in agro Moguntino CIↃIↃCLXXIII. VII. Janu. Gregor.

De *Jacobo Gronovio* ad ſucceſſionem cathedrae paternae Leidam evocato falſos eſſe rumores amici monent. *Schultingianarum* in Senecam patrem notarum

tarum exemplar fore, ut mihi ſeponeres, eras pollicitus jam pridem. Si promiſſi es oblitus, *Elzevirius* erit rogandus, ut tuas vices hîc praeſtet nobis.

EPISTOLA CXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ANte hoc octiduum verboſe ſic ſatis tecum agebam, Vir Clariſſime. Egeram & Novembris XXVII. die, miſſis ad *Ezechielem Spanhemium* litteris, quas tibi traditas jam pridem oportuit, uti & illas, quae die X. Decembris non minus copioſae a me ſunt exaratae, demandata illarum curarum ſparta noſtro *Elzevirio*. Si neutrae harum in manus tuas pervenere, penſare id qualecunque jacturae eſt, ſedulus conabor. Opinor enim a famulo utramque eſſe deſcriptam, etſi nihil complectebantur, praeter confabulatiunculas haud magnae rei, ſed quibus aurem non praebere fortaſſe malis alibi utilius occupatam. Hoc monendum duxi in anteceſſum, cum Laconico epiſtolio a. d. X. Decembris exarato teneri te deſiderio mearum impenſe teſteris. De rebus tuis privatis denuo ubertim poſtremis meis egi, ne nunc exſpectes, ut recoctam hanc cramben rurſus tibi apponam. Ego propediem hinc pedem movebo, Colonienſi, ut reor, via ad vos rediturus. Calamitas patriae noſtrae plurimum me adfligit, de qua nunquam cogito, cum cogitem tantum non aſſiduus, quin tu oculis meis animoque obverſeris. Vale, ſuaviſſime amicorum. Wisbadae in agro Moguntino. a. d. IV. Janu. Anni CIϽIϽCLXXIII. quem tibi mihique fortunatiorem precor illo, quem proxime damnoſiſſimum exegimus. Video *Lipſium* alioſque *Rudolphi Agricolae* obſervationes in Tacitum ad partes frequenter vocare; quaenam ſint illa obſervata doceas me velim, & ubi edita. quas illi conjecturas *Agricolae* eſſe opinantur, illae ſunt vetuſti codicis lectiones.

EPISTOLA CXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Francofurtum.

REſpiro, cum tuas video litteras. Nam quamvis animo non ſim infirmo & abjecto, quem dudum compoſui ad omnes injurias fortunae moderate ferendas, non poſſum tamen non florentiſſimae hujus reipublicae maximis calamitatibus, quae indies magis magiſque exacerbantur, dolere. Expectatione pacis ſuſtentor, quae ſola iſtis acerbitatibus mederi poteſt, & jacentem patriam recreare, cujus ineundae conſilia utinam ſuſciperent οἱ ἐν τέλει, ne funditus

perea-

pereamus. Armis ut expediri ſalus poſſit non video: haec niſi ponentur, poni autem poſſe conditionibus non iniquiſſimis multa ſunt quae fidem mihi faciunt, nihil nobis promitto, niſi propagationem miſerrimi temporis, & majorem malorum cumulum. Faxit deus, ut vanus vates ſim, & hoc metu defungamur. Tuis epiſtolis erigor & confirmor mirifice. Nam in tuo conſilio & prudentia, maxime vero in tuo amore ſunt mihi omnia. De Heidelbergenſibus rebus jam ante ſaepius tibi ſcripſi. Spero litteras illas tibi redditas eſſe, ex quibus cognoviſti, puto, meam rationem a tuo conſilio non diſcrepare. Scripſeram in eandem ſententiam *Spanhemio*, antequam primae tuae de hoc negotio ad me perferrentur, quod trahendum duco. Hinc enim me non commovebo, quamdiu durare poterimus, & nos tueri. Nihil poterit acerbius mihi accidere, quam ſi dulcia haec arva mihi eſſent linquenda, & praeſertim ſi tam longe removerer a te, quo nemo mihi carior eſt, & in cujus benevolentia & fide praecipuum praeſidium mihi poſitum eſſe decrevi. O deus ne diem illum videam! De munere Herois Paderbornenſis ad me perferendo quicquid ſtatueris mihi probabitur. Maximum quoque mihi erit, quicquid eſt, quod a tanto Principe datur. Tu modo, qui in ejus gratiam me poſuiſti, fac ne in ingrati animi ſuſpicionem incurram. Gratias autem quî ſapientiſſimo antiſtiti poſſim agere non video, ante quam ejus epiſtolam, cujus olim ſpem feciſti, & quae omni auro mihi carior erit, habuero. De *Falconerii* dignitate quae narras tanto me gaudio affecerunt, quantum me ex ulla re aut nuncio in tanta rerum perturbatione capere potuiſſe nunquam mihi paſſus eſſem perſuaderi. Nam a multis annis ingenium ejus admiror, amoque unice. Jampridem Suetonium & ipſe & alii amici Florentini haberent, ſi per hanc belli tempeſtatem ullum potuiſſet efferri: ne Pariſios quidem, quod mireris, mittendi quibus volebam facultatem potui adhuc invenire. Commiſi quidem nobili cuidam ſuperiore aeſtate tria exemplaria Illuſtriſſimo Duci *Montoſerio* (cui plurimum debeo, quod paucos ante dies denuo ille duci *Luxemburgio* me commendaverit,) tradenda, ſed is in itinere deceſſit, libri vero perierunt. Quamprimum maria, fluvii, itinera nobis aperientur, ne officium meum deſiderari aut accuſari poſſit operam dabo. Te quaeſo, ut *Falconerium*, ſi quando ei ſcripſeris, mei erga eum ſtudii voluntatiſque certum eſſe jubeas. *Boecleri* gratulor manibus de tam elegante genero, quem ex tuis litteris cognovi. *Capellanus* & *Cuperus*, quae per me tibi ſignificari juſſerint inferius ſubjeci. Iſtius *Vorſtii* indicem Cornelianum nunquam vidi, quem vero videre olim memini, alterius, credo, *Vorſtii* erat, & non magnae rei. Nec Sulpitium Severum, nec Valerium Maximum *Vorſtii* illius potui nanciſci. Nec mirum: his mercibus enim hîc nullum nunc pretium, ſed bellorum apparatui. In Ciri Virgiliana, *cura patiar tabeſcere tali*, nihil pulchrius, nihil certius potuit excogitari. εὕρηκας, εὕρηκας. εὖγε, σοφῶς. altera quoque emendatione *filia verſuram* nihil ingenioſius, quanquam tam veram eam praeſtare non auſim, quam priorem. Vulgata ſane ſcriptura: *millia viſuram* ferri non poteſt. Locum Taciti tandem inveni. nullus interpretum, quos ego vidi, tuam emendationem occupavit. Recte autem te

vidiſſe ſcribendum eſſe *correptor* pro *corruptor* cenſeo. In eodem libro Hiſtor capite 64. legitur: *Nec militum animus in gaudium ac formidinem permotus, bellum volvebat.* Reges bellum volvunt ſeu meditantur, non milites. Alias rationes mitto, quibus haec vulgata lectio poteſt exagitari. Credo Taciti manum fuiſſe: *Nec militum animus in gaudium ac formidinem permotus. Bellum volebant.* In Annali xv, c. 14. locus eſt vexatus ab interpretibus, uti ex *Gronovii* editione videre licet. Sic vulgatus: *Adjeciſſe deos dignum Arſacidarum.* corrigendum exiſtimo: *Adjeciſſe deos dignam Arſacidæ rem.* Codicis *Rodulphi Agricolae* ubi copia facta fuerit, ſpero te non paucas mendas illius ope ex praeſtantiſſimo ſcriptore deleturum. Apud Tullium in epiſtolis ad Atticum lib. III. 15. editur conſtanter: *Nolo commemorare quibus rebus ſim ſpoliatus, non ſolum quia non ignoras, ſed etiam ne ſcindam ipſe dolorem meum.* exponunt interpretes, ne exaſperem, adducto Lucretii loco, qui dixit *curas ſcindere animum*, quod plane ἀπροσδιόνυσον. Emendavi, *ne reſcindam dolorem meum*, ut *reſcindere vulnus.* A *Daniele Huetio* habeo litteras plenas ſuavitatis & amoris, a *Francio* vero elegiam pulcherrimam de communibus his patriae temporibus, quae tibi non poterit non placere. Typis autem, ſi *Plumerus* vera narrat, mandabitur propediem, & faxo ut ad te perferatur. Quae de *Reineſio* ſcripſiſti veriſſima ſunt. In Latinis melioris aetatis ſcriptoribus pauca praeſtitit digna tanti viri eruditione. In iis diligentiſſime obſervavit, quae pertinent ad cognitionem hominum, temporum & locorum: ſed interioris linguae delicias & reconditam elegantiam nunquam perſpexit. Sed εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ. Redemit hanc ignorantiam multarum rerum & inprimis omnium ſaeculorum hiſtoriae & morum ac rituum, nec non Graecae linguae exquiſitiſſima notitia. Miratus ſum *Daumium* paſſum eſſe prodire illas epiſtolas, in quibus miſerrime vapulat. Eadem perverſitas eſt *Neſterorum.* illorum ruditas, cavillationes, pueriles errores corripiuntur aſperrime: Haec omnia tamen ipſi publicarunt, pulchrum ducentes a tanto viro aeterna nominibus ſuis ſtigmata eſſe inuſta. Nihil autem in illis epiſtolis, niſi quod pertineat ad ὕλην ἰατρικὴν. ea quoque non multa ſunt. Sed juſtum volumen eſt earum, quas ad *Hofmannum* & *Rupertum* ſcripſit, plenum variae reconditaeque eruditionis, quod tu ſumma cum voluptate leges. *Boſius* aliquot tomis ad varios datas οὐ πάνυ litteras edet, quos cupide expecto. Miſi nonnullas etiam, quas ad me ſcripſit, nimirum, in quibus fuit aliquid dignum lectu. Dreſdae apud *Friſium* feruntur inſcriptiones ejus antiquae & alia opera poſtuma ſervari, quae non ſine detrimento rei publicae in tenebris jacent. *Lambecii* de Caeſarea bibliotheca non niſi tomum I. habeo, reliquos videbo, ubi pax nos reſpexerit, ut ſpero. Indicis librorum, quos ſuperiore anno ex Italia accepiſti, ſi penes te eſt, fac quaeſo ejus mihi copiam. Nam meus periit mihi in iſtis turbis. Cras internuncius noſter *Nedercaſſelius* contendit Lutetiam, cui commiſi duo Suetonii exemplaria, tradenda Illuſtriſſimo duci *Montoſerio.* Vale, amicorum Princeps, & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. XVI. Jun. CIƆIƆCLXXIII. quem tibi feliciter volo decurrere. *Daumius* non Lipſiae agit, ſed Cygneae, ſive Zwiccaviae.

Ca-

Capellanus in litteris D. xx. Dec. CIↃIↃCLXXII.
Si quelque choſe me l'a adouci, ceſt Monſieur Henſius, de la ſanté du quel jeſtois en peine, & que je ſuppoſe bonne, puiſque vous ne me la rendes pas douteuſe par voſtre letre. Si vous luy eſcrivés, je vous conjure de la bien aſſurer de ma conſtanté & ardente affection, & de luy dire, que le Gouverneur de Monſ. *Oxenſtern* me vint bien rendre ſa lettere, mais me met de ſa part entre les mains. Ses divers voyages a ce que je voy luy auront produit une grande moiſſon de matieres exquiſes a illuſtrer ſes Obſervations, & encore les voſtres, je l'en felicite & auec luy la republique de lettres. Dites luy auſſi, que coe que j'avois preueu de la Gratification de 1671. eſt arrivé par les obſtacles principalement, que ſa façon de la recevoir y a apporté. Il s'en conſolera aiſement, comme d'un petit intereſt perdu.

Gisbertus Cuperus Daventria Non. Januar. CIↃIↃCLXXIII.
Commentarius in Apotheoſin Homeri ad umbilicum perductus eſt, &, ni diritas acerbitaſque temporis obſtaret, jam typis deſcriberetur. Multa illi, ut a te diſceſſi, quae rem veſtiariam, nummos & marmora illuſtrant, addita ſunt, de quibus ſingulatim nunc agere non vacat. Ab Italis, quos ſymbolos collaturos Clariſſimus *Heinſius* (quem rogo nomine meo ſalutes) & *Panciatici* fecerunt ſpem, nihil recepi. Editioni tamen moram non facient, ſi modo pax cum Gallis aliiſque fundata ſit. Non enim vereor, ne viris eruditis opera illa non placitura ſit, tot praeſertim obſervationibus ditata.

EPISTOLA CXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

COloniam Ubiorum ut perveni, nihil habui prius, quam praeſente *Spanhemio* noſtro, reſignare faſciculum, cui nummos tibi deſtinatos Princeps Celſiſſimus incluſerat. Invenimus autem Philippos Hiſpanicos XXV. quorum ſinguli ſenis Joachimicis ſive thaleris veſtratibus aeſtimantur. Scribo igitur hiſce nunc ad *Elzevirium*, ut ſi qua poſſit via, Joachimicos annumerandos tibi curet quamprimum ex illa pecunia, quam meo nomine nuper a praefecto aerarii Amſtelaedami accepit. Sin quid improviſae difficultatis offeretur, ne res iſta procedat tua ex ſententia, vel aliunde pecuniam annumeratam tibi mavis, ejus rei certiorem me facito quaeſo quamprimum. Poſſunt nihilominus mitti litterae ad *Elzevirium*, cum ſit in iis, quod ſcire ipſum oporteat. Ad tuas vero longe jucundiſſimas propediem curatius reſcribam. Nunc fatigatum de itinere & dubiae valetudinis, quas intempeſtum ac crudum coelum in via nonnihil adflixit, quieti me totum permitto: ſubſtiturus per dies nonnullos in hac civitate, dum reſpirem nonnihil, & clementiora coelum in Brabantos mox cogitanti promittat. Excutiam officinas librariorum ac veteres bibliothecas

cas ante meam hac ex urbe digreſſionem, ſi quid inde fortaſſis eruditae ſupellectilis in uſus meos corradi poſſit. Velim & Manuſcriptos codices aere meo paratos, ſi qui venales occurrent. Poſſis tu, credo, conſilium hoc meum fovere, ſi indicaveris, unde ſis nactus tuos illos, quos ab Amico apud Ubios olim coëmptos tibi memini te ſignificare. Sed vix eſt ut ultra octavum abhinc diem hîc ſubſiſtam, niſi aut atrocitas hiberni coeli, aut valetudo nolentem hiſce ſedibus aliquanto diutius me adfigant. Antwerpiae viros eruditione praeſtantes ſi quos noſti, quibus compellatis operae pretium me reare facturum, eos quoque nominatos per te ac deſcriptos mihi velim. *Boinebergium* ad plures abiiſſe jam intellexiſti, credo, ex meis: quarum nullas periiſſe in via exiſtimo, praeter unas *Spanhemianae* fidei concreditas. Video enim illum non ſatis meminiſſe eas an acceperit, cum tamen ſibi redditas fuiſſe ad me perſcripſerit. Index in Cornelium Nepotem, quem vidiſſe te ais, eſt ejuſdem *Vorſtii*, qui Valerium Maximum, commentarios de Latinitate falſo ſuſpecta aliaſque non diſſimilis argumenti diſſertationes nobis dedit. Eſt autem ante hoc decennium Lipſiae editus. Valerium Maximum ejus tibi deſtinatum mecum fero, ſed inter alios libros Moguntiae relictos, dum ego in thermis Wisbadenſibus haereo, inclementer ſatis habitus a muribus: poterit etiam, credo, reſarciri damnum. Codicibus Valerii vetuſtis non niſi duobus eſt uſus ex bibliotheca ſereniſſ. Electoris depromtis: *Vorſtius* tamen plura caſtigavit eo in ſcriptore, quam *Pighius*, *Lipſius* ac *Carolus* ſimul. ad *Daumium* exaratae a me litterae perierunt quantum video. Francofurto enim Lipſiam ſunt miſſae: ubi inter tabellariorum manus haerere pergunt. De inſcriptionibus antiquis *Reineſii*, inter manus doctiſſimae Virginis *Chriſtianae Friſiae* ſibi viſis in Saxonia, ſum edoctus ex animadverſis *Axenii* in Phaedrum. Ultimis igitur litteris virum illuſtrem *Henricum Friſium* ſum adhortatus, ut & illas, & ſi quae alia poſſidet *Reineſiana*, necdum typis deſcripta, ea publico ne invideat. Videbo quid ſit reſponſurus. *Tollium* neſcio quibus de cauſis motum loco a Gaudanis, *Ryckius* ad me perſcribit. Illuſtri *Capellano* officia, quaeſo, mea & cultum conſtantiſſimum perſcribe. Quod proceres Lutetiae iniquius ferant, me ad Regis munificentiam manus habuiſſe minus faciles, concoquendum mihi erit, ut aliae horum temporum moleſtiae. Neſciunt illi, quibus cum ingeniis apud nos ſit conflictandum. *Grotium* videremus fortaſſe etiamnum in re florente, niſi ſuſpectum atque inviſum ſeſe is reddiſſet nimio partium Gallicanarum ſtudio, intempeſtive prorſus, quibus ego artibus perire nolim. Vale, Mortalium jucundiſſime, & propediem prolixiores a me expecta. Coloniae Ubiorum pridie Kal. Febru. Greg. Anno CIↃIↃCLXXXIII. Epiſtolam *Principis Paderbornenſis* tibi promiſſam necdum recepi. Omnis Paderanus tractus inſidetur a Caeſariano milite, quod ille licet ferat iniquiſſime, tamen confirmet animum oportet adverſus hoſce fortunae ſaevientis inſultus. Monui illum ante hoſce XII dies promiſſorum, ſed nihildum reſponſi ad me perlatum eſt hactenus.

EPI-

EPISTOLA CXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Coloniam.

Omnes tuas accepi, praeter eas, quas ad Nobiliſſimum *Spanhemium* miſiſti. Noviſſimae tuae prid. Kalendas Februarii Coloniae exaratae mihi reddebantur, cum noſter tabellarius ad vos iturus itineri eſſet accinctus, ut vix hos paucos verſus mihi liceat expedire. Proxime pluribus tecum agam, ſi quo litterae curandae fuerint cognovero. De argento multum te amo. Scribam ad *Elzevirium*, ut id certis numeret hominibus, ſimulque tuam epiſtolam mittam cum primum tutiſſime potuero; ante proximam Solis vix erit, cui recte dare poſſim. De tua valetudine, quae me mirum in modum ſollicitum habet, velim certior fieri, & in primis num illae thermae Wisbadenſes debilitatem pedum ſuſtulerint, minuerintve, quod ſpero voveoque. Antiquos codices Coloniae propoſitos inveni in taberna viliſſima, quae eſt ad portam Pontificum, (*Pſaffen port*) proxima *Kalcovii* typographi non ignobilis aedes. Ponderantur ibi membranae, non aeſtimantur. Libra duodecim aut tredecim, niſi fallor, obolis eſt. Antwerpiae, qui in cenſum eruditorum hominum referri poſſit, nunc neminem novi, niſi Patres Societatis *Henſchenium* & *Papenbroeckium*, quos velim peramanter meo nomine ſalutes. Apud generum *Gevartii* videbis nummorum antiquorum non poenitendam copiam. Ex illo cognoſces, quid fiat ſoceri Antonino, cujus edendi curam in ſe ſuſceperat *Steenbergius*, & cujus primum folium ante complures annos jam vidi typis conſignatum. [1] Bibliotheca *Chifletiana*, & inprimis Plinius ille vetuſtiſſimus, ad quos pervenerit, ſpero me ex te intellecturum. Si in Tullianos antiquos codices Coloniae incideris, aut etiam Suetonii, fac, quaeſo, reſciſcam, ut & num Quintilianus ille antiquiſſimus in bibliotheca cathedralis Eccleſiae, cujus mihi nunquam inſpiciendae copia facta eſt, etiam nunc reperiatur. Jactura duorum exemplarium Suetonii, quae noſter Antiſtes curanda ſuſceperat, ſarciam ſimul ac per temporum iniquitatem licuerit. O beatiſſima Dearum pax quando nos reſpicies? Vereor ut pertinaces in ſua mala ſint tui cives. Noſtri Galatae nunc novae ſe expeditioni accingunt, ad quam eos hoc hibernum ſydus invitat. Sed haec mittamus. Tu vale, noſtrum decus unicum, & ſi me ſalvum vis, cave te viae des cum periculo valetudinis, non tui ſaltem cauſa & litterarum, quarum ſalus in tuo capite his certe in terris vertitur, ſed & mei & omnium, quos amas. Iterum vale. Trajecti ad Rhenum a.d. III. Febr. CIↃIↃCLXXIII. Nobiliſſimo *Spanhemio* velim ſalutem plurimam dicas. Heidelbergenſe negotium video refrixiſſe. Epiſtolae tuae, quae intercidit, exemplum fac habeam. Omnes enim tuae mirifice me recreant. Sed non licet plura. Haec ſcripſi ὡς τάχιστα.

1 Vide ad Lipſii Epiſt. DCLXXXVIII.

EPISTOLA CXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DE meo in Ubios adventu certiorem te feci, Vir Clariſſime, ante paucos dies. Ceterorum cubiculo quod haeream hactenus adfixus, nondum licuit excutere librariorum officinas aut ſcrinia bibliothecarum veterum, ſed fiet quamprimum frigus hoc valetudini meae inimicum plus ſatis deſinet ſaevire. Meas omnes opinor tibi redditas eſſe: dubito tamen de iis, quas Moguntiae Novembri menſe per *Spanhemium* ad te curaram. Nec ipſe ſatis *Spanhemius* recordari viſus eſt, quid iis ſit factum. Iſtius epiſtolae apographum ſupereſſe penes me reor: quod ad te mitti poterit, ſi ipſam epiſtolam non accepiſti: locum ex Culice Maroniano a te mihi propoſitum inſpexi: videoque & *ſideris*, quod conjeceras, in editionibus nonnullis exſtare. Annotaſſe & me nonnihil ad eundem recordor locum, ſed quid annotarim meminiſſe non poſſum: niſi quod puto viſum oportere ſcribi, *magnos ſub ſideris aeſtus*, ut vitetur ingratus auribus concurſus vocabulorum in eandem terminationem deſinentium, *limo magno*, quod a terſioribus ſcriptis exterminari ſolet. Etiam in Ciris loco, utpote mendoſo, aquam haeſiſſe mihi jam olim ſcio, nec expertem conjecturae a me relictum: ſive *leves coetus* repoſui pro *novis*, ſive *novo aëre*. nam illud *Auxerit* etiam mihi tum in mentem veniſſe ſuccurrit. Hagam Comitum reverſus, ubi relicti ſunt a me codices Maroniani, quod fiet propediem, plura & certiora faciam ut cognoſcas. Et haec quidem ad litteras tuas, quas Moguntiae acceperam: venio nunc ad poſtremas. In iis approbari abs te illud in Ciri Maroniana reſtitutum *cura* pro *ſcoria*, laetor. Illud *filia* haud minus verum eſſe cenſeo, dum quid melius proferatur aut a te, qui mihi inſtar multorum es unus, aut ab aliis: nam quod propius ad vulgatam accedat ſcripturam non invenietur, puto, nihil. *viſuram* friget omnino, nec exprimit, quod hîc a Charme dici poëta voluit. *verſuram* habet ſuam elegantiam. ſed quis ſine veterum librorum adminiculo veritatem feliciter indaget? ubi ſaepe nobis cum figmentis ac larvis monachorum eſt luctandum. Emendavi etiam complura in hoc poëmatio, etſi membranis deſtitutus, quae cum apud me vidiſſet [1] Auſonianus editor, pro jure familiaritatis, quae inter nos fuit, ex parte ſibi ea vindicanda duxit: quale illud verſ. 132. ab initio. *O nimium cupidis, ſi non inhiaſſent ocellis.* ubi in Auſonio ſuo in Profeſſ. I. reponit *Minoem inhiaſſet.* uti margo codicis mei, quem utendum acceperat, a multis jam annis prae ſe tulit. ſed de his alias. De *correptore* apud Tacitum ſi ambigis (quem delatorem Bareae Sorani Juvenalis III. Sat. 116. vocat, quod tantumdem eſt) vide quaeſo eundem Tacitum Ann. III. c. 49. *C. Lutorium Priſcum corripuit delator* &c.

[1] *Jacobus Tollius*, olim Heinſio a manu.

&c. ubi plura ad rem cap. 66. *Silanum Mamercus Scaurus, Junius Otho, Brutidius Niger ſimul corripiunt, objectantque* &c. lib. IV. c. 19. *Hos corripi, dilato ad tempus Sabino, placitum.* c. 66. *accuſatorum major in dies vis corripuerat Varum Quintilium.* Lib. VI. c. 40. *AEmilia Lepida a delatoribus corripitur.* Lib. XII. c. 42. *Vitellius accuſatione corripitur deferente Junio Lupo.* Hiſt. II. c. 84. *paſſim delationes, & locupletiſſimus quiſque in praedam correpti.* Hiſt. I. c. 64. omnino rectius eſt, quod reponis addita diſtinctione, *bellum volebant*: vide tamen ne *bellum volvebant* defendi poſſit, quod & Annalium III. c. 38. ſic ſit locutus. & Hiſt. I. c. 54. liber ſcriptus, quo ſum uſus, *mox eadem acrius volvebant*, non *volebant*. Eodem capite 64. lib. primi locus eſt foede depravatus, *non quidem in bello, ſed pro pace tendebantur*. Monachum aliquem illepidum inſubidumque hîc agnoſco, non argutiſſimum Tacitum: ſed tu videris. Annal. XV. c. 14. *Adjeciſſe Deos dignum Arſacidarum* haud dubie corruptum eſt. & *dignus* a Naſone nonnunquam jungitur cum ſecundo caſu ad exemplum Graecorum, uti annotatis ad illum ex codicibus vetuſtis monui hîc illic, a Tacito nunquam. corrigebam ego, *Adjeciſſe Deos dignum vi Arſacidarum ſimul & de legionibus Romanis ſtatuere*: *vi* enim omiſere librarii feſtinantes, ac aliis apud noſtrum locis, quod illi pro potentia uſitatum paſſim; eamque conjecturam fulciebam altero loco Annal. II. c. 3. *Ejus filius Artaxias, memoria patris nobis infenſus, Arſacidarum vi ſeque regnumque tutatus eſt.* Nihil familiarius apud Cornelium hoc loquendi modo. ſed MS. codex hîc vehementer turbat, in quo: *ſed opperiendos ſibi fratres Pacorum ac Tiridatem reſcripſit, locum illis* (recte, non *illum*) *tempuſque conſilio deſtinatum, quo de Armenia cernerent. quod ſe faſtigioque dignum Arſacidarum ſimul & de legionibus R. ſtatuerat.* ſatis quidem concinna haec, modo ne interpolata a manu non Corneliana. Abit enim nonnunquam longius a vulgatis libris hic codex, etſi ſcripturam ut plurimum congruam ſolet exhibere. certe ſcribendum, *illis locum tempuſque*; non *illum* cum vulgatis exemplaribus eſt mihi in comperto, & *dignum Arſacidarum* magis placeret, ſi Vologeſes ageret de ſe ſolo, ſed cum fratres quoque ſuos complectatur hac oratione, *Arſacidae* non videntur movendi loco. Digna nihilominus ſagaciſſimo ingenio tuo conjectura. Altera autem illa in Cicerone veriſſima, ſi quid video, de *reſcindendo dolore. obductos annis reſcindere luctus* reſtitui ego in Naſone ex antiquis libris. Ceterum, ut me paſcas in poſterum hiſce deliciis unice inhiantem, ecce locum unum alterumque ex maxime mendoſis apud Cornelium, quales ego complures non infeliciter mihi ſum viſus in integrum reſtituiſſe. Hiſt. II. c. 21. *In eo certamine pulcherrimum amphitheatri opus ſitum extra muros conflagravit, ſive ab oppugnatoribus incenſum, dum faces & glandes ac miſſilem ignem in obſeſſos jaculantur, ſive ab obſeſſis, dum per tormenta regerunt.* poſtrema longe aliter in ſcriptis codicibus concipiuntur. Rhenani codex & Florent. Pichenae, *dum reportans gerunt.* Noſter autem, *dum in hoſtes ingerunt. per torta* contracte fuit exaratum pro *per tormenta.* ſic *hoſta* pro *honeſta*, *omnis* pro *communis*, taliaque complura, quae paſſim apud noſtrum peccantur ab antiqua manu. Tormentis autem faces & haſtae ardentes excutiebantur. MS. *Jacobi Gronovii*,

per portas egerunt, quae & ipſam conjecturam noſtram confirmant. En ſimillimum locum Annal. II. c. 81. *erigi ſcalas juſſit: alios tormentis faces & haſtas incutere.* Hiſt. c. 23. *adactae tormentis ardentes haſtae.* ſed ad alia tranſeamus. De moribus Germanorum. c. 31. *Jamque canent inſignes, & hoſtibus ſimul ſuiſque monſtrati.* locus vexatiſſimus. Vide interpretes, & quae illi de canis capillis. Interim ſcribe meo periculo: *jamque cani, ut inſignes, & hoſtibus ſimul ſuiſque monſtrari. cani* pro canuntur: *monſtrari* pro monſtrantur. De hoc Germanorum more ſupra Cap. 2. hujus libelli: *fuiſſe apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in praelia canunt.* Plura illic appoſite ad rem praeſentem. De Batavis: Hiſt. IV. c. 18. *ut virorum cantu feminarum ululatu ſonuit acies.* Hiſt. V. c. 15. de Germanis: *Nox apud Barbaros cantu aut clamore, noſtris per iram & minas acta*, quae lucem foenerantur ex ſuperioribus, uti & illa Ann. I. c. 65. *Nox inquies, cum barbari laeto cantu ſubjecta vallium complerent.* Ann. IV. c. 47. de Thracibus, *ſimul in ferociſſimos, qui ante vallum more gentis cum carminibus & tripudiis perſultabant, mittit delectos ſagittariorum:* ſunt enim iſti cantus, quibus geſta virorum fortium celebrabant. de Arminio ſub finem Ann. II. *praeliis ambiguus, bello non victus, caniturque adhuc barbaras apud gentes.* Tetigit & ritum Valerius Flaccus Lib. VI. verſ. 96. de Corallis:

Praelia nec rauco curant incendere cornu:
Indigenas ſed rite duces & priſca ſuorum
Facta canunt, veterumque viris hortamina laudes.

Sequentia etiam depravata, quid enim ſibi vult, *haec prima ſemper acies uſu nova?* Niſi fallor, *viſu obvia.* oculis hoſtilibus expoſita. Ex praecedentibus patet, hoſti monſtratos fuiſſe. atqui non poterant monſtrari, niſi acie in prima collocati. ſunt infinita alia. ſed obtundi te nolim hiſce quiſquiliis. proxime oblitus ſum te rogare, ut ſcripturus ad Illuſtrem *Capellanum*, ne graveris percunctari virum optimum, an acceperit *Wieri* opera, quae ego ante hoſce decem menſes ad illum miſi, opera *Bernartii* illius uſus, qui Regis Chriſtianiſſimi res apud foederatos Belgas tum agebat. *Francii* oppido elegantem Elegiam typis Plumerianis deſcriptam vidi. unum illic amico noſtro excidit aliud agenti, quod emendatum velim. Meam ejuſdem argumenti ex ſecunda editione ſi non vidiſti multo caſtigatiorem, ut videas operam dabo. *Reineſium* maximi facio, ſi non in omnibus, in pleriſque tamen. Meae ad *Daumium* Lipſiam miſſae perierint haud dubie, niſi is amicos habet ea in civitate, qui litteras ad illum curent perferendas. *Falconerius* nondum videtur ſatis deliberaſſe ſuper aula Romana; plura volebam, etſi verboſus jam plus ſatis, ſed urget tabellarius. Tu vale, mellitiſſime amicorum. Exarabam apud Agrippinenſes Colonos. CIↃIↃCLXXIII. a. d. III. Februar. Proxime excidit monere, ſi quas hac ad me velles, eas ut inſcriberes heredibus *Johannis Baptiſtae Colpini.* De munere Principis Paderbornii tum agebam: quam crambem nunc recoctam tibi non appono. Haſce jam exararam, cum *Spanhemius* ad me mittit epiſtolam, quam vides: cauſatus eam aberraſſe neſcio quo fato ac neglectam haeſiſſe tanto tempore ſuis in ſcriniis. Hunc quoque igitur nuntiis Apoſtolicis annumeremus licet.

EPI-

EPISTOLA CXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Coloniam.

Litteris, quas pridie Kal. Februarii apud Ubios exaraſti, e veſtigio reſpondi; certioremque te feci qua in taberna veneant veteres membranae. Nunc expecto numquid inveneris tibi nobiſque profuturum. Non longe poſt binas tuas accepi, unas a.d. III. Februarii, [1] alteras XXIII. Novembris ſcriptas, ſuaves omnes, ſalſas, conditaſque omni genere elegantiae ac doctrinae. Ita mihi amor tuus ſit proprius, ut illae me mihi reddiderunt, animumque a ſenſu malorum, quo cruciatur acerrime propter res perditiſſimas patriae communis, & praecipue hujus urbis, quae indies fiunt deteriores, ut ſiſti vix poſſit, non ſolum avocarunt, ſed & exhilararunt mirifice. Eram his nunc reſponſurus verboſius, & optimis tuis elegantiſſimiſque obſervationibus repoſiturus tenues quaſdam vileſque, quas fert meus agellus: ſed interpellabar ab adventoribus Gallis, ut vix his paucis expediendis vacare poſſem. Proxime videbis uberiores. Jam iſta habe, quae ſcire tua intereſt. Nummos numeravit *Elzevirius* cui juſſi. Principi primo quoque die gratias agam, & ad te mittam, ſi etiamnum te Coloniae ſedere cognovero. Auctor vero tibi ſum, ut clementiorem aërem ibi expectes; ne tanta coeli injuria dubiam tuam valetudinem gravius affligat. *Capellanus* in litteris, quas hodie accepi, haec de te ſcripſit amantiſſimis verbis: *La foibleſſe des jambes, que M. Heinſius retient a ces Bains d'aupres Mayence, me met en peine; mais ne me ſurprend pas. Son voyage de Moſcoue ordonnè avec aſſes d' inhumanité pour un corps auſſi languiſant & maladif, que le ſien, m'avoit fait craindre pis, & j' admire quil en ſoit revenu quitte a ſi bon marchè. Puiſque vous luy pouués eſcrire, teſmoignes luy, je vous conjure l' inquietude ou je ſuis de ſon eſtat preſent, & l' indignation, que j'ay de ce qui ce paſſa l'année derniere de deca ſur ſon ſujet, faute d'auoir entrè dans mon ſentiment. Qui l' gueriſſe a cela, & quil jouuiſſe doucement de ſa haute reputation.* Haec optimus utriuſque noſtrum amicus, cui praecipue mea domus debet hoc otium, quod ei fecit commendatio Illuſtriſſimi Ducis *Montoſerii*; ut inſtar illius Pindaricae eximia praecipue quadam fortuna fruatur. Sed cogor abrumpere perquam invitus. Vale, Amicorum & omnis elegantiae Princeps. Nobiliſſimo *Spanhemio* ſalutem plurimam meis verbis dic, quaeſo. De patria tua civitate quae mones, firmant animum meum, ſi modo res facultatem ſit habitura. Gallica arma in Germania minime dicuntur frigere, ſed in oculis Brandeburgenſis exercitus aliquot oppidula expugnaſſe.

1 Has nos ſuo loco repoſuimus n. CXI.

EPISTOLA CXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ACcepiſſe te munus ab *Elzevirio*, quod Princeps optimus per me tibi voluit oblatum, laetor impenſe, mi Graevi. Reliquum nunc eſt, ut & gratiarum tu defungaris actione, & reſciſcat ex te Princeps non tantum de perlato ad te munere rem omnem, ſed ipſam quoque muneris ſummam uti apud illum ne diſſimules, quo ſecuritati meae conſulatur. Tibi interim hanc qualemcunque munificentiam gratulor, quae niſi opportune admodum in te redundaſſet, vix ſperanda nunc foret, ut ſunt tempora. Nactus enim hoſpites Princeps prorſus Cyclopios, per quos miſerrimum in modum facultates ejus atteruntur: vix relictum ſibi videt unde ſuſtentetur ipſe, ne dum quod amicis bene merentibus largiatur in poſterum. Nimis vicinum nempe ſe ſentit Mantuanus noſter miſerae Cremonae, hoc eſt Monaſterienſibus ac Ubiis, unde fons omnis malorum in nos ſeſe exoneravit. Provocatus meis litteris jam tertium quartumque Princeps idem, cetera mire officioſus, pertinacem in modum tacet, totus, ut reor, in contemplatu calamitatis ſuae. Inde meis ſolatiis quia avellendum deſpero, ipſe quoque ſilentium indixi mihi, dum benignior fortuna reſpiciat rempublicam. Totum jam poene menſem haeſi in Ubiis plane otioſus, immo nil agens. Nam neque codicum manu exaratorum quicquam venale offendi, ſive in locis ab te deſignatis, ſive alibi per hanc civitatem, nec incidi in bibliothecas; unde tale quid eruendum ſe mihi praeberet. Ad ſcrinia cathedralis eccleſiae cum aditum fruſtra per varios amicos tentarim, vix tandem ſpes nunc ante triduum eſt facta voti conſequendi, ſed lenta admodum, quaeque de die in diem protrahatur, ac proinde inter res dubias numeranda. In Laurentiano Gymnaſio libros variis locis jacere diſperſos audio, eſſe tamen in iis codices quoſdam vetuſta manu deſcriptos in membranis non inficiatus eſt ille, qui bibliothecae catalogum aliquando ſe concinnaſſe nobis narrabat, ſed in quem volumina, quae dixi, ſcripta non eſſent relata, ut hic quoque fruſtra fuerim. Libros tamen editos non exiguo numero corraſi in bibliopoliis, & ſum praeſtinatus. Frigus hoc continuum & valetudini meae prorſus inimicum non permiſit hactenus, ut reditum ad vos promoverem, quo mire infeſtatus fui, dum ſecundo Rheno devehor ad Ubios, cum thermas Wisbadenſes ſatis benignas, ſic ut viderer prorſus convaluiſſe, expertus eſſem paulo ante. Sed non poteſt tam male mecum agi, ut non agatur multo pejus cum republica, unde fit, ut ipſa valetudo me futuri ſecurum praeſtet quodammodo, cum & vitae diuturnioris per illam ſim incertus, & quicquid facultatum acciſarum ex publico hoc naufragio in tutum ſubduci a me potuit, reſponſurum ſperem decurrendo tam exili ſtadio. Da igitur effectum, quaeſo,

pro

pro virili, ne optimus *Capellanus*, cujus ego viri longe integerrimi ſanctiſſimam fidem meique ſtudium incomparabile aſſiduus fero in oculis, intempeſtivis curis mea de cauſa exedatur. Regis munificentia cum toto decennio potuerim uti, utpote patente ac oblata quotannis, non tamen uſum me ſcit ille unus omnium optime; ac ſolo honore contentum vixiſſe: ipſam liberalitatem dilatam, dum emerſus ex privatis litibus ac aſſerta haereditate paterna nuntium mitterem publicis negotiis, quod unice optavi ſemper, meque totum mihimet ac Muſis vindicarem. Ex quo aula Gallicana foederatos Belgas odiſſe coepit, ac bella in illos meditari, ſi & ego iſtic frigere coepi, non eſt, quod factam mihi injuriam querar. Crediderunt enim inter bonos cives me numerandum, idque haud immerito, Regii Miniſtri, ut pro inſigni ſit elogio, nullo apud illos loco eſſe; qui patriae meae jugulum nunc petunt. Praeteritorum uti mihi grata ſemper erit memoria, ita praeſentium ut facile obliviſcar ſtatus cum popularium meorum minime felix facit, tum alia adverſa, quorum haudquaquam ignarus aut expers hactenus vivo. Involavere primae neceſſitudinis conſanguinei atque intervertere mihi, quae mea erant ipſo naturae beneficio, eamque injuriam animo ſatis tranquillo ac compoſito tuli: tuli abſentem me publicae rei cauſa damnari iniquiſſima ſuper lite, cum ego interim in ultimo ſeptentrione dieſque & noctes communi bono promovendo me macerarem: ut diſſimilem immane quantum me factum nunc mei eſſe oporteat, ſi ea mihi indigner eripi, in quae nil juris unquam habui, & quibus benefacta mea imputare non poſſum. Salveat interim vir ille eximius, & doceatur per te velim, inventam hîc a me Terentii Chriſtiani partem tertiam, quam aliquando inquirendam mihi demandarat. De *Wieri* etiam operibus jam miſſis memorem fore te confido. Ad Ducem *Montoſerium* ex hac urbe litterarum nonnihil dedi, addito exemplari utriuſque Elegiae, quas apud illum, ſi ſunt tanti, illuſtris *Capellanus* inſpiciendas facile impetrabit. Quod Galatae veſtri gloriantur de expugnatis in Weſtphalia compluribus oppidis, in eo vobis imponunt. Unicum cepere oppidulum minime munitum, cum prius majori ex parte conflagraſſet. Vidi litteras a centurione quodam e caſtris Gallicanis exaratas, quibus is maximum in modum miratur, potuiſſe hunc vicum quatriduo reſiſtere tantis aſſilientium copiis. At nobis hîc conſtat, *Turennium* detrectaſſe nuper pugnam, cum Caeſariani ac Brandenburgici ejus facerent poteſtatem, an poſtea mutaverit conſilium, auctis copiis, propediem ſciemus. Dum Moguntia huc contendo, numerum ſatis ingentem Gallicani militis hiſce hîc illic oculis in via ſum contemplatus, quibus, peream, ſi quid magis aridum frigidumque, adde & jejunum & febriculoſum uſurpari oculis poſſit. Horum nonnulli totos ſeſe faſcibus ſtramineis involverant, dum muniuntur adverſum frigus, ridiculo me hercule ſpectaculo. Haſce tamen famelicas larvas inſultantes nobis patimur mortales ignaviſſimi, fateor. Sed non ultra patiemur, ut augurari licet; *quondam etiam victis*. Noviſti reliqua. Litteras tuas ſive huc miſeris ad haeredes *Colpini*, ut coepiſti, ſive Antverpiam ad *Moretum*, tradendas mihi fore ne dubita. Quid agunt inquilini urbis illius, in qua regnabat olim

olim Pythagorae cognata, nunc Galatae regnant? Salveant ibi, *ter Borchius*, *Hogerſius*, *Cuperus*. Nobiliſſimus *Spanhemius* te reſalutat peramanter, miraturque de cathedra Heidelbergica negotium refrixiſſe, idque tua, ut opinatur, culpa. Wormatiae in cathedrali, quam vocant, eccleſia latere codices vetuſtos complures & Spirae, jam eram edoctus ex Barone *Dalborgio*, & hîc id ipſum *Walburgius* confirmavit mihi poſtea. Nam ipſam Bibliothecam perluſtrare non eſt mihi datum, abſente ejus cuſtode, cum illac tranſirem. Tu cum frequentiam mearum litterarum flagites, ipſe mittis breviſſimas. Vale, flos amicorum cum tuis. In Ubiis CIↃIↃCLXXIII. a. d. XXIV. Februar. Gregor.

EPISTOLA CXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Coloniam.

FRequentes quidem, ſed non uberes, fateor, a me nuperius habuiſti litteras, aliis aliiſque intervenientibus, quae copioſiſſime ſcripturo manus injecerunt. Tu antiquum obtines, & non crebras tantum, ſed & prolixas mittis epiſtolas, quas tamen prolixiores reddit ſaepius repetita illarum lectio, & prolixa tua in me voluntas. Oblivifcor non ſolum omnium calamitatum, quae augentur quotidie, ut iis ferendis non ſint praecipui cives, & homines nobiliſſimi, quorum complures nuper admodum fuga ſalutem quaeſiverunt, ſed & ſingulari quadam voluptate perfundor, cum tecum fabulas ſerere videor de noſtris litteris. Hoc vero mihi praeſtant tuae epiſtolae, cum fatales hae reipublicae miſeriae tuam mihi invideant conſuetudinem. Celſiſſimo *Principi Paderbornenſi* gratias agam quas poſſum pro inſigni munificentia, qua nihil oportunius potuit fieri in tantis pecuniae publicae anguſtiis, propediem, ſimul ac te rediiſſe ſalvum ad patrios lares, quod futurum eſſe brevi auguror, intellexero. Alium enim, cui recte meas litteras committam, non habeo, niſi aut *Elzevirium* aut *Spanhemium* eas bona fide curaturum exiſtimas. Tuum expectabo reſponſum. Habebis tu exemplum hujus epiſtolae, quam ad Mecoenatem Summum dabo, cuicunque tandem credetur mittenda. Tibi enim, Heinſi, omne hoc munus acceptum fero. Tu fortunarum mearum amplificatarum inventor, inceptor & perfector es. Abſque te fuiſſet non ſolum ignorarer homo obſcurus a tanto Principe, nec meus liber ad ejus perveniſſet manus, & ſi ſerius veniſſet, caput, ut nunc res eunt, non unctius retuliſſem. Tu tam multis & tam illuſtribus argumentis teſtatum feciſti res meas omnes magis tibi curae eſſe, quam tuae tibi ſunt. Hinc ſemper a tuo nutu & conſilio pendebo, nec migrandi hinc conſilium ante capiam, quam tibi id probavero. Si pax fiet, qua una ſervari puto poſſe reliquias & parietinas hujus reipublicae, non dimovebor Attalicis conditionibus, ut has terras aliis permutem. Sin haec mala fixa fuerint, beatum me exiſtimabo, ſi in patria tua ſedes figendi dabitur fa-

facultas. Sed de his deus viderit. Spem tuam eruendorum antiquorum codicum apud Ubios te fruſtratam eſſe doleo. Nunquam ego hanc Urbem inviſi, quin auctior membranis minime contemnendis redierim. Ad Bibliothecam tamen cathedralis eccleſiae, & Gymnaſii Laurentiani aditus mihi quoque ſemper fuit occluſus, nec ulla ratione potui eum patefacere mihi, ſive donis, ſive amicorum opera, quam ſatis gnavam ante hos quindecim annos mihi navabat ὁ μακαρίτης *Mallincrotius*. Excutienda igitur alia quercus. Tuam ego virtutem in perferendis tot malis, quae tot annos te immeritum exercuerunt, & etiamnum exercent, magis hercle mirarer, niſi mihi perſpecta eſſet animi tui conſiliique magnitudo, quae nullis adverſis caſibus frangitur aut ſe ſubmittit, ſed ſemper major & illuſtrior exiſtit. Pudebit tandem fortunam injuriarum, quibus te vexat, ſedatiſque his procellis, quibus te obrui non poſſe cognovit, laetam ſui faciem faventemque in poſterum tibi, ſic ſpero voveoque, oſtendet. Sin antiquum ludum ludet, quae ſemper ſaevo laeta eſt negotio, tu animum virtutum robore munitum, ut ſolitus es, ei oppones, nec te de gradu dejici, quod exploratiſſimum habeo, patieris. Ad *Capellanum* hodie perſcripſi, quae eum ſcire tua intereſt. De *Wieri* operibus per *Bernartium* anno ſuperiore curatis ſemel iterumque antea eum monui, & nunc denuo aurem vello. Wormatiae cum fuiſti, an non inſpexiſti bibliothecam *Freinshemii*, in qua eſt antiquiſſimus codex Thucydidis, & nonnulla alia, quae mererentur emi? Valerium Maximum *Vorſtii* cupide videbo. De ejus Sulpitio Severo & indice Corneliano nihil ante tuas litteras audiveram. Diſſertationes ejus Academicas vidi, in quibus pleraque ad ſacram hiſtoriam illuſtrandam pertinent. De Reineſianis inſcriptionibus & operibus poſtumis quid ſit reſponſurus *Henricus Friſius* avidiſſime expecto. Tollium involvit ruina ſui [1] Patroni, cui dedicavit Auſonium: dicitur tamen male de diverſarum partium hominibus, qui nunc rerum potiuntur, exiſtimaſſe, & ferocius, quam ſui ordinis hominem decet. Habui litteras ab illo non unas plenas querelarum. Nunc degit Nordvici, in erudiendis aliquot adoleſcentibus & in medicina facienda ſuam aetatem occupans, & horas ſubſicivas impendens adornandae novae editioni Artemidori. Compilaſſe illum tua ſcrinia in veterum poëtarum collectaneis, quae olim edere decrerat, invitus audio. Nam faveo ejus ingenio, ſed non his fraudibus graſſandum ad famam, nec alieni laboris fructus ſunt intercipiendi, praeſertim eorum, qui nos modis omnibus ornatos voluerunt. De amicis Daventrienſibus dudum nihil accepi, & id quidem mea culpa, qui illorum litteris reſponſum debeo jam aliquot hebdomades. Conflictabantur tum iiſdem malis, quibus nos jactamur, quamvis cum illis dicatur mitius agere Colonienſis Epiſcopus, cujus ditioni ceſſerant. Nam praeſidium ibi longe pauciorum cohortium eſt collocatum quam hîc, nec tantis tamque acerbis collationibus atteruntur civium facultates quam noſtrorum; quamvis graviſſima quoque tributa iis ſint imperata. Terras juris Paderbornenſis inſideri & vaſtari a copiis militaribus Caeſaria-

1 *Florentii Cant*, conſulis Urbis Gaudae, cujus ludum literarium regebat *Tollius*.

ſarianis incredibili cum dolore intellexi. Sic vicini hominum, qui novarum rerum ſunt ſtudioſi, ſaepe trahit ac perdit inſontes. Ad tantum incendium extinguendum tota concurrere debebat Europa. *Rudolphi Agricolae* animadverſiones in Tacitum nunquam vidi. Utor editionibus ſatis antiquis, inter quas eſt Baſileenſis *B. Rhenani*, in quam compegit quicquid tum annotationum extabat in hunc ſcriptorem, ſed *Agricolae* nec vola, nec veſtigium in illa extat, ut neſciam unde *Lipſius* ea hauſerit, forte ex *Agricolae* epiſtolis, Coloniae olim editis, ſed quas ego nunquam vidi. Codicem illum veterem te compoſuiſſe cum editis gaudeo; tuliſſe te hujus laboris pretium hae teſtantur litterae, in quibus tam multa loca tam egregie ſanaſti, quorum ſalus erat deplorata. De *correptore* nunquam ambigendum putavi. Certa haec eſt emendatio, & veriſſima; nec minus certa, ac pulchra eſt illius loci ex libello de moribus Germanorum: *Jamque cani ut inſignes, & hoſtibus ſimul ſuiſque monſtrari. Haec prima ſemper acies viſa obvia.* Nihil viderunt interpretes. Tibi debebunt in poſterum omnes ſtudioſi Taciti, ut hic obſcuriſſimus locus recte legatur & intelligatur. Sed de reſtitutione illius περικοπῆς, quae eſt II. Hiſt. c. 21. ampliandum duco, & agam de illa alias tecum pluribus. In Annali XV. magis mihi tuum *vi Arſarcidarum*, quam mea conjectura placet, tibique contra me lubens meritoque faveo. Te quaeſo per omnes Muſas, noſtramque amicitiam, ut deliciis talibus me ſaepe recrees. Pro tot tuis palmariis emendationibus en tibi unam conjecturam, quam velim examines, & ſi non eſt ad palatum refutes. In libro IV. ad Atticum epiſtola tertia legitur in editionibus: *Ille omnium vocibus cum ſe non ad judicium, ſed ad ſupplicium praeſens trudi videret, omnes Catilinas, Acidinos poſtea reddidit.* In nullo codice vetuſto, quos *Victorius*, *Manutius*, *Lambinus* conſulerunt, nec in iis, quorum excerpta penes me ſunt τὸ *trudi* conſpicitur, ſed pro illo ſcribitur conſtanter *videri*. quod cum nullam ſententiam commodam efficeret, illo ejecto intruſerunt hoc *trudi*. Vide an non Tullius ſcripſerit: *ad ſupplicium praeſens vadari videret*. Cic. III. Verr. *Cum Apronius de Leontino usque Lilybaeum aliquem vadaretur ex miſeris aratoribus.* Orat. pro Quint. *ſe jam neque vadari amplius neque vadimonium promittere.* Horat. *& caſu dum reſpondere vadato debebat.* Habebis alias plura, ſed nunc abrumpendum eſt. Nob. *Spanhemio* per puerum *Elzevirii*, ad panegyrin Francofurtenſem contendentem, miſi meum Suetonium. cui ſalutem dico plurimum. proxime ſcribam quoque. Quae ſpes de ejus Juliano, & Urbium Aſiaticarum primatu? Antwerpiam cum veneris ſpero te exploraturum quid fiat M. Antonino *Gevartii*, cujus editionem concinnandam ſuſceperat *Steenbergius*. Vale, princeps amicorum & ingeniorum, & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. II. Mart. CIϽIϽCLXXIII. Hammonam expugnatam eſſe a *Turennio* jactatur. Si quid ibi novarum rerum ſit, ſi me docueris plurimum tibi debebo. Galatae noſtri minime ſunt larvae male vivae, ſed nitent omnes & bene habiti, nil niſi caedem & ſanguinem ſpirant. Ubi domum redieris, velim Illuſtri viro, *Hugenio* parenti, & Ampliſſimo *Slingelando*, confirmes me Suetonios eis miſſurum meos ſimul ac licuerit.

EPI-

EPISTOLA CXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio,

Ultrajectum.

SEnones veſtri quae ſpargebant nuper de ſuis proſperis, praematura omnino & plus nimio tempeſtiva, ea mihi ſparſiſſe viſi ſunt, praeſaga quadam elati fiducia continuorum ſucceſſuum. Evenere enim paulo poſt, quae votorum feſtini eveniſſe perſuaſa vobis cupiebant. Tunc quippe praeter Unnam unicam, nec ingenio loci nec opere munitam, *Turennius* expugnaverat nihil oppidorum hoſtilium, mox Hammiam & Soeſtam non vi quidem cepit aut ditione, ſed deſertas ſuo praeſidio occupavit, retrocedente foederatorum exercitu neſcio quas ob cauſas, cum pugnae ſe paratos adverſario detrectanti obtuliſſent. Plerique ſuſpicantur de ſumma rei haud temere decertaturos Brandenburgicos, aut martis aleam praelio permiſſuros, niſi indicto palam per Hiſpanos Senonibus bello, quod aut propediem fore, aut nunquam apud multos pro conſtanti eſt receptum opinione. Larvalem hoſpites veſtros exuiſſe maciem, & nitere prorſus haudquaquam miror, cum in cute curanda ac caedenda ſagina ſint toti. At ego vos nitere mallem, quorum unguenta illi redolent, vere Cyclopei hoſpites, & de veſtro nequiter nimis ludentes corio. Niſi Ulyſſes nonnemo mox advolat ex vicina Batavia, aegre abigetis a menſis ac convictu veſtro importunas volucres, & perfrictiſſimae frontis paraſitos, prae quibus Alcinoi omnes & Antinoi Eurymachique Homerici meram modeſtiam ſpirant. De Nuntio Apoſtolico, Lutetiam cum novis Suetonii tui exemplaribus jampridem profecto, ne γρῦ quidem in poſtremis tuis addidiſti. Exſpecto igitur ut ille ſui ſimillimus pergat eſſe, utque tu, mi Graeve, cum Saguntinis nimiae fidei des poenas, uti immerentes, ſic minime improviſas. De altero Nuntio, hoc eſt de *Falconerio* noſtro, qui Bruxellis Româ exſpectetur, jam egiſſe me tecum opinor, nunc audio, adfuturum in ejuſdem comitatu cum alios viros inſignes ex Italia; tum *Laurentium Magalottum*, utrique noſtrûm faventem jam olim, ut potes meminiſſe. Perfringere clauſtra bibliothecae in eccleſia Metropolitana Ubiorum nullis artibus poſſum, ludificante nos inſigni illorum malitia, qui gratificari hîc nobis cum abunde queant, tamen officio promiſſo deſunt, ſpemque fruſtrantur temere conceptam. horum ego agellos, ne ferant impune barbariem, militi noſtro depraedandos facile objecero reverſus domum, quando benignitatem, quam in nobis experiuntur hactenus, nec remunerantur nec intelligunt. De codicibus manu exaratis pretio redimendis omnem quoque lapidem movi nequicquam, cum apud illos, quos hac merce inſtrui ſolere ſignificaſti, tum apud alios: niſi quod apud Bibliopolam nonneminem Gregorii Nyſſeni opera Graeca, & Eucherii in Pſalmos commentarium ſum nactus, cum editis compluribus, quorum meſſem uberrimam hîc illic per

officinas librarias collegi. Eucherius an typis ſit deſcriptus tu omnium optime me docebis. Interpretes Ciceronis haud paucos etiam comparari, parum obvios, forte nec viſos tibi hactenus. Non eram equidem opinatus tantam copiam voluminum rariorum in hac civitate deliteſcere, cum iſta ſpe apud Francofurtanos excidiſſem, occluſis ferme bibliopolarum omnibus illic tabernis, quod ſerius poſt exactas nundinas eo eſſem delatus. A *Cupero* nuper habui ſuaviſſimas, ad quas reſcribam proxime. Cum valetudo nunc ſit aliquanto confirmatior in pedes me conjiciam, cis ſenos aut ſeptenos dies, viam ingreſſurus reducem ad meos. Antwerpiae ſi tuis beabor, multum alacritatis acceſſerit mihi ad reliquum itineris decurrendum. Tuae *Moreto* commendari poſſunt ad me perferendae. Res meas privatas quod attinet, ſunt illae ſatis commodae ac florentes, profligatis e publico & ad inſtitas redactis adverſariis meis, ſi qui fuerunt olim, ferme omnibus, ac reſtitutis in integrum neceſſitudinum primarum pleriſque: quin & ipſum ποιμένα λαῶν ſatis experior mei ſtudioſum, ut fortunis in majus augendis locus eſſet perquam opportunus, ſi aut corpore valerem magis, aut jacentis patriae imago funeſta minus me premeret, affligeretque. Reverſus domum explorare omni ope enitar, ſedeatne Academiae curatoribus *Ryckio* noſtro collegam ſuperaddere; ſed id occulte; cum tua meaque interſit, ne res promanet in publicum. Tu interim fac ex te cognoſcam, ſisne amplexurus conditionem, ſi offeratur. Nam ultro citroque verba commutare ſuper hac re frequentius, periculo expoſitum non levi videtur, cum litterae intercipi poſſunt, & in illorum deferri manus, ad quos arcana noſtra non pertinent. *Principi Paderbornio* vide gratias via quacumque quamprimum agas pro munere per me curato. Nactus eſt is hoſpites non minus odioſos ac voraces illis, qui vos nunc exedunt. Ab illis dum dentium operam minime inertem ſibi locatam ſtupet atque admiratur, facile obliviſcitur mei, quem in ventribus quotidianis numerat, credo; ac proinde reſponſo non dignatur ſuperbus: Wormatiae intellexi *Freinshemianum* haeredem, amiſſa [uxore viduum], peregrinationem ſuſcepiſſe cum neſcio quo adoleſcente Dano. Nil igitur tentavi de bibliotheca τȣ̃ μακαρίτȣ inſpicienda, praeſertim cum neque ad publicas poſſem admitti, & rheda ſeſe opportune offerret, qua veherer Spiram eodem die. Ab illuſtri *Friſio* reſponſum non accepi: iterabo ſcriptionem mihi & patriae redditus. De ſcriniis meis [1] a fele libraria compilatis tibi in aurem narratum eſto; neque enim haec tanti ſunt, ut aut me movere debeant, aut illis Lavernis poſſint iter ad famam ſternere. Oſtendam tamen aliquando tibi inſigne iſtius rei monumentum. linguam ni continere diſcit, majus inde periculum illi imminere, quam a piperatis manibus, non nunc primum praevideo, & ipſum ſaepius monui. Τὸ *vadari*, quod reſtitutum is in epiſtolis Ciceronis ad Atticum, vehementer arridet. Sed neque liber eſt ad manum, ut locus conſuli a me poſſit, etſi eſſet maxime, non auderem te pluribus in os laudare, ne viderer tuas tibi blanditias reponere, qui nimius es in meis conjecturis extollendis. De vadibus & praedibus complura alibi notavi in vetuſtis ſcriptori-

bus

[1] *Jacobo Tollio.*

bus caſtiganda. ſic apud Tacitum Hiſt. III. c. 65. de Flavio Sabino ſcribendum puto: *Et credebatur affectam ejus fidem praes juviſſe, domo agriſque pignori acceptis.* Sed hoc leve. Majoris momenti illud Agricolae vita ſub finem c. 46. *noſque* &c. *ad contemplationem virtutum tuarum voces. admiratione te potius, te immortalibus laudibus* (ſic bene *Lipſius*) *& ſi natura ſuppeditat, militum decoramus.* Poſtrema nihili ſunt. Reſingebam ego; tu vide an feliciter; *& ſi natura ſuppeditat, aemulatu decoremus. aemulatu*, hoc eſt imitando virtutes tuas. Hiſt. I. c. 87. *curam navium Oscus libertus retinebat, ad obſervandam honeſtiorum fidem invitatus.* Scripti codices conſtantiſſime, *immutatus*, non *invitatus*. Aut fallor aut voluit Tacitus, *ad obſervandam honeſtiorum fidem imputatus.* Tamquam beneficium eſſet, quod contumelioſum erat, plus deferri a Principe fidei hominis liberti, quam optimo in republica loco natorum. Invidioſe Cornelius paſſim exagitat nimiam libertorum potentiam, quod & hîc oblique ab illo factum. *Imputandi* verbum hac notione apud illum frequenter ſumi poſſim exemplis compluribus palam facere, ſi ſit neceſſe; infinita adhuc id genus alia apud optimum ſcriptorem in mendis cubant, partim a me reſtituta. Vale. Dum reſumo forte in manus epiſtolam, qua proxime te compellabam, ab anagnoſte deſcriptam, vidi illic perperam effluxiſſe mihi *praeſtinatus ſum*, pro *praeſtinavi*, tum *antiſtare* cum quarto caſu: ſive illius illa, ſive mea eſt culpa. Ea tu in aliis non nunquam occupato, & tamen agere per litteras tecum frequenter geſtienti, donabis, quae eſt tua ſingularis indulgentia. Ampliſſ. *Spanhemius* te peramanter ſalutat, tuumque Suetonium exſpectat avidiſſimus. Ego ſarcinas jam colligo. Tu iterum iterumque vale. In Ubiis. CIↃIↃCLXXIII. XIII. Martii. Gregor.

EPISTOLA CXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Francofurtum.

ITa ſane res ſe habent. Senones de nobis corpus faciunt, laute & opipare ſe invitantes, dum nobis alliato fungendum eſt, ut brevi omnes ſimus oſſa & pellis futuri. Ulyſſes, quem noſtri fruſtra diu expectarunt, parum videtur de hiſce hominibus ſollicitus eſſe, aut ſaltem neſcio cum qua Calypſo ſuam aetatem oblectare, aut apud Lotophagos deſidere, noſtri immemor. Sed quae haec mira ſunt? Ad lemurum & larvarum conſpectum praeſidiis nudari loca munita, pavere & terga dare tantum & tam acrem populum, pacemque aut inducias humiliter ſatis deprecari ejus ducem? Haec enim litterae Lutetia allatae ſemel iterumque narrant; uſum illum eſſe interprete Sueco legato, qui dum in ejus caſtris agebat, apud Τυρέννιον, ad duorum menſium inducias exorandas, & cum is nihil efficeret, allegatos fuiſſe hoc nomine quoque Antiſtitem Pader-

 bor-

bornenſem, & Ducem Neuburgicum, qui motos compeſcerent fluctus blanda precum vi, & cum & hi ne hilum proficerent, miſſum eſſe ad ipſum Regem, qui aut pacem, aut inducias offerret, illumque jam Lutetiam veniſſe. Vera ſint nec ne vos poteſtis noſſe. De exemplaribus, quae Lutetiam miſi per, quos audiſti, homines, propediem nuncios expecto. *Falconerium* & *Magalottum* faxit Deus ut liceat hîc, reſtituta pace, complecti. Quando ſint adventuri tu me docere poteris. Reverendum *Patrem Henſchenium* & *Papenbroeckium* ut peramanter meo nomine ſalutes, ut & *Balthaſarem Moretum*, ac generum τοῦ μακαρίτου *Gevartii* rogo. Hujus Marco Antonino & Manlio quid fiat facile nunc intelliges. Miror barbariem Ubiorum, qui draconum inſtar theſauris incubant, quos aut negligunt, & aliis quoque fructum eorum invident. Eucherii in Pſalmos commentarius nunquam lucem adſpexit. Sed vereor ne titulum mentiatur, ſicut alia, quae ejus nomine prodierunt opera, excepta unica epiſtola Paraenaetica, quam olim publicavit *Alardus* Amſterodamenſis. In Gregorii Nyſſeni operibus num quae ſint ἀνέκδοτα domum reverſus videbis, & ad me, ſi non grave fuerit, perſcribes, ut & quos raros Ciceronis interpretes inveneris. Magna latet bonorum librorum in illa urbe copia. Nunquam illam tranſii, quin multis minime obviis codicibus inſtructior redierim. Et te firmiorem, & res tuas domeſticas laetiores facilioreſque eſſe, ipſumque ποιμένα λαῶν tua erga patriam merita agnoſcere, tibique maxime cupere, gaudeo hercule incredibiliter, voloque haec bona tibi propria eſſe, pulchriſque indies cumulari acceſſionibus, ut laborum, quos rei publicae cauſſa cepiſti plurimos, hac ingraveſcente aetate, fructus capias, qui tibi debentur. Conditionem, ſi mihi offeretur, accipiam ſane, ſi modo reſponderit non nihil hujus, quem nunc teneo, loci ſtipendio, quod annuum eſt bis mille centum triginta florenorum, praeter ducentos, qui filio numerantur ad vigeſimum quintum aetatis annum, & uxori, ſi quid mihi humanitus acciderit, promiſſi ſunt quadringenti floreni annui. Ante hos tres annos Curatores Lugdunenſis Academiae mihi juſſerunt deferri mille octingentos florenos, quos tum contemnebam, non ſolum quia hîc luculentiore fruebar vectigali, ſed quia in primis uxori nolebant cavere de argento, quod noſtri ei deſtinarant, ſi me fatum occuparet. Hujus rei ſi poſſet iniri ratio, in reliquis me facilem obſequentemque habebunt. Audio *Mareſium* nunc vocatum eſſe ad docendam Theologiam, & deliberari quoque de arceſſendo *Stephano Monechio* viro doctiſſimo, & mei perquam ſtudioſo. Noli dubitare, quin negotium, de quo agimus, ſim celaturus; Nam mea maxime intereſt ut celetur. Emendatione tua in libro III. Hiſt. cap. 65. *fidem praeſ juviſſe* nihil certius. Illam quoque, qua in vita Agricolae pro *militum legis aemulatu*, facile aliorum conjecturis praetulerim, eique videtur ſuffragari vetus codex Urſini, in quo ſcribebatur: *admiratione potius, quam aemulatione decoremur*. Nam haec corruptio nata eſt ex veſtigiis verae ſcripturae, quam tu deprehendiſti ſollertiſſime. Lib. I. Hiſt. c. 87. *invitatus* non poteſt ferri. Sed nec τὸ *imputatus* ad hunc locum mihi videtur accommodari poſſe. Non obſcura eſt haec notio τοῦ *imputari* apud Senecam, Plinium, Tacitum alioſque tem-

temporum horum ſcriptores. Sed huc quid faciat non video. Quae enim haec argutia; Oſco mandata eſt praefectura claſſis, & pro beneficio voluit haberi, illi liberto obſervandos datos eſſe honeſtiores, & explorandos qua fide eſſent. Mihi frigent haec. Mallem legere *incitatus*, aut cum Faerno: *initio datus*. In libro II. Hiſt. c. 21. pervenuſte videris repoſuiſſe *per tormenta ingerunt*, ſecutus ductum antiquorum codicum. In hujus loci emendatione, ut & in illius vexatiſſimi, qui eſt in libello de moribus Germanorum: *Jamque cani ut inſignes, & hoſtibus ſimul ſuiſque monſtrari*, nullus dubito quin omnis eruditorum orcheſtra tuo ſit applauſura ingenio. Haec in libro I. Hiſtor. cap. 65. *quaeque alia placamenta hoſtilis irae non equidem in bello, ſed pro pace tendebantur*, ſic ſemper intelligenda eſſe credidi, infulas illos & velamenta praetuliſſe ſupplices ad placandam hoſtilem iram, quamvis nullum eſſet bellum, ne tamen urbem ſuam hoſtiliter ingrederentur & diriperent. Sic ſeq. cap. 66. *Cum haut ignari diſcriminis ſui Viennenſes, velamenta & infulas praeferentes ubi agmen inceſſerat, arma, genua, veſtigia prehenſando flexere militum animos*. Virg. VIII. AEn.

Cui me fortuna precari,
Et vitta comtos voluit praetendere ramos.

In Annali XV. c. 14. *adjeciſſe deos dignam Arſacida rem*, eſt dignam Rege Parthorum, ut poſſit cum fratribus ſuis de Romanis legionibus ſtatuere pro arbitrio. Apud Naſonem libro I. Triſt. eleg. 7. utilem operam in corrigendis his verſibus.

At mala noſtra minus, quam nunc, aliena putaſſes,
Duritiaeque mihi non agerere reus,

poſuiſti tu & *Tanaquillus*, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, ut ſpero. Verum nondum videtur mihi locus perſanatus eſſe. nam *que* in ſecundo verſu, ſi penſius conſideraris, locum nullum habet. Scribendum autem: *Duritiae mihi nunc non agerere reus*. In praecedente elegia pro *non ignava legentem otia delectant*, legendum: *non ignava legentum otia delectent*. Sed haec ſunt minoris momenti. nec tu alia a me expectas. Nobiliſſimus *Thevenothus* in ſuis noviſſimis haec de te: „ *J'ai eſté fort aiſe d'apprendre des nouvelles de Monſieur Heinſius, je ſouhaite quil ait trouuè a Paderborn la Santè, & le repos quil y eſt allé chercher: ſi vous avez quelque commerce de lettres avec luy, je vous prie, Monſieur, de lui faire quelque commemoration de moy, & de mon impatience d'apprendre de ſes nouvelles: faite le ſouvenir —— auſſi je vos prie, quil ma promis la relation d'un voyage. Pour ces eſperances quil avoit de trouer de MSS grecs a Moſco, je ne vous en parle point: car je croy quil n'en attend plus rien*. „ Quid ei reſponderi velis proxime ex te audiam. Vale mea lux & praeſidium unicum. Trajecti ad Rhenum ad XXI. Mart. CIƆIƆCLXXIII.

1 Hinc totius fere anni reſponſa Heinſii ad Graevianas epiſtolas deſunt, nec in ſcriniis reperta fuerunt.

EPISTOLA CXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Jai leu auec beaucoup de ſatisfaction l' Extrait de la lettre de Monſ. Heinſius, & quoi que cela n'euſt pas reſchauffé mon amitié, qui a tousjours eſté tres ardente pour luy, cela n'a pas laiſſé de la conſoler de la privation forcée de noſtre ancien commerce. Il n'y a rien de ſi noble, que ce quil vous mande ſur le ſujeƈt de la Gratification ſupprimée, & ſes ſentemens la deſſus ſont dignes de ſa raiſon, de ſon equité, & de ſon courage. Obliges moy de le luy mander & de luy dire, que quand elle n'auroit pas ceſſé l'annee paſſée par la raiſon quil ſcait, elle n'auroit pas continué cellecy par le trouble, que la turbulente Bellone à pris aux ſources des bienfaits, abſorbant toutes choſes pour nourrir ce Monſtre devorant, qui les a fait tarir non ſeulement pour les Eſtrangers, mais pour les Naturels & pour ceux, qui ſembloient a couuert de touts retranchements ſur noſtre Parnaſſe: & cette foudre eſt tombé ſur moy meſme, qui auois eſté aſſé heureux paur ſeruir a l'eſtabliſſement de ces graces, & qui m'en prevalois fort honorablement & fort utilement. Mais il a l'ame trop eleuee & trop desintereſſé pour auoir beſoin d'un ſemblable advertiſſement. Faites luy ſcauoir auſſi que ces Oeures de Wier quil m'avoit recouurees, ne ſont point venues en mes mains, & quelles ſont peut eſtre encore en celles de celuy, quil en auoit chargè, que la groſſeur du volume aura peu empeſcher de me le pouuoir envoyer. Quil ſache ſi vous plaiſt auſſi, que je ſuis bien aiſe qu'il ait trouué a Cologne le troiſieſme Volume du Terentius Chriſtianus, & quil me fera faveur de me le bien garder, juſqu'a quil y ait une ſeure occaſion de le faire venir icy.

Haec amicus communis tibi nunciari juſſit. Si quid ei & *Thevenotho* volueris per me reſpondere, fac propediem ſciam. Litteras, quas ad te a. d. XXIV. Martii dedi, & Antwerpiam ad Moretum curavi, recte ſpero tibi redditas eſſe. Nunc quod ſcribam vix erat, niſi me magno efferri gaudio nunciis, qui heri ex Batavis allati ſunt. Captam nimirum eſſe Coloniam, ubi conveniant legati Galli, Angli, Batavi de pace deliberaturi. Faxit Deus ut brevi male auſpicatum bellum finiatur, ne contra fortunam pugnando & hae reipublicae quaſi reliquiae pereant. Servandae eae ſunt in meliora tempora. Praeſtat decidere cum iis, quorum vela nunc fortuna implet, hiſce partibus perquam ubique adverſa, amiſſione unius alteriuſve urbis, exemplo Hiſpanorum, Caeſaris, Danorum, qui pacem coacti ſunt nuper redimere jactura non exigua tractuum ſui juris, quam totam perdere rempublicam. Ne plane ſteriles ſint meae litterae, en tibi locum Flori, quem omnes interpretes praeterierunt tanquam ſanum. Extat lib. I. cap. I. *Ab his Amulius jam bis ſeptima ſobole regnabat, fratre pulſo Numitore.* Noſtine tu quid Latinis ſit, *ſeptima ſobole regnare?* legendum addita una litterula: *Ab his Amulius, jam bis ſeptima ſoboles, regnabat, fratre pulſo*

Numi-

Numitore. Pro hac levi tuas expecto capitales, & ſimul indies de propinquo belli exitu latiores nuntios, ut tui deſideratiſſimi complexus compos fiam. Quem diem ſi videro, mea officia & ſtudia ſic exequar, ut iis tuam etiam vincam opinionem. Vale, mea lux. Trajecti. ad Rhenum a. d. XXIV. Mart. CIƆIƆCLXXIII.

EPISTOLA CXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litteras tuas perbreves, ſed oppido gratas, poſtridie quam eas exaraveras, accepi. Silentium enim tuum ſolito longius, qui omnes homines aſſiduitate ſcribendi vincis, magnam mihi ſollicitudinem attulerat de tua valetudine, verenti ne nondum confirmatam plane hoc iter permoleſtum afflixerit rurſus, & novam tibi plagam impoſuerit. Sed nunc recreor his tuis litteris, ex quibus video te ſalvum & incolumem domum rediiſſe, poſtquam multis magniſque defunctus es moleſtiis, alieniſſimo anni tempore. Spero patriam tuum in ſe ſtudium & merita agnituram, dignamque tuis laboribus, quos pro ea exhauſiſti plurimos per annos, gratiam relaturam. De rebus Muſicis apud Brabantos quid narraturus ſis avidiſſime expecto. Quid agat Marcus Antoninus *Gevartii*, quid alii, ſi qui ſunt, moliantur: vivat ne *Wallius*, venerint ne *Falconerius* & *Magalottus*, & quibus ille nominibus in fronte litterarum ſit compellandus. Daventrienſes amici *Terborchius*, *Hogerſius*, *Cuperus* valent. Reipublicae formam immutavit Elector Colonienſis, aliumque ſtatum ei impoſuit. Octo conſulibus noſtrarum partium magiſtratus eſt abrogatus, ſuffectis aliis octo, qui Romana ſacra colunt. Praefecturae quaeſturaeque omnes eorundem ſymbylorum hominibus mandatae ſunt, noſtris remotis. Octo tamen conſulibus, qui noſtram ſectam ſequuntur, magiſtratus eſt propagatus. Tribunorum plebei numerus auctus eſt ſedecim Romanae religionis. Inter eos, qui nunc ad clavum ſedent, eſt *Schrickius* & *Hogerſius*. Sed tantis turbinibus reipublicae, tantoque animorum aeſtu, quo & haec noſtra & illa jactatur urbs, praeſtat exhaurire ſentinam, quam in puppi navem gubernare. Amicus Pariſienſis mihi ſignificavit *Barrovium* commentarium edere in Apollonium Pergaeum, Archimedem, & Theodoſium: *Bernardum* vero varios antiquos Mathematicos, qui latuerunt inediti in bibliothecis Anglorum. In Anglia publicaturi quoque ſunt vitas omnium Mathematicorum, qui ab hominum memoria ad hoc uſque tempus floruerunt, litteris conſignatas a *Baldo* Italo, plenas, ut ajunt, bonae frugis & reconditarum rerum. In illo regno *Johannes Marshamius*, cujus eruditam diatriben Chronologicam, quae multos ante annos lucem adſpexit, credo te vidiſſe, prodidit quoque Chronicum canonem Aegyptiacum, Hebraicum, Graecum, cum diſquiſitionibus, quas ſane videre cupio. Roma ad

ſe ſcribi narrat etiam noſter puellam, quae virginem veſtalem egerit duos annos, ſexum exuiſſe, miſſaque ad ſe eſſe teſtimonia de hac Metamorphoſi medicorum & obſtetricum. Tuus Valerius Flaccus, qui tamdiu quaſi ſopitus jacuit, nunc te reduce veternum, ſpero, excutiet & feſtinabit rupto carcere in publico volitare. Negotium Academicum curae tibi eſſe gaudeo. Sed vereor ut tuis noſtriſque votis ſit reſponſurum. Athenaeum enim illud dicitur tanta doctorum omnis generis multitudine inſtructum eſſe, quanta nunquam antehac fuerit. In animum inducere vix poſſum in tanta pecuniae publicae penuria, Curatores poſſe perpelli ad magiſtros novos arceſſendos. Forte magis ex ſententia Amſterodami res ſuccedet, ſi ſit qui Ill. *Beuningio* & *Falconerio* faces ſubdat. Sunt qui mihi perſuadere velint eſſe in urbe illa maxima Proceres nonnullos mei ſtudioſos, & qui de me vocando cogitent etiam nunc. *Wolzogius* enim ſacram hiſtoriam ſive Eccleſiaſticam exponit. Alter, cui noſtrarum litterarum docendarum provincia eſt credita, non magis eas novit ac ſus occiſa: ne per nebulam earum umbram unquam vidit. Si offerrent mihi, quas ante triennium deferebant, conditiones, illico eas amplecterer, noſtris non repugnantibus, quorum res ad tantas anguſtias redactae ſunt, ut ne multorum annorum otio poſſint recreari. Argentum οἴχεται, nec ſpes ulla ſtipendii, quamvis hinc fuerint amoti, qui illud intercipiunt. Sed hanc rem Superorum curae & tuo in me ſtudio committo. Exemplum epiſtolae, quam ad Celſiſſimum *Principem Paderbornenſem* miſi, proxime habebis. nunc per feſtinationem non licebat eam deſcribere. Vale, lux tui temporis & patriae, & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. XIII. April. CIↃIↃCLXXIII. Gregor. De pace ſi quid firmius eſt quod ſperemus, quod plerique omnes faciunt, ne quaeſo graveris ad me perſcribere. Quod ſi etiam per negotia tua tibi licuerit adnectere nonnulla corollaria ex Tacito, qualia belliſſima mihi a te non pauca miſſa ſunt, *Sublimi feriam.* noſti caetera. Ignoſce quaeſo praecipiti ſcriptioni, & tot lituris. Meminiſtine me nuper te rogaſſe ut Illuſtribus Viris *Hugenio*, *Slinglandio*, *Beuningio*, ſi dabitur occaſio, ſignifices cum ſalute plurima, me Suetonios eis miſſuros, quam primum licuerit? Nobiliſſimo & Ampliſſimo *Beuningio* velim quoque, ubi videris, ſalutem meo nomine dicas, recipiaſque Suetonii exemplar me ei miſſurum, quamprimum pax veſtras terras nobis aperuerit. *Chimentellii* de biſellio exemplar mihi miſſum ſcis te ſervare, & *Caroli Dati* Panegyricum. Ego operam dabo, ut *Schultingii* in Senecam notae tibi tradantur. Nunc expecto quid novi ex Brabantia feras. Nihil ne de *Voſſio* auditur? Num conſeneſcet in inſula?

EPI-

EPISTOLA CXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EX ultimis terris & remotiſſimis gentibus crebras a te litteras habui. Nunc vero in iſta vicinia me hoc unico ſolatio privari diſcrucior. Occupationibus tuis, ſi ſcriptionis intermiſſae cauſſa ſunt, ignoſco. Sin valetudo te retardat, nihil me fieri poteſt miſerius, qui in tua amicitia unice conquieſco. Quid enim aliud cogitem neſcio, qui omnium in ſcribendo es impigerrimus. Amſterodamenſe, de quo praeterita hebdomade ſcripſi, & Leidenſe negotium, ſi voluptati, quam ex tuis litteris capio, officit, valeat. Nam ſi hac non ſuccedit, alia via mihi erit invenienda, (praeſertim ſi pax non convenerit,) quam nunquam niſi te auctore inibo, aut ſaltem quam te complexus fuero. Hodie ad nos perlatum eſt Electorem Brandeburgicum decidiſſe cum Rege Chriſtianiſſimo: inter leges pacis eſſe, ut Lipſtadium teneat praeſidium tam Luneburgenſis, quam Neoburgenſis ducis, donec totum bellum conficiatur. Principem *Condaeum* hîc indies expectant hoſpites noſtri. Deus vos ſervet, & faxit ut pax deſideratiſſima nobis reſtituatur. Vale, virorum praeſtantiſſime. Trajecti ad Rhenum a. d. XXI. April. CIↃIↃCLXXIII. *Magalottum* audio nos inviſurum, quo nihil mihi nunc accidere poterit optatius. Eum, ſi videris, quaeſo ut meo nomine peramanter ſalutes.

EPISTOLA CXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUae pridie de Brandeburgenſi pace ſcripſi, quae illo die ad nos nunciis litteriſque, ut ajebant, certis perferebantur, falſa eſſe & ficta Colonienſium epiſtolae, quas heri accepimus, docuerunt. Veriſſimum eſt non tantum qui cito judicant, ſed & qui cito credunt ad poenitendum properare. Tuas litteras vehementer deſidero. Notas *Schultingii* in Senecam ut ad te curaret *Elzevirius* operam dedi, iſque recepit, ſe tibi, quae deſideras, folia miſſurum. Nunc te quaeſo, ut mihi cures deſcribi indiculum librorum, quos ex Italia ſuperiore anno accepiſti. Meus enim mihi periit in hac rerum confuſione. Plurimum tibi debebo pro hoc officio. *Chimentelli* de biſellio Commentarium & *Caroli Dati* Panegyricum, ſi ad *Elzevirium* miſeris, videbimus an huc deportandi viam invenire poſſimus Habet enim penes ſe alia, quae mihi debentur. *Capellanus* amantiſſimis verbis te ſalutat. De *Wieri* operibus agam cum *Bernartio*, qui hîc degit. Vale. Traj. ad Rhenum XXIV. April. CIↃIↃCLXXIII.

EPISTOLA CXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litterae tuae perquam expectatae me mihi reſtituerunt, quem abſtulerant curae triſtiſſimae de republica, miſeriiſque, quibus urgemur. Eas cumulabat ſilentium tuum diuturnum, qui mortalium omnium in ſcribendo es impigerrimus. Angebar metu tuae valetudinis, ne forſitan in itinere vexata coeli intemperie vergere coepiſſet in pejus. Ad conſpectum tuarum haec quidem ſollicitudo conſedit, ſed illa de publicis malis non leviter aucta eſt, cum exiguam ſpem pacis oſtendas. Sed haec aeſtas eam, ſpero, nobis reddet, quamvis belli nunc apparatu perſtrepant omnia. Princeps *Condeus* pridie venit in hanc urbem, non ut hîc deſideat otioſus, ſed, ut prae ſe ferunt omnes, res gerat. Quae loca & quas terras infeſtaturus ſit, quove eventu, in dei manu eſt, quem precor ut vos ſervet. De pace Brandeburgica quomodo ſe res habeat diu non poterimus ignorare. Noſtri hoſpites ferunt exploratiſſimum ſibi eſſe, ſancitam eam eſſe. Sed aularum arcana nos neque ſcrutamur, quibus obſequii ſola gloria relicta eſt, neque libet, etſi eſſet copia, ſcrutari. Princeps Paderbornenſis & Neoburgicus dicebantur implorati fuiſſe ad pacem deprecandam non ab Ordinibus, ſed ab Electore, cum ejus cohortes terga darent Viſurgi penetrato. Hoc erat, niſi me fallit conjectura, quod ad te perſcripſi. Pro cura, quam ſuſtines, ut meis conſulas commodis & ſaluti, quas laudes & grates tibi dicam? Quemcunque res exitum ſit habitura, tibi tantum debeo, quantum vix cogitatione, nedum verbis poſſum aſſequi. Idus Majae ſi ſecundae mihi illuxerint, tibi uni adſcribendum eſt; ſi non reſponderint tuis meiſque votis, fortunae temporumque injuriae adſignabimus. Uxoris modo, ſi quid decernetur in rem meam, ratio ſi habeatur, propter incerta caſuum humanorum, de qua re in litteris Antwerpiam miſſis pluribus tecum egi, non laborabimus. Certum eſt mihi non refigere ſedes, hoc eſt, in Germaniam transferre hac aeſtate, quemcunque negotium, quod tu urges, exitum ſit habiturum. Spe pacis me ſuſtentabo. Nobiliſſimo *Magalotto*, ſi venerit ad vos, plurimam, quaeſo, meo nomine ſalutem dicas, magnaque cupiditate complexus ejus, cujus ſpem nobis fecit *Nedercaſſelius*, teneri ſignifices. Hîc ſatis grandis faſciculus exemplarium Suetonii, quae Florentinis amicis deſtinavi, illius adventum expectat. *Wieri* opera credo periiſſe. *Bernartius* ait, ſe, ſi recte meminerit, illum librum commiſiſſe perferendum Nobili Gallo, cujus nomen exciderit ſibi, ad *Bullialdum*. Quod ex me jam intellexit amicus noſter. Sed quoniam is tantum quae de praeſtigiis daemonum prodidit *Wierus*, deſiderat, poſſum hanc jacturam ſarcire. *Voſſii* de Muſica veterum diatriben aveo videre: poteſtne apud vos haberi? Editionem Antonii *Gevartii* promittebat olim *Moretus*,

tus, apud quem primum folium typis deſcriptum vidi. Tui complectendi deſiderium ferre diutius non poſſum, praecipue cum novam profectionem adornes. Si facultatem ad nos libere redeundi potero conſequi, cis paucos dies ad vos advolabo. Nam commeatum hinc proficiſcendi ſpero me per amicos hîc accepturum. Tu modo reditum mihi confice. Si me amas, & in tua eſt poteſtate, fac me hujus voti compotem. Ardeo cupiditate fabulas tecum ſerendi de communibus rebus & ſtudiis. Si non longas, fac ſaltem crebras a te litteras habeam. Tuam inprimis reſponſionem de hoc meo ad vos excurſu propediem expecto. Vale, decus & Princeps amicorum. Trajecti ad Rhenum III. Maji CIƆIƆCLXXIII. Ampliſſimum *Blyenburgium* ſi videris, ſaluta verbis amantiſſimis & Τὸν πάνυ *Beuningium*.

EPISTOLA CXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

BIna Suetonii, quae penes te ſunt, exemplaria, *Cottono* & *Voſſio*, ſi quae dabitur facultas in Angliam ea ferendi, velim tradi. Illa tuae fidei mando, donec reperiantur, quibus recte poſſint dari, certi homines. Nobiliſſimus *Magalottus*, qui meditatur iter in illam inſulam, hanc ſibi provinciam mandari non detrectabit, credo, qua eſt humanitate, ſi profectionem iſtam non praecipitaverit. Proxime litteras ad illum dabo, & hoc nomine, & ne poſſit officium meum, quod ejus debeo ſuaviſſimis litteris, accuſari. Ampliſſimus quoque *Blyenburgius* ne meum deſideret diu reſponſum, ad quam ab eo accepi verbis amantiſſimis ſcriptam epiſtolam plenamque humanitatis & officii, operam dabo. Schultingianarum animadverſionum in Senecam paginas, quas nondum vidiſti, nullus dubito quin ab *Elzevirio*, qui hanc olim dedit fidem, ſis habiturus. De Ceramici fronte ſecurum eſſe te jubebo. Proxime tibi mittetur. Nunc forulos meos excutere mihi non licebat. Excellentiſſimo *Hugenio*, cui omnium conſenſus in omni politioris elegantiae genere principem tribuit locum, & tanto parente digniſſimo filio, ſi primo quoque tempore oſtenderis, nihil mihi antiquius eſſe, quam ut meam eis probem obſervantiam & ſtudium ſingulare, maximam acceſſionem mirificis tuis infinitiſque in me meritis factam eſſe putabo. Si quando Illuſtriſſimi *Montoſerii* litteris tibi reponere non nihil vacabit, faxo ut bona fide curetur. *Jacobum Gronovium* monebo, ne hanc occaſionem augendae ſuppellectilis eruditae amittat, tibique, quicquid in eam parandam erogavit, expenſum ferat, ſi aut ſuae diffidit arcae, aut rectius ſe majore compendio alibi ſuos poſſe locari nummos exiſtimavit. Hodie mihi *Salmaſii* filius, qui recens ex Galliis venerat, ut in caſtris Regis tyrocinii rudimenta ponat, ad ſagi enim gloriam adſpirat, (quem tamen ipſe non vidi, domo enim aberam) litteras attulit a *Philiberto Lamario*, cum ejus epiſtolae de vita

Philandri Caſtilionii, quam memoriae mandavit, duobus exemplaribus, quorum alterum tibi dono mittam, quam primum potero: narrat ſe multum profligaſſe in Salmaſiana vita prodenda. *Capellanus* & *Cuperus* tibi ſalutem dicunt plurimam. Ab utroque litteras habui minime Laconicas. Iſte in Luciano illuſtrando & emendando aetatem occupat, cujus operae pulchra nuper ad me miſit ſpecimina. De Harlemenſi Silii codice memorem mones. Propediem certiora ex me de illo cognoſces. Ad *Daumium* quoque brevi nonnihil exarabo, tuaque, ubi quaerenda ſit epiſtola, ſi eam non acceperit, ſignificabo. Marii Victoris opuſcula cum *Garnerii* notis ampliſſimis & diſſertationibus in folio, ut loquuntur, Pariſiis edita, & Concilium Illiberitanum hiſce diebus amicus mihi ex Galliis attulit. Quaeſo te, ut Bruxellenſem editionem tuam inſpicias, meque certiorem facias, numquid Mario quicquam acceſſerit in illa, quod in editione Pariſienſi fruſtra quaeras. In epiſtola *Scaligeri* mentio fit peregrinationis Cereris, Claudiano, niſi fallor, Claveriano adjectae, eam num videris, & quo loco apud te ſit aveo ſcire. De exitu navalis praelii nuperi eſt ſane quod vobis gratulemini. Diſcuſſa enim ſunt conſilia invadendi oras maritimas. Si poſtprincipia reſponderint principiis, reſpublica in vado erit. Nunc cum claſſis Anglica teneat altum, nondumque ſubducta ſit in portus, nondum videmini omni metu eſſe defuncti. Cum primum aliquid decernetur fac, quaeſo, ſtatim ex te cognoſcam. Trajecti obſidionem urgeri non credo nunc dubium apud vos eſſe. Vereor ut diu ſuſtinere poſſit impetum oppugnantium, ſi vera ſunt quae de praeſidii militaris exiguitate hîc ſparguntur, non incertis, ut videtur, auctoribus. *Sacra ſpecies* eſt apud Senecam imperatoria dignitas, ut apud Claudianum IV. Conſ. Honor.

Amiſſa ſpecie, raptiſque inſignibus ambo
In vultus rediere ſuos.

hoc eſt amiſſa imperatoria dignitate. & apud Horat. I. Epig. 6,

Si fortunatum ſpecies & gratia praeſtat.

hoc eſt Magiſtratus conſularis aut praetoria dignitas. Tacit. IV. Ann. 6. *Sua conſulibus, ſua praetoribus, ſpecies.* Cic. I. ad fam. 9. *Hic meae vitae curſus offendit eos fortaſſe, qui ſplendorem & ſpeciem hujus vitae intuentur, ſollicitudinem autem & laborem perſpicere non poſſunt.* Illud: *par judicium patrum eſt*, extra omnem dubitationis aleam pono: ſed illi conjecturae *renatus Equitis accenſus favor* nondum poſſum ſuffragari. Editam tamen ſcripturam nullius rei non inficias eo. Sed quomodo huic vulneri ſit medendum nondum exploratum habeo. Vale, Virorum & amicorum praeſtantiſſime, & feſtinatae ſcriptioni ignoſce, a. d. XVII. Jun.

EPI-

EPISTOLA CXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Laureatis veſtris quid occinant Galli cognoſces ex his illorum nationibus, quibus utriuſque conflictus navalis victoriam ſibi vindicant. Sed eas ſi rerum refutant teſtimonia, non inique credo fertis, ſi & ſibi ipſi & aliis dant verba. Num tamen huic epiſtolae quid reponendum ſit, vos videritis. Hoc ſaltem pro explorato habetur Tameſin non obſideri, ut apud vos jactabatur. Τὸν ἡγεμόνα vaſa brevi conclamaturum eſſe nondum nobis conſtat, nec ulla profectionis hujus ſigna ſe nobis offerunt, quamvis & hîc ſint, apud quos rumores iſti fidem inveniant. Ampliſſimum *Blyenburgium*, paternarum virtutum & laudum, quas ὁ πάνυ Parens tuus immortali poſterorum memoriae conſecravit, haeredem ac propagatorem, quaſque inſignibus novorum decorum acceſſionibus amplificavit mirifice, cum a plurimis annis colam unice, & obſervem tanquam praecipuum patriae decus, facile potes exiſtimare, quo gaudio exilierim, cum ejus mihi traderentur litterae, teſtes effuſi ejus in me ſtudii & voluntatis, quibus etiam nunc reſponſum debeo perinvitus. Neſcio quid necopini intercеſſerit adhuc illis diebus, quibus litterae ſunt ad vos exarandae, quae me non ſiverunt ſcriptioni vacare. Proxime tamen hoc officium perſolvam. Tu pro tuo erga me amore fac, ne hoc ſilentium longius accipiat ſiniſterius. Meminiſtin' te Suetonii exemplar miſſurum eſſe ad *Falconerium* Bruxellas? Puto ex duobus, quae penes te ſunt, exemplaribus, alterum ei deſtinatum eſſe. Sed haec deleo. Jam enim recordor per *Magalottum* ad *Falconerium* curatum eſſe, quod ei dari volebam. Voſſianum neſcio num in Angliam ſit mittendum, forte rectius tradetur *Junio*. ſed utrumque rogo ſerves exemplar, donec quid deliberatum mihi ſit exploratius perſcripſero. *Magalottus* non fuiſſet praetermittendus, fateor, praeſertim cum ſuam offerret operam ad perferenda, quae *Cottono* voluerim reddi. Forte per *Falconerium* haec poterit ſarciri jactura. Quae ad *Daumium* & *Thevenotum* mandaſti probe curabuntur. Illiberitanum Concilium editum eſt Lugduni cum Apologia *Ferdinandi de Mendoza*, & notis *Emanuelis Guadiſalvi* anno LXV. hujus ſeculi. In Octavia, τὸ *caſtris* perplacet. Sed ut ille verſus: *Senatus equitis accenſus favor* peſſime ſe habet: ſic nondum videtur remedium inveniſſe viros doctos, quo hoc vulnus curetur. Nam de friguſculo, quod inter hunc ordinem fuerit & Neronem, nullum eſt apud veteres veſtigium. Sed nec *accenſus favor* videtur locum hîc habere, amplius deliberandum cenſeo. Nunc nihil mihi occurrebat: ſed pro depoſita περικοπῇ etiamnunc haec habeo. Forte tamen, ſi quae ad tuam emendationem firmandam collegiſti videro, tibi ſuffragabor. Nunc nondum poſſum, qui meus ſtupor eſt, videre ulcus hoc ſanatum eſſe. Tu nunc vide an in Juvenale corrigendo mihi faveant Muſae. Notiſſimus eſt locus Satyrae I.

Tyrias

Tyrias humero revocante lacernas
Ventilet aeſtivum digitis ſudantibus aurum.

Quis unquam audivit *ventilari aurum?* Tyriae lacernae ventilabantur, digitis ſudantibus annulorum pondere. Itaque legendum puto: *ventilet aeſtivo digitis ſudantibus auro.* Perurbane reprehendit Criſpinum, quod ut ſardonychatam manum oſtendat, aſſidue ventilarit togam ſeu ſublevarit teneris illis digitis, ut vel minimo illo pondere aeſtivali ſudarent. Sed haec conjectura mihi non ante probabitur, quam tuum tulerit punctum. *Garnerius* de Bruxellenſis editoris Mercatoris injuria conqueritur vehementer. Polemonis a *Poſſino* publicati declamationes ſi quo in bibliopolio poterint reperiri Antwerpiae me docueris, videbo an poſſim invenire, qui mihi comparet. Flagro enim deſiderio eas habendi. Editionem tuarum obſervationum & notarum in Valerium Flaccum noli, ſi non tuis iraſceris lucubrationibus pulcherrimis, & nos exquiſitiſſimarum rerum cognitione defraudare, & deſiderio illarum cruciari miſerrimum in modum non vis, fac quaeſo ne diutius differas. Venuſinae lectiones *Rutgerſii* ubi latent? Vale, Virorum & amicorum ſumme. Salutat te mea Caja. Trajecti ad Rhenum 29. Jun. CIƆIƆCLXXIII.

EPISTOLA CXXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NIhil, Heinſi, te ſuavius, nihil tuis epulis eſt conditius, quae non ſolum mihi, qui monogrammus & male vivus ad te veneram, valetudinem, ſed & corpus & colorem reddiderunt, ut redux probe curaſſe cuticulam, & totus nitere videar omnibus. Nec id mirum, qui non ſolum bene coctis cibis, ſed & bonis dictis plurimis tuos hoſpites accipis tam laute, ut quocum melius eſſe poſſint inveniant neminem. Vide vero ne hac prolixa tua benignitate tuo penori peſtem ac perniciem arceſſas, ne ſaepius, quam tu velles, tibi condicant tales hoſpites non multi joci, ſed multi cibi, quippe qui jejunitatis pleni nuſquam ſe poſſunt in ſaginam conjicere unctiorem, quam apud hunc Regem. Si hoc reſciſcat famelicum illud genus, quod hîc omnia depaſcitur, ne Neptunus ipſe cum omnibus ſuis undis id a tua culina poterit arcere. Ego vero, dum non licet ventrem, animum ſaltem aſſidue paſco memoria ſuaviſſimarum tuarum coenarum, ac eruditarum fabularum, quas, peream, ſi non regiis praefero deliciis. A *Spanheimio* nihil recipio litterarum, ut neſciam num meas ad Celſiſſimum Principem Paderbornenſem litteras curarit. pro diplomate Celſiſſimi Principis & tibi & Nobiliſſimo *Zelemio* gratias debeo maximas, habeboque ſi vivo, & candidiores ſoles nobis illuceſcent. Nam quamvis ſerius ad me perlatum ſit, veſtram tamen de me curam ac ſollicitudinem declarat luculentiſſime. De Illuſtriſſimi *Zulichemii* benevolentia erga me cum me certiorem

rem facis, cave credas quicquam a te potuiſſe mihi nunciari laetius & acceptius. Nam a teneris annis admiror & ſuſpicio tanti viri virtutes, & doctrinam, & tot tamque praeclaros ingenii foetus, quos in tanta mole rerum edidit, ut vix quisquam ſit, qui in otio & litteris omnem aetatem exegit, qui ei poſſit conferri. Maximus cumulus infinitis tuis erga me meritis accedet, ſi hujus Herois gratiam mihi conciliaveris, qua nihil mihi antiquius eſſe ipſe propediem teſtatum faciam. Habes hîc litteras a duce *Montoſerio*, quas in eas, quas ad me humaniſſimum in modum ſcripſit, conjecerat. Si quid reſponſi molieris, curabitur id a me diligenter. De loco poëtae, in quo *ſpecies* tibi ſuſpectum eſt, quaeſo ut me moneas, nam & memoria excidit, & ſchedula periit. Emendationes quo plures ad me perſcripſeris, tanto magis me ad cultum noſtrarum artium excitabis; alioqui non audebo tibi nugas meas occinere. De obſeſſione Trajecti ad Moſam, & de conflictu claſſium hîc rumores circumferuntur incerti. Deus vos ſervet. Vale, Vir Summe, & tibi perſuade, me, quaecunque me fortuna manebit, & tuorum beneficiorum memorem, & tui ſemper ſtudioſiſſimum & amantiſſimum futurum. Uxor te ſalutat. Trajecti ad Rhenum ὡς τάχιςα. Kal. Jul. CIϽIϽCLXXIII. epocha Dionyſiaca. Princeps *Condeus* valet, & bellum inſtruit.

EPISTOLA CXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litteras meas noviſſimas tibi traditas eſſe nullus dubito. Nunc quidem quod ſcriberem vix erat, niſi quod pro tuis ἐυαγγελίοις tibi feram res non laetiſſimas de obſidione Trajectina. Quanquam norim ingratum eſſe κακῶν μάντιν, non potui tamen quin ad te mitterem epiſtolam, quae heri ad Principem *Condeum* fuit ex caſtris miſſa per certum hominem, huc ablegatum ad iſtos nuncios perferendos, qui gaudium veſtrum de ſucceſſu rerum maritimarum nonnihil videntur obfuſcare. Quid litterae, quae hodie expectantur, ſint allaturae brevi cognoſcemus. Adjeci verſus hos Lutetiae publicatos, quos velim communices cum Illuſtriſſ. *Hugeniis* patre ac filio, ſalutemque iis meo nomine dicas amantiſſimis verbis. Proxime habebis aliud ejuſdem argumenti. Nunc per temporis anguſtias id deſcribere mihi non licuit. Memini apud *Gudium* videre libros aliquos rariores Inſulis editos, ſed quorum nomina mihi exciderunt. Eos ſi tu poteris mihi in memoriam revocare, gratiſſimum feceris. Eſt enim nunc in illa urbe meus amicus, qui in illis emendis operam ſuam mihi navabit. Ampliſſimo *Blyenburgio* me nondum officium tamdiu debitum perſolvere poſſe indignor. Sed, crede mihi, jam calamum arripientem interpellaverunt nec opinae remorae. Proxime tamen hoc nomen expungam, & ad *Schefferum* quoque litteras dabo. *Ryckium* noſtrum, ſicubi videris, ſaluta quaeſo. Vale flos viro-

virorum. Trajecti ad Rhenum postrid. Kal. Quintiles CIↃIↃCLXXIII. Litteras *Jacobi Gronovii* ex Hiſpaniis ſcriptas aut in tuis, aut in *Gronovianis*, aedibus amiſi; inquire, quaeſo, num a tuis forte fuerint inventae. Has litteras praeterito die Solis exaraveram: ſed cum ſerius a meis familiaribus perferentur ad nuncios jam elapſos, non potuerunt tum ad vos mitti. Paucis horis poſtquam illas obſignaveram, accepimus Trajectum ad Moſam praeterito die Saturni ſe humanaque omnia ac divina dedidiſſe Regi Galliarum. Hinc plurima laetitiae argumenta illa veſpera in hac urbe a praeſidiariis fuerunt edita. Tympanorum ac bombardarum majorum minorumque ſtrepitu tota perſonabat civitas viciniuſque ager. Sequenti die a meridie hora quarta ad omnia pulvinaria in baſilica majore ritu Romano hujus victoriae nomine ſupplicatum eſt. De claſſe ſi quid adfertur certi, ubi per te cognovero, multum te amabo. Vale, o decus noſtrum, & *Ryckium* meum ſaluta. Te quando hîc complectemur? O dies illuceſce. De pace quid? eſtne quod ſperemus? En tibi litteras ad Nobiliſſimum *Blyenburgium*.

EPISTOLA CXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SYllogen illam novarum rerum, quam ante hebdomadem unam atque alteram tibi miſeram, videntur nunc ipſi damnare, qui eam publicarant. Herbam enim jam porrigunt, nec de victoria noviſſimi conflictus marini ambigendum amplius exiſtimant, effuſi in laudes *Reuteri*, cujus virtutem & prudentiam in ordinanda claſſe, ac quamcunque in partem incitaſſet gubernanda, & quaſi habenis flectenda agendaque, in coelum tollunt, non faex caligatorum, ſed οἷς λαοί τ' ἐπιτετράφαται. Nunc blanda ſpes pacis nos coepit afflare, quam ſi non eluſerit de tranſverſo incurrens fortuna, nondum omnes adytis noſtris exceſſiſſe deos putabimus. Sin vero is fuerit rerum temporumque curſus, ut haec acerbitas diutius nos preſſura ſit, neque de ulla mutatione nobis explorati quicquam poterimus polliceri, circumſpiciendus erit aliquis abditus ſinus, in quem ante hyemem nos recipiamus, ne inedia & miſeriis conficiamur. Praeterito Solis die litteras habui ab Heidelbergenſibus & *Spanhemio*, qui me denuo ſollicitant, & quibus conditionibus adduci poſſim, ut eo ſedes meas transferam, rogant. Suſtinebo tamen paruimper, neque fidem meam obſtringam iis, antequam de exitu Colonienſis conventus cognoverimus aliquid certi. Quod brevi, quantum multis ex rebus licet providere, futurum eſt. Nihil autem te inconſulto conſtituam, cujus auctoritas quantum apud me valeat, mihi ipſe teſtis ſum, nec tu ignoras. Principem *Condeum* hinc diſceſſiſſe Gravam noſtis, opinor. Semel iterumque perquam honorifica tui mentio apud eum facta. Vidit elegiam de apibus & laudavit. Hoc quoque ajebat abiturus,

non

non longe poſt ſe rediturum. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Suetonii duo, quae penes te ſunt, exemplaria quoniam difficulter in Angliam nunc poterunt deferri, invenient forte alios dominos brevi, ſi non grave fuerit tibi ea cuſtodire. In Octavia pulchre tu quidem conjicis & erudite pro tui ingenii ſollertia & elegantia, ſed nondum tamen iſtum locum perpurgatum eſſe reor, quamvis in illius maculis eluendis ſumma ſe exercuerint ingenia. *Caſtris* perplacet. Sed *rnatus equitis acenſi favor* vereor ut aliis poſſis perſuadere. Nam tranſlatio ꝑ *accenſi* videtur perquam aſpera eſſe, & aliena a conſuetudine ſcriptorum politiorum. Vide num, quod mihi hunc locum conſideranti nunc accuratius in mentem inciderit, tibi probetur. Sic eum non male conſtitui poſſe putabam:

Invidia caſtris victa conſenſu pio
Ceſſit, ſecutus equitis accenſus favor
Plebiſque votis atque judicio patrum.

Secutus eſt conſenſum caſtrorum ſeu militum praetorianorum favor equitum, accenſus tam plebis votis quam judicio patrum. Accenſis militaribus hîc non videtur locus eſſe. Quid enim illi ad ordinem equeſtrem, praeſertim illa tempeſtate. τῷ *ſudare* caſum quartum familiarem eſſe, ad Claudianum & Prudentium bene docuiſti. Recte dicuntur *favi ſudare mella*, & pervenuſte *ſudare triumphum*, pro multo ſudore victoriam conſequi. Aliud quoque eſt *ſudare proelia*, nimirum magno ſudore committere, ſicut apud eumdem Poëtam *ſudata bella*, ſudore confecta. Sed apud Juvenalem aliter ſe rem habere, ſi animum advertamus, certum eſt: digiti enim non ſudant aurum, ut quercus aut favus mella, ſed ſudabant illi nimio aureorum annulorum pondere. Putaſne hîc dici poſſe *ſudatum digitis aurum*, ut ibi *ſudata proelia*, *ſudati triumphi*, *ſudata mella*. Hinc nondum a ſententia priore, qua legendum cenſui, *aeſtivo digitis ſudantibus auro*, dimoveri poſſum. Si tamen tu diſſentis, non repugnabo. Apud Cornelium Tacitum xv. Annali longe praeferenda eſſet ſcriptura codicis Agricolae, in quo fuit exaratum, *quod ſe faſtigioque dignum Arſacidarum*, vulgato *dignum Arſacidarum*, & utriuſque noſtrum conjecturae, ſi haberemus exploratum illum librum non eſſe interpolatum, cujus veſtigia te deprehendiſſe non pauca in lectionibus longe recedentibus ab aliorum librorum manu, olim, niſi fallor, ſignificabas. *Bellum innovarent* pro *juvarent* certiſſimum eſt, & ſine controverſia verum. Sed *imputatus* Hiſtoriarum lib. 1. cap. 87. non aeque mihi arridet. Sane ſenſus loci reſpuit. Imputari potuiſſe Oſcum honeſtioribus, tanquam honor illis hoc ipſo fuiſſet habitus ab Imperatore, ut ais, liberto parere juſſis, tibi do. Nota eſt non protrita notio ꝑ *imputare* apud Tacitum, Senecam, & alios horum temporum ſcriptores. Sed quid ſit *imputare ad obſervandam fidem* fateor me ignorare. Aliud quid latet nondum cognitum, quod forte felicior hora deteget. Nam lectionem, quae nunc circumfertur, vitioſam eſſe dubitari non poteſt. Libro 1. Hiſtor. cap. 64. ſcabra ſunt verba: [1] *non quidem* *in*

[1] ... forte, *nota pridem bello, inſolita pace, protendebantur.* haec Heinſius margini adſcripſerat.

in bello, ſed pro pace. non tamen inepta eſt Lipſii expoſitio, quae adhuc mihi ſatisfecit. Non quidem bellum erat, ſed tantus pavor Gallos invaſerat, ut ſupplices & velati occurrerent, ac ſi hoſtiles copiae irruerent, ferro flammaque graſſaturae, itaque ad pacem retinendam, & mala, quae metuebant, deprecanda, velamenta praetendebant, tanquam bellum eſſet. Te audiam lubens, ſi quid rectius habes quod impertias. Hiſtoriarum III. 25. locus ingenioſiſſime a te reſtitutus eſt. Omnis eruditorum natio hîc tibi applaudet, ut & in Statii Genethliaci emendatione. Naſonis verba non ſollicito ulterius. In tuam lubens diſcedo ſententiam. Num res provenerit melius in Juvenale vide quaeſo. In Satyra VI. verſ. 171. ſcribitur.

Parce precor, Paean, & tu depone ſagittas,
Nil pueri faciunt.

Quis ille *tu?* ſcribendum: *Et tu dea pone ſagittas*, nimirum Diana. Polemonem ut Antwerpiae quaerant amicos rogavi: Valerio Flacco conſummando te propediem incubiturum vehementer gaudeo. Fac interea, ut tuis emendationibus, quos te miſſurum promittis, ejus deſiderium leniatur. Utinam & Virgilianis lectionibus & Adverſariorum libellis perpoliendis operam dares quamprimum. Qua ratione melius poteris animum avocare a cogitatione & memoria praeſentium, quibus urgemur, malorum, quam ſi eum occupatum habueris in pulcherrimis artibus illuſtrandis? Verſiculos tuos de tertio bello Punico cupide videbo. Amicis Pariſienſibus jamdiu debeo reſponſum: nec non ipſi duci *Montozerio.* Proxima tamen hebdomade mittam, quae reponenda ſunt. Tuas, ſi ad me perferentur, diligenter curabo. *Thevenothus* quoque ut ex me reſciſcat, quorum certiorem eum fieri cupis, Ampliſſimo *Blyenburgio*, nec non Nobiliſſimis *Hugeniis*, ſi quando videris, & *Vander Wallio* ac *Ryckenio* noſtro ſalutem dico. Trajecti ad Rhenum a. d. XIX. Jul. CIↃIↃCLXXIII. Nuperius ſcripſi de libris rarioribus Inſulis editis. Coloniae quoque habeo, qui ſuam mihi operam navabit in conquirendis libris. Si quid ibi curatum velis, mone.

EPISTOLA CXXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

HEndceaſyllaborum, quos nuperius mittebam, auctor nec *Menagius* eſt nec *Rapinus*, ut vos ſuſpicabamini, ſed [1] Pater ſocietatis a Lojola inſtitutae

[1] Credo *Joan. Commirium* intelligi, qui fabulis ſibi nomen peperit, quae inter Poëmata ejus leguntur pag. 134. & ſeq. quae ut & pleraque ejus carmina, acerba in Batavos opprobria, & foedae erga Regem adulationis monumenta exhibent. hos tamen Hendecaſyllabos non reperi inter ejus carmina, niſi ſint inter poſtuma, quae non ſunt ad manum. ſed quia neſcio an editi ſint, hîc legi volui.

tae Rhotomagenſis, qui fabulas aliquot Latinas edidit elegantiſſimas, ad exemplum Phaedri compoſitas, quarum unam vobis non ita pridem, cum vobiſcum eſſem, legendam offerebam. Nomen ejus excidit memoria. Sed & hoc brevi cognoſces. Accipis hîc alium ejuſdem ingenii foetum. Habebis propediem alterius Gallici poëtae carmen heroicum perpulchrum, licet argumentum nos non poſſit oblectare, ſi quae tu cecinisti, mihique promiſiſti, ante videro. Sic enim habeo, tam diu me ſummae voluptatis, quam ex tuis poëmatibus capio, fructu carere, quamdiu pollicitationis tuae torqueor expectatione. Nam cum ingenii tui vim & elegantiam dudum admirer & ſuſpiciam unice, nihil impenſius expeto, quam quae tu pangis carmina, cedro digna & omnium ſeculorum memoria. Si quae te cura tangit hominis tui tuarumque lucubrationum cupidiſſimi, ſique ei non invides praecipuam quandam in hac temporum triſtitia jucunditatem, noli, quaeſo, me defraudare longius uſura rei deſideratiſſimae. Jubeo te metum omnem deponere, ſi quid forte in tuis verſibus interpoſitum fuerit, quod ullius hoſpitum noſtrorum animos poſſit offendere. A nemine, ſi volueris, legetur, niſi a me. De congreſſione navali ego quoque noviſſimis in litteris copioſe ſcripſi. Si matre Magna tam propitia uteremini quam Amphitrite, non laboraremus. Sed fruſtra hujus gratiam jactatis, ſi illa irata veſtriſque conſiliis inimica de ſui juris poſſeſſionibus vos deturbat, & tam pulchras ſedes aliis cultoribus adſignat. Sed omen deſpuo. Quae manus *Condaei* ſit icta ſuperiore anno ne dubites in poſterum. en tibi epigramma unum atque alterum *Vavaſſoris*, quae modo mihi miſit. Torpedo iſta meretur aurea poni a vobis, & immortalibus honoribus celebrari, cui veſtram vos debetis ſalutem. Sed vereor ne fruſtra vos ſervarit, ſi ipſi pacem detrectantes nolueritis ſervari. Nam ſunt, qui metuunt, ne denuo phaleratis dictis, & ſplendidis, ſed inanibus promiſſis ducamini, uti decurſo proxime anno, ab iis, qui id ſtudent, ut propagatione miſerrimi temporis noſtri impendentem ſuis capitibus procellam avertant, quam diu poſſunt: valde quidem imprudenter, nam haec, quae nos urgent, mala in eorum tandem redundabunt interitum. Sed ſi ſerio rem veſtram agerent, aliam longe viam ingreſſi eſſent dudum. Cadmea Daventrienſium amicorum proelia dolorem augent, quem communia tempora mihi infligunt. Nemo profecto ſatis hanc inſaniam miretur, quod gladiatoria deſperatione etiam nunc concurrant, quorum jugulis inſidet hoſtilis gladius. Interneciva haec odia vix poterunt extingui ſine alterutrius, aut forte partis utriuſque exitio. *Hogerſii* poëmata nondum vidi, ne litteras quidem a longiſſimo tempore. Ampliſſimum *Terborchium*, ſi reverſum videris, ſaluta quaeſo meo nomine, ut & *Schefferum*, ſi quando litteras ad eum dederis. Tuas ad Ducem *Montoſerium* expecto. Deliberatio de ſtatione Heidelbergenſi me nunc ſuſpenſum habet & anxium, praecipue ſi ſpes pacis evanuerit. Ea mihi videtur extenuari. Quia multa ſunt, unde conjecturam facio pacem non futuram, quamvis aliter ſentiant, quotquot hîc cives ſunt & hoſpites. Veſtro colloquio & complexu nihil quidem mihi poſſet accidere optatius, praeſertim hoc tempore, quo tui conſilii copiam deſidero, ſed multa ſunt, quae me re-

 tinent,

tinent, nec ſinunt ad vos excurrere denuo. Optimi *Pluymeri* deceſſum non ſpero tui Valerii editionem retardaturum. Operam quaeſo da, ut propediem exeat. Sunt hîc, ne plane Muſarum commercium refrixiſſe exiſtimes in hac urbe, qui triumviros amorum cum variorum notis decrerunt typis deſcribere. Iis auctor ſum, ut *Douſae* editionem exprimant, illique ſubjiciant potius integras *Scaligeri*, *Mureti*, & *Achillis Statii* notas, quam mutilatas aliorum. Terentium Roſtochii editum nullus vidi. Sed habeo minorem editionem Francofurti publicatam anno nonageſimo quarto ſuperioris ſeculi cum notis *Chriſtoferi Coleri*. In eam ſicubi incidero, tuorum deſideriorum memorem me cognoſces. Pulchrum *Blyenburgii* vulnus ſpero brevi coiturum. Deum veneror ut tanto parente dignus filius patriae & ſuis ſervetur. Patrem ejus perilluſtrem ſaluta, ut & Illuſtriſſ. *Beuningium* & *Slingelandium*. Trajecti ad Rhenum a. d. XXVII. Jul. CIƆIƆCLXXIII.

AD SERENISSIMUM
PRINCIPEM CONDAEUM
RHENI
LIBELLUS SUPPLEX.

INvictiſſime BORBONÎ nepotum,
Seu tu Gallicus Hercules vocaris,
Seu Mars Franciadum, Arbiterque belli:
RHENUS Teutonicique Gallicique,
Quondam limitis imperîque cuſtos;
Nunc ripam per utramque Liliorum,
Auratoſque rigans colenſque flores,
Ultro fert tibi ſupplicem libellum,
Hoſtili modo ſanguine exaratum:
Cui ſubſcribere non ſtylo, ſed enſe
Ut CONDAEE tuo velis, precatur.
Ac ne te morer, illa ſumma voti eſt:
Indignos dominos jugumque turpe,
Et quicquid reliquum eſt adhuc Batavi
Nobis ſervitii eximas; nec ultra
Captivam ire ſinas ſub aequore undam:
Non injuſta peto. Sicamber oras
Has enim Pharamundus obtinebat;
Cum pulſis Aquilis ad arma gentes,
Franco nomine, liberas vocaret.
Ad priſcos liceat redire cives,
Sub priſcas liceat redire leges.
Sic Natum videas Pater triumphos
Exaequare tuos, Avus Nepotem.
Nec longa eſt opus expeditione:
Reſtant oppida pauca, quae minaces
Non ferent oculos; manuque forti
Vix impulſa ſolo dabunt ruinam.
Certe dum legitur tibi hic libellus,
Jam fere poteras patraſſe bellum.

adjecta etiam erant Epigrammata *Vavaſſoris*, ſed quia illa edita ſunt lib. IV. Epigram. 15. 16. & 17. hîc ea omiſi.

CON-

CONDAEUS PISCATOR.

Quis hoc ferre poteſt, quis intueri?
Ille Maximus Imperator, ille
Alcide melior, Deoque belli,
Condaeus, Batavis repente in oris
Piſcator memoratur eſſe factus:
Nec jam celſus equo fremente, circum
Armatas acies, obire, ut olim
Caſtrorum immemor, immemorque campi;
Sed alno vada ſutilique pinu
Scrutari lacuum humidos receſſus,
Remum pro gladio manu capeſſens.
Huc illum furor hoſtium coëgit,
Dum mergunt patriam ſuam ſub undis;
Atque diluvie hinc, & hinc refuſa,
Eheu! naufragio petunt ſalutem.
Nunc ergo unicus ille Victor, ille,
Tot palmis decoratus ac triumphis,
Piſcatu aſſiduo fatigat amnes;
Et ſua Batavum aemulatur arte.
Quanquam retia piſcibus minutis
Fugit tendere, ſquameumque vulgus,
Sectari illicibus recuſat hamis:
Dignos Principe captat ille piſces,
Et quos appoſuiſſe Ludovico
Ingratum haut fuerit vel indecorum;
Arces ſcilicet atque civitates,
Immerſas maris obrutaſque fluctu.
O praedam egregiam atque delicatam!
At vos aequorei timete cives!
Piſcator meus haud quieſcet; Hagam
Donec ceperit, Amſtelodamumque.

AD AVITUM.

Illice Condaeus quod cautius utitur hamo;
Piſcator; ratio eſt: ictus, Avite, ſapit.

N. H.

EPISTOLA CXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Quas ante hos octo dies litteris tuis recentiſſimis repoſui, nullus dubito quin acceperis. Nunc cum ad vos contendat *Thomas Peinius*, Ultrajectinus, juvenis eximius, qui virum ſpondet egregium, praecipue in litteratura ſacra, cui excolendae ſe totum dedit, non potui quin has ei perferendas committerem, obſecutus ejus praecipue deſiderio te, quem dudum admiratur & colit, videndi. Nec dubito, quin qua es humanitate benigne illum ſis admiſſurus. Accipis hîc etiam vitam *Philandri* a *Philiberto de Lamare* litteris proditam, quam nuperius tibi promittebam, & ſyllogen homiliarum antiquae eccleſiae doctorum in Epiphaniam a *Daumio* collectam: adjeciſſem etiam ejus Palponiſtam, ſed exemplum, quod tibi deſtinaram, non erat ad manum, uti & frons Ceramici Meurſiani. Habebis illa proxime. Tuam epiſtolam ad Illuſtriſſimum *Montoſerium* expecto. Heidelbergenſibus nondum reſpondi; incertus pacificationis exitus auget curas, quibus me angi noſti, & dubium animi ac conſilii reddit magis magiſque. A tuis conſiliis fidei & prudentiae plenis mea nunquam diſcrepabunt, niſi inevitabilis neceſſitatis lex nos coëgerit invi-

tos

tos aliud ſequi. Tuas itaque litteras expecto cupidiſſime propediem. Regum claſſes refectas & auctas altum tenere fama fert. De qua ut & de pace ſi quid explorati habes, quodque ſine ullo diſcrimine nobiſcum communicare tibi licet, nullus dubito, quin meam cupiditatem ſis expleturus. Vale, lux patriae. Traj. III. Aug. CIϽIϽCLXXIII.

EPISTOLA CXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Francofurtum.

GAllinaceorum convitium parum moramur: modo illa infeſta roſtra, hamatoſque unges, quibus vitalia noſtra petunt, a nobis abſtineant. Id unum vereor, ne qui ſpem vobis eos abigendi faciunt, impune noſtrum corium lacerari ſinant, dummodo a ſuis illos capitibus, quamdiu nobis illudunt, arceant. Videntur enim in temporum inclinationibus omnem praeſidii ſui ſpem collocare. Faxit deus ut irritum ſit meum augurium, neve tam verus vates ſim, quam fui ſuperiore anno. Meminiſti enim, credo, quae de copiis auxiliaribus canebam, quamvis fidem non invenirent, eventum comprobaſſe maximo rei publicae malo. De firmo ligneorum murorum munimento vobis gratulamur, idque ſalvum eſſe volumus & invictum. Huic enim ſalutem non minus debetis, quam olim Athenae. Maximo metu, quem rumores non vani nobis incuſſerant, nunc ſumus defuncti fere, ſperamuſque propediem omnem ſollicitudinem reliquam, quae nos urit inſidiarum, quas ſtrui velleri aureo Indorum multi verentur, demturas veſtras litteras. De pace votis omnium expetenda, & conditionibus, etiam non aequiſſimis, niſi volumus perire, ineunda nolo crambem toties recoctam tibi reponere. Fatorum imperia aequo animo excipiemus. Ante menſis hujus decurſum, tuam potiſſimum ſecutus auctoritatem,nihil de Palatinis rebus ſtatuam, quamvis tertiae modo litterae ad me perlatae ſint. Illuſtri *Blyenburgio* immortales ago gratias, referam quoque pro mea copia, ſi vivo, quaecunque ſors me manſerit. Elegia tua plena pietatis & elegantiae erit in ſinu meo, donec per tempora reipublicae licuerit eam iis occinere, qui nunc cantu ſuo nos enecant. Tuis *Blyenburgiique* rationibus obſtant hae calamitates publicae, quibus, neglectis aliis rebus & honeſtis artibus, tantum de horrido milite cogitatur. Suetonii duo exemplaria ut mittantur Florentiam, ſi quae datur occaſio, alterumque tradatur ipſi Magno duci, alterum *Carolo Dato*, volo ſane cupioque vehementer. Compingi ſi poterunt, ſumtus ilico refundam. Litteras quoque proxime tibi mittam ad utrumque. Tu interea *Dato*, ſi non grave fuerit, ſignificabis, plura exemplaria nunc hinc efferni non potuiſſe: ſed me aliis quoque amicis miſſurum, ſimul per temporis injuriam licuerit. Pro hoc officio tibi plurimum debebo. *Bernartio*, Coloniae nunc agenti, denuo aurem velli de libris tuis ad *Capellanum* miſſis. Reſpondit ſibi

ſibi quoque videri cum horologio, quod Illuſtriſſimi *Pomponii* Uxori deſtinabatur, Pariſios eos eſſe perlatos: fidem dat ſe quaeſiturum, num forte in Pomponianis aedibus lateant, illincque poſſint erui. Silium Italicum, quem olim apud *Munckerum* videram, nunc *Gronovii* filii tenent. Ejus enim parenti illum librum ſe donaſſe olim *Munckerus* hoc nomine a me compellatus reſcripſit. *Theodoricus* non difficilem, credo, tuis deſideriis ſe dabit. Nuperius per *Peinium*, meae diſciplinae alumnum, tibi miſi vitam *Philandri* a *Philiberto Lamario* memoriae proditam, & ſyllogen homiliarum a *Daumio* publicatam. Spero hunc faſciculum tibi traditum eſſe. De illo loco vexato in Octavia, nec non de *imputatus ad obſervandam fidem*, nolo tibi diutius repugnare, quamvis nondum, ſi verum fateri licet, perſanata videntur eſſe ulcera haec, quibus foedantur. *Nota pridem bello, inſolita pace protendebantur*, vehementer arriderent, ſi non longius abirent a codibus. Sed illa emendatio tua in Satyra prima Juvenalis mirificum in modum mihi placet. Rem ipſam acu tetigiſti. Nihil verius tripodes Delphici cecinerunt. De illa veterum opinione, qua crediderunt in hanc lucem reverti manes ſuis natalibus, nihil nunc ſuccurrebat. Eam ſi mihi probaris, non invitus tuae ſubſcribo ſententiae in reſtitutione carminis Papiniani. Apud Juvenalem in Satyra v. verſ. 10. Vide quaeſo num recte diſtinxerim:

Tam jejuna fames? quin poſcis? Honeſtius illic
Et tremere & ſordes farris mordere canini?

Vulgo male hic locus interpungitur, & exponitur. Hic vero ejus eſt ſenſus: Quin mendicas in ponte aut crepidine. Honeſtius eſt illic frigere, & ſordido pane veſci, quam in menſa divitum pati tam indigna. In Satyra x. 116. legitur:

Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam.

Quid quaeſo *parta Minerva?* Puto ſcribendum: *quiſquis adhuc uno parcam colit aſſe Minervam.* loquitur de elementariis & primis tyronibus, quibus adhuc parce ſuas copias praebet Minerva. Valerium Flaccum urge, quaeſo. *Terburchio* ampliſſimo, & communibus amicis, in primis Illuſtribus *Hugeniis* plurimam ſalutem dico verbis amantiſſimis. De diſſertatione de pendulis multa mihi narrarunt amici, quae miram ejus videndi cupiditatem excitarunt; ſed expectandum eſt donec Pariſiis huc perlata in noſtris proſtet officinis. De Statio, Propertio aliiſque propediem plura. Nunc te quaeſo, ut ſaepe a te litteras habeam, quibus unice conquieſco. Vale, Vir Summe, & me ama. Trajecti ad Rhenum a.d. XIII. Aug. CIƆIƆCLXXIII. De Anglorum claſſe utinam inpoſterum quoque audiremus, quae volumus. *Iſaaci* de Muſica veterum diſſertatio nondumne poteſt haberi?

EPISTOLA CXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litteris tuis omni leporum venuſtatumque genere refertis, peream, ſi quid jucundius gratiuſque habui omni hoc tempore, quo nos urget vis tanta malorum. Eas omnibus aliis tuis longe jucundiores reddidit magna ſpes pacis, quam oſtendunt. Illam augent hoſpites noſtri, qui quovis ſacramento contendere volunt, eam in paucis diebus futuram aequis conditionibus. In hoc Nobiliſſimorum uxores ex Galiis arceſſuntur, ut inita pace perluſtrent veſtras terras, & cum ſuis maritis domum redeant. Principem *Condeum* ajunt in Flandria tanquam in ſpecula, *Turennium* autem ad Moeni ripas excubare ad continendos, qui pacificationem retardaturi aut turbaturi veniant. In Apellea Venere numeris omnibus abſoluta nihil me poſſe reperire, quod reprehendam mirum eſt te mirari, cum ne Momus, quod in illa vituperet, habeat. Blandum me non eſſe ſatis meae litterae teſtatum faciunt toties tibi adverſantes, opinioneſque mihi non probatas rejicientes, ac damnantes liberius, quam ferre, qua te proſequor, obſervantia videtur. Magna licet loquantur Angli Pyrgopolinicae, modo veſtri Imperatores magna facere pergant, ac quae illi crepant, refutent rebus praeclaris, reprimantque illas rapaciſſimas manus, ne praedae opulentae, quam jam ſpe devorarunt, potiantur: ſed Thraſones perjuros cogant irritos votorum, ſed plenos probrorum ac dedecoris refugere ad ſuos portus. Litteras igitur veſtras laureatas propediem expectamus. In cauſſam Palatinam non me demittam, veſtram ſecutus auctoritatem, antequam de pace quid decernatur, cognitum & perſpectum habuero. Amſterodamum ubi excurres *Elzevirium*, quaeſo, ut jubeas ſic meis ſumptibus haec adornare exemplaria bina Suetonii Florentiam mittenda, ut commode poſſint offerri Magno Duci & *Dato*. Nullus dubito, quin brevi per *Falconerium* alia via poſſint mitti in Italiam. Silium Italicum, quem olim vidi apud *Munckerum*, non auſim praeſtare Romae editum. Si eum aliquando videro, potero, niſi fallor, indicare tibi ipſe an ſit, nec ne. Notas, ſi recte memini, Eraſmianae bibliothecae prae ſe ferebat. *Parcam Minervam* tibi quoque in mentem veniſſe olim apud Juvenalem gaudeo hercle, lubenſque tibi hujus emendationis laudem transſcribo, ſed de diſcipulo ſupplicante Minervae, ut diſertus fiat, non de magiſtro Satyricum loqui ſequens verſus docet clariſſime:

Quem ſequitur cuſtos anguſtae vernula capſae.

Capſarium intelligit, de quo Sueton. Ner. 36. Tuas emendationes in Phaedro pulcherrimas & veriſſimas miror neglexiſſe noſtrum amicum. In ſabula LII. non longe a tua Gudiana correctio abit. Sic enim ex veſtigiis libri Rhemenſis ſcribendum cenſebat *Marquardus:*

Tunc lata litem ſuſtulit ſententia.

In praefatione libri ſecundi ſcribendum: *Quicunque fuerit narrantis jocus.* pro *narrandi locus.* *Jocus* jam occupavit Rittershuſius. Apud Propertium lib. I. el. 3. verſ. 34.

Sic ait in molli nixa toro cubitum.

ſcribendum cenſeo, pro vulgato *fixa.* Eleg. VIII. verſ. 15. corruptiſſime & ſine ſenſu legitur:

Atque ego non videam tales ſubſidere ventos,
Cum tibi provectas auferet unda rates.

Nonne ſic refingi poſſint haec commode:

Atque ego non videam tali ſub ſidere ventos,
Queis tibi provectas auferet unda rates.

Per ſidus Vergilias intelligit, quibus orientibus ſolebant vela dare. In eleg. X. *O jucunda quies* legitur. Sed legendum videtur: *O jucunda dies.* Ampliſſimo *Terburchio* ſalutem dico, nec non Illuſtri *Blyenburgio*, communibuſque amicis aliis. Utinam ille per noſtras terras reditum moliatur, ut coram amiciſſimi viri complexu frui nobis liceat poſt tanti temporis intervallum. Magnum me ſane tenet ejus deſiderium videndi. Si vobiſcum etiamnum eſt, ſique decreverit hanc urbem tranſire, roga eum meo nomine, ut, cum huc venerit, recta in meas ſe conferat aedes, ſi poteſt tenuem pati apparatum, ſed quem reddet ampliorem prolixa voluntas. Et *Falconerius* & *Beverningius* dignus eſt, qui hanc ſpartam, quae deceſſu *Vallenſis* eſt vacua, ornet, quibus ſi mandabitur, bene ſe habebit Academia. Sed in nullius humeris, quam Nobiliſſimi & Erunditiſſimi *Blyenburgii* melius ſederet hoc munus. Epiſtolas Gedanenſes remittam tibi prima, quae ſe offeret, occaſione. *Peinius* optimus & praeclarae ſpei adoleſcens in villa Hollandiae ſeptentrionalis aliquot dies tranſiget. Nullus dubito, quin faſciculum ſibi creditum ad te ſit aut ipſe laturus propediem, aut curaturus, ſi quid ejus ad vos itineri obſcaevarit. Vale, Vir Summe. Trajecti ad Rhenum a. d. XX. Aug. CIƆIƆCLXXIII. De praelio navali jam narrarunt non nihil litterae Amſterodamenſium amicorum, ſed de exitū nihil adhuc explorati habemus, quem ſecundum reipublicae futurum auguramur. Coloniae ſi quos libros emptos velis, quod nuperius viſus ſum intelligere ex te, fac ad me perſcribatur. Habeo ibi, qui rem hanc curatam dabit. De Cicerone in auctione *Gronoviana* neſcio quo nuperius mihi ſignificabas: ſed haec plane exciderant ex mea memoria. Faſciculum *Peinio* traditum tandem ad te perveniſſe nullus dubito. Iterum iterumque vale, & laetiſſimis nunciis de victoria & pace nos bea.

EPISTOLA CXL.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

LAetiſſimi veſtrarum litterarum nuncii de tertia victoria fidem apud noſtros hoſpites non inveniunt, ſummum aequo Marte pugnatum eſſe contendentes, quia nulla major navis a noſtris ſit capta, una tantum depreſſa. Multas utriuſque claſſis laceratas & peſſime habitas. Anglos & Gallos non in fugam actos terga dediſſe, ſed venti ſecundi captandi cauſſa altius in mare provectos, & paullo longius a ſua ſtatione. id ſatis liquere ex Praetorum, in primis *Reuteri* litteris. Si conſtiterit Anglos ſe ſubduxiſſe in ſuos portus, tum demum exploratam futuram victoriam, quae nunc jactetur. Illos vero etiam nunc oberrare littoribus & oris, & ut ante inſidiari velleri aureo Indicano, cujus nunc partem teneant non exiguam, inſtauraturos quoque praelium, cum oportunum ſuis rebus tempus id ſuaſerit. Haec ſe colligere ex litteris publico datis apud vos: ſed ſe alias expectare ex Anglia, quae eventum hujus praelii & conſilium Imperatorum ſint docturae. quae cum perferentur, habebis tu quid ſint tradituræ. Virtutem tamen claſſis Batavicae, in primis *Reuteri* prudentiam rerum navalium in coelum tollunt, & Imperatorem maritimum ei hac memoria parem nuſquam gentium inveniri fatentur, comparantes eum cum ducibus ſuis, qui terreſtribus copiis praeſunt, *Condeo*, & *Turennio*. Pacis ſpem evaneſcere & ipſi non negant, ſed culpam conferunt in noſtros legatos, quos ajunt ferocire incitatos ab Hiſpanis, a quorum pendeant conſiliis toti, & ideo reſpuere conditiones, quas etiam arbitri tulerint aequiſſimas, & offerre, quae parum grata Regi eſſe ipſi noverint, antequam offerant, tantum ut longis procraſtinationibus producant fruſtra tempus & conterant, ſpe auxiliorum Germanicorum ſe ſuſtentantes. Niſi alia ineatur ratio, brevi fore, ut abrumpatur pacificatio, & quidem ante decurſum menſis Septembris. Moenum jam ponte junctum, obviam iturum *Turennium* iis, quae dicantur ſigna movere, copiis. Sed forte tamen de iſta victoria nuncii lenient animos valde exacerbatos. Faxit deus, ut utrimque deſcendant ad pacis cogitationes, quae ſi ante hanc hyemem non coierit, actum eſt de hac pulcherrima urbe, & nobis omnibus pedum via videnda eſt. Libros tandem ad te perlatos eſſe ſpero. *Peinius* noſter deſtitutus a comitibus ſuis Hagam non vidit, faſciculum autem tibi tradendum reliquit Amſterodami, qui ſi nondum curatus eſt, reddetur *Elzevirio*. Nuperrimas meas litteras, in quibus de uno atque altero loco Propertii tecum agebam, ſpero te accepiſſe. Nunc quod adderem nihil erat. Tu quaeſo perge me creberrimis tuis litteris beare, in quibus unice conquieſco. Ex Gallia & Germania dudum nihil habeo. Si quid perferetur, illico ex me cognoſces. Vale, meum decus & praeſidium. Trajecti ad Rhenum a. d. XXVII. Aug. CIϽIϽCLXXIII.

EPI-

EPISTOLA CXLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NAe tu homo es immitis & violentus, qui ſale marino nuperius tam miſere defrictos nunc nigriore ſale & acriore defricas, poſt acceptam tantam plagam. De batrachomyomachia nihil bellius unquam audivi. Sed ſt. nobis mutire piaculum eſt. Interea ſollicite Eidus Septembres expectabimus, quae utinam illuceſcant nobis felices ac ſecundae, & in gratiam nobiſcum reducant beatiſſimam divarum. Amici ſane Amſterodamenſes in noviſſimis litteris, quae cum tuis mihi traditae ſunt, ſignificant pacis negotium, poſt acceptum de victoria nupera nuncium, recaluiſſe, & cum maxime fervere, ut brevi optatiſſimum exitum ſit habiturum. Hoſpites tamen noſtri, primores praecipue, pernegant ſic ſe rem habere, exploſas enim & rejectas fuiſſe conditiones oblatas a legatis reipublicae, tanquam valde viles & contemnendas, ad tres illas provincias, quas velint noſtri ſibi reſtitui. Niſi ad alia deſcendatur nunquam pacem coituram. Ab Ubiis tamen nullae litterae nuperrime ſunt in hanc urbem allatae. Quid, quae hodie expectantur, ſint nunciaturae, aut proximae veſtrae, avidiſſime expectamus. Quicquid ſit, obdurare certum eſt, dum & hae Eidus defluxerint. Sed *Ruſticus expectat.* noſti caetera. Ad ſummam tamen nuperrimo proelio multum profectum eſſe perſuaſiſſimum habeo. Si vero Auſtriacus & Hiſpanus arma ceperint, actum eſt de pace. Noſtrae tamen reipublicae neſcio an non conſultius eſſet quavis conditione decidere, quam diutius confligtari cum Rege, a pecunia & militibus paratiſſimo. Sed haec viderint qui ad clavum ſedent. In cauſſa Palatina nihil ſtatuam te inconſulto: cujus auctoritas & conſilium ſemper mihi erit oraculi numero. Suetonius offerendus Magno Etruriae duci ornabitur ab *Elzevirio*, & qua via juſſeris, tum curabitur. Quod *Carolo Dato* deſtinatum eſt, per me licet ad *Falconerium* Bruxellas perferatur. Ad *Daumium* quae mandas, curae mihi erunt. Naſonis locum in II Faſtorum egregie a te reſtitutum eſſe, poſt tot praeſtantium virorum conatus, nemo paullo humanior poterit inficias ire, niſi forte cujus animus in te ſit malevolentia ſuffuſus. Perquam appoſite quoque ad obſcuriſſimum locum illuſtrandum affers inſignia ex Tertulliano. Sed Juvenalis verſus ut accipi poſſint de magiſtro non video ſane. Loquitur enim de tyronibus, qui eloquentiam optant, & qui colunt Minervam, ſed propter aetatem teneram, uno tantum aſſe ſupplicant. Eos ſequitur apud magiſtrum ſuas horas obeuntes Capſarius. Paedagogi enim & capſarii ſervi erant, & comites puerorum, non magiſtrorum. Suet. Ner. 36. *Damnatorum liberi Urbe pulſi, enectique veneno aut fame. Conſtat quoſdam cum paedagogis & capſariis uno prandio pariter necatos.* Praeterea magiſtri illi viliores, qui diſcipulorum aedes circumibant, non optabant eloquentiam,

ſed pueri ad magnam fortunam adſpirantes vota faciebant Minervae, ingeniumque ac os magna ſonaturum precabantur. In Propertio *nixa toro* tu ſane ad Metamorphoſes occupaſti. In meis adverſariis jam eam emendationem expunxi, quamvis nuperius, cum Propertium relegerem, illa mihi in mentem venerit cum nonnullis aliis. Paſſeratium deſidero, ut & Dauſqueum ad Silium & Raderum ad Martialem. In Elegia VIII. ingenioſe tu quidem *velis ſubſidere ventos*, ſi modo poteris oſtendere hoc loquendi genus non abhorrere a genio priſci Latii. *Subſidere undae* dicuntur recte, ſed *reſidere* venti. Exemplum ſane nunc alterius, quae tibi probatur, locutionis nunc non occurrit. In Phaedro praeſtat omnino ſcribi. *Tunc illa litem ſuſtulit ſententia*, aut cum Gudio, *tunc lata litem ſuſtulit ſententia*. In fabula LIV. cur pro *age porro ſciſſet* malis, *face porro ſciſſet*, non exputo. Sollemnis enim formula in talibus diſputationibus, *age porro*, frequens quoque Tullio. *ſciſſet* eſt pro *ſi ſciſſet* vel *etſi ſciviſſet*. In fabula LXXVIII. pulchre vidiſti: *mercede pacta*, pro *mercede accepta*. Apud Propert lib. I. El. 12. annon inepte legitur?

Quod faciat nobis conſcia Roma moram?

Ecquam Roma faciebat moram? Num illa tam longe erat ab ejus lecto diviſa? Nugae. Scribendum videtur:

Quod faciat nobis Cynthia noſtra moram.

Eod. lib. el. 15. verſ. 9.

At non ſic Ithaci digreſſu immota Calypſo,
Deſertis olim fleverat aequoribus.

Sic refinxi. vulgo *mota*. Non ſic, inquit, immota fuit Calypſo, cum Ulyſſes diſcederet, ut tu es meo duriſſimo tempore. Elegia ſequente. verſ. 37.

Te non ulla meae laeſit petulantiae linguae,
Quae ſolet irato dicere tuta loco.

Tibine ſenſus liquidus in ſecundo verſu? Mihi tenebrae hîc ſunt, niſi corrigas, *Quae ſolet ingrato dicere multa loco.* Terent. *Mala ingeram multa.* Et paullo poſt an non commodius tibi videtur & rectius ſi legamus: *Oſculaque impreſſis fixa dedi gradibus*, pro vulgato *nixa*. Haec omnia mihi tum demum placebunt, cum tibi placuerint. Sin, damno & abjicio. Praeterito die lunae ſpero te accepiſſe primum Ceramici Meurſiani folium, quod deſiderabas. alterum quoque faſciculum recte curatum eſſe, qui creditus erat diſcipulo meo, nullus dubito. Vale, Heinſi meum decus, & Nobiliſſimum *Zelemium*, ut & *Zulichemium* Parentem peramanter ſaluta, cum eos videris, meo nomine, nec non Perilluſtrem *Beuningium*. Trajecti ad Rhenum prid. Kal. Septemb. Gregor. CIↃIↃCLXXIII. Has litteras praeterito die Jovis exaraveram, ſed meorum culpa tardius perlatae ſunt ad nuncium, qui jam elapſus nobis erat. Relatas reſigno & nuncio totis hîc turbari agris. Sed haec vos melius. Qui curſus, qui eventus rerum futurus ſit, avide expectamus. Nullae ad nos pervenere litterae pridie abruptis commerciis, nec ſcio an ſis has viſurus. Si tuarum litterarum alloquio diu mihi carendum eſt, vita mihi inter tot mala longe acerbior erit. poſtr. Kal. Sept. *Magalottus* numquid Coloniae nunc agit, agetque diu?

EPI-

EPISTOLA CXLII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

DE veſtris laureis mari terraque partis, quae ſuperioris anni infamiam expiaverunt, eſt quod vobis gratulentur amici, propriamque hanc fortunam eſſe velint. In eaſdem terras contendunt turmae cohorteſque, quae in agro hujus provinciae collocatae fuerunt aliquot hebdomades, & cum pulviſculo quicquid reliquiarum in illo ſupererat, exhauſerunt, ut jam mera ſit ſolitudo littore quovis inanior & infrequentior, quo veſter miles ſua transfert ſigna. Veſter Hiſpano, hic Principi Condeo ſubſidio venturus. In Germania nec ex ſententia ſatis & voto res noſtris hoſpitibus eunt, nec tamen nimis adverſae fluunt. Annona Wertheimi expugnata, & aliquot conciſae ſunt centuriae: *Turennius* ceſſim eundo ſibi cavit loco. Spes noſtra de pace decolavit, malis interim noſtris indies ingraveſcentibus. Ab aeſtivis hyberniſque confectiſſima provincia nunc exigitur tanta vis pecuniae, quae conferri non poteſt. *Goyerum* bis terque quaeſivi, ut de pretio Byzantini corporis cum illo agerem, & de Diogene *Menagii*, indiceque aliorum. Sed nunquam hominem domi offendo. Spero tamen propediem coram me de his aliiſque rebus tecum locuturum. Conſtitui enim, niſi me uxoris male ſe habentis valetudo, aut vis major retinuerit, ad vos proxima hebdomade excurrere, & te octavo aut nono ab hoc die complecti. Hoc in anteceſſum. In illis voluminibus non haberi Pachymerum: omnes tomos arroſiſſe mures praeter quatuor: pergamenta tamen ſola, quae in his terris confecta ſunt, corruperunt, illibatis chartis. Mures illi male pereant, qui nec noſtris fiſcis, nec penori, nec ipſis libris parcunt. Vereor ne ad Abderitarum exemplum hae beſtiae nequam nos ſolum vertere cogant. Sed haec in noſtrum differamus ſermonem, cum coram confabulari de his otioſius licebit. Nunc diſtinebar occupationibus. Vale, Vir Illuſtris, & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. v. Septemb. CIƆIƆCLXXIII.

EPISTOLA CXLIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TOt tuis jucundiſſimis litteris, quas menſe Septembri ad me datas omnes accepi, cum nihil repono, velim id non meae ceſſationi aſſignes aut negligentiae, ſed iis, qui apud vos abruperant commercium, quod inter nos intercede-

cedebat, idque ſummo jure. Nunc reſtituto curſu publico nihil mihi antiquius eſt, quam ut mutuae commeent inter nos litterae quam creberrime. Nam nihil eſt quod majorem mihi levationem affert in hac malorum, quae nos urgent, ingraveſcuntque indies, Iliade, quam tuae epiſtolae, plenae amoris, fidei, ac leporum, quibus incredibiliter delector. Ego vero ubi ad te ſcribo, videor mihi deſiderium tui levius poſſe ferre. Nam me ipſe quaſi fallendo te mihi praeſentem effingo, tecumque de noſtris, quibus dediti ſumus, artibus confabulari mihi videor. Quod cum ago, tanta me perfundi voluptate ſentio, quantam capiebam ex tuo ſermone, cum frui illo mihi daretur, quo nihil mihi poterit accidere deſideratius. Angebar vehementer hoc ſolatio me privari. Nunc iſta ſollicitudine liberatus frequens ero in officio colendo, nec committam, ut de eo tu poſſis conqueri, aut ut ipſe mihi invideam fructum ſuaviſſimae voluptatis. De publicis per me licet in poſterum ut ſilentium nobis ipſi indicemus, ſi tibi hoc rectius videbitur & conſultius. Quid tamen obſtat, quo minus aſpergamus, quae nota ſunt & tuto ſcribere licet, ſine utrorumque offenſione? Claſſem apud vos ſubductam eſſe, duaſque naves de cataplo Indica incolumes evaſiſſe manus infeſtas Autolycorum Anglorum hîc audimus. Pacificatio Colonienſis tenui pendet filo, ſi non abrupta jam eſt. *Turennii* exercitum noſtri hoſpites ajunt firmiſſimum eſſe a ducibus & militibus veteranis, nec numero Caeſarianis legionibus inferiorem, pugnandique cupidiſſimum. Eidus Septembres jam praeterierunt: inſtant octobres Kalendae. nec Hiſpani ſigna movent infeſta, nec pax fit. Nobis nihil hîc perditius, nihil miſerius. Omnia ſunt exhauſtiſſima, ut, cum mala haec fixa fuerint, cogitandum ſit de receptu. Sed haec mittamus, ne gaudia veſtra triſtiſſimarum rerum commemoratione contaminentur. Antequam decrevero, quid mihi ſit agendum, in tuum complexum venire deſidero, & forte cis paucos dies, ſi res publica & uxoris valetudo me non morabitur. Qui Ciceronem Stephani emit, eſt ex alumnis meae diſciplinae, mihi optime notus, qui facile hujus libri uſum mihi praeſtabit. De Suetoniis ad *Carolum Datum*, & ipſum Magnum ducem Etruriae curatis, multum te amo. Reliquias bibliothecae Goyerianae perluſtravi, luculentas ſane. Sed index nullus adhuc confectus eſt, nec de auctione quicquam conſtitutum habent. Byzantinae hiſtoriae ſunt viginti quatuor volumina, cum uno minore, in quarta, ut loquntur, forma. Ea licent ducentis viginti florenis. Nonnullorum exteriorem cultum arroſerunt & nonnihil corruperunt mures. Sed reliqua omnia, in primis ipſi libri, ſunt nitidiſſimi ac optime habiti. Si ſtat tibi ſententia illud opus emendi, fac ex te cognoſcam, quod illi pretium ſtatuas. Opera mea tibi a me prompta erit. Audio eſſe apud vos *Viceſortium*, cui mandata ſit provincia hoc bellum memoriae mandandi. Rogo te vehementer, ut id mihi ſignifices. Spero illum veriora de hac urbe & provincia traditurum, ut in Gallorum ditionem pervenerit, quam nonnulli libri Belgica lingua conſignati, [1] mendaciſſimi. Ex Gallia & Germania nihil habeo

1 Inter illos familiam ducit quidam *Valckenerius*, qui *Europae Confuſae* titulo librum edidit

de re litteraria quod tibi narrem. Videtur ubique frigere. Tuus Valerius Flaccus quando prodibit? Otio nunc abundas: nec eſt quod metuatis hoſtiles incurſus. Auctorne mihi es ad vos excurrendi; & tuto me poſſe hoc itinere defungi (ſcis quos metuam) exiſtimas? Tua valebit apud me auctoritas. Vale, meum ac ſaeculi tui decus. Trajecti ad Rhenum a.d. XXVII. Septemb. Gregor. CIϽIϽCLXXIII. Ducem *Montozerium* tuas litteras accepiſſe nullus dubito, quamvis nihil reſponſi tulerim. Curatae ſaltem a me ſunt probe. Carmen elegans *Francii* de victoria tertia navali legi magna cum voluptate.

edidit plenum mendaciis & calumniis in amantiſſimos & juſtiſſimos Patriae rectores; ut placeret novis dominatoribus, a quibus praemium linguae venalis deinde accepit. Huic ſecundas egit viliſſimus ſcriptor *Sylvius*, & deinde alii ejus ſectae, quos egregie refutavit & mendaciorum convicit *Bernardus Coſterus*, qui ex triſti patriae noſtrae calamitate bonorum damna retulit, & in vitae cum patre periculum conjectus, pleraque Anno 1672. & 1673. acta, quae ipſe fere vidit, ſcripto conſignavit, & Ultrajecti Anno 1707. edidit. Vir integer vitae, ſceleriſque purus, & ſi quis alius patriae amantiſſimus, mihi vero per affinitatem & dulcem longi temporis conſuetudinem conjunctiſſimus.

EPISTOLA CXLIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

VErba non invenio, quibus gratias agam tibi pro iis, quibus me praeſentem nuperius cumulaſti, officiis. Non fruſtra tanto tui congreſſus deſiderio flagravi dudum: longe enim ejus ſuavitas fructuſque, quem ex illo cepi, ſuperat meam expectationem. Nunquam a te diſcedo, quin Timothei de Platonis coena dictum mihi obverſetur, nimirum Platonis epulas, non illo ſolum die, quo inſtruebantur, convivis jucundas, ſed & poſtero multum ſuavitatis afferre. Quod ſane de tuo apparatu longe rectius dici poteſt, qui non modo nitide ac honorifice me domo atque hoſpitio tuo accepiſti, ſed & animum meum tam doctis & omni elegantiae ac venuſtatis genere condîtis fabulis oblectaſti, ut ſuavius ſe unquam paſci vix meminerit: quae ſuavitas non modo poſtridie, ſed plurimis, ut ſpero, ſecuturis annis mihi longe jucundiſſima futura eſt. Voluptate vero, quam ex tua capio conſuetudine incredibilem, ne plane priver, tuae ſpero epiſtolae, quibus mirum in modum capior, efficient, qua me carere pro prolixo tuo in me animo non patieris. Vix reverſum uxor undecima prole parentem fecit, filium praeterita ſolis die enixa, cui nato mentem ſanam in corpore ſano ſum precatus. Tibi vero nunc teſtimonium denuncio ex condicto, cum ſacris iſte puellus abluetur undis. Nomen ei erit *Nicolao*; aut potius jam eſt. Heri enim hac caerimonia defuncti ſumus, gerente tuas partes homine probitatis ſpectatae. Sed de his pluribus non eſt ut agam, qui hoc onus ipſe ſuccollaſti. Corpus hiſtoriae Byzantinae centum quadraginta florenis tibi licitatus ſum, ſed hac lege, ſi tibi haec emp-

 tio

tio probaretur. Catalogum proxime, ſpero, videbis. promiſit enim *Goyerus* ſe mihi illum eſſe miſſurum. Quae ad Propertium notaſti, vehementer placent. In eod lib. 1. El. 17. verſ. 3. legitur:

Nec mihi Caſſiope ſolito viſura carinam.

Unde pendet *ſolito?* Putabam: *Nec mihi Caſſiope ex ſolito viſura carinam.* Et inferius in ead eleg. verſ. 20. malim pro vulgato:

Ultimus & poſito ſtaret amore lapis.

ſcribere: *Ultimus expoſito ſtaret amore lapis.* hoc eſt in lapide amor eſſet enarratus. Idem vocabulum velim etiam reſtitui paullo ante verſ. 11. *An poteris ſiccis mea fata exponere ocellis?* Nam quid ſit *reponere fata* fateor me non intelligere, ſed tu facem allucebis. Publica quomodo ſe apud vos habent? *Dux Luxemburgius* ante paucos dies ex Geldria redux nunc ſe diſceſſui accingit, & itineri ad copias in finibus Clivenſium collocatas, alii tamen ajunt in Cataloniam eum contendere, ut ibi res gerat. Ejus praefectura hîc mandata eſt Comiti Stabuli *De Humieres*, qui ex Flandria expectatur. Sic enim eum appellari puto. Bommeliae & Crepicordii muri ac valla deſtruentur, addunt alii & *Thielae*. Sed de hac urbe nihil auſim affirmare liquido: de duarum vero illarum munimentis evertendis res eſt certa. De veſtris copiis propediem, credo, audiemus, num in ripis Rheni ſigna fixerint, an vero ad Moſam ea tranſtulerint. Amici Amſterodamenſes nunciant Anglos videri ad pacem eſſe propenſos, quae utinam Europae reſtituatur. Legatus Gallicus in Suecia ſcripſit nuperrime filio ſuo hîc degenti, de praecipuo capite, propter quod legatio ſit ſuſcepta, ſe tranſegiſſe ex ſententia ſui Regis: nimirum foedus initum cum Gallis ante aliquot annos ſervaturos Suecos, & illis ſubſidio miſſuros copias firmiſſimas, quas propediem ſint contracturi, quae & numero & robore pares ſint futurae Caeſarianis, niſi pax brevi conveniat. Haec pro certis nunciis hîc venditantur, non fictis rumoribus, quae ad te ſcribenda duxi, quoniam videris rerum novarum nunciis delectari. Plura nunc non licet. Puerpera te ſalutat. Perilluſtri *Beuningio* & *Zulichemio* ſalutem dico plurimam & officioſiſſimam. Vale, meum decus. Trajecti ad Rhenum poſtridie Kal. Novemb. Gregor. CIƆIƆCLXXIII. Tantum abeſt, ut de deſerenda hac Urbe cogitent, qui eam tenent, ut indies major annonae copia huc importetur.

EPISTOLA CXLV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

MAgnum ego cepi dolorem ex iſtis, quibus indigniſſime vexaris, litium calumniis, fecique fortunae convicium, quod ſine ullo delectu furens, nec tibi pepercerit, qui ab omnibus contentionibus alieniſſimus otium & tranquillitatem a primis annis es ſectatus, omnemque aetatem in iis artibus conſumſiſti,

ſti, quae a forenſibus tricis abhorrent maxime. Sed quoniam ſpes eſt ex his moleſtiis brevi emergendi, nullus dubito, quin hos inpotentis fortunae ludos ſis moderate laturus. Non poteris melius illam ulciſci, & providere, ut eam erroris poeniteat, & injuriam tibi illatam emendet. Puerpera valet, ut & *Nicolaus*, nihilque magis optat, quam ut tua vota rata ſint, ut brevi mutata rerum facie te hîc liceat complecti. Complures quotidie cohortes hinc diſcedunt, ſed vix pedem porta extulerunt, quin novi adveniant hoſpites, & neſcio ex quibus terrarum angulis iſti terrae filii prodeuntes abeuntium loca occupent. Hodie *Dux Luxemburgius* hinc proficiſcitur ad copias, quos contrahit in Clivenſium & Geldrorum finibus perrecturus inde Noveſium, quo etiam contendent equeſtres copiae, quae Trajecti ad Moſam coëunt. Pro certo mihi affirmarunt, qui cum Duce hinc migrant legati, in agro Colonienſi brevi tempore exercitum viginti ſeptem millium ſub ſignis futurum, & cum Caeſare & Arauſiaco manus conſerturum, quamprimum eis ſint occurſuri: *Turennium* Philipsburgi Rhenum trajeciſſe, & nunc ſecunda ripa deſcendere. Haec illi. Woerdam, Bomeliam, Crepicordium deſtructa eſſe & deſerta veriſſimum eſt. Laetas res veſtras ne ulla calamitas interpellet deum veneramur. Nos hîc etiamnum jactamur ſaeviſſimis procellis. Sed redeo ad res privatas. De aliis quidem tecum eram confabulaturus, ſed alii aliique intervenerunt, qui ſcribenti moras injecerunt, ut quae de *Huetii* & *Thevenothi* litteris, quas nuper accepi, tibi habeam narranda, nunc cogar differre in proximum. Corpus Byzantinae hiſtoriae mittet *Goyerus* ad *Danielem Elzevirium*, quod procul dubio tuae reſpondebit expectationi. Nummos rogat ut eidem *Elzevirio* cuſtodiendos mandes, donec mittat, cui ſuo nomine numerentur. Forſan qui libros feret, ſimul pecuniam petet. Hac autem hebdomade, credo, curabuntur, ſane quamprimum poterit. Habes & catalogum reliquorum. Si quos deſideras, velim id mihi ſignifices, & pretium, quo licitari velis, adjicias. Nec Muſica *Voſſii*, nec Chronologica *Marshamii* vidi. De utroque agam cum *Elzevirio*, tecum propediem de Propertii & Ciceronis locis. Nunc cogebar abrumpere. Vale, Vir & Amice Summe, ſaluta *Francium* & *Wolzogium*, ſi eos & *Elzevirium* videris. Trajecti ad Rhenum a. d. IX. Nob. CIↃIↃCLXXIII. Mea bibliotheca ſi vobiſcum eſſet nunc, non laborarem, ac curis & ſollicitudinibus angerer. Has ad *Trelſium* epiſtolas, quaeſo, ut *Elzevirio* curandas des.

EPISTOLA CXLVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

VEre tu, tanquam ex tripode Pythio, ceciniſti, brevi nos ex ſervili indignitate exemtos libertati, non, ut tu ais, perperam excuſſae, ſed injuria temporum deſolatis & omni praeſidio nudatis ereptae, reſtituendos eſſe. Hoſ-

pites noſtri jam ſarcinis collectis diſceſſum adornant, cis paucos dies in Germaniam profecturi. Heri ferali denunciatione nos poene exanimarunt, dum ordinibus & Senatui ſignificarunt juſſu Regis hanc urbem caeteraſque hujus provinciae, omnemque ejus agrum ferro igneque delenda eſſe, idque propter tantam hominum male de Rege opinantium, & cum hoſte in eorum exitium conſpirantium multitudinem. Nihil etiamnunc preces profecere. Hodie dabitur opera, num argenteis haſtis haec vis a noſtris tectis & capitibus poſſit arceri. Et ſpero rem ſucceſſuram. Nam Woerda aliaeque vicinae urbes excidium redemerunt. Sin gravius in nos conſulent, ferendae erunt, quaecunque acerbitates fatorum decreto in nos congerentur. Tu fac, ne interea tuarum litterarum ſolatio careamus. Catalogum reliquiarum Goyerianae bibliothecae, quem ad te miſi praeterito die Jovis, ſpero te accepiſſe. Hodie credo, aut ſummum cras, videbis Byzantinos hiſtoricos. Argenti videtur perquam cupidus eſſe venditor. *Huetius* ſignificat ſe graviſſima febri conflictatum vix reſpirare; indies tamen magis magiſque confirmari. Plurimis quoque verbis agit de inſtituto veterum Latinorum ſcriptorum nova ratione explanandorum, idque in gratiam potiſſimum Delphini. Datum eſt fere ſingulis in Gallia doctis viris penſum aliquem priſcorum Latinae linguae exponendi, ad eam legem, quam auſpiciis Illuſtriſſimi Ducis *Montoſerii* praeſcripſerunt. Mihi quoque provinciam mandarunt, cui num ornandae par ſim futurus equidem ignoro. Sed de his proxime plura. Nunc mihi properandum eſt inſtante tabellarii diſceſſu. *Thevenothus* nihil ſibi gratius futurum ſcribit relatione itineris Scrici, longe tamen cupidius ſe viſurum narrationem profectionis, quam nomine Ducis Ruſſorum tribunus cohortis milliariae Hollandorum, ſive ut ille loquitur Colonellus, inſtituerit in interiora Tartariae, Europaeis vix cognita, ex qua ita pridem demum redierit. Hanc ſi ei praeſtare poſſemus, magno beneficio virum eximium nobis obſtringeremus. Te quaeſo, ut in hanc curam incumbas, mihique proxime ſignifices, quid de hoc itinere ſperandum ſit, ut & in quibus Italiae bibliothecis, aut alibi quoque videris antiquiſſimos illos Columellae vel Palladii, niſi fallor, codices manu exaratos, de quibus olim verba te facere memini. Vale, meum decus, & me ama. *Elzevirio* ſalutem dico. Non erat quod ejus litteris reponerem. Nam quae hîc gerantur, ex te, puto, cognoſcet. Roga tamen eum meo nomine, ut ſi quid ex Anglia afferatur novi, aut quod fidem faciat eorum, quae nunc jactantur, ad me perſcribere ne gravetur. Salutat te puerpera cum *Nicolao* tenello, qui bene ſe habet. *Wolzogio* & *Francio*, ſi eos videris, ſalutem imperti. Trajecti ad Rhenum a.d. XII. Nov. CIƆIƆCLXXIII. De Propertii & Tullianis locis ad te ſcribam, cum Hagam redieris.

EPI-

EPISTOLA CXLVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ILluxit tandem deſideratiſſima dies. Hodie mane, qui nos tamdiu miſerrimos habuerunt, exceſſerunt omnes ex hac urbe, bene ſaginati & lautiſſimo viatico inſtructi, ſecum ducentes obſides octo, praeter illos quatuordecim, quos ante dies aliquot Reſam Clivorum ablegarant. Hi non ante dimittentur, quam reliqua fuerint expedita. Tuum nunc eſt fidem datam liberare quamprimum. Advola, ſi nos amas, ſive ſolitudinis taedium levaturus, ſive nobiſcum noſtra gaudia gaviſurus, quae propria nobis deus eſſe velit. Hoſpites noſtri fuerunt quidem homines non multi joci, ſed plurimi cibi, & tam improbi oris, ut fere nos vivos videnteſque confecerint omnes; tantas tamen reliquias habemus, quae tuis dentibus, licet maxime pruriant, modo non ſint ſuperbi, facile ſuppeditent. Fac igitur, ut quamtocyus tuo nos bees complexu. Nihil reſponſi a me auferes ad tuas ultimas, quae mihi traditae ſunt ſero, & illa tempeſtate, cum commercium litterarum per aliquot dies interruptum jaceret. Omnia differo in tuum adventum, quo nihil nobis accidere poterit optatius. Tum agemus de noſtris Oreſtis, tum etiam de inſtituto *Montoſeriano*, litteris Daumianis, libris *Goyeri*, qui nondum potuerunt ad vos perferri. Mitto tamen hanc ſchedulam, ex qua potes cognoſcere, quo pretio veneant. Sed praeſtat, ut ipſe hos libros inſpicias. Praeſente pecunia nullus dubito, quin melius eos ſis emturus. Sed verbum non addo. Tecum forte, ſi commode poteris, *Latini Latinii* epiſtolas, *Voſſii* Muſica, & *Marshamii* chronologica. Ultimorum pretium illico tibi renumerabo. Vale, Amicorum Princeps, & veni. quoſque tecum adduxeris, ſive *Wolzogius* fuerit, ſive *Ryckius*, ſive *Francius*, ſive omnes ſimul, omnes venietis grati & deſiderati mihi & uxori, quae tibi ſalutem dicit plurimam. Trajecti ad Rhenum a. d. XXIII. Novemb. Gregor. CIƆIƆCLXXIII.

EPISTOLA CXLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NEſcio quas per terras circum agantur utriuſque noſtrum litterae, & ubi tamdiu multumque jactentur, antequam ad nos perveniant. a. d. XXIII. Novemb. hoc eſt illo ipſo die, quo de finibus noſtris deceſſerunt Gallicae copiae, rei laetiſſimae te certiorem feci, ſperans te primum optatiſſimum hoc

nuncium ex me accepturum. Sed XXVII. Novemb. nondum eas tibi redditas eſſe litteras ex his intellexi, quas tum exaratas a te accepi Kalendis demum Decembris. Sed tandem tamen & illas, quas periiſſe exiſtimabam, cum tuas legerem, recte curatas docuit me *Hartmannus*, qui a *Boſio* litteras & faſciculum eruditarum diſſertationum ad me pertulit, de quibus agam proxime. Nunc enim diſtineor in allocutione contexenda, qua Principem Arauſiacum Academiae nomine de tam magnis & praeclariſſime geſtis rebus ſum gratulaturus. Te rogo & obteſtor, ut mihi quamprimum ſignifices, quando huc pedem Magnus ille Princeps ſit laturus, quod & ex Nobiliſſimo *Selemio* facile intellexeris, quem officioſiſſime meis verbis ut ſalutes precor. Dicitur hodie apud vos eſſe futurus. Nos hîc nudati magiſtratibus agimus. Utinam ſiqui ſint ordine movendi, non tales ſufficiantur, qui Pontificalem noſtrorum auctoritatem confirmaturi, & nobis & vobis graviſſimi paullo poſt ſint futuri. *Velthuſius* homo perquam elegantis ingenii, cui ingentem apud populum invidiam conflarunt illi tribunicii concionatores, hoc uno nomine, quod jus magiſtratuum acriter tueatur contra illorum inſultus, nam alia, quae de illo jactant, merae nugae ſunt & mendacia craſſiſſima, ſi poſſet ſervari, non male de noſtra ageretur urbe. Gratia & auctoritas Illuſtriſſimi *Beuningii* plurimum in hac re valebit. Si cum illo agere volueris de iſto negotio, plurimum tibi debebo. Nam *Velthuſius* longo multorum annorum uſu & conſuetudine mihi eſt conjunctiſſimus; eumque propter ingenii excellentiam, morum integritatem & ſuavitatem, amorem patriae, unice diligo. Vellem de his coram nobis agere liceret. Sed vides ut nunc diſtringar. Habeo alia non pauca tibi narranda de communibus ſtudiis, quae cogor differre in proximum. Tui complexus deſiderium ferre vix poſſum. Fac ut, quam primum poteris, fidem datam liberes. Hoc tamen in anteceſſum. Corpus Byzantinum jam apud *Elzevirios* haerere; Oroſium nullius eſſe pretii, & alios codices exaratos manu praeter Virgilium, qui olim *Terbarii* fuit. is videtur quingentorum annorum aetatem ferre. Emendationem tuam Petronianam palmariam eſſe, utinam loca, quibus eam firmes, ad me perſcribere digneris. Sed nunc hoc cura, ſi quid apud te valeo, ut amicum meum, qui tamen ignorat haec a me ſcribi, ſerves, ſi potes, utque expiſceris, quando Princeps huc ſit profecturus. Nobiliſſimo *Selemio*, ſi Principem comitaturus eſt, & municipalem tenuitatem non aſpernabitur, aetatem ero obſtrictus, ſi meis in aedibus voluerit diverſari. Vale, decus meum, & praecipiti ſcriptioni ignoſce. Vix relegere has litteras mihi licuit. Quamprimum tuum reſponſum expecto. Credo nunc ſingulis diebus occaſionem mittendi litteras non defuturam. Trajecti ad Rhenum III. Decemb. CIↃIↃCLXXIII. Vide ne ſuſpicioſiſſimo hoc tempore hae litterae mihi fraudi ſint, nec cum ullo communicentur, quam cum Illuſtriſſimo *Beuningio*, cui ſatis ſcio horum hominum factionem, qui Eccleſiaſtici juris titulo poteſtatem quandam dictatoriam in omnes ſibi vindicant, inviſam eſſe. Quantum ex his, quae nunc aguntur, conjicere de futuris licet, regnabunt hîc, & illa, quae tantopere ante hos quindecim annos omnes boni deteſtabantur, inſtaurabunt & mirifice pro-

propagabunt. quae non poterunt non maximas turbas & in hac civitate, & omnibus vicinis dare. Iterum, iterumque vale.

EPISTOLA CXLIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Hoc mane litteras ad te dedi, quibus te ſum obteſtatus, ut cauſſam optimi *Velthuſii* apud excellentiſſimum *Beuningium* orares, quem in hanc, qua flagrat, invidiam adduxerunt praecipue moderatores Eccleſiarum, qui fines imperii ſui attrectari clamant, cum auctoritatem magiſtratuum, tribunitios ſpiritus reprimentium, quis tuetur, quod noſter libellis editis pulcherrime feciſſe creditur. Si noſſes hominis ingenium, probitatem, candorem, amorem quoque non perfunctorium ergo noſtras litteras, & erga te omneſque, qui illas colimus, ſat ſcio nihil tibi induſtriae reliquum faceres, ut illi adeſſes. Nec dubito quin Ampliſſimus *Beuningius* ejus cauſſa valde velit. Rogavi quoque ut mihi quamprimum ſignificares Principis Arauſiaci ad vos reditum, &, ſi poſſes explorare, quando ad nos ſit conſtituendae reipublicae cauſſa profecturus. Mihi enim mandata eſt provincia oratione gratulatoria Magni Principis adventum excipiendi, cui tamen manus nondum admovi. Poteſt hoc commode fieri, quia ſingulis diebus nunc reſtituta vehiculatione commeare ad nos litterae veſtrae queunt. Hanc epiſtolam tibi tradet *Hartmannus*, civis meus, qui faſciculum litterarum & librorum ex Saxonia mihi apportavit, & in has terras excolendi ingenii cauſſa ſe contulit. In iis nihil ſe vidiſſe exiſtimat, niſi te magnum ejus decus viderit, quem ut benigne admittas, non eſt quod a te petam, qui tanta es morum facilitate & humanitate, ut in ea omnibus, qui te adeunt, & ſalutant, plurimum ſibi praeſidii conſtitutum eſſe ſentiant, & uno ore praedicent. *Jacobus Servaeſius* quoque ſalutem tibi dicit plurimam, rogatque, ut pro ſe apud Illuſtrem *Beuningium*, pro ea, qua apud Heroëm hunc vales, gratia, intercedas, ut aut in Senatorum curiae Provincialis noſtrae numerum adſcribatur, nam tria defunctorum loca ſunt ſupplenda, aut qui ordinibus eſt a ſecretis *Ewichio*, ſi is forte loco moveatur, ut rumor fert, ſufficiatur. Sperat ſe facile votorum compotem futurum, ſi ab Ampliſſimo *Beuningio*, quem cognatione tangit, & hoc ipſo de negotio compellavit, credo, Principi commendetur. Dignus omnino eſt, qui propter elegantiam ingenii, facundiam, variarum linguarum exactam cognitionem, peritiam legum, & natalium ſplendorem, nam pleriſque proceribus, qui ad clavum urbis Amſterodamenſis ſedent, neceſſitudine conjunctiſſimus eſt, hîc vero ante plurimos annos ſedem fixit, ad locum in republica, quem ejus virtus meretur, evehatur. Gratum & memorem ſe tibi ſemper praeſtabit. Ego non potui hoc officium ei pro illa, quae inter nos a multis annis interceſſit, neceſſitudine debere. Plura nunc non licet. Byzanti-

tinos ſcriptores ad *Elzevirium* jam eſſe perlatos noſti: de aliis alias. Vale, Virorum & amicorum Princeps. Illuſtribus viris *Hugeniis* patri & filio plurimam dico ſalutem. Trajecti ὡς τάχιστα a.d. III. Decemb. Greg. CIϽIϽCLXXIII. Novi ſi quid ad vos, in primis ex Anglia & Gallia, aut Germania, ſi per te reſciero, nihil gratius mihi poterit accidere. Quaecunque de *Velthuſio* ſcripſi, velim mihi conceptiſſimis verbis juranti credas, me mea ſponte, ipſo inſcio ſcripſiſſe, qui recte dictorum factorumque conſcientia omnes fortunae injurias, quo eſt animi robore, ſolabitur. Sed me movet & bonum publicum, cui inſudabat in primis egregie, & Academia, cujus patronum ille agebat ſtrenuum, & meus erga eum amor, quia amico certiore in hac urbe non utor. Quaecunque de clavibus traditis ab ipſo ſparguntur, ſunt falſiſſima: ſicut & alia infinita mendacia in illum evomuntur. Si quid cum Gallis egit, egit id juſſu & auctoritate ſuorum collegarum, hoc eſt totius Senatus, quae curam illi ſaepius impoſuit de multis hujus urbis negotiis adeundi Gubernatores & Procuratores Regios, quia illam linguam aut ſolus intelligit, aut ſaltem prompte loquitur. Hinc calumniarum ampla ſeges enata. Vale. De Goyerianis libris quid fieri velis, iis ſcilicet, quorum pretium tibi volebas indicari, proxime credo docebis, ſi non ipſe quamprimum advolaveris. *Paſſeratius* jam alium poſſeſſorem invenerat. Tuis tamen faxo inſerviat commodis.

EPISTOLA CL.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TRibus tuis acceptiſſimis cum tam ſero reſpondeo, velim tribuas rumoribus, qui quotidie Principis expectationem hîc commovebant, ut omnes curas defigerem in contexenda, qua Servatorem noſtrum veneraturus eram, adlocutione. Scis vero me eo natum eſſe ingenio, ut non facile quid expediam, niſi urgeat imminens neceſſitas. Nunc vero audio nos rejectos eſſe in aliud tempus: Heroem reditum adornare in caſtra. Sed haec demum ad me perferuntur, cum jam jam nuncius eſſet avolaturus. Itaque perendie te jubeo prolixiores expectare litteras. Nunc te rogo ut fidem dictis facias, & quamprimum aut res proferentur, aut cum forenſibus litibus decideris, tui optatiſſimi complexus nos compotes facias. De *Velthuſiano* negotio, quod tibi curae fuiſſe oſtendis, multum te amo. Faxo gratos nos & memores cognoſcas. Praeclare de publico & viro inſigni mereberis, ſi is ſuam dignitatem per te obtinebit. Byzantinum corpus emit *Goyerus* a Pluymero plures ante annos. Cinnamus tum nondum prodierat, nec prodiiſſe illum ſcriptorem ante hunc diem in Galliis audieram. Nec de orientali Chronico memini te ante monuiſſe. Si conditio diſplicet, jube per *Elzevirium* illos libros remitti. De tuis conjecturis aliiſque proxime plura. De Sereniſſimi Principis itinere ſi certiora fue-

fueris expiſcatus, fac, ne ea ignorem. Vale, Heinſi, Amicorum Princeps, Trajecti ad Rhenum a. d. XI. Decemb. CIϽIϽCLXXIII. Perilluſtri *Beuningio* ſalutem plurimam dico. Num ſcriptorum Rei Ruſticae veteres codices in bibliothecis Italicis aliiſve videris, rogo ut me doceas. Noveſio Gallos exceſſiſſe, nudatumque praeſidio deſeruiſſe certis litteris Duſſeldorpio ad me perfertur. Utinam res provinciae noſtrae tandem ordinarentur.

EPISTOLA CLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

DE Byzantinis Hiſtoricis heri tecum egi. Cinnamum & Chronicon Orientale tum temporis nondum lucem vidiſſe, cum hos a *Plumero* praeſtinaret libros ὁ δεῖνα, certa res eſt, ſi per chronicon Orientale intelligis illud, quod Alexandrinum dicunt, in Germania publicatum olim a *Radero*. Audieramus in his duobus ſcriptoribus recudendis verſari Pariſienſes, ſed editos eſſe ignorabamus, ante quam tuae haec nos docuerunt litterae. Nam ſi quam olim Chronici mentionem feciſti, fateor plane eam ex mea effluxiſſe memoria. Tu tamen ſtipulatus es licitationem meam ratam futuram, ſi nihil in hoc corpore deſideretur, praeter unum Pachymerum. Tui conſilii nunc eſt hos libros an retinere velis, an vero remittere. nec videtur venditoris intereſſe magni, utrum malis, quia perſuaſum habet Amſterodami majori pretio illos venire poſſe. Spem adventus Celſiſſimi Principis decolaſſe nobis dolemus vehementer, quem res noſtrae provinciae & urbis compoſiturum indies putabamus. Niſi brevi nobis magiſtratus reddentur & judicia, multis magniſque conflictabimur incommodis, ut facile per te intelligis. Nunc enim quaſi juſtitio indicto ſilent omnia. Doleo vicem obſidum, de quibus redimendis agi non poteſt antea, quam res noſtra publica fuerit conſtituta. Sed haec fatis committemus. *Velthuſii* dignitatis tuendae curam ſuſcepiſſe Perilluſtrem *Beuningium* incredibiliter gaudeo, nec dubito quin tanti viri auctoritas & gratia plurimum valitura ſit ad reprimendos, qui eum oppugnant, homines, quod nolit illorum majeſtatem adorare. De publicis nihil audiebamus, niſi quod Galli Noveſio emigrantes ripam Rheni legant in ſuperiorem contendentes Germaniam cum aliis copiis, quibus praeeſt Dux Luxemburgius. Num Monaſterienſis Antiſtes tranſierit in partes Caeſarianas, ut rumor pervulgatus fert, & Galli Campis quoque ceſſerint, ex vobis reſciſcemus. Haec de publicis. Expecto quid Daumianae litterae & faſciculi tibi attulerint. Miror non perlatas eſſe meas litteras, in quas tuas ad illum & *Gebhardum* conjeceram, quas ante duos admodum annos certis, ut rebar, hominibus curandas credideram. Scripſi hoc nomine nuperius in patriam, ſimul ac reſponſi quicquam accepero, intelligemus quid illis litteris ſit factum. *Hartmannus* inter alia mihi apportavit *Joannis Strauchii*, Juriſ-

conſultorum Germaniae nunc Principis, pereruditas exercitationes, in quibus multa Juris Canonici loca emendat, de multis diſputat ritibus & rebus illorum temporum & hominum accurate. Nunc edit amoenitates juris ejuſdem argumenti. *Boſius* miſit diſſertationem de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Narrat ſe Ciceronis Philippicas in membranis deſcriptas habere, eaſque in meam gratiam cum editis commiſſurum. Joſephi editionem nihil morari, niſi quod ad poſteriores decem τῆς ἀρχαιολογίας nondum integrum codicem nanciſci potuerit, qui tamen omnium ſint corruptiſſimi: ſed ad hos deſiderare Voſſianorum librorum excerpta. Nepotem ejus ſecundis curis expolitum propediem lucem adſpecturum publicam, nunc in indice occupari operas. varia quoque ejus opuſcula, diverſis temporibus ſcripta, juncta jam prodire, ut & *Reineſii* ad *Bernh. Bertramium* Cancellarium Altenburgicum epiſtolas plurimas, quas excepturae ſint ad exteros datae. Lipſiae *Thomaſium* edidiſſe de plagio litterario diſſertationem refertam multa eruditione. Se producturum Chronologiam Nicephori, e MS ſuo auctiorem & correctiorem, quam a Scaligero & Goare data ſit. ſe quoque parare novam editionem Syncelli & Theophanis e MS. Auguſtanis futuram emendatiorem, cui continuationem Geneſii pridem promiſſam ſit adjecturus. *Schefferi* Archiepiſcopos Upſalienſes nondum vidi. Eum quaeſo ut meo nomine peramanter ſalutes, ſi quando litteras ad eum exaraveris. Quando ejus Lapponia comparebit? Locum Petronii de jecore anſerino ingenioſiſſime & veriſſime reſtituiſti, ut nullus ulli dubitationi locus ſuperſit. *Feſcennia jocatio* apud Catullum mirum quoque in modum mihi probatur. Nec poſſum tibi adverſari in *crimina jacta* apud Tibullum Lib. 4. El. 14. quamvis vulgatam tueri velit *Scaliger* illo Propertiano Lib. 1. El. 12. verſ. 1.

Quod mihi deſidiae non ceſſas fingere crimen.

Sed hic *fingere* accipitur pro *affingere. Semihiante labello* jam vidit *Scaliger. Ancique gentem* meliores quoque *Duſae*, *Scaligeri*, *Paſſeratii* editiones prae ſe ferunt. Elegia VIII. libri 1. Propertii, verſ. 13. in qua uterque ſudavimus, eſt plena mendarum, & ſudabimus, credo, ſatis diu, antequam cultiſſimo ſcriptori ſuus nitor reſtituetur. Non diſplicet tua emendatio.

Ne me defixum vacua patiaris in ora,
Crudelem infeſta ſaepe notare manu.

Quamvis non auſim praeſtare ſcripſiſſe Poetam *notare*. Vulgata tamen commode vix poteſt exponi. mox *Praevecta Ceraunia* corruptiſſimum eſt. Paſſeratii & nonnullae editiones aliae legunt: *Ut te felici vectam per caerula remo.* Sed procul dubio haec ex ingenio audacis correctoris, qui veterum librorum ſcripturam cum non intelligeret, ut ſenſum aliquem daret, hanc eſt commentus, ſunt profecta. Quomodo vero conſtitui hic locus poſſit nondum deliberatum mihi eſt. *Vincere Ceraunia*, pro ſuperare num uſquam legitur? In Elegia XVII. etiamnum haeret mihi aqua in illo; *Nec mihi Caſſiope ſolito viſura carinam*, quamvis ferri poſſit, ſi *mihi ſolito*, licet explicare; ut ante ſolita eſt mihi ſe conſpiciendam praebere. In *mea fata reponere* tibi ſubſcribo, & priſtinam repudio ſententiam. Tibi quoque ſuffragatur Paſſeratius, *reponere* ut *componere* uſur-

uſurpatum exiſtimans, & *mea fata* pro me mortuum. In Plauti Truculento varie conjectores hariolati ſunt. Acidalius *plane interbitem.* Palmerius: *plane eviter.* In editionibus obtinet Lambinianum: *plane interеam.* Tum *plane Irus ſiem*, non videtur huic loco appoſitum. Magis arridet: *plane orci ſiem.* Simpliciſſimum tamen mihi eſſe videtur, ſi ſcribatur: *plane periſſem.* non longe enim a ſcriptura veterum codicum recedit, & ludit in voce *pereo. invidere* cum caſu quarto Cicero uſus eſt in eodem libro III. Tuſculanarum quaeſtionum, ubi reprehendit Accium ſic loquentem: *Ut nobis optimam naturam invidiſſe videantur, qui nihil melius populari gloria judicarunt.* Aliud in Cicerone exemplum non ſuccurrit, ſed apud Virgilium: *Jam pridem nobis coeli te regia, Caeſar, Invidet.* & Horatium: *ego cur, acquirere pauca Si poſſum, invideor.* Nunc quod patrocinium Parenti eloquentiae ſis praeſtiturus expecto. In lib. I. ad Att. ep. 3. in fine legitur: *In ſe expertus eſt illum eſſe minus exorabilem, meum ſtudium nec tibi defuiſſe.* Codex Britannicus: *meum ſtudium tibi nec defuiſſe.* Quidam editi: *meum ſtudium nec ſibi defuiſſe.* Videtur Cicero ſcripſiſſe: *meum ſtudium nec tibi nec ſibi defuiſſe.* Vale, ingeniorum & amicorum Princeps, & fer tecum epiſtolas *Latinii*, ſi Gedanenſes vis recuperare, &, quod commodo facere poteris, *Voſſii* Muſica & *Marshamii* Chronologica. Pro mercibus Anglicanis ego tibi bellaria apponam Gallica & Germanica. Manuſcriptorum, qui de Re Ruſtica ſunt commentati, velim memineris. A *Magalotto* litteras habui. Iterum vale. Trajecti a. d. XII. Decemb. CIↃIↃCLXXIII. Audio quoque in Anglia exiiſſe defenſionem litterarum *Ignatii* contra *Dallaeum*, *Salmaſium*, & *Blondellum.* Auctor credo hujus defenſionis eſt doctus ille *Pearſonus.* Vidiſtine?

EPISTOLA CLII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NIhil laeti praeſagit animus, cum nec te, ut ſperabam, nec tuas viderem litteras, qui non committis, ut unquam poſſis aut de fide promiſſorum, aut de litterarum intermiſſione accuſari. Calumniis forenſis controverſiae, quae te nunc exercet, putabam te retardari a ſuſcepto itinere diem unum alterumve. Sed ſimul ac ex tuis cognovi adverſa te valetudine teneri, quo minus ad conſtitutum praeſto fueris, poene fui exanimatus. nec hic dolor mihi ullius jucundae rei lenocinio poterit eripi, ante quam te firmum eſſe valentemque intellexero. Levor quidem, cum ſignificas meliuſcule nunc eſſe, ſed ſollicitudine de te, quae me habet anxium, non carebo, ante quam tuo deſideratiſſimo recreabor complexu. Interim rogo ut quam ſaepiſſime per tuum amanuenſem, ſi ipſe per infirmitatem corporis, quod deus non ſinit, hoc ſcriptionis munus obire non poſſes, me certiorem reddas, quomodo te habeas. Nullum praetermittes diem, niſi me volueris aegritudine enecari. Has ſcribo ſtatim cum

tuas legi. Ne plane ſint inanes, neve cum ſolis articulorum doloribus tibi ſit luctandum, en tibi unam atque alteram conjecturam; quae vereor ne moleſtias tuas augeat. Apud Cicer. VIII. ad Attic. ep. 15. locus eſt vexatiſſimus, in quo corrigendo tot ſunt ſententiae, quot interpretes. *In altera epiſtola video te ſcire ita eſſe, & quemadmodum redeuntem excipiam Caeſarem, quem omnino vitare cogito, & aut Haemonis fugam tendis, commutationemque vitae tuae, quod tibi puto eſſe faciendum.* pro *& aut Haemonis fugam tendis*, nonnulli codices: *& tu ad Haemonis fugam intendis*, alii, *& haut haec mois fugam intendis.* Credo Ciceronem ſcripſiſſe: & *an tu ad Chaoniam fugam intendas.* Cicero repetit capita litterarum ab Attico ſcriptarum, in quibus unum erat de conſilio Ciceronis, ex quo quaeſierat, quid ſibi auctor ſit, num in illis tumultibus ſe recipere debeat in Epirum, & vitam urbanam commutare provinciali. Chaonia eſt pars Epiri, in qua erant praedia Attici. vide libri VI. ep. 3. In epiſtola praecedente mire quoque ſategerunt viri docti in hac περικοπῇ. *De Domitio varia audimus, modo eſſe in Tiburti aut Lepidi, quo cum Lepidus acceſſiſſet ad urbem.* pro *aut Lepidi* liber Gallicanus a *Simeone Boſio* laudatus *haut lepide*, quod *Boſius* recepit. pro *acceſſiſſet* fere omnes antiqui, etiam quorum excerpta variarum lectionum penes me ſunt, *acceſſiſſe*. ſcribe: *De Domitio varia audimus, modo eſſe in Tiburti haut lepide: quocum Lepidum acceſſiſſe ad Urbem.* ſcilicet audimus. ſtatim ſequitur: *Ait enim Lepidus eum neſcio quo penetraſſe itineribus, occultandi ſui cauſſa, an maris apiſcendi ne id quidem ſcit.* Quid ſit *penetrare itineribus* non intelligo. F. Urſin: ſcribit *itineris.* Sed mutanda ſola eſt interpunctio: *cum neſcio quo penetraſſe, itineribus occultandi ſui cauſſa, an* &c. *itineribus ſe occultare* eſt per devias & occultas vias, ne cognoſcaris, iter facere. Sic *creta & veſtitu ſe occultare* apud Plautum. Plura adderem, niſi metuerem ne dum doloribus pedum vexaris, hae nugae tibi bilem in naſum cieant. Commentaria ſelecta virorum doctorum in Ciceronis orationes edita ſunt Coloniae Agrippinae apud Anton. Hierart 1621. Plura vellem, ſed tempore excludor. Vale, Vir Summe, & negotii *Velthuſiani* fac te memorem praebeas, cum valetudo tulerit. Ampliſſimum *Servaeſium*, qui nunc in tuis, credo, agit aedibus, ſaluto. Trajecti ad Rhenum a.d. XVII. Decemb. CIϽIϽCLXXIII.

EPISTOLA CLIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

AD conſpectum litterarum tuarum exilui gaudio, cum tua manu cognoſcerem illas eſſe ſcriptas. Certiſſimum enim argumentum erat mihi valetudinis tuae in melius converſae, quam nunc reſtitutam plane tibi eſſe ſpero, ut propediem te hîc firmum valentemque viſurus ſim. Nam & prolatio rerum, & clementia coeli, & ingens tui deſiderium, & fides ipſa, quam

quam mihi obſtrinxiſti, non patietur te diutius moras nectere. *Thevenotho* & *Boſio* propediem ſignificabo, quae illos ſcire vis per me. Ampliſſimo *Beuningio* ut cauſſa *Velthuſiana* ſit commendatiſſima non dubito quin ſis elaboraturus. Quartum tomum peregrinationum a *Thevenotho* collectarum non audio prodiiſſe, ſed tantum illud iter ad Seras, quod anno ſuperiore nobiſcum communicavit Vir excellens. In Propertio:

Crudelem infeſta ſaepe vocare manu.

Videtur tolerari poſſe. Tu ſane belle illum locum exponis. Plurimum quoque tibi debeo pro rara ſignificatione ꝫ *vincere*, quam me docuiſti. In Tullii loco nondum poſſum tibi aſſentiri; niſi priſcorum codicum auctoritate tua muniatur ſententia. Sed de his cogitabimus accuratius. Caſtigationem Plautinam, ubi recte mones pro *accentet ſenem*, legendum eſſe *occentet ſenem*, occupavit S. *Piſtorius*, quod *Taubmanni* collectanea oſtendunt. Apud Propert. lib. I. el. 14.

Illa neque Arabium metuit tranſcendere limen,

Non capio quid ſit *limen Arabium*. Cogitabam Propertium ſcripſiſſe *limen atratum*, h. e. funeſtum, prae ſe ferens cupreſſum. Nec illis parcit amor, qui in moerore ſunt & luctu propter mortem amicorum, nec qui deliciis affluunt. Plura volebam ſubtexere: ſed interpellabar. Galli reditum in patriam ſuam molientes dicuntur a noſtris in agro Juliacenſi circumſeſſi. Vale, Vir Summe. Trajecti a. d. XXI. Decemb. CIƆIƆCLXXIII.

EPISTOLA CLIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Vix moram iſtam, quam nobis tua infirmitas objicit, ferre poſſum, tanto tui flagro deſiderio. Servi, quaeſo, valetudini & da operam ut quam primum bona fide tecum in gratiam redeat, ne diutius tanta voluptate, quam animo praecepi, defrauder. Si *Pluymerus* eſſet in vivis, hoc Chronicon Orientale ei erat dependendum. Sed quî poterunt orbi nunc parentis culpam praeſtare poſt tantum intervallum? Aequiores tamen ſe praebere vobis debebant in vendendo hoc libro, qui ſatis intelligunt *Goyero* eſſe impoſitum. Illuſtris *Beuningius* cum ad vos reverterit, ſpero te promiſſorum memorem futurum. Princeps utinam brevi redeat, ut res noſtras lapſas, ac indies magis magiſque peſſumeuntes, reſtituat. Nam altero die, a quo ſigna noſtrae intulerunt urbi ſocii, primo a *Comite Hornano* magiſtratus urbani, deinde ab iis, qui ablegati erant ab Ordinibus Foederatis ad res noſtras inſpiciendas, cum hi ipſi, tum omnes noſtrae provinciae ordines ac judices exceptis duumviris capitalibus, ſubmoti ſunt a reipublicae & ſuae functionis procuratione tamdiu, donec ex ſententia ſociorum ordinaretur provincia. Hoc tempore ſine magiſtratibus ſumus, &

 ſine

ſine judiciis, cum magno hujus provinciae detrimento. Nec poſſunt obſides redimi, quos hoſtes abduxerunt, quia nudatis rectoribus nulla fides eſt. Supplex libellus a quinquaginta circiter civibus oblatus fuit *Comiti Hornano*, quorum multi dicuntur eſſe ἐκ τῶν βανάυσων & χειρωνάκτων. De qua re queſti ſunt nondum nobis conſtat. Sed de his coram brevi plura. Ducem *Luxemburgium* citato itinere cum ſuis copiis contendiſſe in Galliam litterae Trajectenſium ad Moſam hodie nobis nunciarunt. Suecum ajunt in partes Gallorum pertractum, nec Colonienſem nec Monaſterienſem ejurare velle, quam ſequuntur ſectam. De Celſiſſimi Principis *Arauſiaci* ſucceſſibus propediem ſperamus audire, quae volumus. De cujus adventu ſi quid certi cognoveris, fac quaeſo ſtatim reſciſcam. *Invidere aliqua re* nullus dubito quin veteres dixerint. Integra locutio eſt *invidere de re aliqua:* ſed & dixiſſe *invidere rem aliquam* extra controverſiam eſt. Ovid. *Troades invideo.* Itaque invitis libris nihil auſim in Tullio refingere. In Ceiri reſcripſit jam ante *Barthius: Infeſtumque Sinis*, idque recepit *Taubmannus.* quod placet, ut in x. Aen.

Mincius infeſta ducebat in aequore pinu.

Quamvis tua conjectura *inſeſſum Sini* ſit perquam elegans. In Apulejo ſcribendum videtur: *En orba & ſaeva & iniqua fortuna!* Tui deſiderii, cum bibliothecae proponentur, memorem me cognoſces. Cis paucas hebdomades habebis quoſdam catalogos. In Propertio *Auratum* exoſculor. Ad Magnum ducem Etruriae ut litterae exarentur propediem operam dabo. Vale, mea lux. Raptiſſime Trajecti ad Rhenum a. d. XXII. Dec. CIƆIƆCLXXIII.

EPISTOLA CLV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUae pridie de Appulei loco. En *orba & ſaeva*, *& iniqua fortuna*, ſcripſi, damno & oblitero. Feſtinanti & praecipitanti, quae in ſolum veniebant, vere tu poſſis occinere, ſane mihi ipſe occino: *Qui cito judicat ad poenitendum properat.* Nunc cenſeo legendum: *En acerba, & ſaeva, & iniqua fortuna!* Scriptum fuit ab oſcitante librario omiſſis duabus litteris *arba*, inde ex vocabulo nihili fecerunt *orba.* Non longe poſt in eadem ſororum oratione legitur in omnibus editionibus: *Enimvero ego nequeo ſuſtinere ulterius tam beatam fortunam collapſam indigne.* Non erat collapſa Pſyches fortuna, ſed florebat tum maxime, urebatque ſorores. legendum: *Fortunam collatam indigne.* quae abutatur tam ſplendida fortuna. ſequentia hoc clare oſtendunt. Uxor mea heri excurrit Harlemum ad patruum ſuum ibi Romano ritu operantem. Proximo die Jovis ſe conferet Lugdunum Batavorum, credo, ut die Veneris recurrat ad nos. Forte te comitem habebit. Nam tum iſtud octiduum decurſum erit, quod valetudini firmandae tibi impendendum cenſebas, antequam pedem effer-

ferres domo. Cura valetudinem diligenter, ne diutius fructu deſideratiſſimae tuae conſuetudinis nobis carendum ſit. Si forte te viae dederis ſub uxoris reditum, illam invenies in aedibus *Gronovianis*. Vale, Heinſi, mea lux & decus unicum. Trajecti ad Rhenum a. d. XXIV. Dec. CIƆIƆCLXXIII.

EPISTOLA CLVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

CUm tuae, quas XXV. Decembris Gregoriani exaravaras, redderentur, accinxi me itineri Amſterodamenſi, ad repetendam uxorem, quia ex iis intellexeram te ante Nonas veſtras Jan. non venturum. Redii pridie. Nonae nunc inſtant. Fac ego, ſi valetudo, ut ſpero, tulerit, ut quamprimum te complectamur. Deſiderium tui ferre diutius non poſſum. Gaudeo incredibiliter te moleſtiis tricarum forenſium, ex ſententia tandem expeditum eſſe, voloque, Deum fortunare tibi maternorum bonorum poſſeſſionem, quae corripuerant, qui maxime ea ſalva tibi praeſtare debebant, & ab aliorum injuria intacta. Sed quam pauci ſunt, quos non illa ſacra fames auri tranſverſos agit & praecipites in omne ſcelus. Verum de his coram melius. De *fortuna rea* ſi quae in promtu ſunt exempla, velim ea mecum communices. Nam mihi nulla ſuccurrunt. Plinii locus ab *Elmenhorſtio* allatus parum videtur ad rem facere. In illo enim tantum legitur, *fortunam ab omnibus ream agi*. De Principis sereniſſimi adventu ſi quid habes explorati, fac quamprimum ex te reſciſcam, ut & num vera ſint, quae de Nobiliſſimi *Seleemii* morte fama ſparſit. *Blavium*, bibliopolam illum celebrem, diem ſuum obiiſſe jam ex aliis, credo, accepiſti. Galli feruntur a noſtris & foederatis exercitibus circumſideri, & omni commeatu intercluſi eſſe. Ad Pariſienſes amicos nihil adhuc litterarum dedi. Via tamen Colonienſi videbo num poſſit commercium hoc inſons exerceri. Solinum *Salmaſii* & alios, quos cupiebas libros, *Goyerum* audio vendidiſſe *Plumero*, qui Solinum tibi eo, quo licitatus eſt, pretio redimendum dabit. Apud Illuſtrem *Beuningium*, ſi ad vos rediit, ut *Velthuſii* noſtri cauſſam agas, ut nuperius recepiſti, vehementer te etiam atque etiam rogo. Vale, Vir Summe, & veni. Trajecti ad Rhenum a. d. XXIII. Decembris CIƆIƆCLXXIII. Dionyſ.

EPI-

EPISTOLA CLVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Excruciat me lentum valetudinis tuae negotium, quod gaudia noſtra moratur, nec ſinit nos tecum hos feriatos dies hilares ſumere, ac ſuaviſſimis tuis, omni eruditionis ac leporum genere condîtis fabulis, non quidem longos condere ſoles, ſed noctium ſpatioſiſſimarum taedia lenire. Recte tu quidem facis, cum iſtam infirmam valetudinem nec animi nec corporis moleſtiis vexas, nec ante te viae das, quam bene firmus ſis ac valens. Nam Euripideum illud, quod & Cicero ſuo Tyroni inculcabat, ψῦχος λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον, non poteſt non te deterrere a cogitato itinere, quamvis haec coeli benignitas videatur noſtrae ſpei ac votis ſatis reſpondere. Sed nos deum venerabimur, uti omnes morbi reliquias penitus exhauriat, teque totum tibi reſtituat, & non ſolum hunc, quem modo iniiſtis, annum, ſed & complures ſecuturos tibi det decurrere inoffenſa valetudine, florenti dignitate ac iis ornamentis, quae tuae virtuti meritiſque in patriam ac rem litterariam debentur: utique otium tibi praeſtet ad praeclaros illos ingenii tui foetus in lucem proferendos, Publica res noſtra fluctuat etiamnunc, nec ante fundabitur, quam in ſuam ſedem reduxerit eam ſtator ille noſtrae reipublicae, Princeps *Arauſionenſis*, quem deus nobis reddat ſalvum & incolumem. Galli dicuntur copias undique contrahere, ut viam ſibi & reditum aperiant in patriam, & *Bellefontius* non ſpernenda manu circumſeſſis ſubſidio proficiſci. Sed cum omnes aditus a noſtris teneantur, ſpero robur hoc Gallicanorum exercituum poſſe conteri, quo nihil in ſummam belli accideret optatius. His enim veteranorum legionibus conciſis, tyrones, qui conſcribentur, non magnam bello moram facient aeſtate proxima, ut in ſpem veniam pacis in leges noſtras conficiendae propediem, ſi ex voto haec ſucceſſerint. *Velthuſii* cauſſam illuſtres quoſdam & potentes in aula viros oraturos certum habeo. Magnum pondus accedet, ſi & Illuſtris *Beuningius* optimi viri dignitatem tuendam ſuſceperit. Non dubito, quin memorem ſis monituros, ſi quando virum ampliſſimum videris. Gaudeo Nobiliſſimum *Selemium* vivere & valere. *Goyeri* levitas eſt accuſanda, qui *Plumero* ignoranti iſtas merces venales obtulit, de quibus jam tecum conſtituerit. Sed nec *Plumero* traditi ſunt hi, quos utrique veſtrum vendidit, libri, quamvis jam tranſegerit cum illo. Verum de hujus hominis inconſtantia quid dicam non habeo. *Blavii* filios ſpero parentis famam in edendis libris elegantioribus propagaturos, & nobis daturos *Gevartii* commentarium in Antoninum, quem ignorabam in noſtras oras eſſe delatum. Hephaeſtionem deſidero. Si quando in auctione apud vos ſalubri pretio venierit, vide ne mihi elabatur, ut & *Nobilii Flaminii* diſſertationes. *Voſſiuſne* in Angliam ad patruum profectus eſt? Hujus de vi

Ryth-

Rythmices libellum nondum videtur potui: niſi forte tuum iter in longius, quod nolim, tempus rejiceretur propter infirmitatis incommoda, fac, quaeſo, mihi ejus copiam ad diem unum & alterum, ut & *Marshamii* canonis Aegyptii, & *Pearſoni* defenſionis epiſtolarum Ignatii. Hae feriae mihi poteſtatem faciunt hos libros evolvendi. Commodum poterunt mitti aut per nautas veſtrates, qui ſingulis hebdomadibus ultro citroque commeant, aut per Leidenſes, operam dabo, ut brevi eos recipias. Malim tamen a te illos perferri. Cura te diligenter, ut quamprimum, omni expugnato torpore, noſtro, quo contabeſcimus, deſiderio te videndi ſatisfacias. Sic enim habeo, mihi a te omnia eſſe data, ſi te firmum hîc valentemque complexus fuero. Ingenioſe ſane & oppido venuſte apud Juvenalem *Fortunam ream* ſcribendum eſſe cenſes. potuit ita ſcripſſe Juvenalis: ſed quia tamen de *Numine Prudentia* praecedit, videtur vulgata lectio non hîc eſſe ſollicitanda. Deam Fortunam, quam ſtultitia hominum finxit, opponit verae deae Prudentiae, quae inſtar aliarum dearum omnium eſt. In ſchedas tuas ſi incideris, cupide videbo, quae de *fortuna rea*, & de illa apud ſcriptores deteriorum aetatum ſignificatione *τ͂ reus* obſervaſti: *Invidere ſepultura* recte vindicaſti apud Tacitum. nec poteſt dubitari, quin aeque cum ſexto ac quarto caſu conjunctum hoc verbum reperiatur. Hoc *Gronovius* bene vidit, Accium a Tullio reprehendi, quod dixerit *invidere aliquem*, non vero *invidere aliquid*. quod rectum eſt, perinde ut *invidere aliqua re* per ellipſin, pro *invidere alicui de aliqua re*. Latine dicitur *invideo tibi fortunam*, & *invideo tibi fortuna*, non vero *invideo te fortuna*, aut *fortunam*. Aliud eſt apud Virgilium: *te invidet coelum nobis*. Male ſcriberetur: *Nos coelum invidet te*. & hoc eſt quod in Accio caſtigat parens eloquentiae. In περικοπῇ Petroniana de muliere Epheſina deeſt omnino aliquid, ut dudum etiam animadvertit *Hadrianus Junius*. *Pars* quidem in Priapeiis & ipſo Petronio non ſemel pro natura muliebri accipitur, & nonnunquam pro virili. Sed, *ne hanc quidem partem*, deſiderant aliquid, quod excidit, nec a me divinatione ulla potuit revocari, Epigrammati in Priapeiis, *Velle quid hac dicas*, ſuum nitorem & argutiam ſagaciſſime reſtituiſti. Nihil inſulſius eſt vulgata lectone; nihil lepidius, nihil argutius ſi, ut tu refinxiſti, ſcribatur. Et ſic ſcripſiſſe auctorem epigrammatis quovis ſacramento contenderim, niſi quod haeream in *credite dici*. Mallem: *credite docto*, ſcilicet mihi, qui toties id expertus & uſu longo doctus ſum nihil aliud ſibi velle oſcula rudis haſtae. Apud Propertium lib. IV. in elegia pulcherrima Corneliae ad Paullum, vide num tibi probetur haec emendatio mea:

Nam ſi quis poſita judex ſedet Aeacus urna,
In me ſortitus vindicet oſſa pia.

Vulgo ſcribitur ſine ſenſu:

Aut ſi quis poſita judex ſedet Aeacus urna,
In mea ſortita judicet oſſa pila.

Nihil dicam de toties iterata prima vocali. quid quaeſo eſt *ſortita pila*? Firmat conjecturam hanc Seneca Hercule Furente verſ. 731.

Non unus altâ ſede quaeſitor ſedens
Judicia trepidis ſera ſortitur reis.

Vindicet habent veteres quidam libri, ut viri docti annotarunt, & ita excerpta *Modii*, quae olim tecum communicavi, oſtendunt. Non longe poſt malim quoque:

Victa Numantini regna loquuntur avi.

Numantini avi, ſunt Numantinorum imagines & ſtatuae. In editis: *Vera Numantinos regna loquuntur avos.* quorum quis ſenſus ſit ego, qui meus ſtupor eſt, non video. Ad Ampliſſimum *Naeldwyckii* dominum litteras eram daturus eadem opera, ſed interveniebant amici. Cras igitur hoc officio defungar, nec diutius differam reſponſum ad Viri Nobiliſſimi litteras plenas amoris & officii. Vale, Heinſi, decus noſtrum. Trajecti ad Rhenum a.d. XXVIII. Decemb. CIↃIↃCLXXIII. Dionyſ.

EPISTOLA CLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MUltum te amo, qui me certiorem feciſti de Sereniſſimi Principis adventu. De ejus excurſu ad nos, ut & de Gallis, num etiamnum in iis ſedeant locis in Leodicenſi tractu, in quibus caſtra poſuerant; num vero fugam explicuerint ſibi viis parum veſtigio humano tritis, ut rumor fert, ſi quid acceperis certi, velim a te doceri. *Goyerum* hodiè habui obvium, egique cum eo de Soliniano Commentario *Salmaſii*, ut tibi eum addiceret eo pretio, quod petierat, nimirum viginti quinque florenorum. Annuit, & illos quoque libros, nimirum Ovidium cum variorum animadverſionibus Francofurti publicatum, Diodorum Siculum, & neſcio quem tertium, qui haereant in taberna *Elzeviriana*, ſe tibi vendere illo pretio, quod tibi per me ſignificavit. Si tuis igitur uſibus vis vindicari hos libros, auctor tibi ſum, ut quamprimum pecuniam *Goyero* jubeas numerari ab *Elzevirio*, ne rurſus ab hac ſententia; quo eſt ingenio deſultorio, diſcedat, novoſque emtores inveniat. Aut ſi non omnes, eos ſaltem, quos maxime deſideras, celerrime tibi jube praeſtinari. Exercitationes Plinianae ut ad te perferantur mihi curae erit, ſi juſſeris. Sed ſi ipſe ad nos te conferres, momento temporis omnia ex tua ſententia tranſigerentur. Quin tu hanc arripis occaſionem, & cum aula huc advolas. Nobiliſſimo *Selemio*, ſi eum videris, ſalutem dico plurimam. Trajecti ad Rhenum prid. Kal. Jan. CIↃIↃCLXXIV. Dionyſ. A *Cupero* litteras habui, qui in expoliendo Luciano totus eſt, & ſuo commentario, in quo explicat ἀποθέωσιν Homeri.

EPISTOLA CLIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

HIc dies duplex gaudium mihi attulit, tuas litteras, quibus nihil acceptius mihi ſemper poteſt offerri, & conſpectum *Wolzogii* & *Francii*, quos ego ſane quam libenter vidi. Utinam te quoque cum illis hîc complecti nunc detur, ut de communibus ſtudiis fabulas ſimul ſerere poſſemus! Sed quia languor & laſſitudo nondum ſinunt te pedem efferre domo, feremus etiam paucorum dierum, quas fovendae valetudini impendes, moras. Feriae noſtrae protrahuntur in proximum Februarium ſecundum Academiae noſtrae leges ac diſciplinam. Quapropter non eſt, ut de occupationibus Academicis ſis ſollicitus. Advola modo: tibi vacabo totos dies. Plura nunc addere per amicos, quibus opera danda, non licet. Propediem tuis ſuaviſſimis & copioſiſſimis litteris uberius reſpondebo. Interea ſi quid explorati aut de Sereniſſimi Principis *Arauſiaci*, aut Comitis *Waldeckii* excurſu ad nos cognoveris, noli quaeſo me hoc ignorare. Vale, Vir Excellentiſſime & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. XII. Jan. CIƆIƆCLXXIV. Ampliſſimo *Naeldvicio* rogo ut hanc epiſtolam, quam tuae adjeci, tradendam cures.

EPISTOLA CLX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

HAec quoque hebdomas effluxit, nec tamen promiſſorum fides apparet. Ante hos tres dies inclementia coeli videbatur tuum iter velle retardare, ſed nunc cum benignius fieri nihil poſſit hoc brumali tempore, quid cunctaris? Nam te ex nupero morbo plane convaluiſſe, omnique reſiduo languore levatum eſſe tuae mihi litterae fidem faciunt. Num refugis miſerorum conſuetudinem? Nam noſtra civitate nihil eſt perditius, in qua nunc improbi regnant, & impune optimum quemque maledicentiſſimis libris, & mendaciis impudentiſſimis inceſſunt. De vectigalium imminutione, infinitiſque aliis incommodis, quibus nos conflictamur tam diuturno juſtitio, non libet nunc queri. Enectae provinciae vix potuit gravior tempeſtas incumbere, poſtquam illa detonuit atrociſſima procella, quam quod tamdiu ſine magiſtratibus & judiciis eſt. Sed & tuum ingenium longiſſime diſſidet ab hujus vulgi moribus, qui non fide, ſed utilitate amicitiam: & nos in noſtrum nos abdemus Muſeum, ubi nec nomen Pelopidarum audiemus, nec facta.

Propediem igitur te hîc expecto. Nec eſt quod in ſereniſſimi Principis *Arauſionenſis* adventum profectionem tuam differas. Eum enim praeſentiora negotia morantur, ut nihil comperti de ejus excurſu interiores etiam amici illius nobis promittant. Tu, qui olim fidem meam ſolebas accuſare, vide ne condemneris eodem crimine. Spem pacis, quam Britanni videntur facere, firmabat ante hoc triduum adoleſcens Amſterodamenſis ex cohorte noſtrorum Oratorum, qui Coloniae nunc pacificationis cauſſa degunt, & recens dum ex illa urbe ad nos venerat. Ajebat ex *Beverningii* ore ſe, cum diſcederet, accepiſſe, ſpem certam affulgere in paucis diebus cum Anglis decidendi. Duas reſtare conditiones, quae nondum convenerint. Alia jam eſſe compoſita. Sed vereor ne Rex & nobis & Proceribus ſui regni os ſublinat. Eventus comitiorum, quae nunc habentur Londini, brevi docebit, conditionibuſne an armis velint tranſigere. Prudentiores exiſtimant a ſocietate Gallica Regem deduci vix poſſe, Senatumque & Populum Anglicum ſpecioſis nominibus in partes pertractum eſſe. Non facile Regem coacturum fuiſſe Senatum, niſi noſſet eum in poteſtate ſua futurum. Sed haec dies explicabit. Principem *Arauſiacum* cum dies aliquot non optima uſum valetudine audivimus, toto corpore cohorruimus. In Ejus capite noſtra omnium ſalus & vita agitur. Deus hunc Heroëm conſervet, niſi exoſus noſtra vitia nos velit perire. *Velthuſii* temporibus cum deeſſe noluiſti, plurimum tibi ſum obſtrictus. *Goyerus* promittebat hiſce diebus mihi, ſe Salmaſianas Exercitationes in Plinium in meas aedes perlaturum, ut ibi ſerventur in tuum adventum, ſed eas nondum vidi. *Jacobum Gronovium* ſuae profectionis Italicae magnum capere fructum, & in paternae virtutis, doctrinae, ac celebritatis decus eniti gaudeo incredibiliter. Magnus Etruriae dux fertur ei provinciam *Chimentelli* in Piſana Academia litteras elegantiores docendi detuliſſe. Nihilne de hac re *Dati* litterae? In Appulejo proxime ad ſcripturam codicum accedit tua conjectura, *torva Fortuna*. Petroniani loci emendationem iis licet accenſeas, quae a te pulcherrime & ingenioſiſſime ſunt reſtituta. Quid tu curas iram mulieris hujus, quae & averſa & adverſa prurit, cum tibi applaudant

Veneres Cupidineſque,
Et quantum eſt hominum venuſtiorum?

Huic correctioni videbatur primo obſtare, quod nulla concubitus ante mentione facta parum eſſet veriſimile praepoſterae Veneris prius illum meminiſſe, quam legitimae. Sed plane haec conveniunt ingenio & petulantiae Petronii. Nihil ſalſius. Non poterat laſcivia foeminae caſtitatem maxime ſimulantis & levitas depingi lepidius. Nam quae ab hac parte dat, quam facilis fuerit in dando ab altera, nemo non intelligit, & quam projecta in libidinem. Mea ſententia rem acu tetigiſti. In Propertii verſu nondum damnare poſſum meam conjecturam. Nam ponamus reos etiam ſortitos eſſe, de qua tamen ſorte nihil mihi ſuccurrit: Praetor ſortiebatur judices, accuſator & reus rejiciebant ex illo numero, quos ſuſpectos habebant, & tum praetor ſubſortiebatur. Sed ponamus reos etiam ſortitos eſſe, non tamen capio, qui ſit ſenſus horum verborum:

In

In mea ſortita vindicet oſſa pira, ſive umbra rogali ſortiente vindicet in mea oſſa. *Vindicare in libertatem* quid ſit novi. ſed *vindicare in oſſa* quid ſibi velit, fateor me ignorare. Recte vero dicitur, *vindicet oſſa pia* tanquam judex, quia pia ſcilicet eſſe oſſa vindicat ſua ſententia, & pronunciat ea eſſe a poenis ſontium immunia. *Umbroſos* pro *herboſos* paullo ante jam meliores editiones habent. *Afra* Scaligeri certum eſt. Mox non ſollicitem lectionem editionis Scaligerianae: *Filia tu ſpecimen cenſurae nacta paternae.* Senſus eſt, filia, quae nacta es me, ſpecimen cenſurae paternae; quae ita vixi, ut legum cenſoriarum parentis omnes numeros impleverim. Hinc praeceſſit: *me neque cenſurae legem molliſſe.* In verſu ultimo vide num per *honoratos equos* intelligi poſſit carpentum, ſive thenſa, in qua ſuam velit in pompa Circenſi traduci imaginem. quia integritate vitae coelum ſit merita, ſe quoque dicit mereri, ut in terra inter divarum imagines circumferatur in ludis ſollemnibus, quem honorem imperatores ſuis parentibus, ſororibus & uxoribus decreviſſe te non fugit. Vide Sueton. in Calig. c. 15. ut alios omittam. Sed ampliandum cenſeo. De heroibus in deorum numerum adſcriptis non ſatis commode haec videntur poſſe capi, cum lacrymae Divis tribui non belle queant, praecipue propter mortem ſanctiſſimae matronae, quae moribus coelum merita eſſe creditur. In Plinii epiſtola: *Gaditanam* laudo vehementer proboque. Gaditanorum echinos nemo veterum praedicat, quamvis *Catanaeus* ad hunc locum annotet paſſim legi *Gaditanos echinos.* Ipſe malit *Gaditana*, & exponit cantica, quae a Gaditanis puellis canebantur. Sed omnino ſcribendum, ut tu recte vidiſti, *Gaditanam*, alioqui claudicaret comparatio. Apud Tullium IX. ad Att. ep. 6. locus eſt depoſitus, de quo ſanando deſperant Victorius & Manutius; *Me adhuc haec duo fefellerunt, initio ſpes compoſitionis, qua facta volebam ut populari, ut ea ſollicitudine ſenectutem noſtram liberari*, S. Boſius ex MS. reſtituit. *Me adhuc haec duo fefellerunt, initio ſpes compoſitionis, qua facta volebam uti populari vita ſollicitudine ſenectam noſtram liberanti. Uti* & *vita* placent. ſed tum interſerenda copula *&*, ſervandumque *liberari*, quod & excerpta codicum duorum, quae penes me ſunt, cum omnibus priſcis editionibus retinent. *&* periit in *ut ea.* Sic omnia mihi videntur ad liquidum perducta. Vale, & veni. Trajecti ad Rhenum a. d. XI. Jan. CIↃIↃCLXXIV. Litterarum *Daumii* non immemorem te ſpero futurum, cum ad nos te contuleris, & librorum ex Anglia nuper allatorum.

EPISTOLA CLXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas die Solis praeterito litteras ad te dedi, nullus dubito quin acceperis. Interea quas tu eadem die exaraveras, mihi ſunt redditae. Nihil potuit aman-

amantius a te fieri, quam quod Nobiliſſimo *Seleemio* meas aedes obtuliſti, in quas diverteret, ubi cum Principe res noſtras reſtituturo huc venerit. Quantum tibi pro hoc officio debeam aliquando intelliges. Fidem, quam dedit in ſignificando tempore excurſus ad nos, ſpero illum liberaturum. Valetudinem tuam tam belle procedere laetor ſummopere. Patinae noſtrae malum, quod iis denuncias, non deprecantur. Non enim ſibi metuunt ab hominibus factioſis lingua, inertibus opera. Nihil metuunt niſi dentes ſuperbos. Eos quod irritet, non apponunt, quae non ſolent apris, turdis, leporibus, aliiſque lautis & dapſilibus epulis, ac unctis pulmentis, ſed oluſculis ſuos paſcere & effercire convivas, aut alliato defungi. Non magis igitur tuis minis terrentur, ac vacui viatores latronum occurſu. Tu modo veni. Sed hoc tibi praedico, ne erres, ſtomachus obfirmandus tibi eſt ad has jejunas & aridas coenas, niſi volueris eſurire. Nec aliud quicquam, credo, tam diu inſtitutum tuum ad nos iter retardat, quam metus eſurialium feriarum, quae tibi hîc erunt reſidendae, dum vereris, ne corpus, quod feciſti domi, hîc amittas. Sed tenuem apparatum penſabit prolixa voluntas, ſi modo ventre, qui auribus & oculis caret, & bona verba nihili facit, placato licuerit uti. Aequiorem ſe forte praebebit, ſi tu illi imperaveris, ut ejuret Hagienſes delicias, & muniatur ad patientiam frugalitatis municipalis. Hanc niſi ferre potuerit, veniet modo, ſi venerit tandem, ut abeat. De pace ſi quid firmius eſt, quod ſperemus, & de noſtris ſi quid decernetur magiſtratibus, obſecro, te, ut quam primum me certiorem facias. Galli dicuntur hyberno hoc ſidere aliquid moliri apud Eunapios, ipſeque Rex huic expeditioni accingi. In illa ultima elegia Propertii pro.

In lapide hoc uni nupta fuiſſe legar,

ſcribendum videtur, ne hiet oratio,

Ut lapide hoc uni nupta fuiſſe legar.

Deinde:

Mî natura dedit leges a ſanguine dictas:
Nec poſſum melior judicis eſſe metu.

In editis circumfertur *leges a ſanguine ductas.* *Leges ducere a ſanguine* nemo dixerit. *Dicere leges* tritum eſt. pro *ne poſſim* repoſui *nec poſſum*, ſenſu, niſi fallor, meliore. poteſt tamen *ne poſſim* tolerari. Inferius, quid eſt *Credere ſomnia in faciem?* Credo ego Propertii eſſe.

Somniaque in faciem reddita ſaepe meam.

Reddita pro data, ut alibi. Paullo poſt lego:

Prole mea Paulum ſic juvet eſſe ſenem,

Non *juvat*, ut in vulgatis extat. Hanc ſcripturam firmant excerpta *Modii*. In verſu ultimo certior erit expoſitio mea, quam nuperrime tibi oſtendi, ſi pro *Oſſa* refingas *ora*, ut ſignificetur ejus imago, quae in thenſa vehatur in circenſibus. Sed haec levia ſunt, quae hoc uno nomine mitto, ut tuas eliciant pulchras & eruditas obſervationes & emendationes. Vale. Trajecti a. d. XXIV. Jan. CIϽIϽCLXXIV. Gregor.

In Ovidii loco nihil extrico. Tua expecto, qui ſoles *dare irreprehenſa populo reſponſa roganti.* Iterum vale meum decus. *Voſſius Matthaei* Filius profectusne eſt ad patruum in Britanniam? *Latinii* epiſtolas etiamnunc conditas in ciſta ſervari puto.

EPISTOLA CLXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TUm demum mihi vivere viſus ſum, cum tuo mihi liceret frui ſuaviſſimo complexu, & eruditiſſimis colloquiis, quae ſi non tanti facerem, quanti id, quod maxime in vita eſt optandum, nae ego intelligere non viderer, quid magni ſit ducendum. Regibus non invideo ſuam felicitatem, ſi mihi tales multi proveniant dies, quales tecum mihi ponere datum fuit. Praeter vultus bonos, & propenſam voluntatem nihil eſt, quod gratiae nobis poſſit apponi. Sed ſi recte ineatur ratio, non modo pro gratia non eſt annumerandum, quod ſine ſummo flagitio nequit omitti; ſed tibi potius plurimum debeo, qui in functione officii, cujus tibi ſum religione obſtrictus, nec minimam tamen partem perſolvere potui, pro re, animi ſtudio fuiſti contentus. Adde quod tuus congreſſus mihi fuit perquam honorificus, quem homines aliquid putabunt eſſe, qui ab eo ſaluter, & inviſar, cui omnium conſenſus Principem aſſignat locum in omni politioris elegantiae & praeclararum artium genere. Nihil dicam de illo eximio, quo meum ornaſti filiolum, dono. Velim igitur tibi perſuaſiſſimum ſit, hujus temporis, quo tantus cumulus maximis tuis erga me meritis acceſſit, memoriam ex meo nunquam effluxuram eſſe animo. Nuncios optatiſſimos ex Britannia venire, reſque noſtras faciliores indies fieri ac meliores mirifice gaudeo, voloque hanc laetitiam perpetuam nobis eſſe, & rerum exitu comprobari. De Sereniſſimi Principis, quem rerum graviorum cura retinet, profectione ad nos ſi quid audieris, non dubito, quin illico ſis nunciaturus. Cupio quoque certior fieri de *Franciſci Junii*, ſenis eruditiſſimi, valetudine. Ejus morbo vehementer dolui. Nam quamvis aetate ſit longiſſime provectus, ut octogeſimum, niſi fallor, annum exceſſerit, jacturam tamen in eo faceret res litteraria, cum nec vires corporis, nec ingenii exhauſerit tam gravis ſenectus; ſed aſſiduus ſit a ſummo mane ad veſperam in excolendis majorum noſtrorum, vicinarumque gentium veteribus linguis & monumentis, aliiſque operibus egregiis, quae lucem vellem adſpicerent, inprimis quae de pictoribus aliiſque artificibus excellentibus, & eorum tabulis & ſignis congeſſit, antequam diem ſuum obiret. Ad *Jacobum Gronovium* ſcribam propediem, eumque monebo, ut talem ſe praebeat, ne partam gentis cultiſſimae gratiam effundat. *Suareſius* ille, qui triumphalem arcum Septimii Severi ſuſcepit illuſtrandum, quiſnam eſt? Nam ille, qui de Praeneſtina Urbe & Fortuna commentarium edi-

edidit, jam dudum eſt fato functus. Quaeſo te ut proxime mihi ſignifices, quid & alii moliantur homines docti in Italia. Nam quae nuper mihi narrabas ad te perſcripta eſſe, exciderunt memoria. Ad Magnum Ducem quoque habebis litteras propediem a me. *Goyerum* nondum potui videre. Cras denuo eum compellabo, ſi domi fuerit, ut catalogos & libellos deſideratos ei extorqueam. In Propertio tibi aſſentior non ſollicitanda eſſe: *Ne poſſim melior judicis eſſe metu.* Satis quoque placet explicatio tua illius loci: *ſomniaque credita*, quamvis inſolentius ſit loquendi genus *ſomnia in faciem meam credita.* In Codice Commeliniano legitur: *tradita* pro *credita*, quod videtur meae conjecturae favere. verſ. 21. rectiſſime reponis:

Aſſideant fratres juxta Minoida ſellam.

ſed verſu ſequente, quid eſt *intento foro?* cogitabam:

Eumenidum intendat turba ſevera foro.

In praecedente diſticho nondum poſſum in tuam diſcedere ſententiam, quamvis perquam invitus ab ea diſſentiam. Mihi videtur multis mendis inquinatum eſſe, quae difficulter vi ingenii eluentur. Quid ſibi vult illud *Aut? Vindicare in aliquem* pro animadvertere pervulgatum eſt. Sed quem hîc ſenſum efficiat commodum non video. Rei ſi ſortiebantur, de poena ſortiebantur, quibus luenda eſſet, quive immunes deberent eſſe, cujus rei teſtimonia quaedam in veterum memoriis occurrunt. Sed quid haec ſors ad umbras? Quaelibet ſuam cauſſam fingitur orare apud Aeacum, ut in multis prodidit Lucianus dialogis, de aliarum poenis & immunitate parum ſollicita; nec damnatis licebat ſorte declinare malum fatum. Nec immutem *ſi quis* in *ſi quid.* Nihil nunc mihi diu de hoc loco cogitanti ſuccurrit rectius, quam ſi ſcribatur:

At ſi quis poſita judex ſedet Aeacus urna,
In me ſortitus judicet oſſa pia,
Aſſideant fratres juxta Minoida ſellam, &
Eumenidum intendat turba ſevera foro.

Si Aeacus, inquit, ſortitus fuerit quaeſtionem de me, & de meis, qui pii ſunt, manibus judicaverit, per me licet ipſi quoque aſſideant fratres ejus, & Eumenides interſint huic judicio attentae maxime, & nihil, quod in me reprehendi poſſit, praetermittentes. In ſequente verſu praeſtat ſcriptura librorum Italicorum vulgata: *Ceſſent Ixionis orbes.* niſi ſequeretur paullo poſt *jaceant*, hîc repoſuiſſem id verbum pro *taceant*, crederemque *ceſſent* alterius eſſe expoſitionem a magiſtris adſcriptam, quae in contextum irrepſit poſtea. Vehementer arridet:

Tantaleo corripere ore liquor.

Statim: *loquar pro me* ipſe quoque videram. nihil certius. verſ. 39. *proavo ſtimulatum pectus Achille* non improbem, ſi membranae ſuffragentur. Sin, cauſſae nihil eſt, cur a libris recedamus. Praeſtat autem in ſequente verſu *proavus* tollere, quam in hoc. Ingenioſe tu & eleganter: *Quique ſuo fretas fregit Achille domos.* Ita tamen ſcripſiſſe Propertium non auſim praeſtare. verſ. 63. ſcripſerim.

Tu

Tu Lepide, & tu Paulle, meum poſt fata levamen.

ſcilicet, eſt pro

Te Lepide, & te Paulle, meum poſt fata levamen.

Sed, ſi *Scaligeri* diſtinctio admittitur, vulgata lectio poteſt ferri. Nunc reliqua tua in hanc contaminatiſſimam Elegiam expecto. In x. ad Attic. ep. 5. *reſcripſi ſtomachoſius*, legitur in *Manutii*, *Bruti*, *Boſii*, *Gruteri*, aliiſque melioribus editionibus. Uxor mea te ſalutat. Vale, *o & praeſidium & dulce decus meum.* Trajecti ad Rhenum a. d. v. Febr. CIϽIϽCLXXIV. In Taciti Agricola ſi quaedam emendaſti loca, pervelim ea mecum communicari. Nunc quin fragmento Traguriano emendando & deſcribendis animadverſionibus in Valerium Flaccum vaces nullus dubito. Rogo te obteſtorque per communia Muſarum ſacra, ut hac cura defungaris, antequam iter Aquiſgranenſe ſuſcipias. Iterum vale. Delata Principi Praefectura haereditaria maturabit, ſpero, pacem, illi vero, qui bona ſua non potuerunt pati, malum. Nae tu verus fuiſti vates. Si forte inſomni tibi excideret epigramma, quo mea ornaretur oratio, ſi typis fuerit deſcribenda, magnum illi decus accederet. Sed nihil audeo a te petere.

EPISTOLA CLXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

VErum utique vetus dictum eſt, aquilam non captare muſcas: Nihil quoque verius ſententia Phaedri:

Quicunque amiſit dignitatem priſtinam
Amicis quoque jocus eſt in caſu gravi.

Nam qui miſeros reſpiciant, & in melioris fortunae ſpem erigant, ut attritas opes poſſint recolligere, pauci ſunt. Sed

Si dii immortales nos voluerunt hanc aerumnam exequi,
Decet id aequo animo pati.

Nos ſane jam ad omnium acerbitatum patientiam obfirmavimus animum, ſi poſt tantas tenebras lux nobis quaedam affulſerit, in lucro deputandum id exiſtimabimus. Verum haec fatis committimus. Tuam in *Nicolaum* noſtrum liberalitatem cum verbis extenuas, noſtrum auges laborem in excogitanda ratione, qua gratiam tibi pro hac tua munificentia referamus. Nimirum tu, quae eſt animi tui magnitudo, non putas beneficium recte poſuiſſe, niſi omnem gratae voluntatis declarandae facultatem iis, quos beneficiis tuis complexus es, praecidas, ut in ſola bene merendi voluptate ſine ſpe gratiae te conquieſcere teſtatum facias. Tanto autem major tibi debetur gratia, quanto minorem tibi haberi vis, cum maximam ſis meritus. *Strockelium*, ſi vera ſunt, quae de illo circumferuntur, tempeſtive fata ſubduxerunt impendentibus calamitatibus.

Junium, qui ſpene furvae regna Proſerpinae viderat, revixiſſe, & priſtinae reſtitutum valetudini vehementer laetor, optoque ut ſenectutem ſine gravibus iſtius aetatis incommodis tranſigat ſuaviſſime, ut, in quibus elaborandis ſtudii tantum laboris poſuit, lucem adſpiciant. Rogo ut ſenem cruditiſſimum, ſi quando eum videris, & juniorem *Voſſium* meo nomine ſalutes. N. monui, ut circumſpectiſſime loquatur & agat cum gente graviſſima, ne partam effundat gratiam, & reditum ſibi in patriam, ſi ejus deſiderio tangatur aliquando, praecludat. *Joannem Mariam Suareſium* in vivis eſſe ignorabam. In *Strauchli* obſervationibus ad Jus Canonicum legi laudari ejus Notitiam Baſilicorum, quem libellum nunquam vidi. De Italornm novis lucubrationibus, quae mecum communicaſti, gratiſſima habeo. Vellem addidiſſes, quaenam ſint civitates, quarum antiquitates proditae ſunt litteris, & qui earum auctores. *Goyerus* vanis promiſſis me de die in diem ducit. Illum conveni ſemel iterumque, ipſe quoque in meis aedibus pridie mihi praeſto fuit, fide data, ſe paucas poſt horas mihi bibliothecae Hemskerckianae catalogum traditurum, & perluſtrandi reliquias ſuae bibliothecae copiam facturum. Sed eum ab illo tempore non vidi. Cras denuo hominem compellabo. Varronem tamen & Nonium non puto in illa ſuppellectile haberi. Varro extat apud *Ribbium* bibliopolam in illis libris, quos vidiſti, quos nunc mutato conſilio in ſua taberna vendere conſtituit, in quam jam magnam partem venalem propoſuit. Ex his ſi quos tuis uſibus addictos velis, fac tempore ſignifices. Jam nonnulli nobis ſubtracti ſunt. *intento foro* apud Propertium retinendum eſſe tibi erudite illud explicanti conſentio. Vellem aeque tibi poſſem adſtipulari in illo vexato loco, *ſortita pyra*. Sed ignoſces tu meo ſtupori, ſi ſenſum, quem ex illis verbis efficis, ego deprehendere non poſſum. Nam ſive *ſortita* paſſive, ut loquuntur, ſive active accipiatur, non video quem locum hîc inveniat. *Sortitus* in notione paſſiva nihil eſt aliud, quam ſorte datus, ſi uſquam legitur. Et ſic intelligendum in Elegia VII:

Nam gemina eſt ſedes turpem ſortita per amnem.

Eſt tibi ſedes gemina ſorte ſive fato aſſignata. Sed, ſi locus ille ſcribitur emendate, ſic potius eum exponendum cenſuerim. Nam gemina turba ſortita eſt ſedes, ſcilicet diverſas, per turpem amnem, & omnis illa turba remigat diverſas undas. Libri veteres, uti conſtat ex excerptis *Modii*; pro *ſortita* habent *quaeſita*. Nonnulli editi *partita*, quod mihi veriſſimum videtur. Eſt gemina ſive duplex ſedes, piorum nimirum & impiorum, partita ſive diſcreta per turpem amnem, Cocytum nimirum, ſive Stygen. ut apud Horatium *ſedes diſcreta piorum* lib. I. Carm. 13. In altero autem illo, num *vindicet in mea oſſa ſortita pyra*; eſt inquirat in meam vitam, poſtquam mortua ſum? Poſſet forſan ferri, ſi ſcripſiſſet *in mea ſortitae vindicet oſſa pyram. vindicet in mea oſſa ſortitae pyram* eſſet, in me mortuam vindicet. Sed *vindicare in aliquem* eſt punire. Nondum poſſum dimoveri ab hac opinione, rectius ſcribi:

In me ſortitus vindicet oſſa pia.

Si

Si Aeacus ſedet in me judicium ſortitus, vindicet meam piam umbram a poena, rectam ferendo ſententiam de meae vitae ſanctitate. *Pyra* pro mortuo poni, ut tibi dem, non tamen video quid ſibi velit *ſortita pyra?* in verſ. 39. recte vetus Codex *Achilli.* placet quoque cum *ſimulantem* tueris contra Lipſianum *ſtimulantem*, quod tamen excerpta quoque *Modii* prae ſe ferunt. Verſum ſequentem non auſim quidem praeſtare ſic ſcriptum fuiſſe a Propertio, ut a te emendatur, magnam tamen veri ſimulitudinem tua prae ſe fert. Nam editionum ſcriptura, & propter *Achille*, ut recte mones, & propter repetitionem § *proavus* non poteſt tolerari. In verſ. 49. pulchre vidiſti pro *quaelibet* ſcribendum, *quamlibet*. In ſequente ex Modiano probandum, *At prior*, quod exempla, quae ſubjiciuntur, oſtendunt. Examinent judices ſeveriſſimi meam vitam, nulla mihi erit caſtitate praeferenda. Sed in *a cenſu* haereo. nec tamen quid commode ſubſtitui poſſit ſuccurrit. *Cenſus* parum appoſite mihi videtur cum urnis judiciis conjungi. verſ. 52. perplacet *cara miniſtra.* nec improbem *defenſa.* Sed verſ. 61. ſi *teſtis* legatur, quid ſibi vult *Et tamen?* quae hujus connexionis ratio, & quomodo cohaeret cum ſequente verſu? Intelligenda itaque veſtis, quae tribuebatur foecundis matronis illuſtrioribus, ut recte ſentit *Turnebus* in Adverſariis. de *ſterili domo* non repudiem. ejuſdem enim ſenſus eſt, quam *ſterilis torus.* ut Οἶκος ἡμιτελὴς apud Heſiodum. Iſtud:

Conſule quo facto tempore rapta ſoror.

Sic interpretabar, quo Conſule facto tempeſtive nupſit ſoror. *Tempore* & *tempori* pro tempeſtive pervulgatum eſt. Raptas fuiſſe ſponſas ex ſinu matrum tu non ignoras. Quid ſi *nupta* legamus pro *rapta?* verſ. 64. venuſtiſſime pro *ſinu* reſcribis *manu.* nihil verius. verſ. 69. ſcribendum videtur.

Et ſerie fulcito genus, mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis non mea fata malis.

Tu filia fulcito meam domum probis liberis, qui meam fortunam ornent. Commodius aliquid nunc non expedio. verſ. 81. *Sat tibi ſint noctes* jam *Duſae* prae ſe fert editio. verſ. 94. *ne vacet* bene refingis. Mirifice blanditur mihi tua correctio in Eleg. 3. libri III. *arviſque aſſueta colendis*, niſi quod malim *agriſque aſſueta colendis.* Nam *arva colere* num dixerint, qui locuti ſunt emendate, dubito. De Kalendis foemineis quae ad hunc locum viri docti afferunt, ſunt merae nugae. *Caſſiopen* in illa περικοπῇ, quam olim examinabamus, portum eſſe, non ſignum coeleſte praeclare doces. Vale, omnis doctrinae & elegantiae Princeps, & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. XIII. Febr. CIƆIƆCLXXIV. Uxor & *Velthuſius* te ſalutant. *Bynaeus* has litteras mihi tradidit ad te mittendas. Laetos ex Anglia nuncios perferri rumor eſt. Utinam pax optata conveniat tandem. Fragmentum Petronii quando ſubibit praelum, & tuae in Valerium Flaccum animadverſiones?

EPISTOLA CLXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NOn tuos ego jocos accuſabam in noviſſimis litteris meis, quibus nihil venuſtius, nihilque inſontius; quibusque mirifice capior, ſed noſtrae deplorabam provinciae fata, quae cum perfunctam ſe malis credebat, poſtquam hoſtili colluvie eſt liberata, in novas incidit calamitates, quae a ſociis infligantur, a quibus maxime levari ſperabat. Friſii ſane non habent quod jactent. Quid enim ab illis fortiter & praeclare geſtum ſit in hoc bello, non memini audire. Groninganis & ſuae urbis ſtrenue defenſae, & Coeverdae recuperatae laus debetur. Equidem ſi digni ſumus, in quos ſeverius conſulatur, Friſii tamen indigni ſunt, qui nos tam male habeant, & injuria hoſtium exhauſtos enecent plane. Nam quantum detrimenti huic urbi & agro attulerit hoc tempus, quo magiſtratibus & judiciis caremus, vix dici poteſt. Non cogitant quos infeſtos experimur, omnibus perire, quod ſinguli amittunt: Quantum virium attritarum potuiſſet recolligi, ſi ſtatim res noſtra fuiſſet compoſita. Nunc agri, ut alia taceam, ab ipſis agreſtibus ad paupertatem redactis villaeque & arbores exſcinduntur, ac vaſtantur magis quam nuper ab hoſtibus, quia nemo eſt, qui illos coërceat. Impune quidvis faciunt. Vectigalia, ſine quibus ſumtus pace belloque faciendi non poſſunt ferri, abjiciuntur, & ab iis, qui exercent ea, conducuntur minimo. Annona contra ingraveſcit. Omnis ſpes levationis nobis in Sereniſſimi Principis adventu poſita eſt, qui res lapſas reſtituat. Britanni videntur ad ſanitatem redire tandem, & callidiſſimi hoſtis tam noſtri, quam ipſorum artes intelligere, qui illos argento, nos armis oppugnat, ut utroſque ſub jugum mittat. Si quae modo nunciata ſunt ex illa inſula dies confirmaverit, pacem ſpero non tantum nos, ſed totam Europam habituram ante aeſtatem adultam. De Principis *Wilhelmi Furſtenbergii* captivitate litterae modo Colonia ſunt ad me perlatae. Ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Poenas nunc dabit in vinculis praecipuus hujus exitioſi belli concitor, qui nulla injuria irritatus nos ſervituti, terras vero has vaſtitati addixerat. Cum per domeſticas occupationes, & calumnias litium tibi non licet eſſe otioſo animo, quem Muſarum ſacra poſcunt, expectemus meliora tempora, cum liber fueris & ſolutus, non quod a te laudari merear; ſed quod tanti viri judicio ornari honeſtum mihi ducam & perquam amplum. Petronium tamen ſperamus te in manibus habiturum, ut tua cura perpolitus, & a tot interpretum & librariorum depravationibus vindicatus, cum prima hirundine in publico verſetur, nec non tuae in Valerium Flaccum animadverſiones, quarum incredibili deſiderio tenemur. Laetor Petronii Cujaciani a *Scaligero* deſcripti tibi copiam factam. Opinionem *Valleſiorum* fratrum de cultiſſimi ſcriptoris aetate exploſam eſſe

eſſe credebam pridem, & a *Ryckio* quoque noſtro, meliora docto a te, dudum repudiatam. *Statilius* ſane viſus mihi eſt illam jugulaſſe. Si nondum manus dedit amicus, cogetur tamen brevi victus argumentorum tuorum vi & numero diſcedere ab illa, quam in Galliis imbibit, ſententia. Tu modo vide ne longius, quam animo praecepimus, noſtram expectationem ſuſpenſam teneas, neve diutius fructu, quem ex tuarum lucubrationum lectione nobis ſpondemus, careamus. Multis in Germania & Gallia ſpem feci tuarum in Tragurianum fragmentum annotationum. Tu facile fidem meam liberabis, ne vanis pollicitationibus eos lactaſſe arguar. Librorum, quos requiris, uſum tibi aut mea aut aliorum amicorum bibliothecae praeſtabunt. Videbo tamen ut aliunde tibi eos poſſim erüere. Apud Ribbium ſane Varro proſtat editionis Amſterodamenſis, ſed quae eadem eſt Dordracena, quem indicat Philippeo. De aliis proxime. Hanc enim aeris inclementiam ait obſtare, ne in iis conquirendis & digerendis poſſit operam ponere. Indicem eorum, quos tuis ſtudiis ſervire putabo, conficiam, ſimul ac frigoris ſaevitia ſolvetur. Apud Propertium probo, ut nuper quoque probavi, in Elegia illa, quae nos aliquamdiu exercitos habuit, *intento foro.* appoſite ex Statio affers *erigere forum*, quod minime mutandum in *erigere toros*. Alterum elegantiſſimum, alterum Sidonio potius ac Ennodio dignum aut Corippo, quam Papinio. In τῷ *arva colere.* me decepit memoria parum fida cuſtos eorum, quae olim ei credita ſunt. In *ſortita pira*, non tam *pira* me offendit, quum *ſortita*, & ipſum loquendi genus abhorrens ab elegantia Propertiana, ipſo Latinae linguae genio, ac hujus loci ſententia. Senſus eſt, ut recte ais, Pluto me nullius delicti conſciam molliter habeat, aut ſi judicium ſubeundum eſt cum aliis umbris, per me licet ipſe Aeacus in me ſedeat, & puniat mea oſſa, hoc eſt me mortuam *ſortita pira*, ſive *rogo*. Si hanc locutionem admitteret Latina lingua, quid tamen, quaeſo, diceret aliud Propertius, quam vindicet in me mortuam, poſtquam mortua ſum. Nam *ſortita pira* nihil eſt, quam poſtquam pira eſt ſortita, aut ſorte mihi data & aſſignata. Sic autem ſcripſiſſe Propertium, eruditiſſimum & terſiſſimum Latinorum poëtarum mihi ego perſuadere non poſſum. Meam emendationem pro vera non venditare auſim, ſaltem pro probabili habeam, donec certior eruatur Tibi tamen aſſentior elegantius ſcribi *in mea oſſa piae.* verſ. 39. *ſimulantem* optima ratione tueris, & recte deprehendiſti vitium in verſu ſequente, & ingenioſe ſuſtuliſti. Facile crediderim pluribus exemplis notionem τοῦ *ſtrictior* pro ſeverior aſſeri poſſe: ſed *At prior* propius accedit ad aliorum codicum ſcripturam, qui *turpior* prae ſe ferunt, & ſententia inde naſcitur, ut mihi quidem videtur, commodior. De verſ. 61. amplius deliberandum cenſeo, quamvis emendatio tua mihi valde arrideat. verſ. 66. Si de morte conſtaret ſororis, nihil certius, nihil elegantius fingi poſſet, quam quod tu cogitabas: *Conſule quo fati crimine rapta ſoror.* Damno quaecunque nuper de explicatione hujus verſus ſcripſi non praeſtem tamen ea Propertii eſſe verba quae tu ſubſtituenda putas. Vulgata nihil inſulſius. verſ. 68. *Fulcito* etiamnum legendum cenſeo. oſtendit hoc copula *Et*, quae hunc verſum cum praecedente connectit,

 tu

tu filia ſis uno viro contenta & propaga genus, ſis foecunda. *Mihi cymba volenti ſolvitur* elegantiſſimum eſt & mutari non debet, ſi quid video. In ſequentibus haereo. Probabilis tamen maxime videtur illorum codicum lectio, qui *haut ullis* ſcribunt, pro *aucturis:* Sic itaque refinxerim hoc diſtichon:

Et ſerie fulcito genus, mihi cymba volenti
Solvitur, haut ullis poſt mea fata malis.

Fulcito genus poſt meam mortem, cum fueris nupta, ſed haut ullis malis, hoc eſt probis liberis & bonis, qui generis noſtri decus propagent, qui non dehoneſtamenta ſint noſtrae domui. Subnectam nunc Propertio locum Tullii ex libro IX. ad Atticum epiſtola 13. *Adde imbecillitatem bonorum virorum, qui quidem quod illum ſibi merito iratum putant, Oderunt, ut hi ſcribis, ludum, ac vellem, ſcribis, quiſnam hic ſignificaſſet.* Vides inepte bis repeti *ſcribis*, & ſenſum in verbis ultimis eſſe nullum. *Boſius* emendat *ſignificaſſe te.* ſed nec haec lectio tollit mendas, quae hunc locum deturpant, ſed potius auget. Helmſt. MSS. *quiſnam mihi ſignificaſſet.* Ciceronis verba fuiſſe videntur: *ac vellem quinam tu ſignificaſſes.* Multi, inquit, optimates oderunt hunc, qui ludendus erit; ludum, ut tu ſcribis propter Martem belli communem, & quoniam jure metuunt ſibi a Caeſare irato. Sed vellem ſignificaſſes, qui nam ſint hi optimates, qui hunc ludum oderunt. Conſtitueram & alium locum ſubjicere ex eadem epiſtola, quem non infeliciter emendaſſe mihi videbar, ſed interpellor. Tuae quo crebriores fuerint & prolixiores, eo gratiores futurae ſunt. Vale, ingeniorum & amicorum Princeps. Trajecti a. d. XX. Febr. CIƆIƆCLXXIV.

EPISTOLA CLXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NUperrimis tuis ante hoc triduum reſpondi. Nunc tibi narro, me heri mane cubantem in lecto ſtertentemque deprehendiſſe *Goyerum*, cum eum fruſtra quaeſiviſſem ſaepius. Catalogos ait ſe jam reperiſſe, & tibi ſepoſuiſſe, mihique quamprimum illos allaturum. Ciceronem Manutii ſexaginta florenis licetur, praefatus quadraginta quinque ſibi jam oblatos eſſe ab aliis. Credo quinquaginta florenis, aut quinquaginta quinque hunc librum poſſe haberi. Geoponica ſe nondum potuiſſe invenire. Habes hîc catalogum novem librorum in octava forma, ut loquuntur, ex libris *Ribbii*, cum conſtituto illis pretio. Videntur mihi eſſe cariores. Nonios nondum vidiſſe ſe ait. Antonini itinerarium nobis praeripuit *Diemerbroeckius*, cum Ciacconii bello Dalmatico, & aliis nonnullis tertio, poſtquam hinc diſceſſeras, die. Spero alios me tibi eruturum. Vidi inter hos etiam Paullinum editionis Antwerpianae. Apud Plinium lib. III. ep. 5. in recentioribus libris legitur: *Erat ſane ſomni parciſſimi, non nunquam etiam inter ſtudia inſtantis & deſerentis.* Vetus codex Britannicus: *Erat ſane*

ſane ſomni paratiſſimi: non nunquam etiam inter ſtudia inſtantis & ipſa differentis. Et ſic omnino legendum. *paratiſſimi* habent quoque veteres editiones. Amat hoc vocabulum Plinius. In libro II. ep. 17. *quocunque loco moveris humum olvius & paratus humor occurrit.* In lib. VII. ep. 25. *Recepit ſe in agros ſuos, paratiſque honoribus tranquilliſſimum otium praetulit.* Plin. Paneg. 88. *Paratum id quidem & in medio poſitum.* Sed & ipſe ſenſus hujus loci hanc emendationem adſtruit. Quomodo enim iſta cohaerent, erat parcus ſomni, qui inter ſtudia ſaepe inſtabat & obrepebat? Mox legendum: *dum deſtringitur tergiturque, audiebat aliquid & dictabat.* male vulgo *diſtringitur.* Plura alias. Nunc cogor abrumpere. Illuſtriſſimo *Beuningio* ajunt mandatam eſſe provinciam in Angliam trajiciendi, pacis ſanciendae cauſſa. Si fama nos non fallit, fac quaeſo ut id ex te ſciam, utque te interprete mihi liceat in ejus ſarcinas conjicere faſciculum librorum Illuſtri *Cottono* tradendorum. Princeps *Arauſionenſis* fertur proxima hebdomade nos reſpecturus, & feſſas res refecturus eſſe conſtitutis magiſtratibus & judiciis. De Anglis audimus, quae volumus. Vale. Trajecti ad Rhenum. ὡς τάχιστα. a.d. XXIII. Febr. CIƆIƆCLXXIV.

EPISTOLA CLXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DE ſereniſſimi Principis ad vos itinere inſtituendo omnia non minus incerta pergunt eſſe, quam hactenus fuerunt. Friſiorum indolem ſi ſatis habeo perſpectam, aegerrime deſiſtent illi a propoſito, cujus nunquam non tenaciores aequo ſolebant eſſe, gens contumaciae notâ jam pridem inſignis prae reliqua Belgarum foederatorum cohorte. Veſtram interim calamitatem, mi Graevi, tacitus mecum, nullamque ad oſtentationem compoſitus, deploro. Ceterum de Britannis quis exſpectaſſet, inhiantes tam acerbe hactenus noſtris vitalibus animos potuiſſe mitigari, & ad aequa deſcendere. Nunc reliquum eſt, ut & Galli, quos inanis nimium quantum armavit in nos gloria atque inſtigavit, ad frugem revertantur & ad benigniora conſilia. Nam Antiſtites duos infulatos, ni reſipiſcunt, in ordinem haud magno poſſe redigi negotio, mihi facile aſſentieris, credo. Praeſertim exſtincta face & carceris tenebris jam nunc damnata, per quam in nos exarſere pridem hae Furiae. Petronium *Scaligeri* ſua operâ ad me mittendum fore pollicebatur nuper noſter *Ryckius*: Sed liber ipſe hactenus non comparet. Idem ſpondebat, ſed fruſtra, quantum video, de Catullo *Falcoburgii Spanhemius.* Si perſiſtet in pauxillos dies hoc gelu, ipſe Lugdunum excurram, ac codicem utrumque mecum huc feram: quorum compos factus, Petronio manum confeſtim admovebo, ſed in meos privatim uſus, cum e re atque exiſtimatione non ſit mea, crudas & heſternas obſervationes in publicum protrudere. Quid quod Catonum proſapiam omnem ex-

exaſperaturus immane quantum videar mihi, ſi Venereum hunc Nepotulum, quem legi debere pernegant, ac tenebris cenſent damnandum, auſim manibus lotis attrectare. Interim ejurare nolo omnem licentiam communicandi tecum haec frivola, teque conſulendi ſuper locis nonnullis, in quibus fore ut aqua mihi ſit haeſura, jam nunc praevideo. Sed noli, quaeſo, Germanis Galliſque ſpem facere earum lucubrationum, quae cum nondum ſint inchoatae, vix eſt, ut ad finem mox perducantur. De libris Ribbianis vide ſodes memineris. Varronem facile invenis: & eſt jam penes me editio Stephanica. De Antonino *Suritae* magis eſſe te ſollicitum velim, quem illic recordor mihi inſpectum. Eſt autem is, uti noſti, in officinis librariorum parum obvius. Sed quid *Goyerus*. an ille fruſtrari te ac ſimilis eſſe pergit! Nil certe tu de illo in tuis ultimis: ſubiratum fortaſſis hominem experior, quod pertendi Orientale Chronicon ceteris Byzantinae hiſtoriae ſcriptoribus addi debuiſſe; cum pactus fuerim, etiam te teſte, quod negabat ille, ſed immerito tamen, omnia pretio oblato eſſe praeſtanda ejuſdem argumenti, quae Lutetiae regiis typis prodiiſſent deſcripta, in publicum. *Erigere forum* quin elegantiſſime ſit dictum non debemus dubitare, ſed toties repetitum vocabulum *fori*, ut rem Papinio inſolitam, vix poſſum approbare. In Propertii loco, ſi ſcripſeris, *ſortito* minus receſſeris a vulgata lectione.

In mea ſortita vindicet oſſa piae.

Videamus an reliqua perſanari poſſint in illo diſticho

Quamlibet auſteras de me ferat, urna tabellas,
Turpior aſſenſu non erit ulla meo.

ita enim codices noſtri, vel *aſcenſu*, Colotiani duo *acceſſu:* tum & *Triſtior* Italici nonnulli. *Lipſius* quoque in Vaticanis membranis invenerat, *Triſtior aſſeſſu. aſſeſſu* praeterea eſt in editione Raphelengii, idque & *Gujetus* ſibi in ſcriptis inventum aſſeverabat, ad oram ſui codicis. *ſtrictior* vix audebam damnare prae illo *at prior*, quod & plurium codicum auctoritate fulciretur illi proximum *Triſtior*, & alterum nimis glorioſum poſſit videri, ſi nullam ſibi faeminam omni virtute pateretur anteferri Cornelia, cum *ſtrictior* ad ſolam pudicitiam ſit referendum: tu videto tamen. lib. II. El. XXIII. *Aſtrictum patrem* habes in noſtro. Sed ibi pro avaro ac tenace ſumitur.

Aſtrictus ploret ſaepe dediſſe pater.

ubi magnus *Scaliger* in margine codicis ſui caſtigabat, *Ah ſtrictus*, quod tantundem eſt. Plinius magis ad rem Nat. Hiſt. lib. XXXIII. cap. XII. *Argentum ſuccedit aliquando & auro, luxu feminarum plebis, compedes ex eo facientium, quas induere aureas mos ſtrictior vetat.* ſic ſcribe: *mos triſtior* eſt in membranis, in Vulgatis *tritior*; unde alii *mos patriciorum*, vel *mos Quiritium.* Tacitus lib. III. An. *ſed praecipuus aſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit. victus aſtrictior* Seneca Ep. CXXIII. *aura ſtrictior* in Ecloga de Roſis apud Auſonium.

Strictior Eoos praeceſſerat aura Jugales

Vide *Salmaſium* ad Hiſt. Aug. p. 271. ſed hiſce omiſſis praecipuum difficultatis amovendum reſtat *aſſeſſu.* hanc quippe ſcripturam verae proximam eſſe opinor.

Ne-

Neque enim te praetexit in codicibus veterrimis geminum *ſ*, quandoque & ſimplex, exhiberi pro littera *x*, ut in *Ulyſſe* pro *Ulyxe*, *miſto* pro *mixto* & ſimilibus, *ſuſtum* pro *xuſtum*, ſive *xyſtum* in Traguriano Petronio, *ſeniorum* pro *xeniorum* in Symmacho: quid ſi dederis igitur Propertius.

Quamlibet auſteras de me ferat urna tabellas,
Strictior (vel *at prior*) *e ſexu non erit ulla meo.*

e ſeſſu prius exaratum fuerat, hinc poſtea factum *a ſeſſu*, *aſſeſſu*, *acceſſu*, *acceſſu*, *at cenſu*. illud quod ſequitur de *fati crimine* nec ipſe vendito ut verum. tale tamen quid voluit Propertius. verſ. 94. ſolvi navem eleganter ſcio dici, ſed quid ſequentibus proxime vocabulis fiet? quae parum hiſce cohaerent. nam quod *ullis* excerpta Italica prae ſe ferunt, ego iis timide ſoleo accedere, cum ex *Pontani*, aliorumque ſchedis ſunt corraſa, qui plurimum ſibi promiſere in Propertio interpolando. In Catullo certe totos *Pontani* verſus exhiberi quis neſcit? *ſolvitur uncturis* vetuſtae editiones habent conſtanter & ſcripti plerique: Unde aliquid edolandum, quod ſenſum reddat commodum. Tuae in Ciceronem caſtigationi ſubſcribo. verſ. 23. in Propertio vere opinor me reſtituiſſe *Fallax Tantaleo corripere ore liquor*. ſimilis eſt locus lib. II. El. XVII. *Vel tu Tantalea moveare ad flumina ſorte, Ut liquor arentum fallat ab ore ſitim.* Sed ut mea quoque caedam vineta in illis, *Gaudia turritae rara miniſtra deae*, nil cenſeo immutandum, *rara miniſtra*, rarioris notae miniſtra. Sic lib. I. El. VIII. *Cynthia rara mea eſt.* El. XVII. *Quamvis dura, tamen rara puella fuit.* apud Naſonem: *Rara quidem facie, ſed rarior arte canendi.* Quod hodie in exarandis litteris praeter ſolitum diſtractus fuerim, cogor differre in proximam occaſionem, quas tibi debeo, litteras ad duos elegantis Juvenes ingenii: ſalveant illi cum lectiſſima uxore tua, *Velthuſioque* ac *Burmanno*. Vale, meum corculum. Exarabam Hagae Com. CIƆIƆCLXXIV. XXIII. Febr.

EPISTOLA CLXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

IMplacabilis fortunae nobis infeſtae ſaevitia nondum, ut ex tuis intelligo litteris, noſtris malis mitigata eſt, ſed pergit ex iis ſibi ipſa ludum facere, incenſis in nos nihil tale meritos ſociis, quibus aequioribus nos uti par erat. Ad mendicitatem nos redegerunt Galli, ad inediam nos brevi redigent Friſiones, ſtulta προεδρίας contentione. Sed gaudeo hanc injuriam emendaſſe fortunam in molliendis atrocibus Britannorum animis odioque, quod conceperant in hanc Belgicam foederatam, extinguendo. Omnia enim jam compoſita eſſe, pacique ipſum Regem ſubſcripſiſſe hodie nobis nunciatur. Nunc quin Gallos etiam poeniteat belli innoxiae genti illati nullus dubito. Invenietur ſpero via brevi, cum iſtis quoque hoſtibus decidendi, mediis Britannis & Suecis. Petronium

ſi propter triſtes illos Curiorum ſimulatores edere non ſuſtines, fac modo ut Tragurianum fragmentum a te emendatum & pulcherrime illuſtratum lucem adſpiciat publicam, antequam te des itineri, quod meditaris, & animadverſiones in Valerium Flaccum. Animadverſiones in reliquias Petronii olim editas potes in Obſervationum Variarum libros ſine ulla invidia conjicere. Non deſinam quotidianum tibi convicium facere, donec has lucubrationes tuas extudero. In tua manu eſt, ne reprehendar a Gallis & civibus meis, quod vana illos ſpe lactaverim. *Goyerus* pergit ſibi ſimilis eſſe. Nuper ſtertentem, ut in proximis ſignificabam, oppreſſi. Benigne promittebat, ut ſemper; ſed nondum verbis reſpondent res. Propediem tamen iterum faces admovebo homini promiſſorum immemori. Ribbius nondum permiſit mihi ſuam excutere tabernam, praefatus ſe ſuam ſuppellectilem ante recte compoſiturum, quod nunc, cum *ſolvitur acris hyems*, propediem futurum exiſtimo. In Propertio pervenuſte tu, pro *turpior aſſenſu*, emendas, *ſtrictior e ſexu*. Elegans utique notio eſt & *ſtrictior*, nec longe recedit a *triſtior*, quod nonnulli codices prae ſe ferunt. Sed cur id ipſum non retineamus, cauſſam nullam video. *Triſtes* enim Latinis ſunt homines ſeveri, ab amoribus & deliciis voluptuariorum alieni. Noſti *Deos non triſtes* apud tuum Naſonem. *Index triſtis & integer* apud Cic. II. Verr. Sic, niſi memoria me fallit, legi apud Horatium, aut alium melioris aetatis poëtam *triſtes Sabinas*, hoc eſt caſtas. Capitolinus de Maximo: *Ad rem veneream nimis rarus, domi foriſque ſemper ſeverus, ita ut & triſtis cognomen acciperet.* nec aliter Plinius, apud quem bene in membranis *mos triſtior*, pro ſeverior ſcribitur. Si ex Vaticano & Modiano codicibus *at prior* magis arridet, quod propius accedit ad vulgatum *Turpior*, idem erit ſenſus. Nulla erit foemina me prior caſtitate nimirum & integritate morum, ut oſtendunt ſequentia. De illo altero *Solvitur unctuiris* amplius cogitandum. Mihi nunc nihil ſuccurrit commodius eo, quod nuper tibi miſi. *Rara miniſtra*, pulchre tueris. In Ceiri non longe ab initio ſcis legi:

Si me jam ſumma ſapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quae heredibus eſt data conſors.

Haec cum hiſce diebus perpenderem accuratius, perquam inepte haeredum hîc mentionem fieri videbam, non addito, cujus ſint haeredes. Si Socrates aut Pythagoras haeredes dicerentur, illi quatuor ſectarum Philoſophicarum Principes & auctores, nemo poſſet hanc lectionem improbare. Nunc quatuor antiquos haeredes dici ſimpliciter, qui quatuor ſectas condiderunt, mihi nemo perſuaſerit. Levi autem unius litterulae mutatione ſenſus huic loco reſtituetur ſuus, ſi pro *haeredibus* ſcribatur *haereſibus*, αἱρέσεις. Haereſes enim dici ſectas Philoſophorum tam Graecis quam Latinis nemo paullo humanior ignorat. Vale, Vir Summe, & me ama. Pro his nugis theſaurum expecto obſervationum eruditarum. *Velthuſius* tibi ſalutem dicit. Ejus, ſi quando ſe dabit occaſio, ut memineris rogo. Trajecti ad Rhenum. a. d. XXVI. Febr. CIϽIϽCLXXIV.

EPI-

EPISTOLA CLXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PUdet me jampridem moleſtiarum, quae tibi perquam frequentes exhibentur a me, praeſertim in Goyeriano negotio. Stertat ille ſomnietque quantum libet, dum procul a Parnaſſo, in quem ſi ſemel erepſerit, metus profecto ſit, ne ipſum quoque Homerum dormitantem faciat ac glire quovis ſomniculoſiorem Endymionis ſucceſſor. De Cicerone Manutii *Zelemius* mecum egerat, ſed in tranſcurſu. Florenis quadraginta venalem credidi. Videbo propediem, ſi conſtet is ſibi, metuo tamen ne frugalior jam ſit factus, ex quo prole maſcula primigenia donatus eſt nuper ab uxore. De Ribbianis recte cenſes, eſſe illos aliquanto cariores, quod miror, cum ſint ſaporis non publici: Paulinum habeo, & in officinis librariorum paene omnibus apud Ubios venalem memini proſtare. Antoninum, fateor, mihi aſſertum optaſſem; quod in Geographicis frequenter is ſit conſulendus. Poſteriorum temporum ſcriptores nec magni facio, nec lego, niſi rariſſimus. Faciunt tamen ad inſtruendam bibliothecam, ſi ſalubri pretio venales occurrant. Abſit enim, ut circa mercem tam ſordidam ac impolitam velim inſanire, praeſertim cum multos illorum jam teneam, quos tamen, quales ſint majori ex parte, non ſatis recordor. Ubi deferbuerit nonnihil primus ille licitatorum impetus, ad aequiora *Ribbius* ille haud dubie deſcendet, apud quem tamen, ejuſdemque farinae alios inſtitores, ſi quid pro me tentandum putabis, ſatius fore reor, ut nomen meum diſſimuletur. Menſe proximo tres quatuorve bibliothecae apud nos venales exponentur, quae ſitim in me hanc ſedare utcunque poſſint. Friſones in veſtro negotio ſui ſimiles eſſe pergunt. Rumor pervagatur hanc civitatem nonnullos a cura reipublicae amovendos fore, atque in his *Slingelandium* noſtrum. Cauſam per te facili conjectura aſſequeris. Sed hoc tu tibi ſoli dictum exiſtima; ſpero enim falſo haec jactari, de quibus certiora proxime ex me cognoſces. Plinii locus lib. III. Ep. V. in Aldina editione, quam ex veterrimis membranis ſcis expreſſam eſſe, ſic habetur: *Erat ſane ſomni paratiſſimi, nonnunquam etiam inter ſtudia inſtantis & deferendis*. Nec variat Mediceus antiquiſſimus, niſi quod *deſerentis* in illo exhibetur. Editio Claudii Minois in margine ex ſcriptis codicibus refert etiam *paratiſſimi & deſerentis. ipſa* non agnoſcit. In annotatis enim *Minos* ex membranis adſtruit *ſomni paratiſſimi*. Quid ſi legamus, *& ſe offerentis*, vel, *ſe referentis.* mox, *deſtringitur* Aldinus ac Mediceus. In Propertio illud *Triſtior* minus ad guſtum meum faciebat, quod viderer obſervaſſe, vocabulum illud ſemper aliquid nimium, ac vitio quam virtuti proximum deſignare. Sic in Capitolino *triſtis cognomen*, accipio pro cognomine ad crudelitatem ſeveritate nimia vergentis. Certe triſtis ibi plus, quam ſeverum denotat. *triſte lupus ſtabulis* apud

Maronem; etiam apud Naſonem, *Dî non triſtes* ſunt non nimium ſeveri, *triſtes Sabinae* ſunt rigidae, atque aſperae. Sic Naſo *Aſpera ſi viſa eſt rigidasque imitata Sabinas:* & ſane ubique apud poëtas *triſtes* vapulant *Sabinae*, tanquam ruſticitatis plenae & prorſus inelegantes: ſic auctor Dialogi de cauſis corruptae eloquentiae, *antiquitatem triſtem & impexam* vocavit. Ita *incultae & immundae Sabinae* Naſoni alibi. Cicero lib. IV. de finibus, *triſtitiam* cum aſperitate & acerbitate conjungit. Naſo de Auguſto Pont. II. El. II. *qui cum triſte aliquid ſtatuit, ſit triſtis & ipſe*, ubi *triſte aliquid* pro valde ſevero ponitur, ut apud Tacitum, *triſte aliquid patrare*, & *facinus triſte* alicubi apud eundem Naſonem; *Triſte paro facinus, quantumque injuria poſſit Femineuſque dolor, jagulata pellice teſtor.* apud Virg. Aen. II. *triſtia facta* pro crudelibus aut immitibus ponuntur. Videntur ad rem facere nonnihil, quae Nonius adducit ex libris Ciceronis de republ. *gravitatis ſuae reliquit illum triſtem & plenum dignitatis ſonum*, & Plinii in Panegyrico: *qui fronte gravi & triſti ſupercilio utilitatibus fiſci contumaciter adeſſent.* tum illud Tullii pro Caelio: *Cum triſtibus ſevere, cum remiſſis jucunde vivere.* atqui Cornelia non tam ſeveritatem illam horridam in ſe commendare debuit, quam laetam caſtitatem & amabilem, quae feminas maritis potiſſimum conciliat. *ſtrictam* majori jure ſemet potuit appellare, hoc eſt non ſolute viventem, nihil permittentem ſibi licentioris vitae: quod matronali verecundiae conveniens omnino. & *ſtrictum morem* in Veſpaſiano Tacitus commendat. Locum Plinii in naturali hiſtoria ſi curatius perpendimus, liquebit illic agi de luxu impenſarum ſuperfluo, cui *ſtrictum* morem opponit. Sed hac de re non contendemus, quando negas tibi diſplicere Τὸ *e ſexu*, pro *aſſeſſu*. In Ciri Virgiliana, non peccat tantum verſus poſterior ex iis, quos profers, ſed prior quoque. Quid enim ſibi volunt iſta, *ſi me jam ſumma ſapientia pangeret arce: Pangere plantas* proprie dicimus; atque hinc *pangere* etiam carmina. *pangere, figere* eſt apud Feſtum, unde *clavum pangere*. Livio, & Plauto *oſculum pangere*. In Maronis loco Τὸ *pangere* eo ſignificatu parum concoquo: quare ſcribendum opinor, *ſi mihi jam ſummam ſapientia panderet arcem*, vel, *ſummas arces*. mox pro *heredibus* quod reponis *haereſibus* ingenioſe quidem, & parum licenter excogitatum, vereor tamen ne lex metri id reſpuat, cum αἵρεσις non αἵρησις, ſcribatur. Praeterea nullus veterum Poëtarum, de Latinis loquor, hoc uſus eſt vocabulo, quod ſciam, praeter Chriſtianos atque in his Prudentium, qui tamen ſyllabam ſecundam in *haereſis* amant corripere. *haereſeon veſana furens exinde charybdis.* Tutius igitur ſit reponi *heroibus*, pro *heredibus*, ut deſignet auctores quatuor in philoſophia ſectarum, ſed & illud *quae* cum verſum faciat paulo duriorem, irrepſiſſe cenſeo in contextum & interlineari interpretamento.

Si mihi jam ſummas ſapientia panderet arces,
Quattuor antiquis heroibus addita conſors.

arces eſt in Baſileenſi codice. Feſtinans librarius ultimam litteram Τῷ *ſummas* omiſerat, ob eandem proxime ſubſequentem. Agebam tecum coram, memini, de loco mendoſiſſimo Petronii ſub finem fragmenti Traguriani: ubi Trimalchioni Graeculus mathematicus inter alia, *Tu latifundia poſſides, tu viperas ſub*

ala

ala nutricas: quibus ſubjungit ſtolidiſſimus homo: *Et quod*, (lege *quo*) *vobis non dixerim*, *& nunc mi reſtare vitae annos triginta & menſes quatuor*, *& dies duos: Apuliae jungere ſatis vivus pervenero: interim, dum Mercurius vigilat*, *aedificavi hanc domum*. &c. Poſtrema. ſic videntur conſtituenda, *quid ſi contigerit fundos Apuliae jungere ſi a*, id eſt *ad*, HS. M. *vivus pervenero*. exciderat numerus ſeſtertiûm imperitiâ librarii: ex *ſatis* facio, *ſi at* HS. *at* pro *ad* ſaepe occurit in antiquis marmoribus, ſic inſcriptio Hiſpanica apud *Schottum* p. 248. Obſervationum humanarum: *Ex quorum uſuris ſemiſſibus edi volo quodannis ſpectac: pugilum. die* IV. *Iduum Junii uſque at* XCCL. Videbar tum legiſſe locum perſimilem neſcio ubi. Poſtea inveni in ipſo Petronio: qui ſic ſe habet. *& ne bonam quidem mentem aut bonam valetudinem petunt; ſed ſtatim antequam limen Capitolii tangunt*, *alius domum promittit*, *ſi propinquum divitem extulerit*, *alius ſi theſaurum effoderit*, *alius ſi ad trecenties* HS. *ſalvus pervenerit*. Vale, mi Graevi. *Schonavium*, *Reinſwoudii* filium audio in Britannias abiturum. Sed nec deërunt aliae commoditates, quibus utamur. De Suetonio *Salmaſii* vide quaeſo memineris. Iterum vale. Hagae Com. pridie Kal. Martii Gregor. CIƆIƆCLXXIV.

EPISTOLA CLXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NIhil tu mihi negotii faceſſis, ſed doleo me nondum tuo poſſe deſiderio ſatisfacere, qui mei demerendi nullam praetermittis occaſionem. *Goyerus* antiquum obtinet, irritis pollicitationibus nobis illudit. Liber de ſcriptoribus Umbriae eſt etiamnunc penes me. Reliquos nondum potui ex ejus manibus reglutinare. Antoninum tibi, mihi Ennodium Sirmondi praeripuit *Diemerbroeckius*. Alios ſpero ſalubriori pretio nos habituros, apud *Ribbium* cum refrixerit illa licitationis inſania, & ſpes tam care has merces protrudendi minuetur tempore, cum tam animoſos earum emtores hîc nullos ſit inventurus. De Cicerone *Manutii* veſtra juſſa expecto, quamvis nec de illo quicquam auſim vobis liquido promittere. Audio paucis diebus inſignem bibliothecam apud vos propoſitum iri in auctione, cujus catalogum velim videre. *Laurentius Magalottus* indies hîc expectatur, Suecos & ultimum ſeptentrionem per noſtras terras petiturus. Friſiis admonitis officii a Sereniſſimo Principe ſpero nos uſuros aequioribus propediem. Rumor de quibuſdam Nobiliſſimis viris a republica dimovendis in noſtra percrebuerat urbe, antequam tuae mihi traderentur. Et is etiamnunc calet, ſine capite tamen & certo auctore. Si vir ille ampliſſimus, & utrique noſtrum amiciſſimus, hac quoque invidia conflagraverit, vehementer ejus vicem doleo ac deploro. Sed ſpero ſuperos ab ejus capite hanc acerbitatem amolituros. Exitum hujus negotii ex te cognoſcere cupio. Plinii locum lib. III. ep. 5. ſic, ut tu innuis, legi in veteribus editionibus, quas tu commemoras, verum eſt, quibus etiam ſuffragatur optima *Sichardi*, qui ex

Rudolphi Agricolae libro ſe eam emendaſſe teſtatur, & caſtigaſſe in plurimis locis, & Aldinam multarum depravationum incuſat. Sed eam lectionem damnaverant recentiores editores *Stephanus*, *Caſaubonus*, *Gruterus*, *Buchnerus*, alii, ideoque, eam vindicandam cenſui. In his noviſſimis, quos dixi, libris *ipſa* non habetur, & cum veteres codices prae ſe ferant *& deferentis*, putabam non incommode hîc legi poſſe: *ipſa differentis*. Sed de his non auſim tecum contendere. Forte commodius aliquid alio die exſculpſero. Poſſes etiam cogitare Plinium ſcripſiſſe: *deterentis*, ſcilicet tempus ſtudiorum, ut *deterere laudes* & *conterere tempus*. Sed haec in medio relinquamus. In epiſtola prima ejuſdem libri legitur: *Si adſunt amici, honeſtiſſimi ſermones explicantur.* Veteres libri manu & typis exarati: *Si adſunt amici, honeſtiſſimi ſermones conferuntur.* Videtur ſcribendum: *conſeruntur*. In libro proximo epiſtola 5. hic verborum ordo eſt in novis editionibus: *Nec poſſum dicere aliud tunc mihi, quam Deos adfuiſſe.* In antiquis autem: *Nec poſſum dicere tum mihi aliud quam deos adfuiſſe*, cum genius linguae poſtulet, ut ſic componantur: *Non poſſum dicere aliud, quam tum mihi Deos adfuiſſe.* Sed haec levia ſunt. *Claudii Minois* editionem nunquam vidi. *Triſtitiam* plerumque poni pro ſeveritate, quae modum excedit, veriſſimum eſt. Sic & apud Plin. lib. I. ep. 10. *Nullus horror in cultu, nulla triſtitia, multum ſeveritatis.* Hinc & *triſtis* pro irato apud Tibullum lib. IV. El. 4. verſ. 20.

Lacrymis erit aptius uti,
Si quando fuerit triſtior illa tibi.

Et Seneca Conſolat. ad Marc. 3. *Cum memoriam alterius nemo poſſet retinere ac frequentare, quin illam triſtem ſibi redderet.* Sed laudi etiam datam eſſe hanc vocem exemplis oſtendam alias. Non tamen tibi repugno, ſi *ſtrictior* magis accommodatum huic loco videtur. In Ciri vehementer arridet, quod tu excogitaſti:

Si mihi jam ſummas ſapientia panderet arces;
Quattuor antiquis heroibus addita conſors.

Haereſibus inductum & oblitteratum volo. Leges metri non in conſilium adhibueram, cum iſta effunderem. In verſu XI. iſtius poëmatii, quis eſt ille *blandus mos*, quem vult deponere? An non legendum?

Et leviter blandum liceat deponere amorem,

Illum nimirum laudis amorem, de quo in primo verſu queritur. In Petroniano fragmento, certiſſimam habeo Medicinam & praeſentiſſimam, quam deſperato loco adhibuiſti: *ſi ad HS. vivus pervenero.* Nihil poteſt venuſtius fingi. *at* pro *ad* in aliis quoque veteribus inſcriptionibus, ut & in antiquis libris *ſet* pro *ſed* ſaepe reperiri memini. Simul naves deducentur, Suetonium, ſi tibi placuerit, ad te mittam, ut cum illum haeredibus *Elzevirianis* tradideris, auferas Arnobium. Sin rectius tibi videatur recta Lugdunum hunc librum perferri, tuae voluntati morem geram. Vale, & ſalve ab uxore & *Velthuſio*. Trajecti ad Rhenum a. d. v. Kal. Mart. CIƆIƆCLXXIV. Dionyſiaci anni.

Petron. *Sed ne quid triſtius exſpectarem, comitatus faciebat. tres enim erant mulierculae.* mox. *Rogo, Domina, ſi quid triſtius paras, celeriter confice.*

EPI-

EPISTOLA CLXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ECce Catalogum, quem, puto, videre deſiderabas, neſcio tamen an reſponſurum expectationi tuae, Vir Clariſſime: Alterum illum Hemmianae bibliothecae oppido inſignem jam vidi, & miratus ſum copia librorum tanta armarium privatum inſtrui potuiſſe. De *Slingelandio* noſtro aliiſque Albiniana caſtra jampridem ſecutis, vera non eſſe gaudeo, tantum ne fiant aliquando vera. Sed Principis indoles erecta victorias ſpirat magis, quam vindictam. *Selemium* ſuper Cicerone Manutianae editionis convenire nondum potui. Nam & illum aſſidue diſtrahunt occupationes, & tricae forenſes me pergunt ſibi totum vindicare. Suetonium, qui viduae *Johannis Elzevirii* debetur, recta ad me licet mittas. Nam ſi per me reſtituetur liber, quo mea potiſſimum opera fraudatam ſe querebatur, Arnobium fortaſſis impetravero. Habebis forſan aliud quid eidem faſciculo inſerendum, ſi diſceſſerint Oratores noſtri in Britannias, qua tamen de re nihil explorati habetur hactenus. *Jacobo Gronovio* ſtipendium annuum Magnus Etruriae Dux aſſignatum voluit Joachimicos plus minus quingentos praeter alia munera, quibus jam eſt honoratus, quaeque *Antonius Magliabechus* facunde in ſuis ad me litteris extollit. Nam *Jacobus* ipſe nihil jam pridem mihi ſcripſit. Utinam huic fortunae par ſit! Me interim mirifice adfligit exceſſus e vivis *Johannis Capellani*, cujus memoria ſemper in hoc pectore erit ſanctiſſima. Amiſi ſane amicum incomparabilem. Sed tantum virum exornare laudibus meritiſſimis non eſt hujus loci. Non diſplicuiſſe curas tibi noſtras in Virgilii ac Petronii locis, eſt profecto quod gratuler mihi. Seſtertiûm numerus exciderat, quod fieri ab imperito potuit librario. Sic certe deſignari ſeſtertia per notam *HS* in Petronianis ſolere codicibus ſcriptoris ejuſdem loca complura fidem faciunt. Ecce nunc alterum ejuſdem, & quidem vexatiſſimum in deſcriptione lupanaris: *Video quoſdam inter titulos nudaſque meretrices furtim conſpatiantes.* ita ſcripti nonnulli, etiam Tragurianus. quod homines eruditi jam pridem ſunt amplexi, & trahunt ad *titulos*, qui cellis meretriciis praefigebantur, ſcorti nomen & ſtupri pretium exhibentes. Atqui, quos hîc deſignat Petronius, non ambulabant in cellis, ſed in area aut loco communi lupanaris. Nunquam potuit mihi arridere, fateor, iſtaec ſcriptura: quid, quod variant membranae. Alter Scaligeri codex, *inter nuculos*, alter, quem Cujacianum puto, *in teſticulos*. Utrumque etiam Patiſſonius annotavit e ſcriptis, & alterum hoc ex Bituricenſi libro. Alii alia ſunt commenti. Legebam ego minima mutatione, *inter ſtriculos nudaſque meretrices.* ſive *hyſtriculos. puſio ſtriculus* eſt apud Arnobium puto, & apud Tertullianum de Pallio, ſed non ſatis memini, quae illo *Salmaſius* congeſſerit. Deſignat autem Cinae-

dos

dos exoletos & jam horripilantes, ut verbo utar Apulejano. Alias pluribus agetur tecum. Vale, jucundiſſime rerum. Hagae Comitum Anno CIƆIƆCLXXIV. VIII. Martii. Apud Plinium libr. III. Ep. I. Florentinus codex conſentit cum Aldina editione, *ſermones explicantur. conferuntur* ex ſuis profert Claudius Minos. ſed certus ſum nullos illum vidiſſe Florentino pares. Idem conſenſus duorum codicum lib. I. Ep. V. *non poſſum dicere aliud tunc mihi.* ſed recte tu.

EPISTOLA CLXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

INcredibile eſt quanto me dolore mors *Capellani* affecerit, quam ex te primum intelligo. Amiſit Gallia inſigne gentis ſuae decus. Magnam jacturam in eo fecit res litteraria, cujus commodis ille perpetuo invigilabat, unus omnium candidiſſimus ingeniorum aeſtimator, quae ad optimarum artium dignitatem augendam ubique gentium & plauſu & praemiis incitabat, ipſe ingenio, doctrina, gravitate vitaeque ſanctitate in primis conſpicuus, ut illius memoriae & meritis erga doctrinae politionis cultores omnis aetas perpetuo ſit debitura. Ego vero privatus ſum amico ſummo, cujus memoriam & deſiderium nulla temporis longinquitas apud me oblitterabit. Vides in hoc quoque triſtiſſimo caſu ſocietatem aegritudinis mihi tecum eſſe. Suetonium habebis, cumprimum ad vos mittendi certa ſe dederit occaſio. *Jacobo Gronovio* de honorifica hac ſparta, & tam lauto ſtipendio gratulor, ſperoque illum hanc fortunam, poſtquam deferbuerit ille ardor juvenilis, bene laturum. Audivi modo *Goyerum* illum omnes reliquias ſuae bibliothecae neſcio cui bibliopolae hujus urbis vendidiſſe. Eum ubi indagavero, excutiam ſtudioſiſſime quicquid ſupereſt, num, quos tu deſideras, poſſim reperiri. In Petronio turpiſſimam mendam ſollertiſſime & pulcherrime deleviſti, dum Muſis Gratiiſque applaudentibus pro vulgato *inter titulos*, quod mirum eſt probare potuiſſe viros doctos, aut veterum codicum *inter nuculos*, aut *in teſticulos*, tu reponis *inter hyſtriculos.* Nam *ſtriculos*, quamvis propius accedat ad ſcripti codicis lectionem, non videtur in Petronio ferendum. Arnobio facile hanc ἀφαίρεσιν largiar, cujus aetati familiare fuit *Spaniam* dicere pro *Hiſpaniam*, *ſtrionem* pro *hiſtrionem.* ſed Petronii temporibus haec ignorabantur. Plura hujus notae a te expecto cupidiſſime. Catalogum, quem te mittere ſignificas, nullus vidi, ſed quoniam non magnae rei eſt, potero facile eo carere. Num in Ceiri *blandum amorem* pro *blandum morem* probes nuperrimis in litteris, ſilentio praeteriiſti. In Lucano lib. I. 587. in vulgatis circumfertur:

Aruns incoluit deſertae maenia Lunae,
Fulminis edoctus motus, venaſque calentes

Fibra-

Fibrarum, & monitus volitantis in aëre pennae.

Sed *motus*, & *monitus* ſedibus ſuis nativis deturbata eſſe, & aliena loca occupaſſe perſuaſum habeo, ſicque revocanda in natale ſolum:

Fulminis edoctus monitus, venaſque calentes
Fibrarum, & motus volitantis in aëre pennae.

Monitus ſunt praeſignificationes, cujus notionis exempla paſſim ſunt obvia. Haec raptim, ſimul ac tuae mihi fuerunt redditae, ut crebriores a te eliciam. Friſios ajunt Sereniſſimi Principis litteris monitos cenſuiſſe ſtatum hujus provinciae eſſe ordinandum, ſed controverſiam de προεδρία arbitris committendam. Hinc ſperamus fore ut ex his miſeriis brevi emergamus. Vale, Princeps Amicorum & ingeniorum. Trajecti a. d. III. Kal. Mart. CIϽIϽCLXXIV.

EPISTOLA CLXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NOn oblivione factum eſt aut ſupinitate mea, quod catalogum tibi promiſſum litteris, quas proxime ad te dabam, additum non inveniſti. Nolui expenſis parum neceſſariis te oneratum: praeſertim quod ſpes adfulgeret, mox fore, ut acerbum hoc gelu remitteret, fluvioſque nautis praeſtaret pervios, ne tabellariorum opera nobis eſſet imploranda ſumptuoſior. Quae exſpectatio cum me fruſtetur, mitto catalogum per tabellarios, non quod ille complectatur quicquam exquiſiti, ſed ne fides mea videri poſſit claudicaſſe, aut ego defuiſſe deſideriis tuis, quae fovenda conſtantiſſime mihi propono. Ob diem feſtum, ac ſolemnem intervenientem, auctio non procedet ante decimum quintum hujuſce menſis. Ut, ſi quid ex catalogo delibandum cenſes, tuaeque bibliothecae addendum, id tempeſtive ſatis ad me poſſis perſcribere. *Capellani* mortem fero quam credas inconſolabilius: quamquam ambiguus vitae jam menſes paene tres quatuorve totos haeſerat, & ad id pervenerat aetatis, quod paucis omnino mortalium obtingere videas. *Goyerus* ſplendide nobis, quantum video, impoſuit. Heemſtedianum catalogum, & reliquos ejuſdem argumenti libellos in perditis numeremus licet. Convenerat, ut ſcis, nobis de pretio corporis Byzantinae hiſtoriae, ſi nihil illic deſideraretur, praeter Pachymerum. At ille hanc a te conditionem ſibi propoſitam negavit, ſed falſo, ut opinor. Hinc fortaſſis querelarum cauſas captaverit. Sed tanti ille non eſt, quem curare multum debeamus, temere praeſertim iraſcentem, & nulla adfectum injuria. Habui denuo litteras Florentia, de quibus alias. In Petronio pergam, ſimulatque *Voſſianus* codex ad me perferetur, quem negant in ſcriniis *Iſaaci* comparere, polliciti tamen diligentius ſeſe librum denuo inveſtigaturos *Junius* & *Voſſius* minor. Ne plane tamen ſim ἀσύμβολος, en locum ejus vexatiſſimum, variiſque tentatum conjecturis, qui in melioribus ſcriptis etiam Cu-

jaciano Scaligeri ſic exhibetur cap. 88. *Itaque hercula omnium herbarum ſuccos Democritus expreſſit, & ne lapidum virgulatorumque vis lateret, aetatem inter experimenta conſumſit.* recentiores libri *hercule* habent. Schoppius *argillai*; alii alia. *hercula* pro *percula*, hoc eſt *pergula* dedit, puto, aberrans librarii manus: legebam igitur, *Itaque in pergula omnium herbarum ſuccos Democritus preſſit.* Laertius Diogenes in vita Democriti editionis Menagianae p. 246. hanc pergulam vocat, *δωμάτιον*, in qua habitaverit aliquamdiu Democritus, ac horto contiguam fuiſſe tradit, nec cauſam tamen addit, quae hoc ex Petronii loco ſit manifeſta, & cur illic habitans *φιλόπονος* dicatur Democritus. Pergulam aedibus, hoc eſt magnae domui, Petronius etiam opponit in fragmento Traguriano, ubi Trimalcio de deliciis ſuis, ſive puero delicato: *Hic qui in pergula natus eſt, aedes non ſomniatur.* hoc eſt contentus ſua ſorte vivit, & ſuis natalibus. Alioquin pergulae etiam in hortis, quas & *trichilas* appellabant. De *ſtriculo* addidi, non quod ſic ſcripſiſſe ipſum Petronium ſim opinatus; ſed quod exemplar vetuſtiſſimum, unde profluxerunt fragmenta, quae noſtris manibus nunc teruntur, ſic videatur exhibuiſſe. In Gloſſis Stephani *Hiſtriculus* eſt. *blandum amorem* in Ciri Virgiliana repoſui & ego, addito Lucretii loco.

— — — *Cor acri*
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna, ſimulque
Incuſſit, ſuavem muſarum in pectus amorem.

Praecedentia etiam ſic conſtituebam

Nunc mea fert Erato dignum tibi quaerere carmen,
Longe aliud ſtudium atque alios accincta labores,
Altius ad magni ſuſpendi ſidera mundi,
Et placitum paucis auſa eſt aſcendere callem

Sed alio vocor. Lucani locum feliciter mihi viſus es reſtituiſſe, quem tamen expendam accuratius. Certus eram Muſarum ſacris non admovere manum, niſi terminata lite, quod videbar ſine ſucceſſu id moliturus. Interim ſupervenere Lugduno preces imperioſae, & tantum non minaces, quibus repugnare frontis non fuit meae. Tu autem ſcis, ne deos quidem ipſos Theologis impune quicquam negaturos eſſe, id ſi auſint. Vale, mi Graevi. Hagae Com. A. CIↃIↃCLXXIV. XII. Martii.

EPISTOLA CLXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

IN catalogo, quem miſiſti, complura ſunt *Miraei* opuſcula, quae deſidero: ſed anguſtiae hujus temporis non ſinunt meo deſiderio morem gerere. Differemus igitur in aliud tempus, cum ſtipendia noſtra nobis numerabuntur. Hemmianum catalogum videndi magna teneor cupiditate. *Elzevirius* eum mihi

cura-

curabit, ſpero. In *Goyerum* incidi praeterito die Saturnii in via publica, denuoque eum appellavi. Promiſit ſancte ſe proximo lunae die catalogos tibi debitos mihi traditurum, ſed hominem fallaciſſimum ab illo tempore non vidi. In certam tamen ſpem veni, eos tibi praeſtandi per bibliopolam, qui reliquias hujus bibliothecae emit; is fidem dedit, ſe omnes hos indices librorum ſibi redditos mihi, ut ad te mittantur, donaturum, ſimul ac per frigoris aſperitatem excutere ſibi & perſcrutari ſuos libros liceat. Ciceronem *Manutii* nondum habet domi ſuae bibliopola, ſed cum acceperit, mihi id ſignificaturum ſe pollicebatur, nec ulli traditurum, ante quam de veſtra ſententia, velitiſne vobis iſtum librum addictum, certior ſit per me factus. Aeque bene poterit ab iſto homine comparari, ac ab antiquo ejus poſſeſſore. *Goyerus* non ſtomachatur, ſed ſupina negligentia peccat, praeter propter vitam vivens, & nihil niſi de cuticula curanda cogitans dies noctesque. In Anglia audio prodiiſſe Aratum, & Juſtinum, expectari in paucis menſibus Antiquitates Oxonienſes, Archimedem & Apollonium, & catalogum Bodleianae bibliothecae. *Tennulius* Frontini ſtrategematon libellos cum multis antiquis libris compoſitos praelis jam deſcribendos commiſit. Expecto propediem, quid litterae Florentinae noviſſimae nobis narrent. Scribit ad me ex Hiſpania *Rulaeus*, juvenis elegantis ingenii, & pereruditus, qui legato noſtro fuit a ſacris, ſe domum itionem moliri per Vaſcones, Autrigones, Tectoſagas, Allobroges, Helvetios & Germanos. Rogat, ſi quid in iſtis locis curandum habeam, & ſi quos ibi viros eruditos noſſem, ut id ei ſignificarem, eumque illis commendarem ac traderem. Neminem novi niſi *Bernardum* Toloſenſem. Tu ſi quos alios cognitos habes iſtic, aut, quid monendum, quod velis tuo nomine perfici, fac quamprimum reſciſcam; recte curabuntur omnia. Sed cis tres quatuorve dies litterae ſunt mittendae. Si quem unquam locum pulchre feliciterque ſanaſti, is eſt ille Petronii, de quo nuperrime ſcripſiſti. In pergulis enim eruditi ſtudiis, quibus dediti erant, invigilabant. Sueton. Auguſto cap. 94. *In ſeceſſu Apolloniae Theogenis Mathematici pergulam comite Agrippa adſcenderat.* Idem de illuſtribus Grammaticis. cap. 18. *Hic initio circa ſcenam verſatus eſt, dum mimographos adjuvat; deinde in pergula docuit, donec commentario Smyrnae edito adeo inclaruit.* Ubi veteres libri *percula*. Male autem ibi *Achilles Statius*, *pergulam* accipit pro pulpito. Emendationes iſtae praeclarae tantopere augent deſiderium videndi tuas in Petronium notas, ut ferre id aegerrime poſſim. Diris devoveo illorum capita, qui calumniis litium te avocant ab his egregiis meditationibus, quae tantam lucem noſtris afferrent artibus. Rogo te per omnia Muſarum ſacra, ut quaſcunque potes horas tibi vindices, & quae in fragmentum Traguriauum & Valerium Flaccum parata jam habes, elimes, ac publico des, antequam pedem domo efferas in Germaniam profecturus. Correctionem iſtorum verſuum in Ceiri, *Nunc mea fert Erato*, jam olim mihi probaſti. Gaudeo in τῷ *blandum amorem* te mecum conſentire, & jam olim id vidiſſe. Carmen tuum ornabit orationem iſtam, quamvis fuerit diſertiſſima. Habes pro politiſſimis tuis elegis phaleucos peſſimos, qui modo in gratiam amici mihi, qui nunquam

ſomniavi in bicipiti Parnaſſo, fuerunt pangendi. Nunc cogor abrumpere. Vale, Heinſi χαρίεστατε, & me ama. Trajecti ad Rhenum a. d. xv. Mart. CIƆIƆCLXXIV.

EPISTOLA CLXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

VLtimae tuae pollicebantur neſcio quos phaleucos tuos, Vir Clariſſime, ſed promiſſos non praeſtiterunt. Praeſtabunt tamen proxime, ut ſpero, ne mihi inter mala nomina ſis habendus in poſterum. Ceterum cum proſequaris immenſa laude meas in Petronium obſervatiunculas, minimum nunc aberat, quin denuo tibi frivolis iiſdem obſtreperem; cujus meſſis poſt tot tantoſque interpretes contextus ſatyricon Petronianorum uberrimum praebet nobis ſpicilegium. Sunt enim omnia adhuc inquinatiſſima: ſed avocat me a propoſito *Laurentius Magalottus*, quîcum pluſculos dies ſuaviter exegi. Is hanc veſperam mihi addixit, quando craſtini die Amſtelaedamum cogitat, ubi feſtum Paſchale cum exegerit, de itinere Suecico videtur cogitaturus. Opinor autem fore, ut & ego ante decurſum hujuſce menſis ob res privatas, quae mihi illic agendae incumbunt, ad Amſtelaedamios eoſdem iter ſim inſtiturus. Quando proxime ad te ſcribam, alibi occupabar, unde tunc factum eſt, ut exciderint mihi nonnulla, de quibus te monendum mihi propoſueram. quale eſt illud, quod in verſibus tum prolatis naevum quoque alterum expungi convenit. ſunt enim ſic, ni fallor, conſtituendi.

In quo rure meas utinam requieſcere Muſas,
Et leviter blandum liceat deponere amorem.

rus vocant hortum Epicuri, qui extra urbem Athenas, ut noſti. *Amorem* quoque dixerat ipſo poëmatii hujus in principio. ubi dubitare poſſis, an non rectius ſimus ſcripturi, *vano lactatum laudis amore.* & habeo, quibus haec adſtruatur conjectura. Sed ut hoc in medio relinquamus, alterum illud meum ſpero probabis prae Scaligerano, *Nunc mea quit Erato.* qua correctione Syllabam natura brevem producit. *fert Erato*, ut *fert animus.* Quod Poëtis uſitatiſſimum. Meſſalam enim alloquitur, ut ex proxime ſubſecutis verſibus apparet. qui cum non tantum prodigioſe corrupti in ſcriptis occurrant exemplaribus, ſed mutili quoque, vix eſt, ut medicinam illis felicem adhibeamus. De Propertii loco quod cenſebam, τὸ *Triſtior* in pejorem plerumque partem ſolere ſumi, & nimium quid deſignare, id illo Claudiani loco opportuit confirmatum. IV. Conſ. Honorii 403. *Triſte rigor nimius: Torquati deſpue mores: De pergulae* uſu ac ſignificatione *Salmaſium* commentario ad Hiſtoriam Auguſtam complura memini obſervare. Sic & *pergula pictorum* apud Lucilium. At vero quod dicebam modo, elegantiſſimum cetera ſcriptorem Petronium, ac mire Latinum, eſſe com-

compluribus locis interpolatum, ac barbarorum hominum ore, non ſcio, loquentem nobis exhiberi, vel uno nunc exemplo faciam manifeſtum. Non longe a fine cap. 140. opuſculi haec habentur. *Itaque ut conſtaret mendacio fides, puellam quidem exoravit, ut ſederet ſupra commendatam bonitatem: Coraci autem imperavit, ut lectum, in quo ipſe jacebat, ſubiret.* Inſulſum plane mihi viſum, ſemper illud, *ſedere ſupra commendatam bonitatem.* commendata erat puella a matre Eumolpo, ſive bonitati Eumolpi: ſed ipſa Eumolpi bonitas nuſquam commendatur in praecedentibus, niſi quod mater puellae fingebat ſe de bonitate Eumolpi bene ſentire, cui liberos concrederet. Praeterea ex ipſa narrationis ſerie, & quod laxatis ſive ſolutis ſe fingebat eſſe lumbis Eumolpus, ſatis fit manifeſtus ipſe concumbentium habitus ac modus. Primum librarii manus aberrans dederat *ſederet*, pro *ſe daret*, vel *ſe crederet.* omiſſa una ſyllaba, quod frequentiſſime contigit in hoc opuſculo, hinc reliqua poſtea ſunt conturbata ab hominibus elegantiarum ac latinitatis inexpertis. Legendum itaque opinor, *ut ſe crederet ſuae commendatam bonitati:* repetit nequiſſimus ſenex ipſa verba commendationis maternae. Supra enim de matre habuimus, quae & ipſa ſic videntur caſtiganda. *Ea ergo apud Eumolpum venire; ei commendare liberos ſuos; ejus prudentiae bonitatique credere ſe ſpes & vota ſua.* Exciderat τὸ *ſpes.* Qualia complura paſſim in Petronio a librariis oſcitantibus ſunt admiſſa, praeſertim in Traguriano fragmento. Non ſemet ipſam credebat Eumolpo Philomela, cum jam eſſet floris extincti, ſed ſpes & vota ſua, hoc eſt liberos. Qui loquendi mos eſt uſitatiſſimus apud optimos ſcriptores. Sunt & alia mendoſa in eadem narratione; de quibus tempore forſan magis opportuno. Habes & illic de *pygiacis ſacris*, quae adſtruunt nonnihil alteram meam conjecturam de *puerili parte* mulieris Epheſinae. Si *pergula* in altero illo Petronii loco parum ſatisfacit, poſſis etiam *torculo* vel *torculari* reponere. torcularis enim exprimendis herbarum ſuccis uſus requiritur. Toloſae notum habeo *Bernardum Medonium* Senatorem. Burdigalae neminem. Proxime a me accipies indiculum librorum, qui nuper apud Italos prodierunt. Vale, mi Graevi. Hagae Com. Anno CIƆIƆCLXXIV. 19. Martii.

EPISTOLA CLXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Phaleuci, quos nuper promiſeram, diu detrectarunt in tuum venire conſpectum, cui ſe probare deſperabant. Reprehendi fugitivos, juſſique eos dependere, quod pollicitus eram, & non pro poena, ſed magni beneficii numero habere, ſi tuis configantur obelis, ac magni Aeneae dextra jugulentur. Eruditas tuas & ſane quam ingenioſas emendationes in Petronio qui non laudat &

& admiratur, nae is iratis Muſis & Gratiis natus eſt. Perge, obſecro te, me his deliciis beare ſaepius, quae omnem ſenſum incommodorum, nunc nobis Aetnae inſtar incumbentium, ſi non extinguant, leniant ſaltem & mirifice minuant. Illuſtris *Magalotti* conſuetudinem & ſuavitates aliis invideo, tibi quî poſſim, qui tuis bonis non ſecus laetor, ac ſi mihi eveniſſent. Sperabam ante diſceſſum ejus in Sueciam nos quoque deſideratiſſimo praeſtantiſſimi viri complexu frui-turos; ſed vereor ne & hujus gaudii uſuram iniquitas fortunae intercipiat. In Ceiri ſecundo Phoebo reſtituiſti: *In quo rure meas utinam requieſcere Muſas.* Nihil verius unquam Pythia cecinit. Frigidum eſt, imo inſulſum, quod in editionibus circumfertur: *In quo jure meas utinam requieſcere Muſas.* Belle quoque reſcribis, *Nunc mea fert Erato.* Scaligerianum commentum: *Nunc mea quit Erato*, leges verſus reſpuunt. Sed in ipſo initio *jactatum* non auſim refingere in *lactatum*. Sententia enim mihi videtur eſſe pulcherrima, ad quam exprimendam non poterat efficacior vox inveniri. Qui adhuc cupiditate laudis variae & miris modis jactatus fui, tanquam quibuſdam fluctibus, hoc eſt, qui multum laboravi, ut celebritatem nominis conſequerer, multaque molitus ſum, nunc conquieſco in ſapientiae ſtudiis, quae hoc inſanum laudis deſiderium extînguunt. Cic. in epiſtolis ad Q. Fratrem: *Forenſi labore jactor.* Catullus:

Qualiter incenſam jactaſtis mente puellam
Fluctibus.

Sed exemplorum magna meſſis ubique. Perquam venuſte igitur poëta. Me jactatum vario laudis amore nunc complectitur Sophia, & quaſi in tutum quendam portum collocat, ut contemnam laudes & praeconia hominum, tranquillitati animi, neglecto vulgi plauſu, quem variis modis captavi, inhians. *Torculo* vel *torculari* valde ſordet in Petronio, prae illa, de qua nuper monebas, *pergula*. Certiſſimum mihi eſt Petronium ſcripſiſſe *pergula*. Loca, quae ad hanc tuam firmandam correctionem ex Suetonio afferebam, video quoque a *Salmaſio* produci ad Scriptores Hiſtoriae Auguſtae, quos inſpexi tua permotus epiſtola, quamvis tunc illius annotationis non meminiſſem, cum haec exempla in eam conjicerem epiſtolam. In Petronii altero loco recte vidiſti non poſſe tolerari, *ut ſederet ſupra commendatam bonitatem.* Mihi quoque videris εὐστόχως repoſuiſſe: *ſe crederet ſuae commendatam bonitati.* Sic & ſuperius locutus eſt Arbiter: *Cum omnis vector nihil prius quaerat, quam cujus ſe diligentiae credat.* Ac etiam rem tetigiſti, cum in commendatione matris emendas: *credere ſe ſpes & vota ſua.* In eadem narratione videtur ſcribendum: *Ille lente parebat imperio, puellaque artificium pari motu remunerabat.* Non enim imperium erat lentum, nec de puellae artificio mentio facta. Sed illa Coracis artificium, lumbos domini ſub lecto moventis, pari motu remunerabat. In Ceiri ubi legitur:

Infamem tali meritorum more fuiſſe
Docta Palaephatia teſtatur voce papyrus;

Quis eſt *meritorum mos?* Caſtigandum eſt:

Infamem tali merito rumore fuiſſe

Docta

Docta Palaephatia teſtatur voce papyrus.

Rectene caſtigaverim hunc locum tu judicabis. Tua valebit exiſtimatio. Indiculum librorum, qui apud Italos prodierunt, expecto proxime. Vale, mea lux. Trajecti ad Rhenum a. d. XXIV. Mart. CIↃIↃCLXXIV. *Ludovicum Fabricium* Franeckeranis ſuam operam addixiſſe audio. Nihilne de *Iſaaci Voſſii* reditu ex Anglia, poſtquam haec offenſarum odia detumuerunt, accepiſti? *Franciſcum Junium* & *Voſſium* minorem, nec non Nobiliſſimum *Seleemium* ut meo nomine ſalutes, ſi quando videris, rogo. Tibi *Velthuſius*, *Burmannus*, & mea uxor ſalutem dicunt. Perfertur ad nos ex Germania piſcem apud vos mirificum & ante inviſitati ab hominibus generis captum ſpectaculo eſſe. Rogant ut quid de hac re ſit perſcribam. Si vidiſti, aut aliquid de hoc monſtro audiviſti, velim ſignifices.

Veſeli, *patriae decus, medulla*
Suadae, quem Themis in ſuos receſſus
Abſtruſos, populoque non videndos,
Admiſit, reſerans ſacrata legum
Illa aenigmata, Scaevolaeque nodos
Solvens, ut celebrent tuam domum omnes,
Quos lites agitant calumniaeque.
Quas tu diſcutis optime, furores
Inter Martis atrociter frementis,
Inſanoque timore territantis
Cunctos, attonitos metu ruinae
Totius patriae, gravique cura
Exeſos, cruciatuumque plagis,
Quas inflixerat hoſtium proterva, &
Audax colluvies ferociorum:
Tu pacis meditatus es beatae
Victurum innumeris opus diebus,
Quod ſemper manibus terent patroni,
Laudeſque ingenii ferent ad aſtra
Tui, quo tenebris facem intuliſti
Illuſtrem, & patrii tot expediſti
Tricas juris ita apté & eleganter.
Sed quos foedere junxit auſpicato
Juno, conjugii Deum precantur,
Per te ſollicitudinis carentes
Morſu, laetus agas ut omne tempus
Curis liber acerbitatibusque.

Joh. Geor. Graevius

EPISTOLA CLXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NOn habeo, quod ſcribam; ne defraudem tamen memet ipſum ſingulari illa voluptate, qua teneor ſemper colloquendi tecum, ecce provolo ad commercium litterarium, quantumvis imparatus ab omni ſcriptionis argumento. Cave enim arbitreris Petronium ad partes denuo vocandum nunc fore. Metum omnem omitte, quaeſo; abſtinebo manum ab iſta ſcabie. Quanquam, ſi daretur optio tibi, damnari fortaſſe malles lectioni inſulſarum obſervationum, quam malorum verſuum cenſurae, quam ego crambem recoctam, velis nolis, iterum tibi appono. Convicia amicorum, qui ignaviam exprobrabant mihi, quod tacerem ſolus in publica omnium acclamatione, tantum apud me potue-

potuere, ut plura etiam ſcripſerim, quam rogatus eram. Tu, ſi non gravaberis cenſoris partes tibi arrogare, ac me monere de iis, quae perperam videbuntur dicta, haud prorſus operam videbor luſiſſe, nec infeliciter omnino verſatus eſſe in argumento longe pulcherrimo, ad quod ingenii mei imbecillitas & torpor non ſatis adſurgunt. *Laurentium Magalottum* apud Amſtelaedamios etiamnum haerere opinor. Perculerat is me de morte *Thevenothi* perquam infauſto nuntio, quam ex Oratoribus Gallicanis apud Ubios intellectam ſibi aſſeverabat, quid nobis ſit credendum hac de re, cognoſcam certius propediem Lutetia, unde litteras ab amico, quem ſuper hiſce rumoribus ſum percunctatus, exſpecto. Interim ecce tibi indiculum librorum, quos *Magliabecchus* deſignabat proxime. *Francius* noſter, poſt recitatum publice carmen ſuper Pace Britannica, eo cum applauſu eſt auditus a Conſulibus Amſtelaedamiis, ut Profeſſionem illi Eloquentiae publicam cenſuerint deferendam. Vale, cum uxore, parvo *Nicolao*, ac amicis omnibus. Hagae Com. Anno CIƆIƆCLXXIV. XXIV. Martii. Orationi tuae quid fit? typiſne deſcriptam mox videbimus?

EPISTOLA CLXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MIrifice me cepit elegia tua numeris omnibus abſoluta, in qua ne Ariſtarchus quidem, quod culpet, invenire poſſit. Quanta in illa gravitas, quam mira dulcedine & ſuavitate temperata! Nihil potuit in tanta brevitate pro dignitate argumenti dici magnificentius. Sed non ego partes mihi ſumo laudes ingenii tui decantandi, cui jamdudum principatum in hoc genere judicium conſentientis Europae aſſignavit. Saepe temporibus noſtris gratulor, te iis contigiſſe, propter quem priorum felicitati non poſſimus invidere; ſaepe patriae tuae, quae praeſtantium poëtarum fuit feraciſſima, quam laudem tu ſolus fere tueris, ſaepe Maximo viro, parenti tuo, qui filium reliquit paterni decoris propagatorem & amplificatorem; ſed & mihi ſaepe gratulor, & inter ea, quae optatiſſima mihi acciderunt, praecipuum duco, quod tanto viro mihi datum ſit tam familiariter uti. Indignor vero, cum cogito non conſtitui tuis meritis & virtutibus debitum praemium, magiſque ſtomacharer, niſi ſcirem antiquum eſſe, virtutem laudari & algere. Te vero beatum, qui felicitatis tuae rationes non ſuſpenſas habes a fortuna, ſed a tua virtute, conſcientia praeclarae voluntatis in patriam, fructuque, quem capis ex optimarum artium ſtudiis, quibus ſemper deditus fuiſti. *Francio* noſtro mandatam eſſe provinciam tradendi eloquentiam in Athenaeo patrio gaudeo me hercule ſummopere. Faveo enim mirum in modum laudi ſurgentium ingeniorum, & triumpho, cum producuntur ex tenebris in lucem hominum. Nullus dubito quin

ſpar-

ſpartam hanc egregie ſit ornaturus. Utinam hanc laetitiam non minuiſſet inauſpicatus nuncius de praeſtantiſſimi *Thevenothi* morte, quo nemo mei in illa gente poſt *Capellanum* fuit ſtudioſior. Sed ſpero falſos eſſe rumores hos, & pro *Capellano* ſubjectum *Thevenothum*. Tu quamprimum certior fueris factus hujus rei, da operam ut reſciſcam. Quatuor liberos meos nunc adfligit adverſa valetudo. Unius filiolarum, quam in primis temere ſemper amavi, ſalus paene conclamata habetur. Chriſtus Σωτὴρ ejus miſereatur. *Carolus Patinus* Venetiis, ubi nunc agit, ſcribit ſe plus quam mille antiqua numiſmata in Muſaeis illius urbis deſcripſiſſe, pleraque Graeca, & antiquariis adhuc incognita. Vidiſtine Q. *Marii Mattii* libros tres opinionum, & *Benedicti Blancuccii* Miſcellaneas obſervationes? Vale, ὦ φιλότης & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XXIX. Mart. CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CLXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SUb noctem heſternam Amſtelaedamo redux, quo conceſſeram nudius quintus *Magalotto* noſtro valedicturus, geminam abs te epiſtolam ſum nactus, mellitam plane utramque, atque adeo ſic de urbanitatis ac nitoris palmâ certantes inter ſeſe, ut neſcias, utri harum plus ſit deferendum ea in palaeſtra. In ipſo itinere adverſa omnia ſeſe mihi ingeſſerunt. Ut enim Leidam perveni, ſignificatum eſt per patres aurigarum conſcriptos, quos ego ſemper aves inauſpicatas, & vates malorum nuntios ſum expertus, non patere navibus iter Harlemianum, quod impacta in ſemet vi ventorum glacies per canalem vias obſtruxiſſet omnes, tanto cruſtarum concurſu conglobata, ut divelli ac perfringi nullo labore poſſent. Currui ſi me commiſſum vellem, alterum tantum eſſe pro vectura perſolvendum, quam numerari ſoleat. Par fatum *Ryckium* quoque oppreſſit, qui eodem mane Amſtelaedamum profectus, dum navigat hoc Symplegadum concurſu deprehenſus, ac diu luctatus nequicquam adverſus victricem glaciei contumaciam, pedibus ſalutem ſibi quaeſivit, tandem vellet nollet, e Carteſiana ſchola ad caſtra Peripateticorum tranſgreſſus. Ego autem, cui tam veloci non licebat eſſe, coactus ſum manum invitam dare horrendi carminis legi, quam nebulones aurigae ſatis pro imperio longe iniquiſſimam praeſcribebant. Dum recurro domum heſterno die, non niſi plurimo cum ſudore per eandem glaciem eniſi vix tandem ſumus. *Magalottus* die, ut opinor, craſtino iter in Septentrionem auſpicabitur, te ſalvere plurimum juſſo. Sed de *Goyero*, & iis, quae ab illo debentur mihi, cur addidiſti nihil, amice jucundiſſime; an melius me vindicari non poſſe ab illo homine es arbitratus, quem litterarum oblivionem recte dixeris, quam ſi ejus tu quoque obliviſceris. Cujus ut obliviſcaris per me equidem tibi licet, dum memineris

mei, & Catalogorum ac Geoponicôn. Hendecaſyllabi tui oppido venuſti mihi ſunt viſi, qui fluunt tibi provenientes: ſi huic ludo te frequenter incluſeris, poſthac plura eſſent huc congerenda, ſi eorum elegantiam veris laudibus adaequatam vellem. Sed tu tam profuſa praedicatione Elegos meos excepiſti, ut jure metuam, ne par pari retuliſſe videar, ſi debito quamvis praeconio te reddam exornatum. In Ciri Maroniana initium ipſum non niſi dubius ſollicitabam, ac plane ambiguus, utri ſcripturae accederem: nam *lactari amore* Terentio aliiſque optimae Latinitatis auctoribus in uſu ſciebam eſſe; contra non recordabar honores, unde vulgi plauſus captantur, ambitos a Marone, eaque propter illum *amorem laudis* ad ſolam Poëſin referebam, cui nuntium nunc mitteret, quodammodo Philoſophiae uni adfixus. Sed tibi facile aſſentior locum non eſſe ſolicitandum. Altero illo loco diu eſt, quod ego quoque in ora codicis mei caſtigabam, *Infamem tali merito rumore fuiſſe*; ſed vidi poſtea eandem conjecturam a *Scaligero* acceptam referri *Jacobo Cujacio*. Sic & olim ad Claudianum I. in Eutrop. verſ. 274. corrigebam. *Nulla colum nevit.* nollem maximus *Scaliger* ibi refinxiſſet *nubit*. Sed ad Petronium convertamur. Gaudeo te aſſentire mihi pro *ſederet* reponenti *ſe crederet*, quomodo Arbitro loqui in deliciis: ſic alibi, *poſtero die cum poneremus conſilium, cui nos regioni crederemus*, &c, *crediderat oculos ſuos concilio frequentioris turbae*. Apud Naſonem Rem. Am. verſ. 65. monui ſcribendum ex conjectura, *Crede Parin nobis*, ſanandum videlicet, cum perperam legatur *redde*: ad quem locum curis ſecundis non pauca congeſſi. inter ea & Apuleji locum ipſo Metamorphoſeon initio: *Hymettos Attica & Iſthmos Ephyrea*, *& Tenedos Spartiaca*; *glebae felices aeternum libris felicioribus creditae.* ſic ſcripti, & priſcae editiones, quod fugit tot eruditos interpretes: cum *conditae* perperam nunc circumferatur. Praeterea legendum ibidem loci, *Taenaros Spartiatica*; Tres nobiliſſimas Graeciae totius regiones conjungit. Perperam prolegomenis ad Solinum *Salmaſius*, *Tenedon Sporadicam* ſubtituit, de cujus fertilitate, ſimul ac celebritate nos docere, quae neſcimus, debuerat. Silius Italicus libro XVII. verſ. 34.

Hic priſca ducens Clauſorum ab origine nomen,
Claudia non aequae populi male credita famae,

Sic ſcribe, non recte *Barthius* in Adverſariis, *mala credita*. vulgati, *non aequa fama* male: credita non aequae populi famae Claudia, quia immerito male audiebat. Propertius lib. 2. Ep. XXXII.

Sed te non debes inimicae credere linguae.

ut recte Scaliger. *Sed tu* vulgati perperam. Apud eundem Silium XVI. 651. *puero male credita bella.* libr. XIII. *Creditus ante annos Marti.* libro IV. *tenerae jam praelia dextrae Qui credit puer.* Paulinus carmine V. Natalis Felicis, ubi *magna poena* vulgo,

Et promiſſa Dei, magnae non credita poenae,
Implet certa fides, & natus comprobat infans.

Memini & caſtigatum a me Sidonii Apollinaris locum. Sed haec in infinitum abirent. *Lente parebat* apud eundum Petronium ſcribi debere, pro *lento imperio* recte

recte vidiſti, & id quoque in ſchedis meis annotaram. ſequentia id verum pervincunt de ſpiſſato officio. legebam praeterea, *puellaeque artificium pari motu renumerabat.* Alternis ſe commovebant puer & puella itaque per *alternas motuum vices* puellae motus ſui a puero renumerabantur. Plura de hoc loquendi modo in Adverſariis. *Renumerandi* verbum etiam mendoſum in commentariis Caeſaris circumfertur. Paullo ante poſt illa, *credere ſe ſpes & vota ſua*, quod ſequitur, frigere viſum eſt nonnihil; *illum eſſe ſolum in toto terrarum orbe, qui praeceptis etiam ſalubribus inſtruere juvenes quotidie poſſet.* Nam quid opus τῷ *etiam?* an *ad vitam?* Sed hoc longius abit. Denuo pauxillae litterae videntur excidiſſe ob cognationem ſequentium; qui error eſt librariis perquam familiaris, ut noſti. Erigetur certe ſententia, ſi ſic conſtituuntur: *Illum eſſe ſolum in toto terrarum orbe, qui praeceptis ſe etiam ſalubribus inſtruere, ut juvenes quotidie poſſet.* Se etiam, nedum pueros ſuos, ab illo praeceptis ſalubribus poſſe inſtrui. Innumeris propemodum locis ita peccatum in *Petronio.* ſic ubi fragmentum Traguriananum inducit uxorem Trimalchionis a rixante marito vocari *amaſiunculam*; coram ſignificavi ſcribendum eſſe *Amazoniunculam.* Carmine de bello civili verſ. 11. *hinc Numidae cruſtas, illinc nova vellera Seres.* Hiulca eſt oratio, & aliquid deſiderari liquet, quod tamen *Scaligeri* conjecturae debetur, qui *cruſtas* illas loco alieno hic invexit. Scripti enim & priſcae editiones, *accuſant*, ut ipſae *Scaligeri* membranae. Biturig. *accuſat.* editio prima & liber Sambuci, *accuſatus.* fragm. Trag. *accuſatur.* alii codd. *accurant. Accuſant & accuſant*, natum ex *acculant* pro *accumulant.* Ita nihil deſiderabitur, contra quam rebatur *Scaliger*, qui locum aſteriſcis additis deſignarat mutilum. Deſtringit luxum Romanum per partes Petronius, de marmore & aedificatione luxurioſa, cui nunc non eſt locus; hic de veſtitu agit, verſus ſubſequens de unguentis & odoribus, *accumulant Numidae & Seres nova vellera*, de ſerico aut lino cape, quod arboribus depectebatur, non apud Indos tantum, ſed in Mauritania quoque, uti ſcriptores teſtantur, ſub Atlante monte. Ecce mendum ſimillimum in Fragmento Traguriensi: *Parum illi bona lana naſcebatur, arietes a Tarento emit, & eos cumulavit in gregem.* ſic puto. fragmentum ipſum *culavit.* Fors & dederit; *Parum in ovili illi bonae lanae naſcebatur.* nam ſequitur, *mel Atticum ut domi naſceretur.* poteſt & tolli τὸ *illi.* In carmine cujus initium, *Non Indum fulgebat ebur.*

Hinc mollis ſtillare favus de caudice lento
Vimineae lancis, cumulataque teſta Lyaeo.

Ita verſus prodigioſum in modum corrupti videntur conſtituendi: nam *maculari* teſta vino non poterat, cum & ipſa eſſet rubra: ex terra enim rubente teſtae fingebantur & calices: *cumulata vino teſta* eſt vino repleta. De *ſtillante favo*, eoque conviviis pauperum, quandoque & lautiorum hominum epulis, ut e caena Trimalchionis liquet, adhibito, plura erant ſubjungenda, ſi non eſſem jam nimius. De *Ludovico Fabricio* nihil iſtius, quam narras, rei inaudiveram hactenus. Reſciſcam proximo ex *Bilderbecio*, a quo frequentes ſoleo accipere. De *Thevenotho* omnia adhuc incerta. *Patinum* in Etruria exſpectari *Ma-*

gliabechius ſignificabat proxime. Liberûm tuorum valetudo me mirifice angit. *Q. Marii Mattii* libellos duos criticos diverſa editos forma poſſideo. *Benedicti Blancuccii* Miſcellaneas obſervationes nec videre memini, nec ubi terrarum in lucem ſint emiſſae ſat ſcio. Habui tandem a *Scheffero* epiſtolam, diuturnum ſilentium ſuum valetudini pertinaciſſimae adſcribendum monet, teque plurima ſalute impertit. Habui & a genero ejus *Johanne Columbo* poëtices Profeſſore. Vale, flos Virorum Hagae. Com. Anno CIƆIƆCLXXIV. Kal. April. His jam exaratis tertias a te accipio, cum Suetonii Salmaſiani codice. Sarcinas meas ex Suecia huc transferendas propediem curabo. Eam in rem flagito a proceribus noſtris, ſi non id omne, quod debetur, pecuniae, ſaltem quod ſufficiat vecturae, aliiſque rebus huc pertinentibus: quamprimum aliquid accepero, de te cogitabo. Malo enim egere ipſe, quam te cum inopia videre conflictantem. Vale iterum.

EPISTOLA CLXXIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

INquietor mirifice rerum tuarum ſtatu, quod ſi per occupationes tuas Academicas conceditur tibi excurſum brevem ad nos moliri, id ut facias quamprimum conſulo. Sin minus, quando Leidae ſis futurus fac ſciam, ut illic occurram tibi. Si enim deſideriis tuis in ſolidum gratificari non poſſum, dabo tamen operam, ut majori ex parte iis ſatisfiat. Ne procraſtina ſodes reſcriptionem: nam & mihi ob res privatas cis quatriduum erit excurrendum ad Amſtelaedamios, ubi ſunt, quae urgeant praeſentiam meam. Ampl. *Beuningius* diu multumque reluctatus legationem Britannicam admiſit tandem. Vale, Graevi jucundiſſime. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXIV. VI. April.

EPISTOLA CLXXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DEcurſum iter abs te feliciter, mi Graevi, auguror votis omnibus, etſi poſt illas, quas Lugduno in via ad me dediſti litteras, nihil de te ſit intellectum mihi, unde id augurari liceat aut conjectura aſſequi. Sereniſſimum interim Arauſionis Principem iter ad vos moliri; atque hinc eſſe diſceſſurum perendie nuntio. Tu Orationem para, & togam jam nunc compone: debes enim hîc nobis totum Graevium. Suetonius jam a me reſtitutus eſt viduae *Johannis Elzevirii. Prudentia*, quam revocas in Cirin Virgilianam verſ. 90. mihi plane blan-

blanditur, & verſ. 239. *ne ſinat*. In Appuleji loco a me reſtituto nolim te offendat, quod ubertas frugum Laconicae regioni aſſignetur, quam alii ſterilem velint. Multis enim locis illa infoecunda fateor, ſed tamen & laeta quandoque. Quid? an non de ſolo Attico, quod Spartae hîc conjungit Appulejus, paria ſcriptores? Meminiſti illorum Senecae ipſo Hyppoliti initio. Qui verſus ſic ſunt conſtituendi, poſt irritas hominum praeſtantiſſimorum conjecturas.

Suppar gracili lenis Iliſſus,
Ubi Maeandro ſuper aequales
Labitur agros piger, & ſteriles
Amne maligno radit arenas.

In Paulino nihil eſſe mutandum vere mones. Neque enim mihi erat ad manum is auctor, quando conjecturam infelicem proponebam tibi. In Petronio, *Puella artificium renumerabat* admitto. In altero ejuſdem loco *ut juvenes*, pro *ſic ut juvenes*, non video cur te debeat aut poſſit offendere, eſt enim ea locutio optimis auctoribus in uſu. etiam *cumulare in gregem* recte videtur dictum, hoc eſt aſſidue augere: ſunt iſtius verbi notiones nonnullae ut elegantes, ſic ab uſu plebis remotae. ſic *cumulare ſe* pro replere ſe, apud Naſonem Remediis amoris.

Dum bene te cumules, & copia tollat amorem;
E faſtidita ne juvet ire domo.

cumulata Lyaeo teſta apud eundem Petronium dictum puto, ut illud ſive Tibulli, ſive Martialis: non enim ſatis memini, quo ſit referendum,

Dum cumulant plenos annua muſta lacus.

Nuper admodum Suetonium tuum excutiens in illum incidebam locum cap. 84. Julii Caeſaris vita, *Quicquid praeterea ad donum aderat.* ubi haeſiſſe non tantum *Caſaubonum* ex animadverſis ejus apparebat, ſed *Salmaſium* quoque, qui linea tranſverſa locum induxerat. Putem ego ſcribi debere, *quicquid praeterea idoneum aderat*, fovendo nimirum igni rogali. Breviter hoc & pro ſuo more Suetonius. In Tiberio cap. 46. *quam non amicorum, ſed gratorum appellabat.* Sic enim *Turnebus* teſtatur in veterrimis libris ſe inveniſſe, etſi Memmianus aliique a *Caſaubono* inſpecti, *Graecorum*. Sed de Graecis Tiberii comitibus agetur poſtea, nec ſolet Suetonius eadem bis inculcare: amicos appellabant comites ſuos viri Principes, qui popularitati ſtudebant. At Tiberius hîc contemptim illos videtur habuiſſe pro caetera ſuperbia ſua. quid ſi legamus igitur, *Gnathonum?* ſic apud Symmachum libro IX. Ep. 11. cum codices omnes, qua editi, qua ſcripti, *gratorum foeda decreta* exhibeant, illic quoque *Gnathones* ſunt revocandi, ſed id *Juretus* jam occupavit. plura alias. *Scheffero* jam ſignificavi, quae volebas nuntiata. Vale, Graevi Jucundiſſime. Hagae Com. A. CIↃIↃCLXXIV. XXI. April.

EPISTOLA CLXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SI tu dicam ἀχαριςίας mihi ſcripſeris, qui tam comiter tam benigne & amice a te acceptus, tantaque novorum meritorum acceſſione cumulatus, nondum ullam gratiarum ſignificationem dedi, vix invenio, quo poſſim hoc crimen a me amoliri Omnis ſpes veniae in te ipſo mihi poſita eſt, perſuaſo ἢ τρώσαντα ἢ ἰάσεσθαι. Retardavit tamen me ſcripturum non nihil nuncius amici, qui ſignificabat te abeſſe domo. Accedebant rumores aſſidui de Sereniſſimi Principis adventu, qui ab aliarum rerum cura nos avocabant. Haec tamdiu deſiderata felicitas, cujus tandem ſumus potiti, vix quenquam civium noſtrorum ſinit de ullo alio cogitare negotio, quam de hujus gaudii uſura. Heri noſter Ordo gratulatus eſt Magno Principi de Ejus adventu, oſtenditque mihi partes eſſe impoſitas orationis publicae munere defungendi. Teſtabatur Princeps honorem, quem ei haberemus, ſibi eſſe acceptiſſimum, ſeque diem ac horam huic Academicae ἀκροάσει dicturum, quamprimum ei vacare poſſet. Nunc expectamus Herois juſſa. Nos interea revertamur ad ſuaviſſimas de re litteraria confabulationes noſtras epiſtolares. In Ceiri Virgiliana & Petronio tibi probari correctiones, quas nuperius miſeram, laetor. In Appulei loco herbam tibi porrigo, tuis victus argumentis. Nam certiſſimum eſt Atticam aeque ſterilitatis incuſari ac Laconicam, unde illa κραναὴ dicta eſt a Pindaro, quod aſpera ſit & ſterilis. Nec adverſor tibi diutius in locis Petronianis *ut juvenes*, quamvis duriuſculum ſit, & *cumulata teſta Lyaeo*. Apud Suetonium in vita Julii Caeſaris ingenioſe refingis; *quicquid praeterea idoneum aderat*. *Munera* dici inferius paullo ante oſtendit: *donum* ſimpliciter ita poni vix crediderim. Caſaubonus tamen hanc lectionem reſtituit a *Beroaldo* damnatam, qui repoſuerat *ad manum*, offenſus inſolentia locutionis; ſed tua conjectura perquam eſt appoſita. In Tiberio vero capite 46. nondum poſſum contemnere veterem conjecturam, pro *Gratorum* ſcribendum eſſe *Grajorum*, non ſolum quia libris in veteribus ſaepe depravate legitur *Gratorum* pro *Grajorum*, ut tu ipſe multis doces ad v. Faſt. Naſonis, verſ. 8. & carmen de Phoenice verſ. 70. ſed & quia Graeculos illos convictores non dignatus eſſe *amicorum* nomine videtur. Meminit quidem illorum alio loco in illa vita Suetonius, ſed & alia occaſione. Nunc in claſſibus amicorum non erant praetereundi, quibus vehementer delectabatur, & quos aſſiduos circa ſe habebat. Romani autem plerique contemtim habebant Graecos, nec faciebant magni, quamvis eorum conſuetudine caperentur, qui eruditionis laudem captabant, quod tu non ignoras. In Minucio perpendi illum locum, de quo coram agebamus, accuratius: *niſi quod vos & totos aſinos in ſtabulis cum veſtra Epona conſecratis*. Sed emendationem illam, quae tantopere tum

tum mihi arridebat, nunc probare non audeo, quia nunquam Veſtam in ſtabulis, ut Eponam, conſecratam fuiſſe memini. Veſtae ſacros aſinos fuiſſe certiſſimis teſtimoniis oſtendiſti luculente. Sed ea colebatur in focis, non in ſtabulis, quae Eponae erant ſacraria. Diverſitatem ſcripturae inde originem exiſtimo traxiſſe, quod in aliis libris exaratum fuerit, *cum veſtra Epona*, in aliis *cum ſua Epona*; inde pro varia lectione a nonnemine adſcriptum fuit, cum legeretur *cum ſua* vel *veſtra* Epona. Scripſiſſe autem Minucium exiſtimo *cum ſua Epona*, quod a ſciolo cum *vos* praeceſſiſſet, mutatum fuit in *cum veſtra Epona*. Plura vellem, ſed interpellor a variis amicis, qui in hanc urbem confluxerunt. Pridie has litteras ſcripſeram, ſed nec tum, nec heri ab iis, qui me inviſebant, impeditus eas mittere potui. Heri exauctorati ſunt magiſtratus omnes hujus provinciae. Hodie novi ſunt conſtituti, quamplurimis remotis a republica ex omni ordinum genere, inter quos *Weedius*, *Sandenburgius*, *Hamelius*, *Veltbuſius*. Haec eſt rerum humanarum viciſſitudo. Vere Thracius Orpheus,

Θάλλων δ' ἴσα βροτοῖσιν ἐπὶ χθονὶ ἔργα μέμηλεν,
Οὐδὲν ἔχει μίαν αἶσαν ἐπὶ φρεσὶν, ἀλλὰ κυκλεῖται
Πάντα πέριξ, στῆναι δὲ καθ' ἓν μέρος οὐ θέμις ἐστιν,
Ἀλλ' ἔχει ὡς ἤρξαντο δρόμου μέρος ἶσον ἕκαστον.

Vale, meum praeſidium & me, quod facis, ama. Trajecti ad Rhenum a. d. XXVI. April. CIƆIƆCLXXIV. Nondum hora dicta eſt panegyri noſtrae, & vix puto Principem, ſi cras reditum molitur, nobis aurium operam daturum. Forte fuit qui & mihi propter amicitiam, quam colui cum iis, quibus eſt magiſtratus abrogatus, frigidam ſuffudit. Sed haec tibi in aurem.

EPISTOLA CLXXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

CUm horam mihi condixerint *Wolſogius Franciuſque* jam nunc imminentem, qua ad me viſant, paucis agendum erit, mi Graevi, quas hîc a *Scheffero* vides, niſi tribus comitarer verbis, piaculo obnoxium fore me ſum arbitratus. Quae nuntias de virorum tot praeſtantium apud vos fortunis adflictis, invitus quidem audivi. Sunt enim inter illos, quibus jure optimo favebam. Horum plerique cum egregium in modum a praeceptis ſapientiae animum gerant inſtructum, non poſſunt non cenſeri, fortuna licet frendente, a propriis virtutibus. Aveo doceri, quid orationi tuae ſit factum. Si temporum anguſtiae, quibus adſtrictus Sereniſſimus Arauſionis Princeps non potuit vacare tibi, & aurem praebere, inviderunt auditoribus elegantiarum ſtudioſis hoc pulcherrimum acroama, tu tamen non invidebis publico orationem, te omnino dignam, meritamque per univerſum terrarum orbem attente ab omnibus legi. Hoc age igitur, & noſtris precibus quamprimum gratificare. In Suetonii

loco

loco idoneum pro *ad donum*, quod reponebam, tibi non diſplicere laetor. In altero ejuſdem loco, quando *Gnathones* non ſatis ſupparaſitantur tibi, nec ſe probant, alio erit confugiendum. Videbo per majus otium, ſi quid excudi inde poſſit quod magis tibi arrideat. Nam *Graeci*, *Gratique* parum ſatisfaciunt hactenus mihi. *Veſtam* in Minucio nondum damnare poſſum. Scias auctorem illum uni codici, qui exſtet in bibliotheca Regia Lutetiae, deberi. At quomodo illic legatur nos docuit *Rigaltius*: nam *Gelenius* aliique complura poſt interpolavere in Arnobio Minucioque. Unius litterae negotium eſt tota emendatio noſtra. Veſtae in equilibus non fuiſſe locum, fuiſſeEponae fateor. At hîc, cum de ſtabulis aſinorum agat Minucius, non de equilibus, non potuit illis aliena eſſe Veſta, cujus in tutela aſinos fuiſſe liquido demonſtrabam. Plura propediem. Vale, decus & ornamentum litterarum. Salveat *Velthuſius* cum caeteris amicis, intelligatque ex te, quaeſo, ingemuiſſe me adverſis ejus. ὡς τάχιϛα. Hagae Com. Anno CIƆIƆCLXXIV. XXVIII. April.

EPISTOLA CLXXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

RUmores illi, qui hîc de me jactantur, de quibus heri ad te ſcripſi, verine ſint nec ne non poſſum liquido affirmare. Sane ut nunc ſunt res hujus dioeceſeos, omnia tuta ſunt timenda. Fiunt enim plurima, quae fieri poſſe nemo ſibi perſuaſerat. Plena ſunt omnia calumniarum, mendaciorum, delationum, quae multos afflixerunt, qui nunquam ſteterunt a partibus Principi Sereniſſimo adverſis. Mea ſollicitudo ingraveſcit, quia mihi non bene velle dicuntur, qui plurimum apud Sereniſſimum Principem Arauſiacum poſſunt, *Landmannus* & *Mareſius*, praecones verbi divini. Ille quidem, quod perſuaſus ſit me non eſſe addictum cauſſae presbyterorum, ſive Eccleſiaſticorum, ut hîc loquuntur, propter amicitiam, quam colui cum *Velthuſio* & ejus amicis: hic vero, quod libelli aliquot prodierint ante annos aliquot contra parentem ejus de Carteſiana Philoſophia, nomine *Petri ab Andlo*, quos profectos eſſe credidit ex illo coetu, de quo heri tecum egi. Poſſum ego quovis ſacramento contendere inſcio plane illo Collegio hos libros publicatos eſſe. Auctorem forte conjectura nos poſſe aſſequi, ſed certum non conſtare liquido illi coetui. Haec opinio, quam de iſta ſocietate, quae olim conveniebat, habet, ſi poſſit evelli Viro Reverendo, gratiſſimum ſane haberem. Nam & τ̀ μακαρίτην parentem ejus ſemper tanquam Principem Theologorum in hac Belgica foederata colui, & nullius unquam iram aut odium ullo dicto factove, quod ſciam, prudens provocavi, qui nihil niſi otium litteratum a teneris annis appetii, procul ab omni turba negotiorum, quod te, cui meum ingenium perſpectiſſimum eſt, non fugit. Dedi litteras quoque ad Nobiliſſimum *Selenium*, qui cum

cum hîc nobiſcum eſſes, ſuum erga me ſtudium multis magniſque declaravit argumentis. Te quaeſo, ut ex illo expiſceris, quid hi rumores, qui per omnia compita hîc circumferuntur, ſibi velint. Si quod inſtat meo capiti periculum, illi avertendo non dubito, & *Selemium* & diſertiſſimum *Vollenhovium* omnem lapidem moturum, ſi certior factus fuerit de hac re, quod ſi tibi e re videbitur, ut facias, rogo. Ampliſſimo *Beuningio* tot curis negotiiſque diſtento non auſim tantum negotii faceſſere. Hoc mihi perſuaſiſſimum eſt, nihil curae contentioniſque pro tuo erga me ſtudio reliquum facturum, ut non ſalus ſola, ſed & dignitas mea ſervetur illibata. Haec de iſto negotio, de quo invitus ſcribo ad te: ſed tamen his temporibus in hac civitate omnia providenda ſunt. De rebus ad rem litterariam pertinentibus ſignificat *Bullialdus* ad poëtas in uſum ſereniſſimi Principis Delfini perpetuis notis perſpicuis & facilibus explicandos doctos plures mercede conductos eſſe, illiſque florenorum noſtrorum decies quatuor millia expendi. *Menagium* in edendis Variorum virorum Provinciae Andium patriae ſuae vitis occupatum eſſe, ſe opus Mathematicum Infinitorum Arithmeticam ſpectans paratum habere. *Capellanum* teſtamentum omnium judicio, etiam ipſi amiciſſimorum, ridiculum ſcripſiſſe condidiſſeque, legatis ſcrutis amicorum aliquot, ſcirpeaque, haec ſunt ejus verba, ſupellectile, non ſecus ac pretioſiſſimis cimeliis. Ut famae ipſius conſuleretur illud ſuppreſſum oportuiſſe. Vides ut pelluceat aerugo. Quaeſo ut feſtinationi meae ignoſcas, & praecipiti ſtylo. Ero alias accuratior. Vale, meum prae-

1 Quae de exauctoratis Magiſtratibus Ultrajectinis, & calumniis, quibus innocentiſſimi & integerrimi viri adſperſi ſint, ſcribit *Graevius*, veriſſima ſunt. Jam in prioribus epiſtolis ſaepe queſtus erat de ſociorum impotentia, qui neglecto foedere, quo ſeptem civitates conjunctae fuerunt, Trajectinos durius tractarunt, quam ipſi fere Franci: cum ἀναρχίαν quamdam induxerint, & ut in hoſtili & capta urbe dominati ſint. ſed maxima peſtis ex peſſimis civibus, qui comiti Hornano, militum magiſtro, invidiae & calumniarum pleniſſimum libellum obtulerunt, de quo ſupr. Epiſt. CLIV. quo ſeditioſum in modum viliſſima civium turba de legitimis Magiſtratibus queſta; quo facinore, ſi reſpublica valuiſſet, majeſtatis crimine obligaſſent ſe ſeditioſi. Sed ut recte Juvenalis,

Ille crucem ſceleris pretium tulit, hic diadema.

Certe ſcelus fuiſſe inde facile conjicitur, quod deinde ejectis viris egregiis, & eorum locis per libelli hujus ſignatores & eorum amicos occupatis, nemo poſtea auctorem ſe libelli ejus auſus fuerit profiteri, aut ſignatoribus illis accenſeri, & plurimi pertinaciter negaverint ſe huic crimini adfines fuiſſe; licet vulgo notiſſima omnium nomina eſſent. Certe, ſi egregii facinoris auctores fuiſſent, debuiſſent profiteri nomina ſua, & merita in reſtitutam & ereptam ſceleratis Magiſtratibus rempublicam jactare. Sed interior animus alia dictabat. Vide laudandam & nepotibus feris commendandam ſemper *Lamberti Veldhuſii* praefationem ad Fratrem ſuum ante ejus opera, quo nemo melius iſtius temporis & hominum diritatem depinxit. Quae *Graevius* addit de *P. Andlo*, certum eſt maxime perſonatum hunc uſſiſſe *Mareſium* & ejus ſequaces. Quis vero fuerit reperire nequivi. ſcio & patrem meum in ſuſpicionem veniſſe, ſed ab aliis olim audivi *Allingam* etiam creditum auctorem. ab aliis collata opera plures elaboraſſe ſcriptiunculas illas, quibus nulla magis factioſos male habuere ſcripta, quia nimium vera exprobabantur, & quae ſciri & detegi nollent.

praeſidium & dulce decus. Trajecti a. d. xxx. April. cIↃIↃCLXXIV. Litteras ad *Hugenium* mitto apertas, ut ſimul ac legiſti occludas. De collegio illo, ſi res exegerit, tu, quae tibi ſignificavi, heri hodieque eum haud gravate monebis. Si quae nobis acerbitas impendet, nemo Ampliſſimo *Beuningio*, qui tot cives ſervavit, ut merito ei civica debeatur, melius meam cauſſam poſſet agere, ſi hoc auſim ab eo petere. Iterum vale. *Moneni* litteras quoque mitto apertas, ut illas ei tradendas cures, ſi conſultum videbitur tibi.

EPISTOLA CLXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

VAlde me percellit nuntius de rebus tuis. Tanquam calamitatis parum eſſet erepta e vivis filia vobis, paterni ingenii ex aſſe haeres. Audio perquam invitus, non deeſſe, poſt nuperam in re publica mutationem, qui fortunis tuis inſidias ſtruant. Sed non eſt, cur magno opere hoſce incurſus reformides, qui ut ornamentum ſingulare es, & prorſus invidendum Trajectinis civibus, ita, ſi quid illi, quod abominor, iniquius in te ſtatuant, haudquaquam defuturi ſunt alii, qui te aſſertum eant, & Academiae ſuae lumen futurum adſciſcant. Ego de toto negotio non paucis hodie cum illuſtri *Beuningio* egi. Tentavi & aditum ad *Hugenios* patrem filiumque, poſt reditum Principis in hoc oppidum, ſed neuter domi a me eſt deprehenſus. Auctor erat *Beuningius*, ut datis ad Principem litteris, periculum, aut certe invidiam, quae conflatur, a tuo capite amoliri nitereris, ſin minus id ſcripto apud *Zulichemium Zelemiumve* poſſe confieri. Ego haud ſcio, an in hac palaeſtra tam acriter tibi ſit deſudandum. Jam enim emergimus paulatim ex hoc rerum adverſarum immenſo pelago: adeo ut ante decurſum menſis hujus provinciae ad unum omnes ab hoſtili praeſidio vacuae fore videantur. Quod ſi ſit, de reſtituendis in integrum ſtudiis, Gymnaſiisque horum altricibus, certatim a compluribus cogitabitur civitatibus per foederatum Belgium. Interim perſuaſus eſto, ut credas, me tuis commodis non minus invigilaturum, ac ſi mea res ageretur. Ad Clar. *Bullialdum* cum litterarum nonnihil dabis, meis, quaeſo, verbis vir optimus & inter vetuſtiores amicos numerandus mihi, ſalveat. Hunc ſimul ſciſcitare, ſi Gloſſaria illa *Labbaei*, quae tanto tempore ſub praelo exercentur typographico, jam prolata ſint in lucem. Tunc ubi *Bigotius* noſter aetatem agat. *Voſſium* luculenta auctum haereditate jam noſti. Ruri aedes poſſidet adeo ſpatioſas, ut illuſtri *Beuningio*, ejuſque collegis Oratoribus, ut ſcis, in aulam Britannicam deſtinatis, omnique horum comitatui habitandas eas offerat. Vale, & virtutibus tuis ſecurus indormi. Hagae Com. Anno cIↃIↃCLXXIV. xxx. April.

EPISTOLA CLXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Regam.

MIrifica tua erga me pietas omni ex parte in iis elucet litteris, quas ad me proxime dediſti, fidei benevolentiae & conſilii plenas. Multa in iis collegiſti ſapienter, quae ad me confirmandum, ſi fortunae iratae inſidiis peterer, valent plurimum, & ad incredibilem tuum in me amorem teſtificandum, perſpectum mihi quidem antea plurimis maximiſque argumentis, dulcem tamen & perquam optatum. Rumores, qui ſuperiore calebant hebdomade, de me nonnulliſque collegis meis diſſeminati, nunc rauceſcunt hîc quidem. Apud vos etiam ſpero illos conſileſcere aut nunquam fuiſſe auditos. Habui hodie illam orationem, cui Sereniſſimus Princeps aurem praebere non potuit negotiis infinitis obſeſſus, in magno ordinum Senatorumque concurſu, auctoritate Conſulum, ut a noſtris nihil mihi ſit metuendum, ſi ſecundiores modo ab aula flaverint venti, quod ex Nobiliſſimo *Zelemio* ſpero te cogniturum. In Gymnaſiis Belgicis omnia loca, quae meam perſonam decerent, ſunt occupata, ut ſi quae tempeſtas ingrueret, alia praeſidia eſſent circumſpicienda in aliis terris. Sed quae ſubroſtrani quidem ſparſerunt, ſint eorum capiti. Ex te tamen propediem ſpero me certiorem futurum, quomodo ſe res noſtrae apud vos habeant. Ad Cl. *Bullialdum* cras litteras dabo, non immemor tuorum juſſorum. *Voſſium* ſperamus fortunam ſuam moderate laturum, & in tanto otio praeclari aliquid editurum. De me velim ſic exiſtimes, me angi nulla re. vaco enim culpa, & ſuſtineor conſcientia meorum conſiliorum, quae nihil aliud ſpectarunt unquam, quam litterarum laudem & dignitatem. Si quid nihil merito accidet, me natum hominem eſſe omnibus fortunae injuriis obnoxium cogitabo. Litterae autem noſtrae me docuerunt non infirmo animo ferendos eſſe caſus, quos vitare nullo conſilio potuimus. Si tamen praecaveri poſſint, nihil eſſe ſtudii & diligentiae praetermittendum. Proxime ex tuis theſauris illis Muſicis aliquid expecto. In Minutio tuae applauderem conjecturae, ſi vel in equilibus, vel in ſtabulis aſinorum illam Deam conſecratam fuiſſe legamus, ut legimus de Epona. Nam quamvis ſacri fuerint aſini Veſtae, non tamen inde conficitur, in aſinorum ſtabulis eam fuiſſe dedicatam, ſicut nec Junonem in anſerum ſtetiſſe χηνοβοσκείοις, quia anſeres hujus in Deae tutela erant. Iſidi quoque ſacri habebantur aſini, ſed quia Iſis non colebatur in ſtabulis, ideo aliter de Iſide, aliter de Epona loquitur in eodem loco Minutius. *Niſi quod vos*, inquit, *& totos aſinos in ſtabulis cum veſtra Epona conſecratis, & eoſdem aſinos cum Iſide religioſe devotatis.* In editione Romana prima omnium, quam habeo, eſt, *niſi cum veſtra vel Epona.* & pro *devotatis* in illa ut & Baſileenſi Gelenii, *devoratis*. Unde *Rigaltius* emendavit *decoratis*. quod non improbem.

 Sed

Sed forte ſcripſit *adoratis*. Vale, Vir perilluſtris, grande litterarum & mearum rerum columen. Trajecti ad Rhenum a. d. XXIII. April. CIↃIↃCLXXIV. Dionyſ. Heri hac tranſiit *Hogerſius*. Audio & *Vander Borchium* apud vos eſſe. Rogo ut virum ampliſſimum meo nomine peramanter ſalutes, ſi illum videris. Utinam poſſent in concordiam reduci viri praeclari. Uterque multis mihi nominibus eſt perquam carus. Nihil poſſet mihi accidere gratius, quam ſi audiam tuo ſtudio & opera illos rediiſſe in concordiam, quorum animos eorundem ſtudiorum ſocietas debebat conglutinare arctiſſime. Ille Marcianus, quem editurus eſt *Schefferus*, eſt ne Marcianus Heracleota? Iterum vale, ὦ φιλότης. Non habeo haereſeologiam Baſileenſem, ſed Antidotum contra diverſas omnium fere ſeculorum haereſes, quod prodiit Anno 1527. In illo libro habentur Juſtini Philoſophi & Martyris annotationes adverſus gentes. Athanaſii libri XI. De Trinitate. Marii Victorini de Trinitate libri III, cum ejuſdem hymnis & carmine de Maccabaeis. Hilarius de patris & filii unitate. Ambroſius de Reſurrectione. Theophili libri Paſchales IV. Idacius adverſus Varimadum. Cyrillus adverſus Neſtorium, cum nonnullis aliis ejuſdem ſcriptoris libellis. Proclus ad Armenios. Timotheus ad Eccleſiam Catholicam libri IV. Vincentius Linenſis contra novationes. Proſper Aquitanicus de libero Arbitrio. Victoris fidei ratio. Cerealis adverſus Maximum. Gelaſius de duabus naturis in Chriſto adverſus Eutychianiſtas. Joannes de duabus naturis in Chriſto. Fauſti fidei ratio. Antonini Conſtantienſis ad Arcadium exulem conſolatoria. Agnelli ad Arminium de ratione fidei. Ruſtici Diaconi adverſus Acephalos. Sunt ne in haereſeologia praeter hos alii?

EPISTOLA CLXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NUdius tertius cum in eo eſſem, ut Leidam ſummo excurrerem mane, tuae tradebantur mihi, Graevi jucundiſſime. Voluit Fortuna, ut ante ipſam profectionem *Hugenium* Patrem ſuper rerum tuarum ſtatu compellarem: nam filius circumventus a ſalutatoribus matutinis ac obſeſſus vacare mihi non poterat: cui tamen pater, & litteras tuas ſeſe traditurum promiſit, & tuis commodis invigilandum ſibi filioque prae ſe tulit, ut cujus eruditioni, ac egregiis animi dotibus uterque plurimum deferrent. addidit denuo, quod & alias ſignificarat, velle ſeſe tibi innoteſcere. Filius me bis terve domi meae ex illo quaeſivit fruſtra, eodem ſucceſſu & a me quaeſitus ipſe non ſemel. Hodie per famulum ſignificavit fore, ut ſub veſperam adeſſet mihi. Si adeſt ante tabellarii diſceſſum, quid effectum dederit in negotio commendato, faciam ut ſcias. Promiſit & *Vollenhovius*, in quem incidebam nudius tertius poſt ſalutatum *Hugenium*, cum illuſtri *Fagelio* acturum ſeſe de te, eo ipſo die, ne quid procra-

craſtinando forte peccaretur. Poſtea, ut ſcis, res fuit nobis cum duobus continuis feſtis diebus; ut nec illum, nec *Marezium* compellare ſit datum. Conveniendus tamen uterque craſtino mihi erit mane. Nam *Beuningium* Heroem, ſatis per ſe faventem tibi, bis terve inſtigavi tamen, & currenti, quod ajunt, calcar addidi. De ceteris auctor ſum tibi, ne quid rumoribus ſenum ſeveriorum terrearis, nec famoſis libellorum ineptiis des manum. Iſta omnia unius aſſis aeſtimanda tibi propone. *Borchium* Daventria huc adveniſſe audio, ſed quem videre nondum contigit, dum *Hugenium* exſpecto. Illius res, quantum conjectura aſſequor, optimo ſunt loco. Utinam certe *Hogerſianae* tam bono! qua ſervari poſſit Vir ille, praeſentiſſimo diſcrimini expoſitus, rationem vix apparere fateor invitus. Vale, rerum ſuaviſſime. Hagae Com. CIↃIↃCLXXIV. IV. May.

EPISTOLA CLXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

IN noviſſimis litteris, quas a. d. IV. Maii exaraveras, fidem dabas te mihi ſignificaturum, quae a Nobiliſſimo *Seleemio* accepiſſes de rebus noſtris. Neſcio ſecundumne omen accipiam tuum ſilentium, an quid adverſi promittat. Hîc locorum non male nobiſcum, ut nunc eſt, agitur. Senatus decrevit orationem illam, quam nuper habui, & tu olim legiſti, nonnullis auctam acceſſionibus typis publicis vulgandam eſſe, nec ſtipendium minuendum, niſi aliorum omnium propter anguſtias aerarii recidatur. Apud vos numquid moliantur malevoli homines, alienis commodis dolentes, ex te reſcire pervelim. Ita enim ratio hujus civitatis comparata eſt hoc tempore, ut nuſquam tuta ſit fides; ſed inveniantur quam plurimi, qui aliorum inſidientur fortunis. Si aut vera perferuntur ad Sereniſſimum Principem, aut criminationes, ſi quae in hoc caput ſunt congeſtae, diluendi datur locus, non eſt quod laborem, aut ſolliciter. Quicquid ſit, impavidum ferient ruinae, quia nullius culpae mihi ſum conſcius, qui omnes partes & factiones tam in republica, quam ſcholis & Academiis fugi cane pejus & angue, meis me involvens libellis. Tuas propediem exſpecto, teque, dulce decus meum, valere, tuumque mihi amorem illibatum ſervari volo. Trajecti Rheni ὡς τάχιςα. a.d. XXVI. Aprilis CIↃIↃCLXXIV. Dionyſ.

EPISTOLA CLXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SI quid aut ornamenti aut commodi virtutibus tuis a mea commendatione poſſet accedere, equidem haud defuturus mihimet ipſi hîc eram, quem res tuae ſic tangunt, ut ne tibi quidem majore cura incumbant aut foveantur promovendae. Egi non tantum cum *Beuningio*, *Mareſio*, *Vollenhovia*, & patre *Hugenio*, ſed cum filio quoque repetitis vicibus heſterno die, qui cum ipſo Principe ſibi de negotio omni fore agendum, arrepta occaſione, propediem pollicitus eſt ſanƈte. *Ter Borchius* quoque, cujus, ut ſunt tempora, auƈtoritas eſt nonnulla apud Aulicos & Principem, operam hîc ſuam addixit mihi. quamquam conſtanter hi omnes negant, aut rumores de te ſiniſtros, quos narras, eſſe ſibi compertos, aut ſi ſint, quicquam iis eſſe deferendum. Addebat *Seleemius*, pluris eſſe te unum, quam quicquid fungorum tempeſtas nupera ſubnatum civitati veſtrae edidiſſet: iiſque verbis jam ſeſe uſum in nupero *Mareſii* congreſſu. Deterge igitur omnem animo nubem, & tranquillis meditationibus te totum trade, mi Graevi. Ex Italia litteras complures habui proxime. Salutat te peramanter *Magliabechus*, petitque, uti *Gronovium* paucis Magno Etruriae Duci commendem. Is codices ſcriptos, & in hiſce Plinium illum optimum, ut reor, quamquam non nominatur, *Falconerii* opera Bruxellis nuper comparavit ex armario Chiffletiano. In Minutii loco, quando *Veſtam* ibi non admittendam cenſes, vide an vetus olim ſcriptura fuerit, *cum veſtra bell aepona*, pro *veſtra bella Epona*. In aliis enim nunc occupor, evocatus Amſtelaedamum, ſed unde craſtino die huc ſum rediturus. Adeſt nunc nobis *Pacichellius*, qui Colonia Ubiorum cum Britannicis Oratoribus huc ſe contulit. Vidi & *Hogerſium*, ſed in tranſcurſu. Ex Italia nuntiant ſepulchrum perantiquum in via Flaminia eſſe recens deteƈtum, cujus deſcriptionem en tibi, quam tamen ut reſtituas mox mihi, curae tuae nolim excidat. De Marciano *Schefferi* nil dixerim certi, ſed percunƈtabor ipſum. Haereſeologia non eſt mihi ad manum; ut quaeſtioni tuae nunc nihil reſponderi a me poſſit. Vale Graevi Suaviſſime. Hagae Com. Anno CIↃIↃCLXXIV. VI. May.

EPI-

EPISTOLA CLXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

AMſterodamenſi itinere feliciter te ſpero defunctum eſſe, & nunc tuis laribus redditum ac tuis Muſis, a quarum conſortio perquam aegre divelli te pateris. Saepe iraſcor fortunae tibi tam iniquae, cum te tot caſibus jactatum non paſſa eſt in ſuavi Muſarum complexu aetatem, ut maxime deſiderabas, agere, & ne nunc quidem, cum portum tibi tua virtute meritiſque in patriam patefeciſſes tranquillum, te tuo ſinit animo morem gerere, ſed calumniis forenſibus moleſtiſſimis implicitum tenet, quo nihil poteſt a tuo ingenio eſſe alienius. Sed non dubito, quin ſuperi tandem pietatem tuam ſint reſpecturi, & vindicaturi eorum injurias, qui te indignis modis exagitant, teque his tricis expedituros victorem, ac in otium illud optatum te aſſerturos, ut quae olim commentatus es in rei litterariae decus & incrementum, lucem tandem adſpiciant. Sollicitudo tua de meis commodis & ornamentis, ſtudiumque eorum tuendorum & augendorum mirificum, quod in tuis litteris prae te fers, & rebus multis feciſti, non quidem effecit, ut magis te amem, ſed ut dies noctesque cogitem, qua ſignificatione declarare poſſim, tuorum in me meritorum memoriam perpetuo meo obverſari animo. Nam ut gratias dignas tibî perſolvam non eſt opis meae, qui hoc aſſequi non poſſum, quamvis omnes nervos & vires contenderem. Cum me jubes omnem detergere nubem animo, nihil eſt, in quo facilius tibi poſſim obtemperare, qui nunquam me triſtitiae dedi ac moerori, ac contra omnes iratae fortunae impetus dudum me armavi, nec quicquam praeter culpam, qua vaco, praeſtandum mihi exiſtimavi ſemper. Effraeni tamen malevolorum libidini ne pateat nudum noſtrum latus, cum illud peti omnium ſermonibus jactaretur, providendum mihi duxi, tuoque inprimis conſilio, quod nunquam mihi defuit, utendum, Vel quod nunc mihi dediſti, quam plenum fidei fuit & prudentiae? Rumores hi quidem refrigerati hîc ſunt, qui tum calebant, & gaudeo apud vos nunquam eos fuiſſe auditos. Nobiliſſimus tamen *Manmacherus*, qui primi Ordinis Patribus eſt modo adſcriptus, & mea cauſſa omnia vult, eamque egit apud gratioſiſſimos aulicos, auctor mihi eſt, ut ad vos contendam ipſe, ne quid mihi exitioſum clam furtimque moliri poſſint, qui multos alios afflixerunt, quique etiam nunc Hagam ſe contuliſſe dicuntur, ut neſcio quid quibuſve miſceant: praecavendos eſſe fatales ictus. Si ſemel ποιμένι λαῶν perſuaſo & inducto calumniis hominum, quorum fidem minime ſuſpectam habet, ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων, eſſe id ὀ παλινάγρετον. Sed non ante conſtitui ad vos excurrere, quam oratio mea praela reliquerit. Interea vide num ex Nobiliſſimo *Zelemio* poſſis expiſcari quodnam reſponſum tulerit a Sereniſſimo Principe, meam cauſſam

orans,

orans, quod, ut tu mihi ſignificas, facturum ſe promiſerat, ut & quid *Vollenhovius* retulerit tibi, poſtquam hoc nomine compellavit Syndicum Batavum. Emendatio tua in Minucio *cum veſtra bella Epona* belliſſima eſt, eamque ego amplector cupidiſſime. *Magliabecchum* quaeſo ut ſalutes peramanter. Addam & ipſe epiſtolam, ſi non nimis feſtinaris. Sepulchri in via Flaminia inventi deſcriptionem nullus vidi. Spem tamen illius faciebas. Fac, quaeſo, ut videam. Remittam quam primum. Si quid aliud Italorum litterae novi narant, noli ejus fructu me defraudare. Vale, decus meum & ſaeculi grande. Trajecti ὡς τάχιστα a. d. IX. May. CIƆIƆCLXXIV. Ampliſſimo *Terborchio* ſalutem plurimam dico. Nobiliſſimo *Pacichellio* me ut commendes rogo.

EPISTOLA CLXXXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Vellem deſcribi typis aliquando tempeſtivius tua potuiſſet Oratio, & Principis ad caſtra profectionem, quae in veſperam adornatur hodiernam, praevertere. Nihil tamen impedit, quo minus ad nos excurras, hoſpes mihi longe gratiſſimus adfuturus, mi Graevi. Immo vel hoc jucundior, quod mihi dediſſe excurſum hunc poteris videri, abſente Principe; quem ipſi Principi alioquin cras daturus. *Seleemio* res tuas commendavi denuo, & quidem calide ſic ſatis: qui cum impenſe ſtudeat tibi, dubitare non debes, quin tua cauſa nihil non velit, & quantum velit, reapſe ſit demonſtraturus. Niſi te exſpectarem apud nos, mitterem nunc, mi Graevi, Mylianae bibliothecae catalogum; cujus auctio in finem menſis hujuſce eſt rejecta. *Pacichellius* jam diſceſſit a nobis, craſtino die, ut opinor transfretaturus Brila in Britanniam. *Magalottus* Hamburgo ſcribit, cum dubia valetudine ſe luctari, atque hinc moram Suecico itineri utcumque eſſe injectam. *Vollenhovius*, qui cum ſyndico *Fagelio* ſeſe acturum de tuis commodis in ſe receperat, nunc *Terborchio* rem omnem curae fore ex promiſſo & fide obligata prae ſe fert. Mallem tamen ipſe polliciti fidem plenam praeſtitiſſet: cum *Terborchius* in ſua re ſatis ac ſuper occupetur. adeſt & nobis *Hogerſius*, cui miſere metuo, cum adverſarii palam circumferant ac oſtentent omnibus, quae ille nimio libertatis amore ac deceptus ſcripto hic illic conſignavit olim, ut quod res eſt dicam, incautiora aliquanto: nitor ſimultates inter utrumque exortas ſepire, ſed nimis excanduerunt odia. In Minucio Octavio tandem hariolatorem me tibi viſum non malum gaudeo ſane. Deſcriptionem ſepulchri in via Flaminea reperti en tibi. Vale, mi Graevi, & ſuaviter rem gere. Hagae Com. Anno CIƆIƆCLXXIV. XI. May.

EPI-

EPISTOLA CLXXXXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DE tuis rebus diu eſt quod nil prorſus intelligo: nec intermitto tamen iis pro virili advigilare; *Vollenhovius* & *Terborchius* jam hinc diſceſſere; in Britannias alter cum Oratoribus noſtris, alter ad ſuos. Uterque dum occurrunt mihi nudius quartus, ad *Fagelium* una contendentes, denuo mihi promiſere, non neglecturos ſeſe hac occaſione rerum tuarum commendationem: quod maturius feciſſent mallem. Domino *Amerongio* quod diceretur palam aſſeveraſſe, ſe paſſurum potius ſuis commodis quid detrahi, quam tuis; gratias egi compellato domi ſuae, atque adeo virum inſignem multis extuli laudibus ob dictum pulcherrimum, utque hoc in propoſito perſeveraret ſum non paucis adhortatus. *Vollenhovius* inter alia teſtabatur, de te ſibi actum cum *Landmanno*, eumque jam edoctum ſua opera, quis & quantus tu eſſes, quem videbatur ignorare, aut non capere. Dediſſe tamen manum ſaluberrimae admonitioni. Ad *Seleemium* cum litterarum nonnihil ac reſcriptionis hodie ſit parandum mihi, memoriam pollicitationis omnem denuo illi refricabo; ne quid intermittat res tuas commendare Principi. Nec deeſſe poterit tempus opportunum huic rei, ubi prodibit in publicum tua Oratio. *Antonius Magliabechius* te ſalutat perofficioſum in modum. Habes hîc Mylianae bibliothecae Catalogum. Vale, Graevi jucundiſſime. Hagae Com. Anno CIƆIƆCLXXIV. XX. May.

EPISTOLA CLXXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MIrificam rerum mearum curam omnes tuae prae ſe ferunt litterae, ut primas in amore me apud te ferre mihi ſit teſtatiſſimum. Tot enim argumentis pro meorum temporum varietate & ſollicitudines & laetitias tuas mihi probaſti, ut ſi de tui fratris aut filii commodis ageretur, nihil poſſet a te fieri amabilius. Tantis tuis officiis reſpondere quidem nunquam potero; cum indies meritorum tuorum fiant acceſſiones plurimae, ſed tu voluntatem meam, pietatemque erga te in accepti tabulas ut referas rogo, qua ſpero me tua beneficia tibi jucunda facturum. Apud *Amerongium* & *Selemium* quod cauſſam meam egeris, multum te amo. Iter meum ad vos ut & litteras meas retardavit triconum omnium lentiſſimus typographus, qui ne nunc quidem hanc oratiuncu-

lam expediit. Cras tamen aut perendie ultima manus ei imponetur. Sed quoniam Sereniſſimus Princeps jam ſigna infert hoſtili ſolo, conſtitui profectionem meam differre in ferias Pentecoſtes. Velim interea ex te doceri, quidnam reſponſi tulerint a *Fagelio Terborchius* & *Vollenhovius*. Ille enim nunc fere ſolus & ad loquendum & ad tacendum habet portiſculum. Illuſtriſſimo *Amerongio* ipſe propediem gratias agam. De commodis meis imminuendis etiam nunc comitia hîc habentur. Si aequis legibus aliquid propter anguſtias aerarii meae aliorumque collegarum detrahetur mercedi, non eſt ut conquerar. Nam praecipuam fortunam nunquam poſtulavi. De quibus ſequente hebdomade certius aliquid ad te perſcribere potero. In bibliotheca Myliana ſi inter Miſcellaneos in Q. n. 309. *Roberti Titii* pro ſuis locis controverſis aſſertio, & in Oct. 95. Goffredi Abbatis opuſcula, ſi fuerit *Sirmondi* editio, uti & Ennodius *Sirmondi*, quem, niſi fallor, in iſta quoque auctione proſtare legi, ſalubri pretio poſſint haberi, rogo ut iſtos mihi libros jubeas emi. De tuo Petronio dudum nihil audio. Apud Ciceronem lib. x. ad Att. ep. 8. locus eſt mire vexatus, cum in editis, tum in manu exaratis libris. *Claſſibus adverſabimur igitur? quod malum, majus ſcilicet tantum? denique quid turpius?* Boſius edidit, *quod Mallius ſcilicet tantum?* Franc. Junius. *quod majus ſcelus, aut tantum?* Nonnulli libri: *quod malum ſcilicet tantum?* alii: *quod majus ſcilicet tantum?* Mihi videntur *ſcilicet tantum* eſſe adſcita a librariis aut imperitis correctoribus, cum *majus* in eorum libris deſideraretur abſorptum propter ſimilitudinem litterarum a praecedente vocula *malum*. Sic omnia mihi videntur liquida & Cicerone digna, niſi tu quid, docte Trebati, diſſentis. Conjecturas tuas in vitam Agricolae videre pervelim. Clariſſimum *Magliabecchium* ut officioſiſſime meo ſalutes nomine, cum reſcripſeris, rogo. Vellem plura, ſed properat nuncius. Vale, meum decus & praeſidium. Trajecti a.d. XXIII. May CIƆIƆCLXXIV.

EPISTOLA CLXXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DE te mereri bene, mi Graevi, poteſt nemo, quin virtutem arteſque ingenuas idem demereatur, quarum tu praeſidium ac decus ſingulare es cenſendus. Omitte igitur invidioſa commendatione proſequi vulgaris notae officia, quae tuis commodis majori voluntate, quam ſucceſſu, a me praeſtantur hactenus. Optata prorſus reſponſa a *Fagelio* tuam in rem ſe tuliſſe *Terborchius* mihi proxime ſignificabat. Quod ſi quid nihilominus detrimenti machinantur in caput tuum homines bonis artibus infenſi, certus eſto nobis omnibus litterarum ac virtutis ſtudioſis id facturos eſſe invitis ac nolentibus, ac publicam indignationem incurſuros. De libellis, quos in auctione Mylianae bibliothecae cupis coemptos, cum tempeſtivum erit, a me cogitabitur: ad *Bynaeum*,

quan-

quando ſcribebam proxime, opera plane tumultuaria animoque alibi occupato res a me gerebatur. Unde factum eſt, ut de Spondeo in ſecundam ſedem carminis Jambici non admittendo imprudenter ac perperam quaedam mihi exciderent. Illud volui dicere, non admitti a verſu Jambico niſi ſyllabam brevem initio ſecundi pedis. Tullii ad Atticum epiſtolas non eſſe mihi in promptu equidem moleſte fero, perpenſurus alioquin cum cura caſtigationem tuam omnem. Petronium vix inſpexi toto jam menſe. De illo tamen ac Taciti Agricola per majus agam otium, poſt finitam auctionem, quam aliud agenti mihi nolim elabi. Antoninum Liberalem *Berckelii* jam, credo, vidiſti. Idem ſub praelo habet fragmentum Stephani Byzantii & periplum Hannonis. Perlata ſunt nonnulla exemplaria e Britanniis ad nos Palaephati aliorumque mythologorum: quibus Philoſophos nonnullos minoris notae, ut Salluſtium puta, & Secundum cum Heliodori Opticis conjunxere. Praela typographica poſt pacem majori ex parte jam reſtitutam nobis calebunt denuo propediem, ut auguror. Vale. Hagae Com. Anno CIↃIↃCLXXIV. XXV. May. Orationem tuam quando videbimus?

EPISTOLA CLXXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

JAm dudum tuis amantiſſime ſcriptis litteris non nihil repoſuiſſem, niſi iter meum ad vos de die in diem diſtuliſſem variis interpellatus negotiis, teque diſtineri cum maxime ſcirem. Conſtitueram ipſe ad vos perferre orationes meas, ne hanc bellam occaſionem compellandi nonnullos procerum praetermitterem, ſed nunc morbus quidam inſolitus, qui filiolam meam omnium ſuaviſſimam ante hebdomades tres corripuit, caput manus pedeſque ſaepius indies miris motibus & tremoribus concutiens, ſalva tamen mente ſenſibuſque, ut Herculei morbi nullum argumentum adhuc oſtendat, jubet me Amſterodamenſem profectionem veſtrae praevertere. Ibi enim celebris Medicus *de Dieu* fertur praeſenti remedio hujus mali vim poſſe minuere & tollere. Inde ad vos excurram, ut de omni mea ratione tecum agam coram, in cujus unius ſinum omnia ſoleo effundere, quae me urunt. Multi ſunt, & quidem e primariis viris, qui novas nobis ſollicitudines affundant, permoti litteris Sereniſſimi Principis ad Ordines hujus Provinciae datis nuperrime, quibus ſignificat ſui juris eſſe omnia munera, quibus nondum ipſe dederit praefectos, eaque pro vacuis habenda. His etiam accenſendas provincias eſſe Academicas multi ſunt, qui exiſtimant. Sed nolo te querelis meis obtundere. Mitto hîc duodecim orationis meae exemplaria. Sex velim ad ipſum Sereniſſimum Principem curari, tibi unum, *Zulichemio* & *Selemio* duo, *Fageliis* Syndico & Fatri, qui Ordinibus eſt a ſecretis, duo, & *Naelvicio* unum aſſigno exemplum. Habes duo

duo alia minus comta, *Kinſchotio* Senatori Curiae Hollandiae, & *Slinglandio* deſtinata. Ad *Fagelios* tamen ne mittas, quaeſo, illis adſcriptas orationes. Ipſe eas tradam illis. Reliqua ſi per puerum tuum, quibus dixi, reddi juſſeris, per mihi gratum accidet. Britannicas merces Muſicas nondum vidi. Ad *Zulichemium* & *Selemium* litteras dabo propediem. Nunc nauta ſolvebat oram. Vale, Vir Illuſtris. Trajecti ad Rhenum poſtridie Kal. Jun. CIƆIƆCLXXIV. Gregor. epochae.

EPISTOLA CLXXXXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MYlianae bibliothecae auctio totos ſex dies habuit me occupatum; nec abſolvetur, puto, ante Veneris proximum, interveniente praeſertim die, ut ſcis, feſto. Tridui certe videtur ſupereſſe opus, ut ſuprema manus imponatur ſubhaſtationi. Cur aſſiduus praeter ſolitum interfuerim ei, rationes tibi haudquam improbandae, cum plenius exponentur, me perpulere. Nam praeterquam quod amicis compluribus, qui ſelectos hinc inde e catalogo codices ſibi cupiebant comparatos, ſum gratificatus, nonnihil etiam mihimet ipſi dandum exiſtimavi, maxime poſtquam libris ipſis curioſo perluſtratis oculo deprehendi, plura in iis contineri, quam index typis deſcriptus, & a te perlectus, pollicetur. Sed de his ut coram inter nos agatur praeſtat. Ego quidem occaſionem tam opportunam bibliothecae inſtruendae libris minus obviis, & nequicquam ſaepius a me quaeſitis, non negligendam eſſe ſum ratus. Quos tu comparatos cupiebas, eorum nullum haſtae ſubjectum eſſe hactenus ſcito: cras tamen perendieque id fiet haud dubie. Ceterum ut ad alia convertatur ſermo, miſere ſubveritum jam pridem eſſe me potes meminiſſe, ne quid N. ſimultatum aut jurgiorum ſibi conflaret. Eamque ob cauſam te eram exhortatus, quod nonnihil apud illum, plus certe quam ego, videris poſſe, tempeſtivis conſiliis ut periclitanti adeſſes. Nunc audio perquam invitus, hunc linguae incontinentis fructum ab illo ferri, ut Profeſſoribus artium bonarum, Legum Romanarum interpretibus praeſertim, dum in hos & illos, ſed in hos maxime, multa contemptim & contumelioſe jactat parum circumſpectus, ſit inviſus. Quod ſi ſalvum ac diſcrimini fortunarum famaeque tempeſtivius ereptum cupis, ut cupere te ſum certus; ne cunctare, quaeſo, totam eloquentiae tuae vim ad partes vocare, ſi ad ſaniora fortaſſis permoveri juvenis inconſultus poſſit ſalubribus praeceptis. Illud tamen iterum iterumque abs te peto, nequid me in ſcaenam tragoediae hujus producas, qui latere illum hoc in negotio vehementer ac celari velim. De antiquitatis porro monumentis, in agro ſuburbano recens repertis, quae perſcribunt ex Italia amici, tempus erit confabulandi inter nos uberius, quando tute ad nos viſes. Vale, rerum jucundiſſime. Hagae Com. Anno CIƆIƆCLXXIV. 3. Junii menſis.

Haſce

Haſce mihi obſignaturo tuae muſteae traduntur, una cum faſce Orationis a praelo typographico recentis: quam votis omnibus perlectam totus jam devoravi, oculis alibi occupatus uſurpare eam nondum licuit. Exemplaria, quibus juſſiſti, jam nunc diſtribuenda curabo. Valetudo tua mirifice anxium ſuſpenſumque animi me habet, quare excurre huc quam primum, ut valere te mihi credam & meis oculis, quando tibi abſenti haudquaquam poſſum. Amorem in rebus dubiis augurem eſſe peſſimum minime ignoras. Si fortunae tuae pendent a nutu Sereniſſimi Principis, eſt quod de iis ſis ſecurus. Scribam interim die craſtini ad *Selemium* denuo, ac tibi ut invigilet tuiſque apud herum commodis hominem optime volentem tibi monebo. Si intra proximum triduum non potes adeſſe, quando tandem ſis exſpectandus mihi, fac, verbis vel tribus ex te intelligam. Iterum iterumque vale. E re tua ſit fortaſſis exemplar Orationis ad Magnum Etruriae Ducem mitti per tabellarios. Si mecum id conſultum reris, jube *Elzevirio*, ut in diem Jovis proximum *Guaſconio*, res Ducis apud Amſtelaedamios curanti, tradat exemplar. Ejus ego, tanquam a te miſſi, in litteris tunc exarandis meminero.

EPISTOLA CLXXXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NEc rebus poſſum nec verbis reſpondere prolixae tuae benignitati, qua nos effuſiſſime nuperius cumulaſti, cum te cum uxore & filiola viſeremus. Tanta eſt benefici ingenii tui liberalitas, ut niſi novis ſubinde acceſſionibus tuorum meritorum, quae in nos contuliſti maxima & plurima, numerum augeas, antiqua te perdidiſſe putes. Eo ſane nos redegiſti, ut, licet in nexum nos tibi daremus, nulla tamen ratione uſuras, nedum ſortem poſſemus unquam expungere. Nihil nobis reliquum eſt, quam ut omnes gratae voluntatis teſtificandae captemus occaſiones, ac perpetua obſervantia & pietate in te tua beneficia tibi gratiora reddere ſtudeamus. Quod, ſpero, conſequemur. Pridie demum noſtros vidi lares. Retinuit me Amſterodami cum filiae valetudo, quae vehementer infeſtabatur in ſcapha, qua Lugduno Harlemum ſubvehebatur, & dein Amſterodamum, tum litterae *Trelſchii* noſtri, qui rogabat, ut ei in urbe opulentiſſima die Jovis aut Veneris occurrerem Hamburgo reverſuro: Eum expectavi ad Saturni diei veſperam. Vereor ut in itinere alicubi infirmitate retardetur. Villas aliquot ad Vechtae ripas peropportunas bibliothecae componendae audio proſcribi. Rogo ut ad nos excurrere, eaſque inſpicere ipſe velis. Feres viae pretium. Proſtant enim in taberna Ribbiana libri, vili credo pretio comparandi, quibus tua bibliotheca egregie ornabitur. Amſtelodami vidi libros aliquot muſteos ex Anglia allatos, Elenchum antiquitatum Albionenſium Danielis *Langhornii*, & epiſtolas quatuor de moribus ac inſtitu-

ſtitutis Turcarum, & ſeptem Aſiae Eccleſiis *Thomae Smithi*, in quibus non nullae Graecae Latinaeque inſcriptiones, quas tamen ἀνεκδότους eſſe non auſim praeſtare: nec enim per temporis anguſtias mihi licuit eas accuratius examinare; ut & *Spenceri* diſſertationem de Urim & Thumim, cum nonnullis aliis pertinentibus ad doctrinam rerum naturalium & moralium. *Elzevirius* mihi oſtendit ſpecimen animadverſionum *Blondelli* in Baronium; ſed in eo tantam vim errorum a deſcriptore profectorum, qui homo videtur eſt omnis hiſtoriae tum eccleſiaſticae, tum τῶ ἔξω rudis, deprehendi, ut, niſi doctum invenerit virum, qui illas emendet & digerat, ordinetque, operam ſit luſurus. Huic provinciae qui par ſit Amſterodami neminem novi, niſi *Meibomium*, a cujus tamen aſperitate videbatur abhorrere *Elzevirius*. Vidi, & varios ſermones cum eo conſerui. Ajebat ſe longe meliorem verſionem Polybii poſſe dare, quam dedit *Caſaubonus*, infinitas hallucinationes ejus annotaſſe: habere quoque paratas animadverſiones in totum Livium, prae quibus & Sigonianae & Gronovianae non magni ſint faciendae. His nonnihil deberi, & ideo non eſſe contemnendas, quod manu exaratos codices compoſuerit ὁ μακαρίτης cum editis, & ex veteribus libris nonnulla reſtituerit non peſſime. Suas ſibi non venales eſſe octo millibus florenorum. Se nec *Salmaſio* nec *Caſaubono* cedere: caetera differo in noſtrum congreſſum. Spero enim me brevi hîc te complexurum. Si ex Nobiliſſimo *Selemio* accepiſti orationem meam Sereniſſimo Arauſionum Principi eſſe redditam, velim id mihi ſignifices, ut & num ſerena fronte ſit excepta, ac numquid de rebus noſtris ad te perſcripſerit, numve conſultum eſſe cenſeas, ut ad ipſum & *Naeldvicium* litteras dem. Sed quando redibimus ad Petronium, aut Agricolam Taciti? *Boſii* obitus magno me affecit dolore. Nam amiſi amicorum, quos in Germania habui, vetuſtiſſimum, nec parvam jacturam in eo fecerunt elegantiores litterae. Non ſolum ejus curae in Joſephum, ſed & epiſtolae Reineſianae, aliaque opuſcula ejus ἀνέκδοτα, quae typis mandare conſtituerat, vereor ut unquam lucem adſpiciant. Sane is unus erat in Germania, *Reineſio*, *Buchnero*, *Freinshemio*, *Boeclero* mortuis, qui dignitatem litterarum ſuſtinebat. Saepe quidem eruditi conqueſti ſunt de politioris eruditionis contemtu; ſed nunc in paucorum capitibus ejus ſalus vertitur. Te, optimarum artium & mearum rerum grande columen, Deus diu ſalvum praeſtet & incolumem. Mea uxor te ſalutat, tibique ſummas agit gratias. Trajecti ad Rhenum a. d. XVIII. Jun. CIƆIƆCLXXIV.

Habui litteras ex Italia a *Rulaeo*, qui nunc Romae degit. Is narrat in Hiſpania cognoviſſe Marchionem Acropolis, e praecipuis Proceribus illius regni, virum Latine, Graece, Hebraice & Arabice pereruditum, & copioſiſſima bibliotheca inſtructum, qui librum adornet de primis Hiſpaniae cultoribus. Indicem capitum primi libri in Linguam tranſlatorum Latinam miſit, quae variam ſpirant eruditionem. Illorum ut tibi copia fiat videbo. Iterum vale.

EPI-

EPISTOLA CLXXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

OPeroſe equidem & meditate mihi tecum foret nunc agendum, Graevi ſuaviſſime, ſi contenderem aequare officioſam illam elegantiam, quam perlatae ad me ſub noctem heſternam, dum Amſtelodamo domum revertor, tuae litterae prae ſe ferunt. Hac quo facilius libentiuſque palma nunc tibi cedam, facit ſucceſſus negotii, *Zeelhemio* noſtro litteris frequentibus per me non ita nuper commendati. Suſcepit ille patrocinium tuae cauſae, quod ultimis ſuis teſtatur, apud Principem; obtinuitque diploma ab herili benignitate, quo & munus profeſſorium & ſtipendium ſarta tecta tibi praeſtantur. Ipſum diploma mihi nondum eſt exhibitum, ſed exhibendum propediem. Quod ignorare te nolui, ut, ſi quid interea forte, quod abominor, in te moliantur iniquius tui adverſarii, cognoſcas tribunal, ad quod provocando jubeas illos plorare, & omnem livoris machinam eludas non magno conatu. Nunc Dordracum evocor, ſed domo non niſi triduum aut quatriduum abfuturus. Ita fit, ne te convenire nunc non poſſim, aut ad vos excurſum moliri. Tu interim ſervato mihi integros ſcriptores, ſi quos cuſtodit officina Ribbiana minus obvios alibi, aut meae bibliothecae nondum aſſertos, praeſertim illos, quos in publicum emiſit *Tengnagelius*. Quod ideo moneo, ne intercipi hanc meſſem mihi patiaris a *Plumero*, qui libros rariores conquiſiturus ad vos adfectat viam, aut ab alio quocunque hiſce araneis inſidiante, quas mihi cupiam relinqui illibatas. Intellecto *Trelſchii* tui apud Amſtelodamios adventu per *Elzevirium*, fruſtraque adito ejus hoſpitio, quod decumbentem matutinis horis opprimere in lecto non ſuſtinerem, irritus voti ex illa urbe me recepi. Librorum illic, quos ex Britannia narras allatos modo, nihil prorſus mihi eſt oblatum. Sed nundinarum Francofurtenſium catalogum vidi, qui Boziana complura pollicetur, nunquam forte in publicum proferenda poſt funus immaturum hominis doctiſſimi. Ad Petronium & Taciti Agricolam provolabo, ſimulatque calumniae forenſes me mihi reddent. De Oratione tua, Principine ſit reddita, an ne nunc quidem, altum in *Zeelhemianis* ſilentium. Redditam tamen opinor, illaque occaſione arrepta negotium tuum in aula promotum. Vale cum lectiſſima conjuge, mi Graevi. Apud Leidenſes te & comitem tuum indulſiſſe Genio nonnihil audio, nec miror, quos arida pumice ſiccos magis a me dimiſerim. Laudo igitur, quod lente feſtinando domum, injuriam vobis a me factam in aliis, etſi immerentibus forſan, praeclare ulti eſtis. Iterum vale, flos Amicorum. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXIV. XXIII. Junii. De villa coram agemus, quam inſtituto meo non inopportunam velim inveniri.

EPISTOLA CLXXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ASſecutum eſt me in ipſa via jam digreſſum domo, hoc quod vides, Principis Sereniſſimi diploma. Id niſi res tuas collocet in ſolido tutoque, non video, quid praeterea in commodum tuum a me conferri poſſit. Sed aut fallor, aut abunde tibi hoc ipſo jam proſpectum eſt. Poteram id apud me ſervaſſe, dum redirem ad domeſticum larem, quod cis biduum triduumve fiet, ſed omni ſollicitudine liberatum te videre malui. Fac igitur quamprimum ex te intelligam, ſi diploma per tabellarios recte ſit curatum. Vale, mi Graevi, & mihi velle perge. Bredae, manu tumultuaria. Anno CIↃIↃCLXXIV. XXVI. Junii.

EPISTOLA CLXXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ET diploma Sereniſſimi Principis, & vimineus fiſcus librorum plenus, ſartus tectuſque mihi redditus eſt, qui a me cum illo altero, quem ſuperiore hyeme hîc reliquiſti, diligenter cuſtodietur, donec juſſeris curari, quo volueris. Adventu tuo nihil mihi accidere poterit deſideratius. Certiſſimum enim mihi pignus immortalitatis eſt tuo frui complexu, & ſuaviſſimis ſermonibus. Quare rogo te, ne hujus voluptatis uſuram mihi invideas diu. Sequente hebdomade res Academicae proferentur, & ſcholaſticae functionis operae ceſſabunt. Quamvis non eſt, ut ferias has expectes. Satis mihi otii eſt tecum confabulandi. *Trelſchius* quoque noſter vix fert deſiderium tui. Dolet incredibiliter ſibi hanc voluptatem te videndi & complectendi nuper ſua ſomnolentia elapſam eſſe. Mihi crede, nihil illo viro candidius eſt & ſuavius. Te permagni facit, & in prima felicitatis ſuae parte numerabit, ſi ſuum tibi probare poterit ſtudium & amorem. Libri in Ribbiana taberna tuum expectant ad nos excurſum. *Plumerus* nihil intercepit, nec illos, quos tu venaris, novit. Nec credo interea venturum, qui has delicias ſit delibaturus, & illam ſuppellectilem defloraturus. Comites ſpero te tecum adducturum Petronium tuum & Agricolam Cornelianum. Indices quoque illos librorum, quos Itali petunt, videre pervelim, & ſi quid de novis antiquitatibus erutis perſcripſerunt. Tu videbis apud me, quid doctus ille Hiſpanus ediderit & moliatur. Gratias, quas tibi debeo, quod in mea dignitate tuenda nihil tibi curae contentioniſque reliquum

quum feciſti, nunquam potero referre, ne verbis quidem aſſequi, etſi in hac una re omnes vires nervoſque contenderem. Jampridem effeciſti, ut ingrato mihi ſit moriendum, & tuus ſim Solduriorum lege. Ad Nobiliſſimum *Zeelhemium* ipſe quoque propediem ſcribam. Utinam poſſem reſcire, quodnam praemium debeatur ſcribis. Plura vellem; ſed tabellarii hora inſtat. Cum manum admoviſſem his litteris exarandis, interpellabar a Nobiliſſimo *Duſa*, qui tibi ſalutem dicit, ut & *Trelſchius*, & *Maarſebroekius*. Vale, meum praeſidium unicum. Trajecti ὡς τάχιςα III. Julii Gregor.

EPISTOLA CC.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SIve meritorum tuorum ratio a nobis eſt habenda, mi Graevi, ſive benevolentiae, quam tibi non vulgarem exhibebat illuſtris *Zeelhemius* nuper, dum fortunis tuis in tuto collocandis apud Principem ivit conſultum, nihili eſſe, quicquid a me in rem tuam hîc eſt collatum, mecum facile intelliges. Quapropter vide, ne, dum tu officia hîc mea nimium extollis, occentari a nobis tibi poſſit antiquum illud, *Neſcis qui vir ſies.* Nihil interim praeter ordinem feceris, ſi teſteris per litteras apud ipſum *Zeelhemium*, operam ejus hîc & gratam & utilem fuiſſe tibi: ſed memorem moneo. De excurſu ad vos meo nihil dum eſt, quod ſpondere poſſim, ante res in foro proferendas, quod fiet ſub Auguſtas Kalendas proximas. Interim fores judicum tantum non aſſiduus obſideo, ſi fortaſſis victi hac importunitate, omnem litis diuturnae calumniam dent profligatam, meque mihi ac Muſis reſtitutum velint. Sed Proteus meus in omnes ſeſe convertit formas, ut me cunctando ſolitum in modum ludificari fruſtarique pergat. Libri, quos in tranſcurſu nuper apud Brabantos ſum venatus, & opera tumultuaria in maſſam illam vimineam conjeci, quod tuae committantur fidei, rogo ne quid ſequius interpreteris, aut moleſtam eſſe tibi eorum cuſtodiam patiaris. Liberaberis enim quamprimum hoc faſce. Diſcedunt jam nunc a me *Raeſveldius*, *Twickelius*, & *Hogerſius* noſter. *Raeſveldius* deſiderium haud vulgare te propius cognoſcendi prae ſe ferebat. Viros nobiliſſimos *Douſam*, *Trelſchium*, *Maerſchebrouckium* reſalutes a me velim. De filiolae valetudine quo ſit loco, nihil a te miror additum. Nos hîc athletice valemus. De re litteraria, deque publicis negotiis quod nuntiem, nihil omnino nunc eſt in promptu. Meurſianae trium inſularum antiquitates cum colophonem a typographo propediem expectent, tuum erit, de dedicatione paranda quamprimum cogitare. Vale, mi Graevi, Hagae Com. Anno CIↃIↃCLXXIV. VI. Julii.

EPISTOLA CCI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NImium juris ſilentio jam pridem alterno in nos permittitur, quod abrumpendum cenſeo, mi Graevi, utcumque deſit omne ſcriptionis argumentum. Nam ſive res vocatur ad partes litterarias, de illa nuntiandum occurrit prorſus nihil, niſi id unum fortaſſe, *Octavium Ferrarium* apud Patavinos publico dediſſe nuper partem Proluſionum tertiam: ſive cogitatione convertor ad id, quod noſtri in procinctu nunc moliuntur armata manu, hinc quoque mutuari nequicquam coner narrationem auribus tuis dignam. Sparguntur quidem rumores, ſed incerti plane, de infeſtato a noſtris Gallicano littore, rem totam tabellarius craſtinus, qui inde expectatur, ut nos haud dubie eſt edocturus, ita nunc famae lubricae ac vacillanti fidem derogemus praeſtat, quam intempeſtivae ac temerariae credulitatis convincamur. Sunt qui perſuaſum mihi cupiant, ut credam *Andream Boſium*, qui nuper vivis ſubductus ferebatur, cum graviter decubuiſſet, luci reſtitutum eſſe, ac nobis omnibus. Tu inquire in rem diligentius, quaeſo, & quid ſtatuendum ſit, edoce quamprimum. Ego hactenus in ancipiti verſor, ſimne ante ferias, Kalendis Sextilibus proximis auſpicandas, finem viſurus litis moleſtiſſimae, an torquendus ultra ſim in hoc equuleo, cujus nomen vel ipſum exſecror ac deteſtor cum maxime. Deſcriptionem monumenti ſepulchralis, cujus copia non ita nuper a me tibi facta eſt, reſtitutam mihi oportuit: niſi tu illam in excurſum meum adhaerere tibi mavis, quo magis urgeam ipſe, quod ſum pollicitus. A Duce *Montozerio* habui ſuaviſſimas, omnique officiorum genere perquam cumulatas nuper. *Thevenotus*, uti audio, apud alios conqueritur, nihil a te reponi ad ultimas ſuas, cum ipſe meis non reſpondeat. Vale, mortalium jucundiſſime. Hagae Comit. Anno CIↃIↃCLXXIV. XVI. Julii. Gregor.

EPISTOLA CCII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NImis diu ceſſavi, fateor, in perſolvendo hoc litterarum officio, quod tuis binis jucundiſſimis debetur. Cave tamen putes longinquioris hujus ſilentii cauſſam aut in mea negligentia, aut tui oblivione poſitam eſſe. Nam memo-

moria tuorum beneficiorum ita meo infixa eſt animo, ut mei mihi facilius ſit, quam tui oblivisci. Litterae vero tuae, cujuſcunque ſint argumenti, omnes me incredibili laetitia perfundunt, ut exultem, quotieſcunque a te mihi redduntur, non ſolum quia omni ſuavitatis, elegantiae & amoris ſale ſunt delibutae, ſed & quod tecum mihi loqui videar de communibus ſtudiis, cujus ſermones omnibus voluptatibus antepono. Hinc tantopere tuas litteras expeto, ut ſi ad me quotidie ſcribas, ne ita quidem explere meam ſitim poſſis. Itaque mihi ipſe maximam invidi voluptatem procraſtinatione mea, dum expecto indies aliquid objectum iri, quod dignum ſit tuis auribus. Sed ne ſic quidem poſſum me abſolvere culpa nimiae intermiſſionis litterarum. Nam etſi deeſſet aliunde argumentum, id pervulgatum tamen deeſſe non poterat, argumentum ſcribendi a me nullum reperiri, ut inde potuiſſes cognoſcere, in hac cura meam omnem mentem defixam eſſe, ut id agam contendamque, quod tibi gratum jucundumque fore intelligam. Quid aliud igitur mihi ipſe occinam, quam me merito plecti? Utinam, quae de *Boſio* graviſſimi morbi periculis functo narras, vera ſint! Spero brevi me hujus rei certiorem futurum. Claſſem noſtram expoſitam in Venetica inſula militum manum recepiſſe, & in altum vela dediſſe plurium litteris ad *Maerſebroeckium* Lutetia datis confirmatur. Sereniſſimus Princeps Arauſiacus fertur caſtra moviſſe, ut & Dux copiarum Caeſarearum, infeſta ſigna in hoſtili ſolo fixuri. In Germania hoſtium venti valde ſunt ſecundi. Doleo vicem Palatini, qui deſolatus videtur cum Rege, medio genero, tranſacturus eſſe. Sed de his ſuperi viderint. Tui ego complexus ſpe nunc me mirifice oblecto. Nihil mihi longius eſt Kalendis Sextilibus, quae utinam tibi & mihi felices illuceſcant, ut omnibus curis & ſollicitudinibus liberum & ſolutum te hîc videre nobis liceat, hilareſque tecum aliquot dies ſumere. Recipis hîc deſcriptionem monumenti ſepulchralis in Italia nuperius eruti. Mitto quoque vitam S. Severini a *Velſero* editam, quam nuperius tibi promittebam. *Burmannus* juſſit ad te curari hanc orationem, plurimamque tibi impertit ſalutem. Faſciculum hunc rogo, ut ad aedes *Fagelii* perferendum mandes, tradendumque *Monenio*, & epiſtolam, quam adjeci, *Pelſio*, quem noſti. Filiola nondum eſt confirmata: ſed ab aliquot hebdomadis pejus habuit. Nunc Amſterodami *de Dieu* fidei eam commiſi, ubi uxor quoque mea jam duas agit hebdomades. Cogitabo propediem de praefatione, quae *Meurſii* trium inſularum antiquitatibus praefigatur. Vale, Heinſi, mea lux & praeſidium unicum. Trajecti Batavorum a. d. XXI. Jul. CIƆIƆCLXXIV.

EPISTOLA CCIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ADerat hîc nobis noſter *Ryckius* diebus proximis, & ad te minabatur excurſum, invitatus, uti prae ſe ferebat, tuis litteris, aut ſi mavis promiſſis, auſpicata omnia ſpondentibus ſuper re magna, quam volvit animo jam pridem atque imis ſenſibus, & quidem hortatu tuo, mi Graevi. Herculem in Oeta videre te putaſſes: adeo flagrabat totus, & in Hebes ſuae complexum ruere geſtiebat miſer, etſi vultu plane Stoico ſenſa mentis Epicurea diſſimularet utcumque. Nihil illo inquietius; tantum abhorrebat ac mutabat ab illo Hectore, qui frigus merum aſſimilabat nuper puellarum omnium foco. Qui ſic ardet in nondum viſa, quid huic futurum cenſemus, quando radio propiore ſolis fuit adflatus: liqueſcet modis miſerrimis, nive Gallicana frigidior ille nuper; ſed vos videritis. Nam mihi huic ludo intereſſe non licet per Polyphemum meum, ſub cujus maxillis lentiſſimis etiamnum teror. Quanquam judex jam fatigatus quodammodo meis precibus ſpem facit, cis proximum ſextiduum ſupremam liti ingratae manum poſſe imponi. Intelligis jam, credo, quam interſit mea, ne interea temporis hinc moveam pedem, aut quoquam avertar. Nam ſi Prometheus unquam, aut alumnus ille Terrae omniparentis alitem voraciſſimum ſuis a viſceribus abactum optaverit, habeo equidem cauſas longe juſtiſſimas, quod ab illa ſanguiſuga inſatiabili liberatum me videre percupiam. Quicquid ſit, ante decurſum proximi octidui res in foro proferentur: quod tempus aut pacem ſolidam, aut certe inducias pollicetur mihi: mox ad vos provolabo, *Ryckio* quovis concitatius, etſi nihil depereo, praeter te unicum, in veſtra civitate. Jam parabam litteras, quae ſilentium tuum verbis aſperrimis increparent: ſed tu commodum hanc tempeſtatis nubem a capite tuo amolitus es ac deprecatus longe ſuaviſſima epiſtola, cujus auctori ſi quid porro ſuccenſeam, barbaro Potitio ſim equidem inſulſior. Nauta litteras tuas nudas ad me tulit ſine faſciculo, cujus tu meminiſti tamen. Jam miſi ad aedes ejus exploratum, ſi quid illic reſidui a te haereret, ſed domo aberat in publicum progreſſus. Filiolae tuae valetudo adverſa aegre, ſic ut nil magis, me habet. Allocutio tua ad Regem vide ſodes parata ſit, ante meam ad vos profectionem. Tu memineris velim de Meurſianorum operum indice, quem a me utendum nuper accepiſti. De publicis haec habe: Heros Arauſionis Trajectum Moſae obſidione cincturus creditur. Nam Graviam noſtri quotidie magis ac magis urgent. *Ruterus* diu eſt, quod ſe claſſi noſtrae ſubduxit, aditurus Indias, navibus XVIII. bellicis primae magnitudinis inſtructus, quibus praeter caeteram manum nauticam cohortes LV. militum noſtrorum impoſitas ferunt. Vale, mi oculiſſime, cum noſtro *Ryckio*. Hagae Comitum Anno CIƆIƆCLXXIV. XXII. Julii.

EPI-

EPISTOLA CCIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

EN tibi litteras a *Spanhemio*, ut opinor, quae ante triduum ad aedes meas ſunt perlatae ab Medico, neſcio quo, Hibernae gentis, cum ante menſes binos quaternoſve curatas eſſe oportuiſſet. De praefatione Meurſianis antiquitatibus addenda ſerio ac properanter tibi cogitandum eſt, niſi opportunitatem elapſam mavis, qua liber in Sueciam propediem per *Rumpſium*, foederatorum Belgarum nomine illam in aulam mox hinc diſceſſurum, perferatur. Quam ego occaſionem unice tibi amplectendam eſſe cenſeo. Egeram & tecum coram de Oratione tua nupera ad magnum Etruriae ducem mittenda: quod te facturum ipſi ego Duci jam pridem ſum pollicitus, cum tu interea, mi Graevi, fidem a me obſtrictam religioſe liberes haudquaquam. Vides quam moroſus officiorum ego ſum exactor. *Ryckius* noſter, qui magnis itineribus ad vos feſtinabat, nunc infecta re, ut audio, pedem retulit ad ſuos, dum neſcio quibus ſuſpicionibus, plus aequo fortaſſis, indulget. Sed hac de re in congreſſu noſtro opportunius, puto, agemus, quem procraſtinare cogor ob litem, quam noſti. Ea ut ſeſe expediat quamprimum, adverſario meo injunctum eſt a judice, idque ſe facturum recepit ὁ δεῖνα, cum videret ſerio rem agi: cui ſextiduum a me praeſcriptum eſt. Nam judex inter privatos parietes ſententiam ſuper hac re omnem jam denuntiavit nobis. Grande, mi Graevi, pretium laturus es tantae procraſtinationis, ſi animo vacuo & tranquillo tibi aſſiliam, quod agendum mihi unice intelligo. Vale, & ſcribe. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XXVIII. Julii.

EPISTOLA CCV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

AMico noſtro communi non adſpiraſſe Ἥραν Τέλειαν non poſſum non vehementer dolere. Neſcio quae ſiniſtrae ſuſpiciones ſubito tanquam noxium ſidus ejus adflabant animum, & tam alte inſidebant, ut avelli nullo modo poſſent, ſed illico eum ab hac conditione deterrerent ac alienarent. Non fuiſſe plane inanes inficiari non poſſum, ſed juſto gravius tamen eas auxit ſive metus, ſive θυμὸς ἀγήνωρ. Verum de his coram propediem, cum tui deſideratiſſimi complexus me compotem reddideris. Sextiduum enim illud, quod adverſario tuo praeſcriptum eſt liti finiendae, jam effluxiſſe puto, ſperoque te defoecato

cato animo nobiſcum futurum, & dies aliquot nobiſcum laetos poſiturum. Vehementer enim, ſi unquam, tuam nunc deſidero conſuetudinem, ut ſuaviſſimis tuis alloquiis leniam vim doloris, quem capio cum maxime ex novo vulnere eoque inopino mihi inflicto. Praeterito enim die Saturni filiolam decem annos natam corripuit febris, eamque ſequente die extinxit, conſtantia & pietate ſupra ſexum & aetatem mortem expetentem. Sollicitum quoque mirifice me habent duae filiolae Amſterodami valetudini operam dantes, quae tamen dicitur in melius ire. Sed nunc earum deſiderium, cum valentem tam ſubita vis oppreſſit, vix ferre poſſum. Ideoque ut eas videam proximo die Veneris, ſi deus dederit, excurram Amſterodamum, die Lunae, ſummum Martis reverſurus. Vellem ita poſſes iter tuum inſtituere, ut in magna illa Urbe congrederemur, & te comite domum repeterem. Sin ratio tua non tulerit, futuro Martis te hîc expectabo. Salvus tibi eſt index Meurſianorum librorum, & deſcriptio monumenti in via Flaminia eruti. Recipies omnia cum te videro. Tum quoque de allocutione ad Regem Sueciae & litteris ad Magnum Etruriae ducem, coram colloquemur. Jam defunctus eſſem hac cura, niſi ab illa me avocaſſet plaga domeſtica. Dum has litteras exaro, ſaeviſſima exoritur tempeſtas, quae innumeras aedes afflixit & baſilicam maximam ſive Dominicam cum nonnullis aliis evertit, ut ajunt, funditus. Maxima clades in hac Urbe data eſt. Deus cuncta mala deprecetur. Vale, ingeniorum & amicorum Princeps. Scripſi ὡς τάχιςα. Trajecti a. d. XXII. Jul. CIƆIƆCLXXIV. Dionyſ. Has litteras, quas in iſtas vides conjectas, heri exaraveram, ſed vis aſperrimae tempeſtatis, quae noſtram urbem mirifice deformavit, everſis templis, turribus, nemoribus amoenis, multorumque aedibus laceratis, non ſivit eas perferri ad hemerodromum. Cras Amſterodamum excurro. Si te ibi die Lunae non videro, die Martis hîc te complexurum me ſpero. Sunt enim, quae in tuum ſinum effundere geſtio. Vale, Patriae decus.

EPISTOLA CCVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NEgotium argentarium, quod tot te retinuit dies, nunc ſpero ex ſententia expeditum eſſe, Joviſque illum imbrem laetius in tuam arcam, quam olim in Danaës ſinum defluxiſſe: ut nunc omni procraſtinatione praeciſa, ſolutus omnibus curis & occupationibus ad nos ſis properaturus. Sic enim ſperare nos jubet data fides, quam tu nunquam ſoles fallere. Sunt etiamnunc in taberna, quibus inſidiaris, libri, quos vereor, ne quis, ſi diutius hoc iter diſtuleris, intercipiat. Aliud, quod nunc ſcriberem non erat, niſi nos tui complexus eſſe cupidiſſimos. Vale, Virorum & Amicorum Princeps & veni. Trajecti Batavorum a. d. XIII. Auguſt. CIƆIƆCLXXIV.

EPI-

EPISTOLA CCVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PErquam invitus equidem a te divellor hactenus, mi Graevi, & acriter iraſcor iis, per quos non licet mihi promiſſis ſtare. Sed adeo turbatae res ſunt, & continuis occupationibus involutae apud illos, quibus publici aerarii cura incumbit, cum ob conventum Ordinum provinciae hujus, tum nuntios propter e caſtris recens allatos de praelio cruentiſſimo, Principes inter *Condaeum* ac *Arauſionenſem* commiſſo proximis diebus, ut ignoſcam quodammodo iis, qui difficillimis patriae temporibus, mei rationem non habent, qualem velim. Cras, puto, Proceres noſtri ſuam quiſque revertentur domum: tum licebit mihi propoſitum denuo urgere, ſin eventus non reſpondebit votis, fortunam minus obſequentem jubebo plorare in complexus tuos, qui mihi tanto es, & eris amicior, confeſtim properaturus. Aut ſi quid improviſae denuo ſupervenerit procraſtinationis, ejus a te cauſas haudquaquam patiar ignorari. Potes recordari, quam petulanter anno Dux Luxenburgicus aliique Gallicae gentis illuſerint conatibus atque armis Principis noſtri ob immaturam bello, uti prae ſe ferebant, ejus juventutem. At nunc vides, quantis tragoediis ſcena illa comica deſaeviat in horum capita, qui magno ſuo malo a ludis ſunt exorſi, ut in funeſtos ejulatus deſinerent. Florem enim nobilitatis Gallicanae hac in pugna cecidiſſe, etſi nec noſtris incruenta, ipſi hiſtriones fatentur. Sed de hiſce melius coram. In Polonia vir eruditus nonnemo, & mathematum ſcientia probe inſtructus, arbitratur motus perpetui rationem abs ſe inventam eſſe. Communica quaeſo hanc ejus epiſtolam viris, apud vos horum ſtudiorum curioſis, ſed ita, ut ſalvam incolumemque mox praeſtes ac reſtituas ad te venturo. Aliter enim haec ſacra non conſtant. Vale, medulla ſuadae, Graevi jucundiſſime. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XVII. Aug. Gregor.

Primo incurſu, qui Gallis ſemper eſt acerrimus, turbati ordines noſtrorum (reſtituente mox eos Principe Arauſionis feliciter adventu ſuo) ac impedimenta partem maximam ab hoſte direpta ſunt. Ajunt *Naeldvicium* noſtrum cum hiſce in poteſtatem hoſtis, quod nolim, deveniſſe. Quam hîc vides, eam *Kellerus* ad me miſit, multis obteſtatus, diligenter curandam fore uti in me reciperem. Cum agi illic videatur de pecuniario negotio, feſtinatione opus eſt. Tu igitur, quamprimum curetur, vide.

EPI-

EPISTOLA CCVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NUnquam putavi fore, ut litterae tuae plenae omnes incredibilis ſuavitatis & amoris, quibus tantopere capior, ut expleri, quamvis plures ſingulis diebus mittas, non poſſim, eorumque adſpectu curis & aegritudine, quae in tantis vitae hujus incommodis animum nonnunquam urunt, lever illico, mihi ſint ingratae futurae. Binas tamen tuas noviſſimas, quod nemo mihi perſuaſiſſet, etſi futurorum praeſenſione ipſum ſuperaſſet Apollinem Pythium, vidi perquam invitus. Non enim litteras, ſed te ipſum expectabam. Itaque indignabar fortunam ſemper mihi infeſtam hîc quoque me ludificari, & tamdiu defraudare fructu ſummae illius, quam pridem animo praeceperam, voluptatis, quam tuus mihi complexus eſt allaturus. Non ſum, cui facile ſtomachum moveat iniquitas fortunae: occallui dudum, & injurias ejus lentiſſime fero. Sed hoc quî ferre poſſum, gaudia mea tam miris & inopinis ludibriis differri? Modo calumnias litium, modo tricas argentarias objicit, quae noſtris obſiſtunt votis. Expugnavit ſane meam moderationem. Faciamus convicium deae leviſſimae, quae delicias facit, cum nobis exhibet moleſtias. Tu illam jube ſuas habere res, & vel ejus ingratiis omnes moras praeſecans ad nos advola, ne quicquam in nos, qui ſapientiae ſtudiis volumus cenſeri, ei licere in poſterum intelligat. Gallis licet inſultet, qui omnium capitibus impune ſe inſultare poſſe credebant, & inſolentium hominum ferociam indies magis magiſque compeſcat. Sereniſſimi Principis *Arauſiaci* virtus in nupero proelio in Nerviis uno omnium gentium ore, & ipſorum hoſtium praeconio in coelum tollitur. Niſi is turbatos ordines reſtituiſſet, & impetum hoſtium magna vi virtuteque ipſas tredecim horas ſuſtinuiſſet, fuſi profligatique fuiſſemus foediſſime. Impedimentorum magnam partem, quam invaſerunt Galli, receptam audio a noſtris ſociis, ſed quam, tanquam ſpolium hoſtile, ſibi vindicarint avidae praedae militum manus. *Naeldvicium* & pecuniam publicam ſervaſſe Superos, ne in hoſtium pervenirent poteſtatem, laetor ſummopere. Alteri nunc praelio dicuntur noſtri ſe accingere, utinam ſecundo, quo debelletur, & optata pax nobis reddatur. *Kelleri* epiſtolam ſtatim juſſi perferri ad aedes illius civis, ad quem exarata erat. Sed is in caſtris ad Graviam obſidendam poſitis agit. Filiae fuit tradita, quae nihil certi de patris reditu nobis poterat polliceri. Miſi praeterita hebdomade Leidenſi via faſciculum ad Illuſtrem *Zulichemium*, cum litteris ad ipſum & *Selemium* datis. Si quando forte eum videris, fac quaeſo explores, num recte curata ſint. Nihilne novi in re litteraria? Hîc certe nihil. A *Cupero* longas habui litteras, plenas bonae frugis. *Elzevirius* in Angliam propediem trajiciet. Vale, Ingeniorum Princeps. Trajecti in Batavis a.d. XXIV. Aug. CIↃIↃCLXXIV.

Noſtri

Noſtri nulla habita ratione diplomatis Principis de meo ſtipendio deducere non exiguam portionem conſtituere. Nihil tamen de hac re in litteris nuperrimis ad *Seleeminm* ſcripſi, quoniam tum omnia erant incerta. Sed nunc certa res eſt. Nos cum arceſſemur, videbimus num diploma ſint rejecturi. Quod ſi fecerint, faciam hujus rei certiorem Nobiliſſimum *Seleemium*. Vellem tuo hîc uti poſſem conſilio. Nam hanc rationem inire decrevi, ut non nihil cedam temporibus ad levandas aerarii anguſtias, ſed ſic tamen, ne Principis beneficium & gratiam effundam, neve nimis etiam noſtros irritem. Verum de his coram forte pluribus. Iterum iterumque vale.

EPISTOLA CCIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PArum benigniter votis meis adſpirare pergunt ſeptentrionis filii, unde fit, ut exoptatiſſimos portus tuos non poſſim hactenus, cum velim maxime, ſubire. Cis triduum quatriduumve proximum ipſi nobis aderunt tricones argentarii: quando validiſſimis catapultis fiſcos illorum aggrediemur. Interea, quod indignor vehementer, ſufflaminandus eſt impetus, quo ferebar in complexus tuos. Tanti non eſt, quicquid eſt in rerum natura, ſplendentis luti, ut invitus tam longo tempore abs te divellerer. Vale, mi Graevi, & ſcribe. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXIV. XXIII. Auguſt.

EPISTOLA CCX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SI tuiſmet apud me meritis eſt locus, intelligis a me deberi gratiarum actionem longe ampliſſimam uberrimamque pro incredibili hoſpitalitate, mi Graevi, qua cum oculos animumque, tum ventrem mihi uſque adeo paviſti, ac impleſti omnibus deliciis, ut plane ſaturatum dimiſeris. Quam ego ſtomachi cruditatem ut expugnem, longa frugalitate erit opus, & totius quatridui feriis eſurialibus, quas mihi jam nunc inductas ſcito. Quanquam boni iſti vultus, quibus tu & tua uxorcula me mirifice cumulaſtis, adeo me ſatiatum non reddiderunt, ut ſine iis agere aetatem permoleſtum mihi ſit futurum, vel ſi ſedem inſulis in fortunatis fixero omni voluptatum genere adfluentem. Certe heſternum diem tanta cum religione exegi, ut ne apud *Ryckium* quidem noſtrum, quem in tranſcurſu ſalutabam, omnia utcunque offerentem, edulii quicquam vel ſummis delibaverim labellis. Praeferebat noſter ille vultum ad gra-

gravitatem unice compoſitum: ſcires amaſiunculis omnibus & puellaribus ineptiis nuntium ab illo fide jam optima eſſe miſſum. Urebat praeter haec horrendi lex carminis a Curatoribus Academiae ſeverum plus ſatis in modum lata nuperrime in perniciem feriarum: quos boni Profeſſores Lycurgos, nimis imperioſe atque inclementer medius fidius pro arbitrio ſaevientes, nobilitate Spartana non concoquunt, & res ſuas ſibi habere, atque alibi occupatos eſſe malint. Reverſus domum complures amicorum litteras inveni apud hoſpitam, ſed quarum nullae ad ſtudia communia ſpectarent: inter has epiſtolam ab illuſtri *Beuningio* unam, valde benevolam & amicam, pro ingenio Viri. Repetit ille veterem inter alias hiſtoriam, de luculenta hereditate *Voſſio* nuper oblata: qua tamen frui haudquaquam is poſſit, niſi ſede apud Britannos in perpetuum fixa, ſive durante ejus exilio, ut tabulae ſupremae loquuntur. Qui interverſam illi hereditatem volunt, ſpontaneum exilium pro exilio non habendum coram judice contenderunt, ut audio; ſed cecidere cauſa. Sic ut cis menſes pauculos omnem dubiae hereditatis ſcrupulum ab illo profligari poſſe ſpes non vana adfulgeat. De loco Gratii, nequid promiſſis deſit, paucis habe. Is in Cynegeticis eſt verſ. 508. ubi agitur de equis praeſtantioribus:

Nec ſaevos miratur equos terrena Syene,
Scilicet & Parthis inter ſua mollia rura
Manſit honos.

Samuel Bocchartus Hierozoici libro XI. cap. IX. *externam Syenem* hîc ſupponebat, & *propter ſua mollia crura* ſecundo verſu. Neutrum bene, ut coram ſignificare memini. Perperam & *Vlitius* locum optime ſeſe habentem tentavit, ut potes videre, & jam vidiſti. *Terrenam*, planam ac campeſtrem regionem, qualis Syene, & tota fere Aegyptus, Parthorum campis ſaxoſis & montanis opponit locis, quod ſequentia ſatis evincunt. Pari modo & Plinius naturalis hiſtoriae lib. V. cap. 6. *Pingues terrenique colles (neque enim facile uſquam ſaxum, etiamſi quaeratur, occurrit) pleniſſimis campis fertilitate non cedunt.* Non poterat dilucide magis explicari Gratii noſtri *terrena* quid ſibi vellet. Habes & in Caligula Suetonii tui, *aggerem terrenum*, ex terra factum. Nec aliter Graeci. Eſt nunc in promptu locus Oribaſii libello de agris, Romae jam olim edito: ubi habes ὁρῶν δὲ τὰ γήϊνα, τάδε πετρώδη. Plura poſſem ſubtexere, ſed haec ſufficiunt, credo. Sed nec *mollia rura* convenit mutari in *crura*. Reſpexit enim Gratius Nyſaeos Mediae campos, praeſtantium equorum gregibus adeo abundantes, ut Parthorum Regibus uno eodemque tempore ad millia CLX nutrierint aliquando. De quibus campis Herodotus, Strabo, Oppianus, Syneſius, Suidas, Ammianus, alii. Scio apud Maronem *mollia crura* in equis commendari, qui ab Aeliano, aliiſque auctoribus Graecis ac Latinis ſubſcribatur. Sed hic de ingenio agitur locorum a Gratio, in quibus celebriores equi gignuntur. *Mollia* igitur *rura* terrena & gleboſa. Audi Senecam epiſt. 11. *Quamlibet viam jumenta patiuntur, quorum durata in aſpero ungula eſt: in molli paluſtrique paſcuo ſaginata cito ſubteruntur.* Vides molle ac paluſtre paſcuum denuo locis aſperis ac ſaxoſis opponi. Plinius alter lib. I. Ep. XVI. *Adjacet geſtationi*

tioni vinea tenera & umbroſa, nudiſque etiam pedibus mollis & cedens. Quomodo is ipſe quoque in epigrammate quodam *ceram mollem & cedentem* dixit. Haec adhuc recens, ac quodammodo fatigatus ab itinere. Pro *ſaevis equis*, quid ſit reſpondendum, ſi *ſaevi* diſplicent, tu videbis. Certe equos aſpero in loco genitos huc loci revocandos contendo, ac proinde fultos ſolidis ungulis. Loco Senecae, jam ſupra producto, adde & Varronem R. R. libro II. cap. VIII. *Si muli exacti ſunt aeſtivo tempore in montes (quod fit in agro Reatino) duriſſimis ungulis fiunt*. Vale. Lectiſſimae conjugi tuae, tum nobiliſſimis atque officioſiſſimis Viris, quorum cognitionem tibi refero acceptam; *Cattendicio*, inquam, *Sandenburgio*, *Maerſenbrouckio*, *Servaſio*, *Trelſchio*, ac reliquis convictoribus noſtris me, quaeſo, commendare nota de meliore perge. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXIV. VI. Sept. De villa vide, ſodes, memineris.

EPISTOLA CCXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TU vero mihi debeas, Heinſi Nobiliſſime, qui ſuaviſſima tua dierum aliquot conſuetudine me beaſti, ut tum demum mihi vivere viderer, cum tuo complexu, quo nihil mihi poteſt honeſtius eſſe, tuiſque ſermonibus omni doctrina, lepore & elegantia conditis, frui datum eſt mihi. Nae ego nunquam beatiores ſoles mihi illuxiſſe puto, quam quos mecum condere voluiſti diſſerendo de multis praeclaris rebus, ut mea domus Muſarum & Gratiarum delubrum videretur eſſe, ac prae hac vita, Regum & beatorum hominum deliciae, mors ſit ducenda. Corpus cum non hic amiſiſti, eſt quod amicis communibus debeam, apud quos laetius nos invitavimus. Noſtrae coenae tam fuerunt frugales, pro temporum rerumque anguſtiis, ut vix placando ventri, nedum irritando palato ſuppeditarint, nihilque in iis tibi potuerit probari, quam boni vultus, & perquam prolixa voluntas, quam ſi tibi pro re ac lauto apparatu pateris eſſe, nuſquam benignius & dapſilius es acceptus. Nemo enim eſt eorum, qui vel proxima cognatione vel longo uſu tibi ſunt conjunctiſſimi, qui te magis colat & amet, quam tota mea domus. Quod ſi a te impetro, ut ſaepius nos inviſere digneris, omnium fortunas ſupero, & moderate feram legem horrendi carminis, quam noſtri ante hoc triduum tulerunt non tam in perniciem feriarum, quam noſtrorum ſtipendiorum. Sed & haec jactura temporis injuriae eſt adſignanda, & magno animo concoquenda. Fidem dederant, ſe anno proximo, cum Urbs recreata fuerit & levata, noſtra vectigalia, quae nunc imminuerunt, reſarturos. Neceſſitati ergo manus dandae fuerunt. De *Voſſii* haereditate, quae narras, laetus accepi. Spero & te & illum calumniis litium, quibus vexabamini, jam eſſe defunctos. *Ryckius* noſter, ſi hac, qua laborat, charybdi ſalvus emerſit, vehementer gaudebo. Gratii locum egregie

gie a doctiſſimorum hominum corruptelis vindicaſti. Nihil certius & verius tua expoſitione. In eodem poëta verſ. 57. Vulgo ſcribitur:

Idcirco & primas linorum tangere meſſes
Ante vetant, quam maturis accenderit annus
Ignibus, & claro Pleias ſe promſerit ortu.

Sed legendum eſt, *quam maturis accenderit annum Ignibus.*

Levis menda in Flori libro I. cap. I. omnes editiones obſidet: *Ab his Amulius jam bis ſeptima ſubole regnabat.* quid eſt *bis ſeptima ſubole regnare*? ſcribendum: *bis ſeptima ſuboles regnabat.* In lib. IV. cap. I. in vulgatis libris ſic editur: *Sed non amplius profectum, quam ut hoſtis evaderet, ſeque palam profeſſo incendium ſuum reſtincturum ruina minaretur. Profeſſo*, ſi uſquam legitur ſic poſitum, nam *ex profeſſo*, & *de profeſſo*, trita ſunt, nihil aliud eſt, quam *palam.* quae ταυτολογία ab elegantia Flori eſt valde aliena. Mihi videtur haec vox de ſuo eſſe deturbata loco, & commodiſſime, leviter immutata, hac ratione reponi: *Sed non amplius profectum, quam ut hoſtis evaderet profeſſus, ſeque palam incendium ſuum reſtincturum ruina minaretur.* Juſtinus VIII. verſ. 4. *Crudeſcente ira Theſſali Boeotique orant, ut profeſſum adverſus Phocenſes ducem Graeciae exhibeat.* Phaedrus lib. IV.

Nec ad profeſſae mortis audacem viam
Fabricaſſet Argus ope Palladio ratem.

Sententia loci omnino hanc lectionem flagitat. An non antequam a Cicerone accuſabatur, hoſtis erat? Sed tum hoſtilem animum diſſimulaverat. Poſtquam autem in eum invectus eſt oratione graviſſima Cicero, profeſſum hoſtem egit. Tibi haec arbitranda permitto. Tua valebit exiſtimatio. Villas ſuburbanas hîc luſtravi. Duas ſolas inveni, quae nondum ſint occupatae. Alteram, de qua coram agebamus, egregiam & explicandae bibliothecae perquam accommodatam. Spacioſis enim eſt inſtructa cubiculis contabulatis, & amoeno horto proxime ripam fluvii. Sed minoris non poteſt conduci in uſum horum ſeptem menſium, ad Kalendas nimirum Majas ſequentis anni, quam centum florenis. Altera ſexaginta aut ſeptuaginta ſummum florenis locabitur in hoc ſpatium temporis; ſed paullo remotior a ripa eſt, quamvis lintribus commode poſſunt eo devehi quaecunque merces. Cubicula quoque nec tot, nec tam ampla, nec foris, ſed lateribus coctis ſtrata habet, quibus tamen ſubjectae ſunt cellae, ut ab noxii humoris vitio dicantur eſſe munita. Tu videbis quid e re tua ſit. Mea tibi ſemper officia erunt praeſto. Vale, amicorum maxime, ingeniorum decus, & me ama. Trajecti ad Rhenum a.d. XIII. Sept. CIϽIϽCLXXIV. Uxor, & noſtri convictores, praecipue meus *Trelſchius*, tui ſtudioſiſſimus, te peramanter ſalutat. De *Scopionibus* quae apud Catullum, Plautum, & Columellam obſervaſti, ut mecum communices, & quae in Taciti Agricola emendaſti rogo.

EPI-

EPISTOLA CCXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NOn diſplicuiſſe tibi, quae ſuper defenſione vulgata apud Cynegeticôn Auctorem ſcripturae chartis illinebam proxime, eſt quod ſtudiis meis gratuler. Es enim, mi Graevi, tantus in hac litteratura, ut mea omnia tibi aeque cupiam probata. Miram medius fidius prae ſe fert elegantiam & ſuavitatem Gratius; ut continere jam olim me non potuerim, quin familiarem mihi redderem hunc poëtam, & ab ejus ore frequenter penderem. Sed infinitis adhuc locis circumfertur depravatus, etiam poſt repetitas *Vlitii* noſtri lucubrationes. Recte tu illo loco, *quam maturis accenderit annus ignibus*, repoſuiſti *annum*. Ego olim *agros*. Sed totus locus ſic videtur conſtituendus;

Idcirco & primas linorum tangere meſſes
Ante vetant, quam maturis accenderit annum
Ignibus, & claro Plejas ſe promſerit ortu.
Imbibere, (ut tanto reſponſet longior uſus)
Magnum opus. vel (*& tanto reſpondet longior uſus*)

Magnum opus eſt imbibere ignes ac calores aeſtivos lina. Poſt opinor, corrigi debere,

Nonne vides veterum, quos prodit fabula rerum,
Semideos; illi aggeribus tentare ſuperbis
Aethera, tum matres auſi tractare deorum.

De Gigantibus manifeſte agit: mox ſcribe, *occiditque ſuis Ancaeus in armis*, arma Ancaei bipennis. Ipſe Arcas domo cum eſſet, in Aetolia occubuit, ab agro Calydonio occiſus, non ergo occidit ſuis in arvis. Paulo ante corrigendum, *Craſſaeque malum fecere paludes*. Nemeſianus in Cynegetico ſub finem.

Dant quae fluminibus, craſſiſque paludibus errant.

Verſ. 164. ſcribe, *Tunc & manſuetis tuto ferus errat adulter*
In ſtabulis, uteroque gravi ſuccedere tigrim
Auſa canis.

De canum cum tigribus coitu agit: *ultro*, quo minus hîc ferri poſſit; jam praeceſſerat paullo ante id ipſum vocabulum. Verſ. 183. *Acyruſque Phereque & clandeſtinus Acarnan.* Nihili eſt *Acyrus.* opinor veterem ſcripturam exhibuiſſe *Arcinus.* h. e. *Argivus. Argivi*, ſeu Lacones canes laudatiſſimi. verſ. 192. praeſtiterit,

Idcirco variis miſceto gentibus uſum.

Verſ. 211. locus occurrit perdifficilis:

Ad veſtrum non vile genus, non patria vulgo
Sparta ſuos, & Creta ſuos promittit alumnos.

 Gra-

Gratius, quod mireris, nunquam Arcadicos canes commendat, quos tamen inter praeſtantiores fuiſſe, omnes Cynegetici ſcriptores conſentiunt. Vide igitur, ne illi hoc loco ſint inculcandi:

Par veſtro, non vile genus, Nonacria vulgo,
Sparta ſuos, & Creta ſuos, promittit alumnos.

Nonacria non vile genus, pares Spartano & Cretenſi vulgo, h. e. canibus, promittit ſuos alumnos. Sed ohe jam ineptiarum eſt ſatis. In Floro quod caſtigas *Amulius bis ſeptima ſoboles*, amplector omnino, alter locus lib. 4. cap. I. eſt admodum perplexus. Videbatur mihi aliquando τὸ *ſeque* proximum ſubſequens vocabulum ob cognationem litterarum abſorpſiſſe. quod fuerit, *ſcelere*. ſeque *ſcelere palam profeſſo*. ſic *culpa profeſſa* apud Naſonem *Amor. lib.* 3. *Eleg.* 14: *Solaque famoſam culpa profeſſa facit*: vel quod propius accedit, *ſpeque palam profeſſa*. nempe, quam agitabat mente de evertendo imperio. idque verum arbitror. Obſervavi & alias excidiſſe voces apud Florum, ut cap. v. lib. 4. *Antonii peſſimum ingenium Fulvia, gladio cincta virilis militiae, uxor agitabat.* Putabam, *virilis militiae aemulatu uxor agitabat.* Ubi par litterarum in utroque vocabulo numerus, quanquam & vulgatum illic defendi utcunque poſſit. Sed quid eſt apud eundem Florum cap. I. lib. IV. *per Fulviam emerſit viliſſimum ſcortum, ſed patricii innocens?* Conſule lectiones ſcriptorum codicum. Nam mihi praeter Freinshemianam editionem nulla eſt in promptu. *Patricii nomns, hoc eſt, nominis*, vel tale quid videtur latere. De Scopione ſchedas meas circumſpiciam. Fac ſodes interim ſciam quamprimum, ſi miſero, qui aedes inſpiciat, quas innuis, quomodo is admitti poſſit, aut ubi & per quem. Id monere verbis vel tribus ne gravare, quaeſo. Habui a duce *Montozerio* & a *Conrado* proxime, de *Thevenoto* nihil. Vale, Graevi Jucundiſſime. Hagae Comitum CIϽIϽCLXXIV. XIII. Septemb.

EPISTOLA CCXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

JUbe, cui mandabis curam inſpiciendarum aedium, quae in hoc agro ſuburbano proſcribuntur, Maerſenſem aedituum adire, quem pagani magiſtrum vocant, ut ei oſtendat villam *Brounii*, quam nuperius ille mecum luſtravit, & alteram Senatoris *Gruteri*, quae *Cygnea* vulgo appellatur. Non longe ab hac & alia viſitur non indecens villa, cujus poſſeſſor vocatur *van Royen*, quae & ipſa ſalubri, credo, pretio poterit conduci. Si quod horum praediorum tuis uſibus & cultui aptum fuerit, me conveniat, quem huc mittes, ut eum deducam, cum quibus de mercede ſemeſtri conſtituere poſſit. Ii enim omnes in hac urbe degunt. Loca Gratii non pauca feliciſſime reſtituiſti, quae cum mecum communicas, non poſſum non tibi debere plurimum. Illud poëma cultiſſimum

mum multis foediſſimis maculis deturpatum etiamnunc circumfertur, quae ingenii tui ſollertiam & opem deſiderant. Verſus 60. & ſequens graviter affecti ſunt, nec qui ſanari poſſint adhuc video. Tuae ſententiae nondum poſſum ſuffragari. Duriora enim ſunt, *ut tanto reſponſet longior uſus*, quam poëtae hujus fert genius. Adde *reſponſare* in deteriorem partem accipi, quantum memini, ſemper. Praeterea ſequentia verba non bene cum his cohaerent: *& tangi niſi cura vincitur impar. Barthium* recte vidiſſe cenſeo, qui hîc nonnulla deſiderari prodidit, ut fruſtra in illis corrigendis & prioribus annectendis nos laborare credam. verſ. 64. *aggeribus tentare ſuperbis aethera* praecepit *Grotius* ὁ πάνυ. Mox: *ceciditque ſuis Ancaeus in armis* divine reſtituiſti, ut jam pridem egregie monueras in animadverſionibus ad VIII. Metamorphoſeon. verſ. 57. *craſſaeque paludes*, & verſ. 192. *miſceto uſum*, nemo improbabit, niſi qui Muſis iratis natus eſt. Sed in verſ. 164. & 211. aqua mihi haeret, nec potui animum inducere, ut ſecundum te dem. Nam ſi canis jam erat utero gravi, hoc eſt uterum ferebat, non erat ut cum tigride coiret. Non movebo, *ſuccedere tigrim* pro coire cum tigri, quam bene & quam Latine dicatur. Mihi haec conſideranti ſuccurrebat ſcripſiſſe Gratium,

Tunc & manſuetis tuto ferus errat adulter
In ſtabulis, luſtroque gravi ſuccedere tigris
Auſa canis.

Tum temporis ſine noxa & maleficio tigrides Hyrcanae in ſtabulis verſantur, & canes coitus cupidae in luſtris infeſtis, hoc eſt ſylvis. Mallem tamen *gravis*, ſcilicet *canis*, hoc eſt, quae non metuit tigrim, aut *gravis tigris*, ut *gravis leo* apud Avienum, niſi offenderer crebro nimis ſibilo. In loco *par veſtro*, & *Nonacria* ingenioſiſſime quidem a te ſunt excogitata, ſed in ſecundo verſu ferri non poteſt *Creta ſuos* & *Sparta ſuos*, quia Nonacria promittit ſuos alumnos, non Creta, & Sparta. De hoc ergo loco ampliandum cenſeo. In verſu 310. & 311. interpolando nimium ſibi indulſit doctiſſimus *Vlitius*, ὁ νῦν ἐν μακαρίταις, uti & in compluſculis aliis locis. Omnes enim editiones ante Vlitianam prae ſe ferunt:

Nec mirum: humanos non eſt magis altera ſenſus,
Tollit ſe ratio & vitiis adeuntibus obſtat.

Quomodo haec in recentiſſimis libris ſint immutata vides. Sed peſſime. in ſecundo leviſſime tantum reſcribendum:

Tollit ni ratio & vitiis adeuntibus obſtat.

Eſt ſenſus, *eſt*, exedit, perdit. Apud Florum lib. IV. verſ. I. non improbo *ſcelere palam profeſſo*. Sed, *ſpe palam profeſſa* non videtur Flori ſtylo reſpondere. Ut tamen ingenue tecum agam, magis mihi etiamnunc mea blanditur emendatio. Nam ſententia loci omnino requirit aliquid quod addatur τῷ *hoſtis*, manifeſtus ſcilicet, aut ſimile quid. hoc vero eſt *profeſſus*. Excidit hoc ſuo loco, deinde vitiatum eſt. Non potuit autem Florus efficacius exprimere quod voluit, quam cum ſcripſit: *ſed non amplius profectum, quam ut hoſtis evaderet profeſſus, ſeque palam incendio* & quae ſequuntur. Paullo ante recte mihi videntur emendaſſe,

qui

qui in ſuis editionbus ſcribunt: *viliſſimum ſcortum*, *ſed parricidii innocens.* MSS. quidem *patriciis innocens*, & Nazar. *patricius innocens.* Eſt & vetus editio, in qua legitur: *patricii nominis.* vide *Freinshemium.* In capite quinto ejuſdem libri ἐυςοχως tu quoque, *virilis militiae aemulatu.* Ego cogitabam: *virilis audaciae.* Sed tuam ego praefero conjecturam. Vulgata certe, utcunque poſſit defendi, ſordet, ſordebitque omnibus, qui in Flori lectione non negligenter fuerint verſati. Vale, Heinſi Nobiliſſime, grande meum decus & praeſidium. Trajecti ad Rhenum. a. d. xv. Sep. CIϽIϽCLXXIV. Si commoda dabitur occaſio curandi aliquid in Angliam, quaeſo ut mihi ſignifices. Vellem enim eo mitti faſciculum. A *Jacobo Gronovio* habui valde μεμψιμόρυς.

EPISTOLA CCXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geòr. Graevio.

Ultrajectum.

PEramanter & opportune admodum eſt abs te factum, quod omni amota procraſtinationis ambage, de villis conſultus illico reſcripſiſti: Appuliſſe enim ventos ferentes navem, quae ſarcinas meas Holmia vehebat, ad portum Amſtelodamenſem, non ſine tacita animi exſultatione intelligo. Itaque quantocius res meae ex ipſa navi tollendae erunt, & liberiori caelo exponendae, ut ſi quid adſperginis ab aqua marina contraxerint (ita enim ſubverendum videtur,) mature iſti malo obviam eatur. Totum negotium commiſi huic faeminae, quae a multis jam annis operam ſuam mihi addicit. De locis Flori & Gratii ignoſce, ſi quid praeter rem chartis eſt illitum, ac totum id feſtinationi adſcribe, tantum non inconſultae praecipitique, per quam non licuit ad examen ſingula vocare. De *hoſte profeſſo* ſtatues, ut lubet, apud Florum. De altero ejuſdem loco non eſt datum ſchedas meas excutere. Ex occaſione tamen non diſſimilis loci apud Tacitum a me caſtigati, videor correxiſſe, *virilis aemula militiae.* Vides multum cognationis in poſterioribus duobus vocabulis, unde factum, ut alterum horum ſit abſorptum ab altero. Apud Gratium verſ. 60. poteſt reſcribi:

Imbiberint: tanto reſpondet longior uſus,
Magnum opus, & tangi, niſi cura vincitur impar.

Vel, *ſe ſpondet longior uſus.* Imbiberint fac, inquit, lina aeſtivos colores, h. e. probe matureſcant: ſic *cutis imbibit ſolem.* Breviter, ut paſſim aſſolet noſter. Id opus, ſubjunxit, magni momenti eſt putandum, & niſi multa cura ſuperatur, par eſt non tangi. Mirus, fateor, loquendi modus, *impar tangi.* Nec ſatis me hinc expedio. verſ. 64. *Aethera* vidiſſe *Grotium* agnoſco, Sed longius abit, quod reponit idem, *matronaſque*, pro *tum matres.* Putabam aliquando *Aetheraque matreſque.* Poſt *ſuccedere Tigrim*, quod *ſubſidere* dixit Horatius in re ſimili. Epod. XVI. *Juvet ut Tigres ſubſidere cervis.* *ſuccedere* enim quarto caſu, Tacitus alii-

aliique jungunt, niſi & hîc *ſubſidere tigrim* malumus. nam & verbum cum hoc quoque caſu jungitur. *Gravi utero*, poſtquam jam ex cane concepit, aut coivit cum cane. Rem tangit Plinius lib. VIII. cap. 40. De canibus, *E tigribus eos Indi volunt concipi, & ob id in ſilvis coitus tempore alligant foeminas. Luſtro* minus poteſt ferri, quia de ſilvis jam praeceſſit. Poſſit etiam, *Uteroque gravem ſuccedere tigrim.* ut *Gravis* ſit incommodus, valde oneroſus. Sic *Graves Perſas* Horatius dixit. Hoc eſt imperio Romano graves. verſ. 201. *Nonacriam* ex mea caſtigatione poſuit, pro cane Arcadio. ut ſupra verſ. 182. *Athamania* & *Pherae*, pro Phereis & Epirotis canibus. Nec difficultatis quicquam habet conſtructio O Creta, & O Sparta, par veſtro vulgo Nonacria, ſive Arcadia, alumnos ſuos, genus non vile, promittit: vulgum pro canibus, quomodo *plebem* pro apibus Maro, uti nos ex optimis Membranis in Georgicis reſtituimus, ubi plura ad rem. Hoc vult, canes Arcades bonitate & morum ſimilitudine cum Cretenſibus & Spartanis certare. Noſter infra verſ. 369. *Inde emiſſa lues, & per contagia morbi Venere in vulgum.* Ita illic *Vlitius*, at ſcripti, *morbus*; cur non *morbus ſaevire in vulgum*, vel, *ſe ſerere.* Ipſo poëmatis initio ſcripti, quos inter Ambroſianus a me inſpectus, *meliuſque profectu*, non *profecti.* Quid ſi *profecto.* verſ. 100. pro *Maenalus auctor*, putemus *altor.* ut apud Naſonem.

Idaque altrice relicta
Ignotis errare locis. —— ——

In Culice etiam Maronis pag. 12. videtur pari modo caſtigandum:

Phoebus erit noſtri princeps & carminis auctor,
Te recinente lyra: ſive altrix educat illum,
Alma Chimaeraeo Xanthus perfuſa cruore.

Nam quam inepta illa κακοφωνία in vulgatis, *auctor*, *fautor?* Deinde quid eſt *liquor Chimaeraeus?* Atqui in Lycia Chimaeram a Bellerophonte interfectam conſtat. Nos plura ad illum locum. Xanthus certe Lyciae oppidum, quomodo diſertim longe vetuſtiſſimus Bembi codex. Qui *Xanthi liquore* repoſuere, agi ſunt opinati de flumine. Poteſt & *auctor* pro auctore natalium ſumi. Sed alterum praeſtat. verſ. 309. *Eſt* recte capis pro *edit.* Idque mihi quoque ſic video annotatum in meo codice. verſ. 247.

In partem praedae veniat comes, & ſua norit
Praemia.

admiſit in contextum Gronovianam *Vlitius* conjecturam, ante legebatur *naris.* poſſis non majore negotio, *par eſt.* Verſ. 287. *Vix oneri ſuper illa ſuo*, an *ſuper* pro ſupereſt, & quid hoc? forte, *vix ſuppar oneri illa ſuo*, quod vocabulum & Naſoni in Triſtibus & Senecae Hippolyti initio reſtitutum a me memini. Sed non diſſimiliter paulo ante poſitum videri poſſit,

Quod magnos capiat motus magniſque ſuperſit.

Plura poterant ſublegi, niſi avocarer. Et jam inaniarum eſt plus ſatis. In Britannias ſi quid perlatum cupis, matura quod voles: tranſeunt enim & praeterfluunt opportunitates nonnunquam, priuſquam ſeſe oſtentant. Vale, rerum jucundiſſime. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XV. Septemb.

EPISTOLA CCXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

AButor nimis quam ſecure & confidenter te lectore, mi Graevi, dum ea chartis a me illinuntur aliud agente nonnunquam, quae ad maturum revocata mox examen mihimet ipſi ſic improbantur, ut tibi magis haud poſſint. Adeo pleraque horum, quae proximis litteris ſum complexus, ad *Gratium* obſervata, nunc damno juguloque. Sed de hiſce alius erit dicendi locus. Amſtelodamum ante hoc quatriduum profectus, ut ſarcinis meis conſulerem, ex Oeconoma mea cognovi, inſpectas quidem abs illa villas ſuburbanas, ſed tecum ob anguſtias temporis agi non potuiſſe. Poſtea quid factum ſit, haudquaquam ſcio. Nam me poſtero die inde avocarunt privata negotia, illam ſarcinae alio transferendae. Quod ſi ne nunc quidem te convenit ſuper aedibus proſcriptis, confici negotium erit neceſſe. Sarcinas enim ad Marſenſem pagum ſecum nudius quartus avexit; quo ſalva omnia perveniſſe jam nuntiavit *Elzevirius*. Quapropter eſt, ut confidam, Brounianas ab illa aedes eſſe occupatas, quod ſic juſſiſſem coram, cum ipſa neſcio quas Praetoris pagani aedes videretur praeferre. Me negotium pecuniarium exercet hactenus, exercebitque proximo octiduo, ne illi aut conſilio, aut alia ope nunc poſſim adeſſe. Interim haſce, quas vides, mittendas, quo deſtinantur, quaeſo per tuos curato. Apud Nonium locus eſt Varronis ex Sexageſi, vocabulo *proboſcis*, quem ſatis perplexum enodare ſum conatus in Petronianis, ex occaſione caſtigati apud illum loci de *hyſtriculis*. Hunc ita edidit *Mercerus*, cujus unam editionem habeo ad manus. *Inveniſſe ſe, cum dormire coepiſſet tam glaber, quam Socrates, calvum eſſe factum ericium e pilis albis cum proboſcide.* Poſtrema ſatis evincunt locum eſſe ſubobſcurum, qui de pube ephebo neſcio cui repente enata agat. Sed cur Socrates *glaber*, quem non minus barbatum fuiſſe, quam Philoſophos alios eſt in confeſſo. Deinde quid ſibi volunt *pili albi?* ſcribebam, *Inveniſſe ſe, cum dormire coepiſſet tam glaber, quam Socratis calva, eſſe factum ericium prae pili vallis, cum proboſcide.* Socrates calvus, quia ſenex eſt mortuus. Vides *Hyſtriculum* deſcribi, quem ſimili notione vocat *Ericium. Vallum pili*, ut de ſimili Calydonio apud Naſonem, *Setae Stantque velut vallum velut alta haſtilia.* poſſis & *prae pilis falli*, vel *phalli.* Et haec quidem hactenus, tu, cui ſunt in promptu aliae Marcelli editiones, facile advertes, ſi quid ab hominibus eruditis, ac Criticorum natione ad hunc locum probabilius adducitur. Nam *Mercerius* tacet. Vale, mi Graevi, & me ama. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XXII. Septemb.

EPI-

EPISTOLA CCXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TUis prioribus reſpondiſſem dudum, niſi perſuaſum mihi fuiſſet te tuis ſarcinis explicandis diſtringi. Niſi hoc mane alteras tuas accepiſſem, *Maerſenium* me contuliſſem, ſpe tui optatiſſimi complexus. Nunc tibi narro, praeterito die Jovis, cum ad me veniſſet magiſter ludi *Maerſenſis*, meque docuiſſet inſtrumentum Muſicum tuum perlatum eo die eſſe in villam Brounianam, me de illa decidiſſe ſtatim cum quibus ea cura erat mandata, eamque conduxiſſe cum horto ad Kalendas Majas anni ſecuturi centum florenis. Minore ſumma non potui cum illis conſtituere, quamvis forte decem aut viginti Floreni potuiſſent recidi, ſi, antequam ſuppellex eſſet invecta, leges habitationis conveniſſent. Praetoris villa mihi cognita erat, ſed ea non niſi in anni unius pluriumve ſpatium locatur. Tuas litteras curavi ad aedituum *Maerſenſem*. Plura volebam, in primis de loco Varronis ad Nonium, & aliquot Gratii. Sed interpellabar ab amicis. Cras pluribus tecum agam. Vale, meum decus. Trajecti a. d. XXIII. Septemb. CIƆIƆCLXXIV. Gregor. ὡς τάχιςα. Tabellas locationis proxime mittam.

EPISTOLA CCXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

HAbes hîc reſponſum ad tuas, quas pridie curandas a te accepi. Si quid porro illuc velis, fac mihi tradatur. Negotium argentarium ex ſententia te confeciſſe ſpero, ut & quod cum tricone illo lentiſſimo, qui tot annos te habuit exercitum, tibi intercedit. Ad Nonii locum nihil annotatum eſt a viris doctis. excuſſi editiones, *Gothofredi*, *Junii*, Pariſienſem anni MDXXCIII. eruditorum annotationibus & variis lectionibus ex manu exaratis codicibus excerptis inſtructam. In hoc tamen variarum lectionum libello notatur, pro *calvum eſſe factum ericium* legi, *grillum eſſe factum ericium*. Et ſic hic locus in eadem editione deſcriptus eſt inferius in voce *ericium*, ubi itidem reperitur. Sed in *Gothofredi* & *Junii*: *gallum eſſe factum ericium*. Excerpta veteris Venetae, quae penes me ſunt: *galbum eſſe factum ericium*. Praeterea Tò *e* in omnibus editionibus in *ericium* omittitur, excepta Merceriana, & in Excerptis Venetis, in quibus corrupte: *exitium e pilis albis*. *Calva*, quod tu reſtituiſti, certiſſimum habeo. Socrates enim calvus erat, ut & gemmae a *Chifletio* editae oſtendunt,

& Lucianus, apud quem calvities ei ſemel iterumque exprobratur. Pro *pilis albis cum proboſcide* mallem: *& pilis vallatam proboſcidem.* Plura vellem, in primis de Gratii locis; ſed cum manum ſaepius admoverem ſcriptioni, alii aliique ſupervenerunt, qui me avocabànt ab hac cura. Nunc tempus inſtat, quo tabellarii avolant. Praeterea expectabo, donec ex te intellexero, quasnam ex tuis conjecturis obelo configas. Ex Anglia narrant Marmora Arundelliana longe auctiora prodiiſſe. Uxor Amſterodamum contendit filias reductura domum. Sed majorem natu lecto affixit febricula, quae ſi ingraveſcit, mihi quoque illuc erit excurrendum. Vale, Vir Nobiliſſime & me ama. Trajecti Batavorum a.d. XXIV. Septemb. Gregor. CIϽIϽCLXXIV.

EPISTOLA CCXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NEgotium meum de villa ſuburbana quod tam gnaviter curaſti, laudo diligentiam tuam & fidem, vir amiciſſime. Nunc in eo ſum, ut ad Hollandos Boreales excurram Amſtelodamenſi via, tricones iſtos argentarios expugnaturus, ſi poſſum. Inde me conferam, puto, ad villam, ut omnia illic ex ſententia mea ordinentur, idque tranſcurrendo tantum; quod neceſſe ſit, uti me paucos dies denuo hîc ſiſtam, ne liti diuturnae ac permoleſtae profligandae deſim ipſe; cum hereditatis quod herciſcundum reſtat, me inter meumque adverſarium ex decreto judicum, dividi nunc tandem oporteat, quamquam metuo, ne quid novae denuo figurae induat Proteus noſter, quo me more ſolito fruſtretur. De Varronis loco conjecturam meam tibi non diſplicere laetor. De Socratis calva agnoſcis Menippei Varronis Genium ſatyricum. Illud quoque de *pili vallis* proxime ſcriptam accedit lectionem. De Apro Calydonio locum Naſonis non diſſimilem jam produxi; habe nunc & Ciceronis alterum, qui magis fortaſſe ad rem facit. Is exſtat lib. I. De deorum natura: *Munitae ſunt palpebrae tanquam vallo pilorum.* quod Apulejo eſt *Horripilare. Fruticantem pilum* Juvenalis dixit. Sed haec ad ipſum Petronium pluribus illuſtravi. de Gratii locis quid ſcripſerim, non ſatis memini: niſi quod iſta non videntur ſollicitanda, *lues & morbus venere in vulgum.* Nec quicquam cauſae erat, cur *Vlitius* inſuper habita membranarum fide, *morbum* in *morbos* mutaret. Tu mone, quaeſo, me de ſingulis, haec enim in procinctu a me exarantur, ut integrum vix ſit, intendere cogitationem ad ea, quae feſtinanti nuper excidebant. Interim ut me expedias in loco Petronii haerentem te rogo. Saepius monui in verſibus operi ſatyrico paſſim interſperſis vix quicquam ſani apparere, quod vel ex iſtis abunde liquet Cap. CXXXVI.

Tales Herculea Stymphalidas arte coactas
Ad coelum fugiſſe reor, ſanieque fluentes

Har-

Harpyas, cum Phyneo maduere veneno
Fallaces epulae.

Scripti, *peneque fluentes.* Alterum ex conjectura neſcio quorum in contextum Petronii malo exemplo irrepſit. quid ſi? *Poenamque luentes Harpyjas?* Sed quod praecipue me vexat, eſt *Phineum venenum*, quod quale ſit prorſus ignoro. Vale, optime, & jucundiſſime Amicorum. *Lugd. Batav.* CIↃIↃCLXXIV. XXV. Septemb.

EPISTOLA CCXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas in iſtas conjeci litteras cum accepiſſem heri, mihi inſcriptas, non perlecto indice relevi. Sed culpam ſtatim agnovi, & a lectione oculos averti, quod velim tibi perſuaſiſſimum ſit. Meum enim non eſt cujuscunque, nedum amicorum negotia rimari, quae ad me non pertinent. & tibi, credo, mea fides & ſimplicitas ſatis eſt ſpectata. In Petronii Περικοπῇ *poenasque luentes* alii praecepere, ut variarum lectionum libellus teſtatum facit. Mox mallem:

Cum Phinei maduere veneno

Fallaces epulae. Videtur autem aliam de fugatis Harpyis narrationem ſecutus eſſe, quam quae in noſtrorum Mythologorum monumentis habetur. Apud Gratium verſ. 165. nondum poſſum animum inducere, ut herbam porrigam. *Canis* enim *utero gravi*, eſt quae jam concepit. Sed illa tum non appetit coitum tigridis, ſed potius cum libidinis oeſtro percita fertur, ut impleat uterum. Quo magis hunc locum conſidero, tanto magis blanditur mihi conjectura illa, quae nuperius mihi ad te ſcribenti ſuccurrebat:

Luſtroque gravis ſuccedere Tigris

Auſa canis.

Hyrcanae inquit canes rabiem petunt e ſylvis, cum Tigribus miſtae, quo coitus tempore ſine noxa cum illis verſantur. Tum & tigres in ſtabula veniunt, & impune canes in illarum luſtra. Utrumque ſolus Gratius tradidit ex iis ſcriptoribus, quos injuria temporum nobis ſuperſtites reliquit. verſ. 210. tuae correctioni applauderem, ſi non *ſuos* bis repeteretur ſine ullo ſenſu. Vide an poſſit ferri, *O Creta & Sparta par veſtro vulgo Nonacria ſuos, ſuos alumnos, non vile genus promittit. Suos* enim bis repetitum refertur ad Nonacriam & Spartam, ſi tuam ſequimur emendationem. Suſpicabar:

At veſtrum non vile genus Nonacria, & acres
Sparta ſuos & Creta ſuos promittit alumnos.

Aut, ſi malis:

Ad noſtras non vile genus Nonacria, &, acres,
Sparta ſuos, & Creta ſuos promittit alumnos.

Et non ſuo loco poſitum ut verſ. 172. *utinam.* Poſt : *& per contagia morbus* recte tueris. placet quoque verſ. 5. *profecto.* niſi *profecti*, ſit poſtquam melius profeciſſent. Optime quoque verſ. 100. reponis *Maenalus altor.* Nam quamvis *auctor* ſaepe ſit parens, ut *augere* apud Lucretium pro generare, non tamen videtur monti convenire. In Culice Maroniano nihil certius eſt tua emendatione: *Alma Chimaeraeo Xanthus perfuſa cruore.* Sed in *iltrix* nondum poſſum in tuam opinionem deſcendere, quia ſtatim *alma* eadem Xanthus appellatur. Nec puto Virgilium ſcripſiſſe *Alma altrix Xanthus.* Nam *almus* aeque ab *alendo* ac *altrix.* verſ. 309. *eſt* vidit quoque *Barthius*, immerito reprehenſus a *Vlitio.* ſequens verſus laborat prava interpunctione, & aliis maculis, quas ſic putabam poſſe purgari, ſi ſcribatur,

Tollit ni ratio & vitiis adeuntibus obſtat.

Verſ. 247. non male conjicis: *& ſua par eſt praemia.* Sed nec *Gronovii* emendatio a ductu litterarum longe recedit.

Foros librarios *Goyerus* olim aliis addixit. Nunc alia quercus eſt excutienda. & tamen ſpei non nihil eſt, me tibi aliquid inventurum. *Quellenburgius* nondum domum rediit. Simul ac revertetur urgebo, ut domus reficiatur. Vale, decus praeſidiumque noſtrum. Trajecti a.d. 11. Septemb. CIƆIƆCLXXIV. Gregor. Has litteras heri exaraveram: ſed tempus mittendi effluxerat. Hodie ad me perfertur epiſtola *Thevenothi*, ſed in qua nihil novi. Inſtat Varronem de Re Ruſtica depropercm. Ad quem ſi quid habes ex libris veteribus annotatum, te quaeſo, ut mecum communices.

EPISTOLA CCXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

QUod alibi occupatus, litteras mihi inſcriptas reſignaſti, in eo nihil omnino, mi Graevi, abs te eſt peccatum. Nam neque quicquam majoris rei complectebantur, & ſi complexae eſſent, non tu is eras, quem ab arcanis meis ſecludam arceamque, cum nec Phoebus ipſe myſteriis ſuis initiatum, & quidem pulcherrime intimeque, te noluerit, Muſarum corculum. Obſidio Graviana anxium me vehementer habet. Quod negotium niſi ex ſententia confectum propediem videmus, de libris meis in ordinem redigendis vix auſim cogitare. De pluteis tamen rem tibi curae ſinito eſſe, quando Ryckiana promiſſa hîc me ſunt fruſtrata nolentem. Ego nunc totus ſum in lite profliganda; ut fruſtra ſis, qui edocumentum nonnihil obſervationis litterariae a me promittas tibi. Alio enim mentem habeo diviſam. quod facile perſuadebunt tibi, ut credas, futiliſſima illa, quae bis ter proxime chartis illinebam. Ea

prop-

propter differenda ſunt id genus animadverſa, dum otio majore perpendi curatius a memet ipſo poſſint. In Petronii loco cum *Phineum Venenum* nullius ſit rei, cogitabam ſomnians, ſi quid forte librarius inſcitus dediſſet olim *Veleno*, unde *Venenum* eſſet ſubnatum. Atqui a ductu litterarum non abibit longe, ſi reponimus *cum Phineam pavere Celaeno Fallaces epulae. Fallaces epulae*, quae Phineos ori ſubducebantur ab Harpyis. Scis illud Propertianum,

Fallax Tantaleo corripere ore liquor.

Phinei triſyllabum, & quidem media producta, non admitto, niſi adjectivum. Aliud agebam quando ad Cretam & Spartam Nonacriam dirigi Gratianam allocutionem nuper perſcribebam. Sed de his alibi erit dicendi locus. Nunc urget diſceſſum tabellarius. De filioli tui valetudine miror, nil abs te eſſe additum. Vale. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. V. Octobris.

EPISTOLA CCXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ISTae litterae, quas nunc mitto, heri mihi ſunt redditae: tuas recte curavi. Obſidionis Gravianae exitus me quoque miris modis ſollicitum habet, praeſertim coelo hoc pluvio. Praeterea circumſeſſis ſubſidio dicitur miſſa non exigua manus eſſe. Sane non auctor tibi ſim componendae ſuppellectilis librariae, antequam de hujus negotii eventu ſimus certi. De pluteis res mihi erit curae. Sed nondum potui quicquam expiſcari. *Quellenburgius* nondum rediit domum. Ipſe tamen aedium dominus nunc dicitur veniſſe, & in domo, quae tuae proxima eſt, ſubſidere. *Mathiſius* cauſſarum patronus, quem heri in *Quellenburgii* aedibus inveni, excurſurus eſt ad *Brounium*. Is a me rogatus fidem dedit ſe tuo nomine *Brounium* moniturum, ut tectum reficiendum curet, & ſi quae alia vitium fecerunt, aut corrupta ſunt a Gallis. In Petronio perplacet tua emendatio, *cum Phineam pavere Celaeno*. In Gratio verſ. 413.

At ſi deformi lacerum dulcedine corpus
Perſequitur ſcabies, longi via peſſima lethi.

Quae iſta *dulcedo ſcabiei?* Mihi videtur legendum: *lacerum porrigine corpus*. Juvenalis Sat. VI.

grex totus in agris
Unius ſcabie cadit, & porrigine porci.

Plura de hac voce notavi ad Juſtini XXXVI. cap. 2. Columella lib. VII. cap. 5. de eadem re, de qua Gratius: *Nam ſubeſt aſpera cutis ac velut quaedam porrigo.* ſic legendum, vulgo, *prurigo.* Excerpta codicis veteris Columellae, cum in tuas inciderint manus, rogo ut mecum communices. *Scopionum* quoque velim memineris, ubi a litis moleſtiſſimae calumniis tibi licebit reſpirare. Quando

ea

ea tandem finietur? *Nicolaus* noſter convaluit, & uxor filiolas firmas domum reduxit, quae tibi plurimam adſcribit ſalutem. Vale, Heinſi Nobiliſſime, & me ama. Trajecti Batavorum a d. XXVII. Septemb. CIↃIↃCLXXIV. Dionyſ.

EPISTOLA CCXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MIre equidem officioſus es, qui litteras ultro citroque tibi concreditas, tam diligenter curas, mi Graevi. Auguror hujus incommodi finem propediem fore; certe dies lunae proximus Amſtelodamum me evocat, quando & ad villam fortaſſis excurram. Te tamen non videbo, niſi defunctus in ſolidum omnibus moleſtiis, quae hîc mihi incumbunt admodum frequentes. In Petronii loco male adfecto non diſplicere, quae conjectura ductus annotabam, eſt, ut gaudeam. *Phinea Caeleno* videtur dicta, quando *Pallas Caeſariana* apud Martialem, *Alcmaeoniae Furiae* apud Propertium & mille talia. De *veneno Phineo* nugae ſunt, niſi ita dictam volumus merdam, quam Phinei epulis aſpergebant harpyae. Fabulam hanc inter alios eleganter nobis dedere deſcriptam Apollonius Rhodius, & Valerius Flaccus. De *dulcedine* videor obſervaſſe, ita porriginem aut ſcabiem nonnunquam dictam, ex neſcio quo Scholiaſta Juvenalis opinor, Quare ſuſtineamus praeſtat, dum dubitandi locus relinquitur. *Porriginem* in Columella etiam vetuſta agnoſcunt exemplaria. apud Propertium. lib. 3. Eleg. v.

Illum turgentis ranae portenta rubetae,
Et lecta ex ſectis anguibus oſſa trahunt.

Languet prior verſus ob concurſum tot ſpondaeorum. Praeterea *rana rubetâ* nihil poëticum ſapit, nam ranam ſubintelligi malunt Poëtae, quam exprimi ac nominari, quoties *rubetae* meminerunt. Error eſt inveteratus haud dubie; ſed tamen Propertium dediſſe nobis opinor, *turgentis ſanie portenta rubetae.* Sic & *ſaniem* ſerpentibus paſſim dant poëtae, hoc eſt, venenum. Pentametrum quoque ut corruptum cenſeam, mira facit codicum diſcrepantia. *Ex factis* Cod. Modii. *exectis*, *exactis*, *exſatis*, alii. Unus etiam *leta* pro *lecta.* putabam aliquando.

Et lecta a ſeris ignibus oſſa trahunt.

Seri & *extremi ignes*, pro rogali igne, paſſim Poëtis, ſagas autem oſſa e buſtis legiſſe in adminiculum artis, quis neſcit? Sequentia confirmant, in quibus & malim,

Vinctaque funeſtae lanea vitta pyrae.

Aras & rogos vitta liciiſque ſolitos circumdari, nil opus, ut fuſe demonſtrem ac doctum doceam. Poſſis etiam. *Et ſecta e foetis anguibus exta.* Nam *Scaligeri* vetuſtus codex

dex pro diverſa lectione, *exta* Ovid. *Extaque fumoſis ſecta dedere focis.* lib. IV. Eleg. I. verſ. 79.

Me creat Archytae ſoboles Babylonius Horos:
Horos & a proavo ducta Conone domus.

Scripti plerique & editiones primae *Horon* in pentametro, & ſane repetitio hîc prorſus videtur intempeſtiva ac ſubfrigida. Quid ſi refingimus,

Me creat Archytae ſoboles Babylonius Horos.
Heroum a proavo ducta Conone domus.

tum, *Dî mihi ſunt teſtes non degeneraſſe propinquos*, non *propinquis*, cum optimo codice Neapolitano. vera lectio eſt, *Horon at*; at Horon creat domus a Canone ducta. Haec ſunt, quae hodie mihi venere in mentem. e catalogo Zyliano paucos enotavi libros, ut vides, quos comparatos velim, ſed ſalubriter per fidum hominem, quem noſti. Nam tibi eſſe alia, quae agas utilius, haud ignoro. Vale, mi optime. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXIV. VIII. Octobris. De *Nicolao* tuo me beaſti. Omitto igitur male ominari, & antiquum illud occentare, *O puer, ut ſis vitalis metuo.*

EPISTOLA CCXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TUaene mihi litterae ultro citroque curandae incommodum afferant, quibus viſis omnis malorum, quae nobis in hac vitae perturbatione objiciuntur, ſenſus ſopitur? Quae enim a te veniunt, niſi πεπινωμένως ſcriptae, ac multa doctrina refertae? quanta in illis amoris perſpecti mihi quidem, ſed tamen dulcis & optati, ſignificatio. Sed etſi nihil eorum in tuis litteris eſſet, quae tanta illarum cupiditate nos incendunt, ut expleri nunquam poſſit, tanta tamen tua ſunt in me merita, ut nullis ſtudiis ac officiis ea poſſim unquam aſſequi. Itaque dudum mihi in te colendo conſtitui eam religionem, qua patriam aut parentes proſequimur; quam ſane violem, niſi, ubicunque ſe dat occaſio, teſtatum faciam tuas res omnes mihi magis curae eſſe, quam mihi meae ſunt. Ex forenſibus moleſtiis ſpero te tandem emerſurum, & judicum patientiam expugnaturam adverſarii incredibilem importunitatem. In loco Propertii lib. III. El. 4. verſ. 27. tua emendatio perplacet:

Illum turgentis ſanie portenta rubetae
Et ſecta e foetis anguibus exta trahunt.

Quamvis & *oſſa* ferri poſſit. Certiſſimum quoque eſt lib. IV. El. I.

Horon at a proavo ducta Conone domus.

Horon editio Gebhardi legit. probo quoque *non degeneraſſe propinquos:* Sed in Eleg. 4. lib. 3.

Cinctaque funeſto lanea vitta viro

non mutem, ſed cum *Scaligero* interpreter κειρίας. Omnia enim feralia ſagarum inſtrumentum eſt. Vittis verò mortuos fuiſſe involutos & ſacrae litterae & τὸ ἔξω docent. *Dulcedinem* pro ſcabie poni ſi mihi oſtenderis, & quae olim de *Scopionibus* promiſiſti, laetabor, & hoc quoque in accepti tabulas referam. Pro tuis pulcherrimis & ingenioſiſſimis emendationibus, en tibi leves quaſdam & non magnae rei. Apud Florum lib. IV. cap. 2. in recentioribus legitur libris: *At Mariana quidem Cinnanaque rabies intra Urbem praeluſerat, quaſi experiretur.* Editiones vetuſtiores: *intra Urbem ſe praecluſerat, quaſi experiretur:* Scribo: *intra Urbem proluſerat, quaſi ſe experiretur.* Mox omnes editi: *ſi locum & ſpatium ubi commiſſum eſt, intra Italiam; inde ſe in Galliam Hiſpaniamque deflexit.* Hîc *ubi* expungendum cenſeo, quod ex praecedentium ſyllabarum repetitione natum, ac ſic interpungendum. *Si locum & ſpatium; commiſſum eſt intra Italiam; inde ſe in Galliam deflexit.* Non longe poſt: *Hic dolor tranſverſum egit.* Alii: *Hinc dolor tranſverſum egit.* Scribendum: *Hunc dolor tranſverſum egit*, nimirum Pompejum. Cum hodie ſcholam haberem de tectoriis veterum, & hunc quoque locum Perſii exponerem *pictae tectoria linguae*, ſuccurrebat mihi ſcribendum, *fictae tectoria linguae.* Ficta lingua & ficti homines qui dicantur Latinis tu non es docendus. Quid autem *picta lingua* ſibi vellet non exputabam. Sed quoniam *tectoria* Perſius uſurpaverat, eis quoque pictam linguam convenire crediderunt interpolatores. Cum litterae tuae mihi traderentur, minores libri in auctione Zyliana venditi erunt. *Druſius* in Jobum & Prophetas minores triginta obolis, & totidem *Buxtorfii* hiſtoricae diſſertationes de Arca foederis; viginti octo vero Saxonis Grammatici hiſtoria tibi eſt comparata. Vale, meum decus. Trajecti Kal. Octob. CIↃIↃCLXXIV. Dionyſ. Gravae obſidio nunc magis fervebit, ut in ejus potiundae ſpem adducamur, propter adventum Sereniſſimi Principis Arauſionenſis, & cohortes, quas ſecum adduxit. Pluteos ſpero me tibi praeſtinaturum non paucos. *Petrus Elzevirius* omnes tabernae ſuae libros praeconi ſubjiciet, cum ipſis foris. Sed de his proxime certiora.

EPISTOLA CCXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MOdo Florentia litterae perferuntur ad nos, quae docent *Jacobum Gronovium* jam inde profectum eſſe, addidiſſe ſeſe illi comitem *Rulaeum*, quos expectare jubemur ante Kalendas Decembris, litteratis haud dubie ſpoliis veterum Bibliothecarum magis, quam aere inſtructos. Ego, mi Graevi, Amſtelodamum cogito cis biduum, atque inde in provinciam veſtram, ut Pluteos ac foros bibliothecae diſponendos locem, quanta potero feſtinatione. Intereſt mea enim, ut rebus in foro compoſitis, & ſi quid praeterea rationum cum Proceribus noſtris ſubducendum reſtat, otio me tradam, ac privatis in ſinu

ſinu Muſarum lucubrationibus, poſt devoratas incredibiles moleſtias, quas debeo malignitati perquam iniquae horum, qui & conſultos aequi & adfines meos ſeſe jactitant, ſed falſo. In Propertii loco lib. XI. Eleg. 5. nondum perſuadeor, ut accedam illorum ſententiae, *qui virum funeſtum* pro cadavere capiunt, etſi commentatores nunc quidem non ſunt ad manus: *Funeſtae domus & ferales*, in qua mortui lugentur. *Funeſtus vir* qui uxorem effert. Sed ut *vir funeſtus* pro ipſo mortuo capiatur, neſcio an Latinitatis permittat ratio: & ut permittat, quid opus eſt *viro*? Nihil enim, puto, intererat, ad exercendas artes Magicas, utrum vitta detraheretur foeminae mortuae, an mortuo viro; deinde ut haec miſſa faciamus, vitta non cingebatur viro; ſed vir cingebatur vitta: ut non videam, quomodo *vitta cincta viro* hîc commode ſatis poſſit admitti. Codex certe meus, non e peſſimis, habet, *Junctaque*. Quare nondum prioris poenitet conjecturae, aut, ſi quid immutandum, ſcripſerim,

Vinctaque funeſto lanea vitta toro.

Idque verius nunc opinor. *Funeſtus torus* eſt lectus funebris. Apud Naſonem in vetuſtis exemplaribus millies *viros* & *toros* alternis confundi videas. Etiam apud ipſum Propertium non ſemel. lib. IV. Eleg. I. verſ. 75.

Accerſis lacrimis cantus, averſus Apollo;
Poſcis ab invita verba pigenda lyra.

Nihil variant ſcripti in loco mendoſiſſimo: niſi quod Voſſianus, *Poſcit & invita*. Tum priore verſu *Scaligeri* codex, *accerſis lacrimis charites*. Sed exaratum antiquis fuiſſe, *Accerſis Charitis cantus*. *Cantus* pro *cantas* & verſ. 11. in Longobardica ſcriptum paſſim confunditur. *Charitis* pro *Chariſin*: legendus igitur totus locus,

Averſis Chariſin cantas: averſus Apollo
Poſcitur invita verba pigenda lyra.

Degeneraſſe propinquos ſcripti veteres paene omnes exhibent. Et ſic loquebantur illo aevo, quod & Naſonis Membranae faciunt teſtatum. In Floro & Perſio quae caſtigas, omnia ſe commendant mihi. Flori locum ſic tentabam olim, *intra urbem proluſerat, qua ſe experiretur*. De *dulcedine* & *Scopione* cogitabo. Heſterno die Hyginus *Schefferi* Hamburgo ad me eſt allatus, quem vir optimus, ut video, non ſine rubore mihi inſcriptum ivit. Ob libros in auctione nupera comparatos mihi plurimum te amo. Hoc officio & me ſimul demeruiſti & *Falconerium*. De *Petri Elzevirii* libris venalibus, videri poterit ſuo tempore, ſi quid illa in merce frugis haud contemnendae ſeſe offeret. Hodie nuntius eſt apud nos perlatus de ingenti praelio, Germanos inter veſtros & Gallos Argentinam prope commiſſo: & quanquam rumor Gallis ominatur male, tamen alios expectandos tabellarios reor, qui eventum pugnae omnem nos certius edoceant. Vale, Graevi jucundiſſime. Hagae Comitum CIϽIϽCLXXIV. XII. Octobris.

EPISTOLA CCXXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

HEri ſub veſpertinum tempus in hanc villam perveni. Sed plane feſtinus, & ſic, ut inde mane craſtino Hagam denuo ſum recurſurus, Si tamen valetudo, quam nutantem lubricamque nunc experior, huic propoſito ſatis reſpondebit. Permoleſtum eſt cetera, conſpectu tuo, in tanta utriuſque noſtrum vicinia, non poſſe me frui. Sed quicquid eſt hujus incommodi, tempeſtas hiberna, quod licet augurari, abunde mox penſabat. Libros apud te pridem depoſitos non ſine plurima moleſtia tua, ut tandem auferat, ancillam nunc ecce mitto, cui permittantur huc deferendi licet. Vale, mi Graevi, cum conjuge lectiſſima, & ceteris amicis. Vredenhoevii CIƆIƆCLXXIV. XVII. Octobris.

EPISTOLA CCXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ANte meam e villa profectionem grates debebam egiſſe haud perfunctorias, pro libris tum ad me tam diligenter curatis, ſed praecipitatus abitus vix permiſit, ut officii partes explerem, mi Graevi. Interim mandavi meis ut, quod in Zyliana debetur auctione, expungant quamprimum, tum ut de pluteis ac foris Elzevirianis rem curent diligenter. Quod ſi vix fiat, ut venales illi ante Kalendas Novembres Julianas proponentur, inſpici interea temporis, quod malim, a memet ipſo poterunt ante emptionem: ſub illud enim tempus, ad villam redire ſtatui. Sin res procraſtinationem non fert, monendi erunt tempeſtive mei; ut venditione pluteorum ſe praeſentes ſiſtant, cum venum exponentur, indicem librorum venalium ſi quem apud vos nanciſceris, ejus copiam ut facias mihi, vehementer te rogo. Vale, mi Graevi ſuaviſſime, cum tuis omnibus. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXIV. XXV. Octobris Gregor.

EPISTOLA CCXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas tu mihi gratias debeas ſane ignoro. Sacer eſt & inteſtabilis, qui ſuae fidei credita, etiam peregrinorum, nedum tanti amici, non ſervat aeque ac ſua. Id equidem doleo te adverſa valetudine conflictatum eſſe, ac tui videndi facultatem mihi fortunam invidiſſe. Hoc tamen ſolatio eſt te nunc confirmatum (ſic me jubent augurari tuae noviſſimae, in quibus nullam valetudinis mentionem facis) brevi reverſurum eſſe in vicinam villam, & longiore ſuaviſſimae conſuetudinis tuae uſura hanc jacturam penſaturum. Grava dedita licet tibi nunc tuto tuam explicare ſuppellectilem Muſicam, praeſertim ubi res forenſes fuerint ex ſententia compoſitae. Spero calumniarum omnes ſinus tandem excuſſos eſſe, ut optati otii copiam in Muſarum contubernio ſis hac hyeme habiturus. Elzevirianam auctionem non eſt ut expectes in pluteis emendis. Illi jam veneunt, & primo licitatori addicentur. Non tamen emtorem invenient facile in tantis anguſtiis pecuniae. Si cui tuorum mandaveris has partes illos comparandi, dabimus operam ut ſalubriter tibi vindicentur. Indices librorum ut ad te mittantur, ſi qui prodibunt, mihi erit curae. Ante hos tres dies me inviſit *Caroli Friſii* filius, cujus ſoror ingenii & eruditionis laude floret. Ille ducit ordines inter noſtros. Hodie ſummo mane vidi Nobilem Holſatum, qui ante menſes aliquot Lutetia venerat huc nos ſalutatum. Nunc eo remigrat comitem ſecum abducens *Konings-marckii* filium, illius, qui in Bonnenſi obſidione cecidit. Sed ante Gravam excurrendum ſibi ſtatuit. Cis paucos dies revertetur. Tum ad vos contendet tui in primis videndi cauſſa, & ut a te auferat filiae *Tanaquilli* Fabri τῆς μακαρίτου, quae ad Dictyn Cretenſem emendandum ex antiquis codicibus excerpſiſti. Proximo die Jovis, aut ſummum Veneris erit praeſto, ſi te Hagae invenerit. Sin, in villa tibi occurret, quod ex me ſe ſperat intellecturum, ubi fuerit ad nos reverſurus. Is mihi narravit *Meibomium* nunc in Anglia degere, tentaturum num illi genti ſuas poſſit vendere triremes, cum noſtrorum ſtupor tantum bonum non intellligat. Apud Propertium lib. III. El. 5. manum do, & huic conjecturae tuae.

Vinctaque funeſto lanea vitta toro.

Applaudo. Rectiſſime animadvertiſti *funeſtum virum* pro mortuo adverſari recte Latine loquentium conſuetudini. Arridet quoque mirifice lib. IV. El. I.

Averſis Chariſin cantas: averſus Apollo
Poſcitur invita verba pigenda lyra.

Cantas firmat Palatinus poſterior. Prior vero corrupte *cartas*. & Commelini codex: *Accerſis lacrymis Charitas.* Beroaldus volebat: *Adverſis Muſis cantas.* In ſe-

ſecundo tamen verſu poſſet etiam reſcribi: *Poſcis & invita verba pigenda lyra.* In eodem poëtae lib. 1. El. 20. ſcribitur in vulgatis:

Hunc tu ſive leges umbroſae flumina ſilvae.

& quae ſequuntur dein:

Nympharum cupida ſemper defende rapina.

Nonnulli libri *cupidas rapinas.* legendum cenſeo:

Huic tu, ſive leges umbroſae flumina ſilvae.
Nympharum cupidas ſemper defende rapinas.

Ut apud Virgilium:

Solſtitium pecori defendite.

Mox verſ. 27. mallem:

Oſcula ſuſpenſis inſtabant carpere pennis,

Vulgo *palmis* inſcite. In verſu 29. haeret mihi aqua. Cogitabam quidem:

Ille ſed extremum intendens ſubducitur illis,
Et volucrum ramo ſubmovet inſidias.

Sed mihi non ſatisfacio. Tuum reſponſum expecto. Hyginum *Schefferi* nondum vidi. Spero fore, ut propediem ad nos perferatur. Aveo enim illum evolvere. Ἀνεκδότους Origenis libellos, quos *Wetſtenius* Baſileae publicavit, credo jam te legiſſe. Gallos in Germania pedem referre retro, inſtantibus Caeſarianis cum foederatorum auxiliaribus copiis, ad nos perfertur. Vale, Princeps Amicorum & ingeniorum. Trajecti ad Rhenum XVIII. Octobris CIƆIƆCLXXIV. Dionyſ. *Trelſchius*, noſter tibi ſalutem dicit plurimam.

EPISTOLA CCXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Cum per ſe longe mihi ſemper ſint gratiſſimae tuae epiſtolae, tum nunquam non aut nuntii aliquid amoenioris, aut eruditae diſquiſitionis ſecum trahunt, mi Graevi, quo pretium earum non ſit unum, ac numeroſa me adficiunt oblectatione. Malim equidem has elegantias ex ipſo fonte, hoc eſt, e tuo praeſentis ore a me hauriri, ſed adeo accreſcunt aliae ex aliis ſuperveniuntque nolenti forenſes tricae, ut quando ſim futurus meus, cum velim unice, ne ſpe quidem ſatis poſſim adſequi, aut voto praeſumere. Accedit aliud oneris ac moleſtiae a valetudine, quae in ipſo nuper itinere perfidum plane in modum me aggreſſa, nondum penitus intermittit. De pluteis Elzevirianis fortaſſis coram videbo, quando lentum id eſt negotium. *Caroli Friſii* filium, quem militare ſub ſignis foederatorum Belgarum aſſeveras, conciliatum mihi velim, vel propter patruum, quem a teneris amo & obſervo, parenti meo longe cariſſimum, & virum profecto inſignem. De *Funeſto toro* ſententiam meam tuo approbari calculo eſt cur laeter. Tum alterum illud, *averſis Chariſin cantare.* Elegia fabulam

lam Hylae complexa lib. I. 20. jam puto in obſervationibus *Gronovius* occupavit monere ſcribendum, *Huic defende cupidas rapinas*. Sed, & *Silae umbroſae*, non *ſilvae*, illic caſtigandum, niſi id ab aliis jam monitum. verſ. 27.

Oſcula ſuſpenſis inſtabant carpere pennis.

Gujetus quoque corrigebat. At ego nil temere immutarim. Vix enim oſcula ſumuntur, niſi addito amplexu, Apud hunc ipſum libri I. Eleg. III.

Oſculaque admota ſumere carpta manu.

Ita enim locum longe vexatiſſimum puto eſſe conſtituendum. Aliter amicus noſter Obſervat lib. IV. cap. 6. Poſſes &, *ſumere rapta*. Sed & apud Naſonem: *Non ſuper incubui, non oſcula frigida carpſi.* Si velis referre ad jactationem baſiorum, quod fiebat ori admota manu, ut in theatris, longius id a vero fortaſſis abeat. verſ. 29. locus mire me vexavit aliquando, ſed nil proximius vero potui eruere, quam quod hic propono,

Ille, ſed extrema pendentes ludit in ala,
Et volucres ramo ſubmovet inſidias.

Volucres inſidias poſuit pro fratrum volucrium inſidias. Hylas ſub arboris propinquae ramos ſe recipiebat, ut tutus eſſet ab inſidiatorum volucrium oſculis, quos ita ludebat. *Pendere in ala*, ut *pendere in novacula* apud Phaedrum. *Amiciri in alis* apud Naſonem Metam. V. verſ. 546.

Ille ſibi ablatus fulvis amicitur in alis.

Sed de his alibi plura. *Nunc pendent extremis in alis*, quibus *Palmas ſuſpenſas* paulo ante videmus datas, mox ſcribendum,

Jam Pandioniae ceſſant genus Orithyiae,

vel certe, *ceſſit*. Quod eſt in Modiano Codice. *Ceſſant* tamen malim, quia agitur de duobus. *Jam ceſſant* inſtare. *genus*, pro liberis. Ita frequenter Maro; Plura erant, ſed jam ſum nimius. Hanc elegiam ex profeſſo emendare ſunt aggreſſi, ut ſcis, *Lipſius*, *Rutgerſius*, *Gronovius*, ſed ingens ſpicilegium meſſores optimi nobis reliquere. *Trelſchium* & caeteros amicos plurimum jubeo ſalvere. Vale. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XXX. Octobris.

EPISTOLA CCXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EN tibi reſponſum, ad quas heri a te accepi. Mihi non licet eſſe tam beato, ut quod tuis acceptiſſimis debeo reſponſum, poſſim expedire. Accinctus enim itineri Amſterodamenſi vix haec tria verba effundendi otium habeo. Cis duos treſve dies videbis *Walterum*, juvenem egregium, Rectorem morum Comitis *Konigs-marckii*, per Angliam Pariſios contendentem, cui faſciculum ad Ducem *Montoſerium* commiſi, & nonnullos amicos. Ejus fidei & tu tuto credes, ſi quid curatum volueris. Vale, Heinſi Nobiliſſime & tuam cura vale-

valetudinem diligenter, ut propediem te hîc ſalvum complectamur & incolumem. Trajecti ad Rhenum a.d. XXII. Octobris CIↃIↃCLXXIV. Dionyſ.

EPISTOLA CCXXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ADfuit hodie ipſo mane mihi *Walterus* tuus, quem haud temere laudabas, mi Graevi, adeo mihi viſus eſt, non modo omnes tuae commendationis numeros implere, ſed multo plus praeſtare, quam aut tu pollicebaris, aut ego exſpectabam. Quando in ſuburbanum veſtrum hinc emigraturus ſum, non tibi poteſt minus exploratum eſſe, quam eſt mihi. Triconem certe meum, nullis conviciis, nullis pipulis, quîs palam hîc a me differtur per circulos, excitare poſſum, ut aut ſui obliviſcatur, aut meminerit mei. Tam lente haec ſanguiſuga viſceribus meis inhaeret, ut obſurdeſcat plane ad omnes rumoris ſiniſtri ſtrepitus, omnemque ſenum ſeveriorum, atque adeo ipſorum judicum, criminationem aſſis aeſtimet unius. Rogo has ſolemnem in modum perferendas cures, quo deſtinantur: tum amicos communes ut ſalutare a me ne graveris. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. VIII. Novembris. Senecio *Junius*, oblata ſua a vobis negligi & tranſmitti ſilentio, ut mihi viſus eſt non ſemel, fert perquam indigne, & ſtomachatur. Ad Amſtelodamenſes itaque ibitur, quando videt ſua munera obtrudi vobis haud poſſe. Tu vero, mi Graevi, ad Meurſianas trium Inſularum antiquitates quando praefaberis?

EPISTOLA CCXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NAE tu homo es infelix, cui conflictandum eſt cum ingenio tali, cujus frons obduruit ad judicum minas, & aures obſorduerunt ad omnium criminationes, ut non niſi legibus poſſit expugnari! & cogi ad officium faciendum. Sed ſpero tandem conſumtum eſſe, quicquid calumniarum in foecundo litium pectore reconditum latuit, & propediem tibi optati otii, nobis tuae perquam deſideratae conſuetudinis, copiam futuram in vicino ſeceſſu. Litteras tuas illico curavi per nautas Amſterodamenſes. Nam die Veneris nulli ex vicinis pagis ad nos veniunt. De locis Propertii propediem pluribus agam. Nunc in anteceſſum. In omnibus, quae notaſti in litteris noviſſimis, videris rem acu tetigiſſe, niſi quod nondum videam, quid ſit *pendere in extrema ala. Pendere in ala* venuſte dicitur & pereleganter, ut *pendere in novacula*; ſed *pendere in extrema*

ala

ala non capio. Sed de his alias. Nunc mihi properandum. Pridie vidi *Cuperum* noſtrum, qui ſecum perferebat Ἀποθέωσιν Homeri eleganter illuſtratam, ut & explicationem icunculae antiquae, quae viſitur in Muſaeo τȣ̃ φιλοκάλȣ *Smetii* Neomagenſis. Uterque liber offeretur Amſterodamenſibus bibliopolis edendus. Mihi quoque reliquit perlegendos Obſervationum libros duos ineditos bonae frugis plenos, in quibus multa numiſmata antiqua, & in primis rem veſtiariam Romanorum luce perfundit clariſſima. In tuum quoque veniet complexum brevi. Lutetia litteras habui a *Juſtello*, quae nuntiant Gloſſaria *Labbaei* nondum eſſe detexta negligentia bibliopolae. *Bochardi* quaedam opuſcula poſtuma eſſe editioni parata, ſed *Stephanum Monachium*, cui mandata ſit cura illorum, in vinculis eſſe, quod credatur auctor fuiſſe virgini noſtrorum ſacrorum, ut fuga ſibi conſuleret, ne a parente, qui ſacramentum mutaverat, elocaretur ſponſo Romanenſium caerimoniis addicto, aut ſaltem conſiliorum particeps. Ejus vicem dolent quicquid in Gallia eſt eruditorum. Adnectit, aegre illum Eccleſias Gallicanas dimiſſuras, ut Lugdunenſem provinciam ſuſcipiat ornandam, quamvis libertati fuerit redditus. Lutetiae prodire librum de numiſmatis antiquis, a viro conſcriptum peritiſſimo harum artium: ut & vitas Epiſcoporum Aurelianenſium, diſſertationem de Triſagii origine, epiſtolas Paulli Servitae, de progreſſu, & cultu virginis Mariae in Eccleſia, vitas Baſilii, & Gregorii Nyſſenii & Savanarolae, narrationem rerum a Chanuto in Suecia geſtarum. Ad *Junium* ut hac hebdomade ſcribatur operam dabo. Quaeſo te, ut hunc faſciculum tradendum cures *Waltero*, ſi vobiſcum etiam nunc eſt. Sin jam diſceſſit, fac ut ad me per nautas veſtros referatur. Vale, Heinſi Nobiliſſime, & me ama. Trajecti Batavorum poſtrid. Kal. Novemb. CIↃIↃCLXXIV. Dionyſ. Si videris *Hugenios* Patrem & filium, quaeſo ut eis ſalutem dicas officioſiſſimam meis verbis. Ad filium brevi litteras dabo. *Huetius* veritatem religionis Chriſtianae novis fertur argumentis tueri, & nunc totus in his meditationibus eſſe, de quibus praeclara ſibi ſpondeant, quicunque viri ingenium & doctrinam perſpectam habeant.

EPISTOLA CCXXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PRo magno rei litterariae theſauro fuerunt mihi litterae tuae, affatim agentes, mi Graevi, de iis, quae luci parantur nunc in Galliis opera praeſtantium virorum. Cum odia alternis detumeſcant magis ac magis, fore praevideo, ut liberior in poſterum locus detur litterario commercio, quanquam ipſam ego pacem reſtitutam ſolidum in modum videre malim. Jam ante hoc triennium a *Bigotio* ſum edoctus, *Carcarium* occupari in regiis numiſmatis publici juris faciendis, idque ipſum *Spanhemius* poſt mihi affirmavit, ut id fortaſſe ſit

 opus,

opus, de quo *Juſtellus* proxime agebat. Sin ille alium deſignavit Commentarium hujus argumenti, fateor auctorem mihi eſſe ignotum. quod tuum erit explorare, quando reſcribes. De Gloſſariis *Labbacanis* bilem mihi incitavit lentiſſimus typographus, & expectationi noſtrae tot jam annos nequiter profecto nimis illudens; cum opus illud diutius non premi, publicae utilitatis multum interſit. Quapropter & illa in lucem prolata geſtio videre, quae plurimo ſane cum labore *Franciſcus Junius* hinc inde e Bibliothecis priſcis collegit. Nam quamquam ea potiſſimum conducunt linguis Francicae atque Anglo Saxonicae, aliiſque id genus barbaris illuſtrandis, erui tamen horum adminiculo poſſe vocabula Latina non pauca, quae vulgaribus in Lexicis deſiderantur, hactenus habeo perſuaſum, ut credam. Recte fecerit itaque, ac praeclare conſuluerit *Bootius* ampliſſimus, ſi ſenem extrema jam cogitantem exhortetur, ut aut proferat in lucem, quae hujus argumenti in unum congeſſit complura, aut, ſi id morte praeventus haudquaquam effectum dare poterit, lucubrationibus hiſce per legatum proſpiciat, ne diſpergantur intercidantque multo rei litterariae cum diſpendio. Jam memini ſignificare, adhibitum me & *Conradum Burchium*, hunc, inquam, qui foederatis Belgis eſt a publico aerario, in conſilium a ſene noſtro, ſuper ſcriniis ſuis, quae cum ille Amſtelodamenſi Bibliothecae aſſerenda ſuaſerit, ego, ut ad vos iretur, auctor fueram, jamque perveniſſent, quod volebat *Burchius*, & id cunctatione veſtra; niſi ego perſuaſiſſem hodie, animum fluctuantem ſuſtineret adhuc in dies pauculos vir optimus, dum a vobis litterae adeſſent, unde conſtaret, & me officio functum eſſe, nec vos faſtidire oblata. Tu igitur etiam atque etiam vide, quid vobis hic ſit faciendum. Quas ad *Walterum* miſſas voluiſti, eae utinam tempeſtivius fuiſſent mihi traditae: etenim dominico die hinc Roterodamum diſceſſit, ubi tamen nudius tertius etiamnum haerebat. Si diſceſſiſſe illum inde cognovero, operam dabo, ut faſciculus ad te revertatur. Apud Propertium *in extrema ala pendere* ſic capiebam, ut *extremam alam* poſuerit pro parte extrema alae ac corpori vicina. Id ſi durius videtur tibi, aliud quid excogitandum erit. *Extentam alam* fortaſſis dederit Propertius. Sed hoc in tranſcurſu. Neque enim libri nunc ſunt ad manum, quos ad unum omnes nudius tertius ego hinc in villam curavi deferendos. Quaeſivit me heri *Cuperus*, ſed fruſtra, cum domo prodiiſſem, craſtino, ut ferunt, die huc rediturus, relictam interim meis in aedibus Ἀποθέωσιν Homericam oculis uſurpo plurima cum oblectatione, tam multa ibi occurrunt arcanae eruditionis ſpecimina. *Zeelhemius*, quîcum ſermones modo de te ſerebam, plurima ſalute te impertit. Vale, Flos Amicorum. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XVI. Novemb. Super litteris curandis denuo moleſtiam tibi exhibere cogor perquam invitus. Neſcio ſignificarim *Octavium Falconerium* Bruxellis in Patriam profectum. Ichnographiam Romae veteris miſit quidem jam ad me per bibliopolam neſcio quem, ſed nondum huc perlatam.

EPI-

EPISTOLA CCXXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

VIx haec tria verba mihi licet expedire, & quia mihi partes parentandi *Diemerbroeckio*, qui fatis conceſſit, ſunt impoſitae, & quia ſubinde veniunt amici, quorum conſuetudine & ſermonibus mihi gratiſſimis avocor a negotiis, quae inſtant. Hanc diem dedi doctiſſimo *Cupero*. Modo vidi *Gronovium* ex Italia reducem, opimis Laurentianae bibliothecae ſpoliis onuſtum. Pleroſque Graecos hiſtoriarum conditores cum veterrimis codicibus compoſuit, quorum ſubſidio non modo loca corrupta plurima correxit, ſed & lacunas editionum inſignes ſarcit & complet. Manethonem, Graecum poëtam antiquum, qui Ptolemaeorum tempore vixit, deſcripſit. Tacitum cum membranis, quibus uſus *Pichena*, contulit accuratiſſime. Sed de his aliiſque pluribus agemus, cum tui deſideratiſſimi complexus copia nobis fiet. Habes hîc litteras *Bootii* viri conſularis ad *Franciſcum Junium*, quibus fidem dat lucubrationes ejus ſancte hîc cuſtoditum iri, & lucem viſuras, ut juſſerit. Ad quod officium meam quoque operam defero. Quod ſtudium navavi poſtumis *Rubenii* operibus, id ejus quoque curis praeclaris me praeſtiturum in me recipio. Quaeſo ut virum venerandum meo nomine ſalutes peramanter & perquam officioſe. Miror te de tuis litteris curandis eſſe tam ſollicitum, cum nulla re magis laetor, quam ſi tibi probare poſſim obſervantiam. Hoc vero quantillum eſt, quod curari jubes? Fac periculum, ſi me amas. Quicquid mihi mandaveris pro mea copia & facultate tibi curatum dabo. Vale, meum decus & praeſidium. ὡς τάχιςα. Trajecti Batavorum XI. Novemb. CIↃIↃCLXXIV. Dionyſ.

EPISTOLA CCXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

LItteras tuas, quae ſerius huc erant perlatae, quam ut *Waltero* in Galliam abeunti tradi potuerint, a *Kellero* accepiſſe jam debes, mi Graevi. Eas certe ille ad te perferendas ſuſcepit, propediem huc recurſurus, ut ſpero. De te, diu eſt, quod nihil omnino nuntiorum ad nos pervenit. Nam ad ultimas tuas reſcripſi pridem, quibus quod ſuper addam nihil nunc eſt in promtu. A Mathematico Sarmata ecce alias hîc litteras, quae hominibus apud vos horum ſtudiorum peritis exhibeantur licet, ac deinceps una cum prioribus,

reſtituantur mihi, quod tibi curae eſſe in primis velim. Pergit ſibi blandire, ut vides, vir minime malus ſuper novo invento. A receſſu villico me tanto tempore avelli permoleſte fero, quando Bibliothecam omnem eo perferendam jam curavi, ut prorſus libris omnibus ſim deſtitutus. Haſce tuae fidei commendo. Vale. Hagae Comitum XXI. Novemb. CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CCXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NE nunc quidem licet mihi meo morem gerere animo, & tuis copioſius reſpondere. Cras mihi verba facienda ſunt pro concione de vita *Diemerbroeckii*, qua cura cum fuero defunctus, me tibi probabo cultorem officii non negligentem. Cum *Bootio* Conſule egi de Viri ſummi *Franciſci Junii* habitatione, quam hîc quaerit. Invenimus chirurgum non longe remotas aedes a bibliotheca publica habentem, qui fidem dedit ſe locaturum cubiculum ſatis amplum, ſi qui conducturus erit, ſit ſpectatae probitatis. Poterit interea ſi ſedet quamprimum migrare, Venerandus ſenex ſuas ſarcinas in meas aedes ferendas curare, donec ille locum habitationis inſpexerit. Mihi nihil erit antiquius, quam tantum hoſpitem accipere. *Bootius* quoque laetitia efferebatur, cum acciperet ex tuis litteris, tantum theſaurum & ornamentum noſtrae bibliothecae acceſſurum eſſe, & hîc ſedem fixurum, cum quo de patriis antiquitatibus fabulas ſerere, & de obſcuris rebus, quae nonnunquam ſcrupulum ei figerent & crucem, agere poſſit, hoc eſt, quod ſit habiturus oraculum, quod poſſit conſulere. Meis quoque ſtudiis multum emolumenti promitto ex σεβασμιωτάτυ Viri conſuetudine & ſermonibus. In officio enim praeſtando nihil ſtudii in me patiar deſiderari. Vale. ὡς τάχιστα. Trajecti a. d. XXVI. Nov. CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CCXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ADfuit mihi hoc ipſo die, & mecum pranſus eſt *Jacobus Gronovius*, ex Italia nuper ad nos redux: primo congreſſu multus erat in querelis congerundis eam in epiſtolam, quam ad *Magliabechium* dedi. Sed edoctus nec a me id factum animo maligno, nec ab illis, quos auctores eram ſecutus, qui ma-

maluiſſemus decurſum illi ſtudiorum omnem inoffenſum obtigiſſe apud Etruſcos, ac omni ex parte cum bono publico conjunctum, remiſit ab iracundia nonnihil, ſic ut placatior ſit viſus mihi diſceſſiſſe, quam venerat. Reliqua iſtius rei ut differantur in congreſſum noſtrum ſatius omnino reor. *Franciſco Junio* epiſtola Ampliſſimi *Bootii* per me tradita eſt heſterno die ſub veſperam, quam ſenex optimus animo ac vultu hilari accepit legitque me praeſente. Nec minore laetitia eſt adfectus, quando ſubindicavi, quod tu eadem de re ad me perſcripſiſſes. Hodierno mane, ut oſtenderet negotium omne ſerio abs ſe agitari, ultro me convenit, ita animatus, ut ante tempeſtatem hibernam caſtra ſarcinaſque ad vos tranſlaturus videretur, cum pulviſculo omni Antiquitatum Francicarum atque Anglo Saxonicarum. Praeſertim vero gaviſus eſt, per litteras *Bootianas* edoceri nondum veſtratibus excidiſſe memoriam illarum rerum, quas in commodum concordiamque Eccleſiae pater ſuus ante finem ſeculi proxime decurſi effectum dediſſet veſtra in civitate. Agebat porro mecum de conducendo ſibi apud vos cubiculo, certe de loco habitationi opportuno circumſpiciendo, quem optare ſe agebat, nec remotum a bibliotheca publica, &, ſi confici id poſſet, in chirurgi alicujus aedibus: idque, ut opinor, ob herniam, quam moleſtam nonnunquam ſolet experiri. Oſtendebat praeterea *Voſſii* Junioris litteras Londino recens ad ſe perlatas, quae narrabant Patrui caſum, ab illa matrona, quîcum litigat ſuper *Brouniana* hereditate, circumventi proxime, & in carcerem conjecti, dum a rure redux civitatem ipſam ſui ſecurus intrabat. Emigraſſe tamen vix ex iſta colonia, *Beuningii* herois interventu, poſt praedes datos. Vides, mi Graevi, quantum moleſtiarum opes importunae ſecum trahant. Diogenem ſane accepimus, pera ſua contentum, nullis omnino huic contumeliae ſimiles injurias a matronis quibuſcumque perpeſſum eſſe. Amicus noſter jam aetate confectus ſi vitae ſuae tutelam Priapo nonnemini melius peculiato concrederet, poterat fortaſſe matronas rapaces ſuo a capite abigere, ſuoque a rure. Nunc metuo ne impune illi hae pergant inſultare, expectato judicum non nimis triſtium favore per aetatis florem, ad quem noſter ille quovis Achille pridem valentior, tunc funeratus plane, & ſenſu carens communi, non obriguit quidem, quod me Hercules mallet, ſed angue lentior ſubmiſit faſces dejectos. Verum nae ego longe nugaciſſimus ſum, qui, dum nihil habeo, quod ad te perſcribam, haſce ad ineptias decurro male feriatus! Tu ignoſce luſibus intempeſtivis, & vale, Graevi ſuaviſſime. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XXIII. Novemb.

EPISTOLA CCXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MOdo perferuntur ad me tuae, e quibus ſum edoctus Junianas res curae vobis fuiſſe, mi Graevi. Faxo Senex noſter id ex me intelligat, die craſtino: nam hodie ne conveniri a me poſſit, tricae faciunt forenſes. Interim negotium omne clam habeatur rogo. idque compluribus de cauſis, quas ut coram ex me cognoſcas, ſatius duco. Putabam me defunctum eſſe jam pridem mandatis omnibus apud domeſticos meos, ſed ſemper aliquid novi ſubnaſcitur, quod prioribus mandatis ſit addendum. Quare veniam rurſus peto tot moleſtiis, quibus te indeſinentur obtundo. *Vollenhovius* ſignificavit mihi Suetonium tuum, quem *Cottono* volebas oblatum, eo die ſibi eſſe traditum, quo diſceſſum ex urbe Londini eſt molitus: curam itaque exemplaris perferendi in ſe recepiſſe *Gerardum Voſſium*. Vale. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XXIX. Novembris.

EPISTOLA CCXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

HOdie me denuo convenit optimus ſenex, quem noſti, deque maturanda ad vos ante brumam profectione conſilium mihi ſuum aperuit. In aedibus Chirurgi a te jam deſignatis, ſi locus eſt habitationi non incommodus, poterit ſuper cubiculo locando tranſigi per temet ipſum, ſed ea lege, ut ſenex noſter de pactis habendis ratis ſervet ſibi integra omnia, quod tutiſſimum eſſe arbitror & illi & tibi, ne, cum ad vos venerit, ſi locus forte diſpliceat, aut aliud quid minus approbandum offeratur, reſiliri non poſſit a pactis. Auguror interim curae tibi fore, ut hoſpites, ad quos devertetur, nec inofficioſi ſint, nec improbi. Si Chirurgi aedes parum reſpondent, excipiendo commodum in modum noſtro ſeni, poterit in vicinia Chirurgi cubiculum circumſpici, quod aedibus ejus ſit propinquum. Videtur praeterea oculis uti ad veſpertinum lumen infirmis ac caligantibus: quare cupiat puerum aut adoleſcentulum eſſe in eiſdem aedibus, quem anagnoſtae loco interdum habeat, Latini ſermonis non imperitum omnino. Sed talis puer ut aegre, puto, occurret, ita ſi occurret, ſub diſciplina ſenis profectus in ſtudiis nonnullos inter praelegendum ſperare ſibi utcumque poſſit. Ego de hiſce omnibus te compellandum a me fore ſum pollicitus. Marmora Arundeliana, quae curis *Seldeni* ſecundis auctiora pro-

prodiiſſe rebaris, nulla prodierunt apud Britannos. Sed operam Seldenianorum, quod praelo nondum committi coepere, partem conſtituent nonnullam. Scholiaſten tamen Arati ibidem terrarum luce donatum publica, qui ante cum tineis ſit luctatus, audio & exſpecto. *Suareſius* Epiſcopus ex Arcu Triumphali Septimii Severi emblemata exquiſitiora collegit, typiſque deſcribenda in urbe ac obſervationibus ſuis illuſtranda mox fore promittit. Sueci neſcio quid turbarum minantur nobis, aut, cujus per latus petendi ſumus, Electori Brandeburgico: hos ad ſaniora conſilia Proceres noſtri contendunt revocare. Vale, mi Graevi. CIↃIↃCLXXIV. III. Decembris.

EPISTOLA CCXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

CUm chirurgo tranſegi, hac lege, ut σεβασμιωτάτῳ *Junio* integra ſint omnia. Pro annua habitationis mercede quinquaginta florenos, ſi ſecum tulerit lectum & ſtragula, ſin minus, ſexaginta pendet. Locus non videtur eſſe incommodus, niſi quod ſcalae, per quas in cubiculum illud adſcenditur, ſint paullo tenebricoſiores. Chirurgum non novi: mihi eum commendavit ampliſſimus *Bootius*. Uxor ejus eſt ſoror bibliopolae noſtri *Dreunii*, quae dicitur eſſe plena officii & ſpectatae probitatis ac integritatis. Ajunt in aedibus eſſe puerum, qui poſſit anagnoſtae partibus fungi. Si non reſpondebunt votis Nobiliſſimi Viri hae aedes, alias facile inveniemus. Cubicula enim proſcribuntur plurima undique. Sed non poſſumus de hac re decidere, niſi ipſe coram omnia fuerit arbitratus. Mihi ſummae curae erit, ut tantus vir locetur quantum poteſt commodiſſime. Quaeſo te ut ſalutem ei meis verbis dicas amantiſſime, deque meo ſtudio, & obſequio ac officiis, cum ad nos ſe receperit, eum certum eſſe jubeas. Quae de marmoribus Arundellianis, & aliis Seldenianis operibus propediem publicandis, ut & Scholiaſte Arati narras inedito, nec non de *Suareſii* lucubrationibus magna accepi cum voluptate. Utinam propediem ad nos perferantur. *Henricus Valeſius* adornat editionem non nullorum Mechanicorum Graecorum ſcriptorum ἀνεκδότων. Columna Antoniniana & Trajana jam lucem vidit. [1] *Boſianam* bibliothecam perquam copioſam, & rariſſimis libris refertam ſibi vindicat Academia Jenenſis, cum haeredibus pacta, ne aliis emptoribus addicatur. Opuſcula nonnulla poſtuma luci donabuntur publicae. Reverendus *Burmannus* noſter ſalutem tibi dicit plurimam & officioſiſſimam. Peſſimis modis accipitur a τοῖς ἐν τέλει. In ſtipendio ejus recidendo nec

1 Vid. Epiſtol. ad *Weizium* XLIX. & XCII. & *Tentzelii* diſſert. VIII. de Baptiſmo Conſtantini M. pag. 315. & nova literar. German. 1703. pag. 238.

nec [1] pactorum, nec meritorum, quibus devinxit ſibi hanc Academiam, & etiamnunc devincit, habetur ratio. Nam ejus ſcholae celebrantur magno concurſu ſtudioſorum, cum ejus collegarum fere Ulubris ſint infrequentiores. Itaque te rogat & obteſtatur, ut per Nobiliſſimum *Zeleemium* ei procures diploma Principis Sereniſſimi, quo & ſtatio & ſtipendium ejus in tuto collocetur, & hominum ei adverſantium iniquitas comprimatur. Non difficilem ſpero ſe praebebit Nobiliſſimus *Zeleemius*, qui novit mollia fandi tempora. Aget *Burmanni* cauſſam quoque *Reinſwoudius*, & ejus filius ex Anglia redux, qui ei mirifice favent. Tu tibi perpetuo beneficio obſtringes hominem eruditiſſimum & tui ſtudioſiſſimum, nec non ejus ſocerum, ſenem optimum, qui & te magni facit, &c. Parentem tuum τ̀ πάνυ, cui longo uſu & conſuetudine conjunctiſſimus fuit, in coelum fert. Quicquid in illum contuleris, in me collatum exiſtimabo. Vale, Vir Nobiliſſime, & me ama. Trajecti Batavorum Kal. Decemb. CIↃIↃCLXXIV. De Suecorum expeditione, aut ſpe pacis ſi quid certi habueritis, velim ex te intelligere. Quando tandem te hîc ſumus viſuri? ἔξεχ' ὦ φίλε ἥλιε. Nobiliſſimo *Zeleemio* ut ſalutem dicas plurimam rogo, nec non Reverendo *Vollenhovio*, ſi eum videris. In ſchedula hac cauſſam ſuam vos docet ipſe *Burmannus*.

1 Bis vocatus in Academiam Batavam, & conditione illa non uſus, acceſſione inſigni annuorum fuerat auctus; ſed cum ab omnium profeſſorum ſtipendiis propter aerarii anguſtias aliquid recideretur, hanc praecipuam expertus eſt injuriam, ut duplicem imminutionem pateretur, & primum, quod praecipuum prae aliis Collegis habebat, adimeretur, deinde communi omnibus ſorte, aliam reliqui ſtipendii jacturam faceret; & licet *Graevio*, & forte aliis, illud damnum poſtea reſarciretur, Parentis tamen, nec heredum ejus, licet ſaepe efflagitaverint, nulla ratio haberetur; certe non ejus partis, quae prae aliis ipſi detracta fuerat: ſed quid ſperaret ab illis, qui jam ante tempeſtatem illam Franciam calumniis & vexationibus vitam ipſi acerbam fecerant, & jam impotenter dominabantur, nec ullam aequi aut meritorum ejus rationem habebant?

EPISTOLA CCXXXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DUm forte proximis diebus ad Leidenſes meos excurro, *Theodoro Ryckio* perorare juſſo, ſuper rebus ab Arauſionis Principe adverſus hoſtem nuper praeclare geſtis, aurem commodaturus, a morbo in ipſa via ſum deprehenſus: unde aeger relatus domum graviter decumbo hactenus, mi Graevi. Sic tamen, ut majore valetudinis incommodo periculoque jam nunc defunctus vires haud modice dejectas erigam paulatim atque inſtaurem, in villam me recepturus e turbis aulicis forenſibuſque, ubi primum id licuerit per attenuati corporis compagem, plane fractam ac ſolutam. Ipſa illa hora, qua poſtremae tuae ad me perferebantur, compellatorem habui *Junium*, ſuper illa, quam ſcis, ad vos emigratione ſua: quo in propoſito ſic confirmatus videbatur poſt tuas

per-

perlectas, ut tanquam ſarcinas complicaturus a cubiculo meo diſcederet domum. Reverſus tamen poſt meridiem cauſſari coepit praeter alia, de quibus agetur inter nos coram, hibernae tempeſtatis incommoda, iter facturis, praeſertim ſenibus, formidanda jure optimo. Auctores itaque amicos ſibi fuiſſe (*Burchium* convenerat credo) ut in vernum tempus profectionem rejiceret, mitiori certe coelo inſtitutum illud reſervaret. Quid conſilii ſit porro capturus, minime compertum habeo: ſed laetor nos illi non defuiſſe. Te interim Ampliſſimumque *Bootium* ſalvere juſſit peramantem in modum. Nobiliſſimus *Zeelhemius*, etſi ad me viſat haud rarus, tamen de *Burmanniano* negotio ante heſternum diem cum illo ſerere ſermones non eſt datum, ſupervenientibus ſemper poſt alios aliis amicis, quorum nihil intererat ſcire juſtiſſimae indignationis cauſſas. Pridie tamen, vix uno praeſente *Wallio*, multi fuimus in illo ſermone: ſic ut & ille videretur amico noſtro haud parum favere, & iraſci tam proterve inſultantibus ejus capiti ac fortunis. Eram autem jam ante edoctus per amicos aulicos, Principem, etſi ſuffragari Patribus Theologorum conſcriptis mira diligentia ſolitum, tamen intellecta horum impotentia, atque intemperie, qua magiſtratui in concionibus apud populum plus nimio ſint graves, palam nuper profeſſum, id vehementer ſibi diſplicere, datis etiam *Nelleſteinio* conſuli veſtro ſuper hac re mandatis; tum *Landmanno* juſſo id ad illos perſcribere, ac laſcivientes, nec ſibi temperantes, ſeriis verbis commonere, ne quid tale committant in poſterum: ſed ut ad *Zeelhemium* revertamur, auctorem ille me habuit, ut conſilium cum *Renswoudio* patre communicaret, illique praeeunti apud Principem amici noſtri fortunis ſedulus ſuccenturiaretur. Nam de diplomate impetrando rem fore cum difficultate conjunctam praemetuebat. Si ceſſabit aut cunctabitur in officio, urgere hominem non deſinam. Amicos communes jubeo ſalvere. Vale, flos amicorum. Hagae Comitum. CIↃIↃCLXXIV. XIX. Decembris.

EPISTOLA CCXLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SAepe deteſtatus ſum lites forenſes, quibus diſtineris, ut nec pulcherrimis tuis lucubrationibus perpoliendis vacare poſſis, nec nobis deſideratiſſimae tuae conſuetudinis fructum repraeſentare. Illis non poſſumus carere ſine multarum belliſſimarum rerum, quas vi & ſollertia ingenii tui eruiſti e tenebris, ignoratione: tui vero deſiderio tanto flagramus, ut id ferre vix queamus. Has moleſtias mirum in modum auget incredibilis dolor, quem ex tuis nuperrimis litteris cepi, quibus ſignificas te denuo correptum valetudine adverſa jacere. Male ſit huic importuno morbo, qui toties te invadit & vexat, & tuum corpus & meum animum conficit. Reſipuit quidem nonnihil, cum periculo te de-

defunctum ſignificas, & vires recolligere, ſed non potero tamen moerore animi hoc liberari ante, quam te ſalvum & valentem eſſe intellexero, qui dudum decrevi in tua ſalute meam verti & litterarum, quarum decus, praeſidiumque es hac tempeſtate unicum, & amicus mihi ac patronus certiſſimus. Chriſtum ſervatorem veneror, ut tibi praeſens ac propitius decumbenti adſit, mihique adeo, cui ſine te vita eſſet acerbiſſima, & invisa. Te vero rogo & obteſtor, ut abjectis aliis omnibus curis te foveas ſummo ſtudio, & hoc unum agas, ut recuperes priſtinam valetudinem. Omnia me conſecutum eſſe putabo, ſi te firmum videro. Hoc brevi futurum praeſagit animus tuis confirmatus litteris, tam nitide & ornate ſcriptis, ut fidem mihi faciant animum vigere, & corpus confirmari, utque vulnus, quod inflixerunt, prope ſanarint. Sollicitudinem omnem, quae me nunc etiam angit, proximas litteras tuas ſpero exemturas, quas avide expecto. Quicquid venerando ſeni placebit, nobis quoque probabitur. Nam licet nihil nobis longius ſit, quam ut tanti viri ſermonibus eruditiſſimis poſſimus frui, & huic urbi accedat tantum ornamentum, ſummam tamen voluptatem, quam ejus nobis adventus allaturus eſt, ne minimo illius incommodo velimus redemtam. Itaque ſuſtinebimus, donec per aëris clementiam ei licuerit ſine moleſtia ſedem ſuam huc transferre. Si eum videris, quaeſo ut ſalutem ei verbis amantiſſimis meo ampliſſimique *Bootii* nomine impertias plurimam. *Burmannus* tibi & Nobiliſſimo *Zeelemio* gratias agit apud me ſummas, pro ſtudio amoreque, quo illum proſequimini: nec dubitat *Zeelemium* occaſionem inventurum ejus cauſſam agendi apud optimum Principem. Si diploma non poterit auferri, alia ineunda erit ratio ejus fortunas fundandi, ſi modo Principis adſpiraverit gratia. Speramus quoque *Reinſwoudium*, qui ejus cauſſa omnia velle prae ſe fert, facilem ſe praebiturum in optimi viri dignitate & fortunis tuendis. Tu, quod te facturum eſſe promiſiſti, Nobiliſſimo *Seleemio* nonnunquam aurem velles, ne animo tot negotiis diſtracto haec cura effluat, donec omnia tranſigantur ex ſententia. Eum officioſiſſime ſalvere jubeo. Vale, o decus noſtrum. Trajecti Batavorum a. d. XI. Decemb. CIƆIƆCLXXIV. Communes amici te ſalutant, praecipue *Trelſchius* tui admirator & amator ſummus.

EPISTOLA CCXXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

VAletudo tua mirum in modum anxium me habet & ſollicitum. Nam quamvis tibi eſſe meliuſcule nuper ſcripſeras, quia tamen nec te, quem hic indies expectabamus, nec tuas vidi litteras, incredibili ſum ſollicitudine, ut omni caream delectatione, nec in ulla re conquieſcere poſſim, donec certior factus fuero, quomodo te habeas. Spero te nihil non diligentiae adhibiturum,

ut propediem te firmum & valentem hîc complectamur. Deum obſecro, ut te nobis ſervet, ac rei litterariae, cujus tu unicum es columen. Si me magna moleſtia vis levari, fac ut quamprimum intelligam, ut valeas. Omnia me conſecutum putabo, ſi te nobis incolumem praeſtiteris. Nunc quod ſcriberem, aliud non erat, nec ſi eſſet quicquam, liceret id mihi per hanc aegritudinem, quam tua infirmitas mihi attulit, expromere. Remitto has epiſtolas. Noſtri Mathematici commentum iſtud explodunt, & pro vano habent. Nobiliſſimo *Seleemio*, quaeſo, ut ſalutem dicas meo nomine amantiſſime, & aurem vellas de negotio Burmanniano. Si Sereniſſimus Princeps de injuria viro optimo illata certior redderetur, & *Burmanno* via quaſi muniretur ad ejus gratiam, ipſe, cum Princeps per hanc urbem ad Sicambros ſe conferet, aucupabitur occaſionem cauſſam ſuam orandi. Vale, decus unicum litterarum. Trajecti ὡς τάχιςα: a. d. XVII. Decembris CIƆIƆCLXXIV.

EPISTOLA CCXXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

TEntabam modo, ſi vires ferrent, ut hoc ipſo die iter ad vos in villam certe capeſſerem, mi Graevi: quas cum exploraſſem levi inambulatione, non reſpondere coeptis poene ſerus intellexi: tanta inambulantem laſſitudo excepit. Rejicienda igitur fuerunt haec cogitata in diem perendinum, quando nocturna navis denuo hinc ad vos abitura dicitur. Te ut in via compellem vix erit virium mearum: quid, quod res meae flagitant, ut maturem iter. Poſt diem alterumque quieti in villa datos, aut ad vos advolabo, aut ut mihi te ſiſtas hoſpitem, eris prece ſumma rogandus, cum ille, ad quem jure proprietario villa pertinet, ejus locatae pretium altera parte poſt Majum menſem velit adauctum: per hanc iniquitatem fiet haud dubie, ut vicinia noſtra interpelletur. Quanquam in agro veſtro complures villas, nec minus commodas, pretio minore occupari poſſe facile perſuadeor ut credam. Nobiliſſimum *Seelhemium* per dies feſtos non vidi, etſi ſolebat frequentius ad decumbentem nuper viſere, ſi ante profectionem meam aderit, ſuper *Burmanniano* negotio auris illi denuo erit vellenda. Velim enim res viri optimi in tuto collocatas videre, ſic ut nihil libentius. Quas ad domeſticos meos curandas tuae fidei nuperius commendabam, eae per nautarum veſtratium ſupinitatem curatae non ſunt. Mirabuntur illi haud dubie, quod non veniam, cum juſſi ſint me expectare in diem hodiernum. Qui ſcrupulus ut anxiis eximatur, moneo per haſce, quas vides, differendum iter fuiſſe ob cauſas ſonticas. Vale, mi Graevi. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXIV. Decembris XXVII. *Ryckius* noſter puto nuptias ſuas heſterno die celebravit. Decantavi haec ſolemnia, ac ſimul oratorium amici hominis munus, quod in Academia palam nuper adornabat, verſibus febri-

culoſis, ſed juſſus, ne deeſſe excuſationem male rem gerenti ſcias. Iterum vale. Diſcedit jam a me Ampliſſimus *Naeldvicius*, qui ut plurima te impetirem ſalute ſuo nomine, vehementer obſecravit.

EPISTOLA CCXLIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vredenhoevium in agro Maerſenſi.

TAnta eſt exquiſitae comitatis tuae, qua nos accepiſti, magnitudo, ut verbis eam laudibuſque noſtris aequare non ſit opis noſtrae. Memoria tamen ſemper eam tenebimus, & in oculis te ac ore feremus. Nihil poſſet accedere voluptati, quam capimus ex recordatione temporis hujus, quod ſuaviſſime tecum tranſegimus, ſi cum valetudine priſtina rediiſſes in gratiam. Nunc imbecillitas tua cunctarum ſuavium rerum ſenſum extinguit: nihil enim ante nos poterit oblectare, quam te plane confirmatum cognoverimus. Novi hîc nihil ex Germania. Sueci ſedent etiamnum, utinamque ſederent aetatem. Sed in Triboccis res fervent, videnturque in propinquum diſcrimen eſſe adductae. Ad *Trelſchium* noſtrum, qui te verbis amantiſſimis ſalutat, perfertur ex Cimbrica Cherſoneſo, *Gudium* ad Regem Daniae miſſum fuiſſe a Principe, cui ſuam addixit operam. Apud Virgilium pulchre reſtituiſti ex Servio, *ſanieque exſperſa natarent Limina*, quam ſcripturam quoque prae ſe fert Roberti Stephani editio, quae cum Servii Scholiis prodiit & caſtigationibus *Pierii* 1532. *Pierius* tamen affirmat, ſe in omnibus ſuis libris inveniſſe *adſperſa*. In Lucretio autem longe alio ſenſu haec vox accipitur, quam apud Virgilium. Illi enim *exſpergere* eſt extra ſpargere, non vero madefacere, ut Virgilio. Apud Petron. *Ipſe Paris dearum libidinantium judex, ſi hanc in comparatione vidiſſet, tam petulantibus oculis & Helenen huic donaſſet & Deas.* *In comparatione* delendum cenſeo, quod profectum a magiſtello, qui praecedentibus verbis iſtud adſcripſerat interpretationis loco. Praeceſſit autem: *Quid contra hanc Helene, quid Venus poſſet?* Ibi attextum fuit aut margini adſcriptum, quod deinde in contextum irrepſit, *in comparatione:* deinde pro *deas* malim *deam*, nimirum Venerem, cujus & ante meminerat. Sed tua valeat exiſtimatio. *Genapum* dici *Seneffam* nullius idonei ſcriptoris auctoritate nititur. *Genabi* meminit Caeſar aliique, quae urbs erat Galliae ad Ligerim ſitae, ſed nihil illa pertinet ad iſtum pagum. Leidenſis tamen orator nuperus hanc appellationem illi areae, tot praeſtantium virorum caede nobili, impoſuit, cujus fide ipſe viderit. Vale, vir Illuſtris, & cura valetudinem. Trajecti ad Rhenum XIX. Decembris CIƆIƆCLXXIV. Nobiliſſimo *Seelemio* ut aurem vellas de negotio, de quo nuperius egimus, rogo, idque ſimul ſignifices, invito & reluctante utroque conſule hanc optimo viro plagam impoſitam eſſe.

EPI-

EPISTOLA CCXLV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

VIdemini ad vos convolare, tu & uxor tua, ut veſtri deſiderium excitetis & adaugeatis meo in pectore, adeò feſtinantes praecipiteſque digreſſum a me molimini, priuſquam adventaſtis. Hoc iterum ne fiat, operam date, quaeſo, in poſterum, mi Graevi. Heſterno demum die ab *Elzevirio* accepi Ichnographiam Romae veteris, *Octavii Falconerii* manu. Dolendum eſt lapides tam eruditos, tam mutilos, ad nos perveniſſe. Accepi & a *Langermanno* Epiſtolium, ſed quod nil frugis exquiſitae complectatur. De loco Virgiliano, *ſanie exſperſi liminis*; melius agemus coram, quando praeſto erunt meae ad Maronem animadverſiones; quae nunc erui e ciſta non poſſunt. Diverſa ſignificatione id verbum occurrere apud Lucretium memineram, e quo conſtat tamen, id ipſum verbum & probum eſſe & antiquum. In Petronio recte vidiſti τὸ *in comparatione* interpretamentum eſſe. *Deas* tamen immutari nolim. *Deae libididinantes iſtae* multum negotii exhibuerunt mihi, neque enim video, quid ad rem hîc faciant. Contentio illis erat de formae praeſtantia, quod arrogantiae potius erat, quam libidinis. *Lividinantium & Lividantium* puto in ſcriptis exemplaribus occurrit. Poſſis *Velitantium*. Sed puto verbo ſatyrico uſum Petronium dediſſe *Vitilitigantium*. hoc eſt, ut Cato apud Plinium interpretatur, de vitio litigantium: vitia enim formae ſibi invicem exprobrabant. Tu cogitato, ego totus adhuc langueo. Vale, mi Graevi, cum tuis omnibus. In villa agri Trajectini. Anno CIƆIƆCLXXV. x. Januarii, quem ego annum tibi tuiſque auſpicatum voveo & precor.

EPISTOLA CCXLVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vredenhoevium.

INcredibiliter me tua valetudo ſollicitum habet. Sed quoniam nullos de illa nuncios accipio, ſpero illam eſſe meliore loco. Novi quod ſcriberem vix erat, niſi quod rumores de clade Germanorum indies convaleſcant. Certum tamen illius proelii exitum hodiernae ferent litterae. Te cis biduum triduumve videbo, ſi valeo. Heri hac tranſiit *Jacobus Gronovius* cum ſorore natu minima. Multas mihi recitavit epiſtolas *Maliabechii*, in quibus & erant, quae de te conquerebantur. Vellem ſane omnes querelarum cauſſas utrimque ampu-

 tari.

tari. Habui litteras a *Cupero*, qui tibi ſalutem dicit plurimam verbis amantiſſimis. Mantuae, niſi fallor, prodit ingens volumen reprehenſionum adverſus Titum Livium. Habes hîc orationem *Bynaei*, qui te quoque juſſit ſalutare officioſiſſime. Plura coram. Vale, Vir Nobiliſſime, aut ſi non vales, da operem, ut convaleſcas. Trajecti ad Rhenum a. d. VII. Januarii CIƆIƆCLXXV. quem annum tibi firmo valentique volo felicem decurrere, cum pluribus ſecuturis.

EPISTOLA CCXLVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nit. Heinſio.

Vredenhoevium.

PRo ſummae humanitatis officiis, quibus nuperrime denuo me es complexus, tantas tibi gratias debeo, quantas exſolvere non poſſum. Corporis tui imbecillitas me excruciat, quamvis ſperem te nunc valentiorem eſſe. Novi quod ſcriberem nunc non erat. Spe pacis ſuſtentamur, quamvis ſint, qui male de illa ominentur, poſt rem foediſſime in Germania geſtam. Victoria enim iſta tollet hoſtium animos. In Rutilio *jungere viſu* perplacet. In eodem poëta non longe ab initio non capio ſenſum hujus verſus:

Ordinis imperio, collegarumque fruuntur.

Quod nam eſt *imperium collegarum*, & qui & quorum ſunt collegae? Exiſtimo Rutilium reliquiſſe:

Ordinis imperio collegatuque fruuntur.

hoc eſt, conſortio. In Agricola non poſſum non probare: *Rapuerunt virtutes ſpatium exemplorum.* Sed in illo altero: *Ludos & inania honoris modo rationis & abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior*, haeret aqua mihi. quamvis ſic exponi non incommode poſſit. Ludos aeſtimavit modo rationis & abundantiae, ſive tantum impendit & tribuit ludis, quantum & ratio praeſcribebat, & res familiaris patiebatur, ne excederet ſumtus, & ne deficeret providebat. Dandum erat conſuetudini, ut ludi ſplendide ederentur, idque rationi erat conſentaneum, ſed ne impenſae affligerent ejus fortunas. Hunc modum Tacitus, quia ratio ex facultatum noſtrarum ſtatu definit, vocat *modum rationis & abundantiae. Ducere modo* videtur dictum eſſe, ut *metiri modulo* apud Horatium. In capite IX. *nullis in hoc ſuis ſermonibus*, eſt, non quod de ſe tale quid ipſe jactaverit, & ſparſerit in vulgus, ſed quod ejus virtus ac prudentia hos rumores & opinionem hominum, hanc ei provinciam deſpondentium, excitaverit. De reliquis propediem, ut ſpero, coram. Egi nuperius cum viro Ampliſſimo, cui poteſtas data hanc villam proſcribendi. Credo ducentis quinquaginta florenis illam poſſe conduci. Etiam atque etiam cura ut convaleſcas. Trajecti a. d. XIX. Jannuar. CIƆIƆCLXXV. Uxor te tuoſque fami-

miliares ſalutat. Quaeſo te, ut, qui tibi eſt a manu, deſcribi jubeas elegiam Lotichii, Meurſii Catalogum, & Inſcriptionem ex veteris Romae monumentis, in qua fit mentio *veruum*. *Amalthaeorum* carmina extant in deliciis poëtarum. Sed *Flaminii* ille liber poëmatum nuſquam reperitur, exceptis pauciſſimis quibuſdam.

EPISTOLA CCXLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vredenboevium.

NOviſſimas quin acceperis, quas ad te dedi, nullus dubito. Nunc non poſſum, quin te certiorem faciam, Sereniſſimum Principem Arauſiacum omnibus foederatis Belgis miſiſſe conſilium Sicambrorum ducatum ſibi deferendi, conditioneſque, quas ad id dignitatis faſtigium evectus praeſtare debeat, rogans, ut cenſeant, e re ne ſit reipublicae & ſua accipiendi hunc honorem his legibus, nec ne. Hodie conſcripti Patres hujus civitatis de hac re deliberabunt. De exitu nemo dubitat, quin auctores ſint futuri, ne delatos honores contemnat. Novi praeterea nihil erat. Auguror ego pacem nobis hoc anno affulſuram. Multa ſunt alia ſigna, de quibus aliquando coram, quae hanc ſpem mihi faciunt, ſed hoc eſt praecipuum, bellum nec terra nec mari, ut anno ſuperiore hac anni tempeſtate, inſtrui, nec milites ſcribi novos, poſt millium caedem, quot aeſtas & expeditio nupera confecit, nec tyrones campeſtribus meditationibus exerceri. Tui complexus ſpero brevi nos compotes futuros. Inſcriptionis de verubus & catalogi Meurſiani ut memineris rogo. Vide quaeſo ſi in tua bibliotheca reperiantur *Faërnus* in Philippicas, *Goveanus* in orationem in Vatinium, *Majoragius* in Partitiones Oratorias, *Morellius* in libros de finibus. Aurem quoque tibi vello de *ſcopiönibus*, & *rapere ſpatium*. Vale, vir Summe, & me ama. Trajecti a. d. XXVIII. Januarii CIↃIↃCLXXV. Amico communi graviter laboranti, ſi fama non mentitur, ſuccurrendum, ne gravius opinione malum ſibi arceſſat. Paſſim nunc in omnibus circulis de hac re loquuntur. Miror illum non tecum aut amicis cum ſuis agere de hoc negotio, ut de illorum ſententia huic calamitati medeatur. Rogo quoque ut mihi ſignifices, in quas Ciceronis orationes *Patricius* notas ſcripſerit. Ea enim memoria effluxerunt.

EPI-

EPISTOLA CCXLIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DE amico noſtro, quae ſparguntur, plus quam vera eſſe etiam *Elzevirius* ad me perſcribit: etſi agnatus ejus, ſi meminiſti, jam profligatum eſſe diſcrimen omne cupiebat nobis perſuaſum. Periclitari res ejus quam maxime ſunt, qui ferant. Sed quando ipſe quoque in ſuis confidit rem ſine adjumento meo explicari poſſe, cur male ominemur? Accedit hic cumulus aliis moleſtiis, quae me premunt ac circumſtant, & quibus animum tranquillum opponi ſit neceſſe, ſi valetudini meae bene velim conſultum. Interim cogitandum erit propediem, mi Graevi, de emigratione ex hac villa in aulam, ſi licebit utcunque per valetudinem nequiſſimam. Per urbem veſtram ſimne ſuſcepturus iter, nondum ſatis deliberavi, cum ex uſu meo ſit, ut pedibus quantum potero parcam. In Agricolae vita, de *modo rationis & ſuis ſermonibus.* amplius erit cogitandum. Illud *Ludos, ut inania honoris*, verum exiſtimo. Plura ſubjungerem, ſi ſchedae meae nunc ad manum eſſent. Hactenus me bibliotheca diſponenda tenet occupatum, quominus profecerim ex ſententia eo in negotio, per languores aſſiduos ſcis factum, ut quod rei hîc gerendae ſupereſt, ſit differendum omne in reditum meum. De *Flaminio* velim memineris. A manu qui mihi eſt totus bibliothecae meae vacat. Opera tamen dabitur, ut *Lotichii* elegiam & caetera auferas, quae per te poſtulantur. De *Collegatu* inſpiciam Rutilii locum. Habui a *Paſtorio* duplicem epiſtolam. Vir ille doctiſſimus typographum operibus ſuis deſcribendis circumſpicit hîc terrarum, quem indagari mea opera cupit. Tu, ſi quid hîc potes, confer, quaeſo, Symbolam. Vale, cum amicis omnibus, mi Graevi, dabam in villa CIƆIƆCLXXV. VII. Februarii Gregor. Hiſce jam exaratis tuae ad me perferuntur. *Patricius Andreas* annotata dedit in Orationes pro Rabirio Poſtumo, pro Marcello, pro Ligario, & Dejotaro: quae penes me aſſervantur. Uti & *Faërni* obſervationes in Philippicas, aliaſque binas Tullii Orationes. *Morellium* in libros de finibus habui olim, & fortaſſis nunc habeo. Nondum enim id genus libellos in ordinem redegi. De *Majoragio* & *Goveano* etiam videbitur. Alias plura. Vale iterum.

EPI-

EPISTOLA CCL.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vredenhoevium.

TAntus tuis in me meritis cumulus accedit quotidie, ut licet uberrimus verborum fons eſſet, quibus tibi gratias agerem, dudum tamen illum tua exhauſiſſet benignitas & liberalitas erga me ſingularis. Te vero quo ſaepius video, tanto tui deſiderio flagrantius incendor. Nunquam enim me dimittis, niſi onuſtum non ſolum xeniis, ſed & bonis dictis, quibus & melior & doctior redeo. Has litteras *Perizonius* mihi miſit ad te curandas, ferent epiſtolam tibi *Cuperi.* His ubi reſcripſeris, ſi mihi id mandaveris, recte ut tradatur operam dabo. Novi nihil ex iis, qui me viderunt. Ipſe nondum prodii. Quae de communi amico rumor diſſeminavit, ſunt veriſſima. Ejus vicem vehementer doleo. Velim nunc te Hagae eum poſſe juvare. Sic enim comparatum eſt, ut maxime deſiderandus ſit, qui tueatur ejus exiſtimationem. Remitto hîc *Lutheri* ſermones convivales, *Pearſoni* vindicias Ignatii, & *Scriveneri* Apologiam. *Voſſii* diſſertationem de vi Rhythmi communicaveram cum *Trelſchio*, a quo eam repetam, & ut proxime habeas curabo. Novi foederis uſum rogo, ut mihi indulgeas, donec Haga reverteris. Si tamen eo carere non potes diutius, verbo velim id mihi ſignifices. Abſit enim, ut in ulla re, nedum in hac, tuae adverſer voluntati. Vale, decus & praeſidium meum. Trajecti ὡς τάχιϛα. a. d. XXVI. Januarii. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vredenhoevium.

NUperius tibi ſignificavi, Sereniſſimum Principem de delata ſibi Ducatus dignitate a Geldris foederatorum Belgarum ſententias rogaſſe. Noſtri Proceres ſuaſerunt hunc honorem eſſe ſuſcipiendum, nec non Equeſtris ordo apud Hollandos. Amſterodamum, Roterodamum, Delfi cenſuerunt ampliandum eſſe, nec de re tanti momenti, a qua pendeat totius reipublicae mutatio, praecipitibus ſententiis decidendum. Amſterodamenſes in primis feruntur in Conſilio Ordinum in medium conſuluiſſe, graveſque rationes attuliſſe, quibus declararint ſibi non videri e re publica eſſe, ſi Principi fierent Ordines auctores, ut hanc dignitatem ineat. Nemo dubitat, quin brevi in caeterorum ſententias ſint diſceſſuri. *Waldekium* ajunt Vindobonae Imperatoris ſive ſororem, ſive neceſſariam Principi ambire. Is rebus apud Sicambros & Tranſiſulanos

lanos compoſitis contendet ad Friſios, ut & illorum & Groninganorum Gubernator Perpetuus creetur. Horum vero Gubernator conſtituatur Vicarius & optio Principis Arauſiaci, hac lege, ut ſi hic diem obeat ſine haerede, ille huic ſuccedat. Quod ſcriberem novi aliud nihil erat. Forte cras duas pomeridianas horas tecum poſiturus ſum, ſi per tempeſtatem & alias occupationes potero. Vale, vir Summe. Trajecti a. d. xxx. Januarii ciɔiɔclxxv. Has exaraveram, cum tuae deſideratiſſimae mihi redderentur. Amici noſtri res ſpero meliore loco eſſe, quam rumor fert, cui ſi fides habenda, vix poſſunt eſſe deteriore, quia cum nullis amicis ſuis quicquam communicat, ne quidem quos habet in illa urbe, in qua degit, de iis. Habes hîc nova, quae modo prodierunt.

EPISTOLA CCLII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

OPeroſas tibi gratias pararem, mi Graevi, pro ſingulari illa hoſpitalitate, qua me complectebaris nuper, ni vererer, ne antiquum obtinere poſſem coargui, ſi crambem toties recoctam apponerem tibi. Inexhauſtus enim tibi comitatis theſaurus eſt, cui tum demum accedit plurimum, cum nihil, quod accedat, ſupereſſe remur. Nobis inopia ſermonis ſilentium imponit, quando e re noſtra praecipue foret, animum gratum haudquaquam diſſimulare, niſi malumus recurrere ad iteratam ſaepe & inelegantem prorſus gratiarum actionem, quam nec tu ſine taedio praeſenti audias, nec ego moliar ſine certo meo pudore. Eadem, qua diſceſſi a vobis, comitatus valetudine huc perveni: ut itineris ſuſcepti quin me paeniteat, abſit minimum. Non quod hîc deſint, in quibus occuper, agendis, ſunt enim plura, quam expediat dejectae valetudini: ſed quia videtur ſubverendum, ne perperam conſulatur animo tranquillo, per tot tantaſque curas, quibus ſuſtinendis non reſpondere vires agnoſco atque indignor identidem. De publicis rebus, quod ſubobſcurae nobis & periculi plenae appareant, tacere praeſtat omnino, quam pauca ſubjungere. Geldrorum calidis machinationibus complures e noſtris, ſed Amſtelodamii inter hos praecipui, acerrimum in modum obnituntur hactenus. Quorſum res tota tandem ſit evaſura, propediem, puto, dabitur reſcire: utinam ſine malo noſtro ingenti! Cubiculo & foro cum adfixus haeream, nihilque negotii cum publico ſit mihi, non exſpectas, credo, ut copioſe curateque differam de iis, quae me procul habito remotiſſimoque, in Senatu, idque inter paucos, nunc tractantur. Elegantiſſimum *Maerſenbrouckium* ac *Kellerum* noſtros ſemel iterumque vidi: paucos amicorum praeterea. Ryckianae res in eodem luto haerere dicuntur. Opinor fore, ut ipſe propediem ad nos excurrat. *Iſaacum Voſſium* novis honoribus auctum a Rege Magnae Britanniae perlibenter audio.

De-

Demandata enim illi cura dicitur [Sacrorum Sacelli Regii interioris. Nempe antiquum id fatum eſt Prophetarum omnium, ut nec aeſtimentur ſatis in patria, & negligentius habeantur. Si pergit aſpirare fortuna, quin Epiſcopum mox viſuri ſimus, dubitare nolito. Vale, vir Celeberrime, amicorum flos illibate, & amicos omnes ſalvere verbis meis jube plurimum. Hagae Comit. CIƆIƆCLXXV. 14. Februarii.

EPISTOLA CCLIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas gratias mihi debeas pro officio tralatitio, quod ſine ſcelere non poterat omitti, hercle non video, qui tot tantiſque beneficiis auctus a te ſum & cumulatus, ut etſi tibi me nexum dedam, nulla tamen ratione poſſim unquam debitum expedire, ne dicam pro tenui unius coenulae apparatu tuis me paſci ſermonibus eruditiſſimis, quibus ego ne regias commutem epulas. Valetudo tua nondum confirmata me mirum in modum cruciat & angit. Noli, quaeſo, eam vexare curis & ſollicitudinibus nihil profuturis. Servi tranquillitati animi, & quantum potes te iſtis laxa moleſtiis. Si te triſtitiae dederis, magno in diſcrimine tua verſabitur valetudo, & difficulter poterit recuperari. Nullus dubito, quin litterae tam fideliter cultae tibi ſint repraeſentaturae medicinam incommodorum, quae te urunt. Caliginoſae nubes, quae impendebant patriae, videntur diſcuſſae eſſe. Faxit deus, ut brevi nobis pax, otium, concordiaque illuceſcat. Amici noſtri res ſpero tibi curae eſſe, ut tuo ſtudio & gratia ex his, quibus neſcio qua fatorum iniquitate conflictatus, malis emergat quamprimum, & ſuam obtineat dignitatem. Nihil laetius mihi afferri poterit, quam ſi audiero te valere, & illum, quae adverſa fortuna eripuit, ornamenta recepiſſe. *Voſſio* vero apud Britannos non modo ex voto, ſed ſupra vota fluere & provenire omnia laetor, vel litterarum cauſſa. Noſti veteris poëtae dictum, *multos ſuam rem bene geſſiſſe patria procul.* Quid rerum agit patruus? ſi videris, quaeſo te, ut eum meo ſalutes nomine. Hunc faſciculum ad te curandum mihi commiſit ante unum alterumve diem *Mathiſius*, quem a Nobiliſſimo *Naeldvicio* ſe ait accepiſſe. Ante jam eum miſiſſem, & tuis etiam litteris citius reſpondiſſem, niſi hujus catalogi, quem tibi promiſeram, ſpes me repreſſiſſet. Proximo die Lunae vendentur, & minores quidem primi, pro hujus urbis inſtituto, proponentur. Si quos tibi comparatos velis, operam dabo, ſi tempeſtive monueris, ut tuo deſiderio ſatisfiat. Habebis cis paucos dies alium indicem librorum, qui hîc praeconi ſubjicientur. Vale, amicorum & ingeniorum princeps. Trajecti ad Rhenum a. d. XII. Februarii. CIƆIƆCLXXV.

EPISTOLA CCLIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Adfuit mihi proximis diebus amicus noſter, cauſamque ac originem moleſtiarum omnium uberrimo ſermone explicatam dedit. Video me conjecturae meae haud quaquam falſum. Nam tota labes infortunii hujuſce ab eodem derivatur fonte, ad quem ſuſpiciones me ducebant. Non ſinit valetudo me prodire hactenus in publicum, ut malignitatis impetum ſi non frangam, comminuamque penitus, ſufflaminem certe aliqua ex parte demulceamque. Abeſt etiam ab urbe hac peregre profectus ille, qui auctoritate ſua hîc praeſto mihi eſſe ac ſuccenturiari poterat, *Leeuwius* conſul, nec rediturus dicitur, niſi poſt Octidui decurſum. Interea temporis, quid praeſtari poſſit in commoda hominis adflicti, fateor, me non videre. Orationem tuam panegyricam queritur ſibi periiſſe noſter *Naeldvicius*, cum aliis ſarcinis, quae praeterita proxime aeſtate ſpolium hoſti in campis ceſſerunt Seneffanis. Vide igitur aliam ſubminiſtres, ubi, quod agas, nil habebis rei majoris. *Franciſcum Junium* (nam & hunc vidi) fortuna nupera *Iſaaciani* ſacelli, quo faciles riſere nymphae, ſuſpenſum atque arrectum tenet, ut video: nondum enim revocari poteſt ab incerta animi fluctuatione: nec ego cunctanti calcar addendum cenſeo, ne res optimi ſenis parum mihi exploratas praepoſtero conſilio, perplexiores fortaſſis reddam atque intricatiores. A *Scheffero* tandem litterarum nonnihil accepi, quem & ipſum valetudine premi adfecta audio perquam invitus. Video litteras meas, quas ſcripſi frequentiſſimas, rarius ad illum deferri, cum de ſilentio meo nonnihil conqueratur. Proxime abs ſeſe in publicum emiſſam ait vitam S. Erici regis auctore *Iſraele Erlandi* conſcriptam. Lectiones ſuas Academicas Hamburgum miſſas, ut ibi excudantur. Habere ſe praeterea paratos luci Juſtinum & Julium Obſequentem, quos animadverſionibus ſuis illuſtravit. Nunc in obſervatis ad Ciceronis Officia deſcribendis occupari, quae in juſti commentarii molem excreſcant. Amicus narravit accepiſſe ſe Lutetia litteras, quae docebant *Henricum Valeſium*, poſt editos Hiſtoriae Eccleſiaſticae ſcriptores, in Libanii tomo tertio luci adornando nunc occupari. Pro Catalogo bibliothecae venalis ad me curato gratias ago peringentes. Codices inde nonnullos excerpſi, de quibus tu ſtatues pro arbitrio, dummodo inſpiciantur prius, ne mutili forte ac immundi pro integris nitidiſque ſeſe obtrudant nobis. De Catalogis utro citroque mittendis, quotieſcunque aut Hagae Comitum aut Amſtelodami auctiones inſtituendae eſſent librorum, me inter & *Francium* noſtrum pridem convenerat: ſed ille, neſcio quas ob cauſas, pacti conventi fidem minus religioſe praeſtat. Ex quo huc reverſus ſum, nihil omnino in negotiis privatis ac lite promovi, quod me perinvito accidit. Animum interim fortem

tem

tem oppono incommodis omnibus, ſed corpus invalidum animo minus reſpondet. De Propertii loco velim cogites, e libro quarto.

Lanuvii ad portas hei mihi ſolus eram.

Ex abrupto enim & praeter rem is inculcatur verſus, ut jam demus hanc ei eſſe ſententiam, quam interpretes volunt. Obverſatur & dormitanti nonnunquam Tertulliani e pallio locus de bombyce: *quae per aërem aliquando araneorum horoſcopis idoneus diſtendit.* Sic enim in ſcriptis aſſeverant legi. Quid ſi reſcribimus? *quae per aërem aliquando araneorum more* (vel *modo*) *ſe Cois Sidoniis diſtendit. Cois Sidoniis* pro *Cois & Sidoniis:* ut amant nonnunquam horum temporum ſcriptores. De *Cois Sidoniiſque* ſerici textoribus ac textricibus omnia ſunt pervulgata, in quorum uſum fila a Bombycibus eliquari vult Tertullianus. *Araneorum more* habet ex Plinio de Bombycibus. Vale, mi Graevi. Hagae. Comitum CIƆIƆCLXXV. XXIV. Februarii.

EPISTOLA CCLV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Catalogus Wyckerſlotianus, quem nuperius mittere receperam, nunc demum mihi traditur; alioqui non tam diu tuis deſideratiſſimis debuiſſem reſponſum. Sequente, ut vides, hebdomade licendi erit copia. Illi libri, quorum indicem nuper ad te curabam, nec inſpiciendi ſunt adhuc propoſiti, invitis quidem iis, qui eos ſunt vendituri, ſed Magiſtratuum juſſu, qui utriſque de tempore venditionis contendentibus ſecundum *Wyckerſlotii* haeredes dederunt. Altera igitur bibliotheca praeconem exercebit demum VIII. Martii Dionyſiaci. Quos juſſiſti tibi parari, ſi mundi fuerint & integri, diligenter a me perluſtrabuntur, cum primum facultas fuerit. Amici afflicta fortuna omni ſtudio & contentione eſt erigenda. Nimia παῤῥησία fertur cauſſam exulceraſſe apud τοὺς ἐν τέλει. Haec tempeſtas niſi tua gratia diſcutietur, vix ex his procellis emerget in portum vir amiciſſimus. Scis enim eſſe, qui ejus inſidientur provinciae, & eſſe quoque, qui eis ſtudeant. Valetudo tua ſemper me cruciat, ſed nunc tanto majorem affert mihi dolorem, quod per eam tibi non licet amico laboranti adeſſe. Sed ſpero te brevi ſanitatem recuperaturum, & noſtrum dignitatem priſtinam. Ampliſſimo *Naeldvicio* jam miſiſſem panegyricam orationem, niſi ei comitem dare conſtituiſſem parentationem *Diemerbroeckio* ſacratam, quam ex officina indies expecto. Quae de *Scheffero* narras, gratiſſima habeo. Vita Erici Regis Latiniſne litteris prodita eſt, an Gothicis? Juſtinum ejus, Julium Obſequentem, & Ciceronis de officiis libros ejus ſtudio illuſtratos cupide videbimus: ſed cupidiſſime Libanii ἀνέκδοτα, quibus edendis *Valeſius* inſudat. Tubinga hiſce diebus litteras ab amico habui, quibus narrat *Obrechtum* ſoceri ſui *Boecleri* poſtuma luci parare, inter quae primum locum teneat

neat Friderici III Hiſtoria ab *Aenea Sylvio* concinnata, quae nondum in publico verſatur. *Lanſii* numiſmata vetera *Seefridum* quendam Nordlingenſem doctorem mille florenis ante quadriennium emiſſe, bibliothecam vero etiam nunc a vidua ſervari. In negotiis domeſticis parum te profligaſſe doleo. Utinam his curis tandem liber ſolutuſque poſſes tibi tuiſque Muſis vacare. Propertii locum diu multumque verſavi. Sane nihil faciunt ad rhombum *portae Lanuvii*. Nam ut de obſcaenitate neſcio qua cogitemus cum nonnullis interpretibus, cauſſae nihil eſt. Bene ſe habent *hei mihi ſolus eram*. Ex iis enim, quae praecedunt, ſatis conſtat, poëtam inauſpicatis ominibus perterritum nullam ex conſortio iſtarum puellarum voluptatem cepiſſe. Non audiebam, inquit, illarum cantum, nec movebar illarum nudis pupillis, ſed inter eas videbar mihi in ſolo eſſe. Sed quid pro *Lanuvii ad portas* ſubſtituendum ſit, exputare nondum potui. Tuum Loxiae reſponſum expecto. In Tertulliani περικόπῃ recte damnas illud *horoſcopis*, quod *Salmaſius* invexit. Pulchre quoque vidiſti *Cois* ſcribendum. *araneorum more* jam extat in veteribus editionibus, quod primus mutavit ὁ πάνυ, ut recte jam ex *aliquando* fecit *eliquando*. Videtur autem omnino ſic ſcribendum: *quae per aërem eliquando areanorum more Cois idoneus diſtendit*, aut *Cois idoneus filum tendit*. *Tendere* enim *fila* pro torquere tritum eſt loquendi genus, poëtis praecipue. Melius *Cois* mulieribus bombyx fila ſua ex ſe net. Sed de his tua valeat exiſtimatio. Vale, vir Summe, & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XVIII. Februarii CIƆIƆCLXXV. De pace ſunt, qui bene augurentur iterum. Hodie corruit eccleſia hujus Urbis nulla tempeſtate adflicta, ſed vetuſtate, ut videtur, ſoluta. Nobiliſſimus *Trelſchius* te ſalutat.

EPISTOLA CCLVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

CAtalogum, quem hodierno mane abs te accepi, uno impetu percurri totum, vir clariſſime, & in chartulam, ut vides, conjeci indicem ac nomenclatorem horum Codicum, quos comparatos mihi cupio, quod tuo ſine incommodo fiat tamen. Linea ſubnotatos praecipue addici uſibus meis velim, atque hac in licitatione pretio nonnihil indulgendum, ſi ſit neceſſe, ſuadeo. In ceteris parce ac ſalubriter res gerenda erit, quod omne prudentiae tuae concreditum relinquo. De Armariis pluteiſque, ſi diſtrahentur ante ipſam librorum auctionem, conſulas etiam mihi ac proſpicias licet, eadem ſub conditione. Poteram meorum operam hîc adhibere, ſi temporis abunde eſſet, ut mandatum hoc in villam poſſit hinc deferri. Theſauri Critici Gruteriani ſex tantum tomos me poſſidere video, quibus abſit ſeptimus ille, Gruterianis a *Paraeo* adjectus puto, nec ille magni faciendus. Tamen ſi vili opus omne proſcribatur pretio, quod ſolere fieri memini, mei rationem habeas quaeſo. Apulejum

lejum *Beroaldi* non deſidero, niſi ſit Gallicanae editionis, cui praeter *Stewichianas* notas, neſcio cujus tertii obſervata accedunt. Poëtica illa inter Miſcellaneos quid ſibi velint, videto ſodes. *Gentilis Alberici* pleraque, quae hîc deſignata vides, non comparent in Bibliotheca mea, ut nec *Scipionis* complura, quibus erit invigilandum, tum *Fr. Balduini* nonnullis, Salluſtio *Coleri*, *Piccarti* Periculis Criticis, &c. Et haec quidem hactenus. Adſuit mihi denuo amicus noſter, multiſque expoſuit cauſas infortunii ſui. Quantum video, Clytemneſtram non unam domi habuit, per quas vaferrimum in modum ſit irretitus laqueis iſtis, qui nunc illum premunt undique, cum caetera ſoleret eſſe cautiſſimus, & Argo quocunque circumſpectior. Sed fatum eſt in partibus iſtius, noviſti caetera. Quando domo non poſſum prodire, per alios ut occurratur tempeſtive huic malo, quantum poſſum, enitor. Jam intellexit ex me, quantae tibi ſit curae negotium hoc omne: teque jubet plurimum ſalvere. *Schefferum* noſtrum rebus humanis non diu interfuturum praeſagio, adeo valetudo ejus in diem vergit ac afflictatur. Vita S. Erici Regis, ab illo in lucem nuperius prolata, Latine haud dubie eſt conſcripta. Tertulliani locus adhuc me torquet: *araneorum more* Plinianum eſt de bombycibus, ut potes illic videre. De *Cois* certum opinor, quas tenuiſſimi fili textura commendabat. *In Cois poene videre eſt, ut nudam.* Pro *idoneus* putabam aliquando, *Cois idonius orſus diſtendit.* ut ſyllaba una atque altera ob cognitionem litterarum interciderint. nam *urſus* frequenter ſcribebant. In Virgiliano certe Culice Codices vetuſti conſtanter proferunt, *Atque ut araneoli tenuem formavimus urſum.* In Propertii loco illud *Lanuvii* inculcatum opinor a Critico ſemidocto aliquo, qui meminiſſet eodem libro occurrere, *Lanuvii annoſi vetus eſt tutela Draconis.* Quod elegiae eſt initium, cum haereret in depravata lectione, *Lanius ad portas*, vel *Lanus*, aut ſimili ſcriptura. Nam *portas* irrepſiſſe loco *potas* vix dubito. Quid ſi dederit igitur Propertius ipſe,

Laneus ad potas hei mihi ſolus eram!

Jam ſupra dixerat de altera harum, *Sed potae non ſatis unus erit.* Ut mirandum ſcilicet non ſit, ſi nunc neget ſe duabus ſuffeciſſe. *Laneus* pro infirmo, invalido. De *Laneis deorum pedibus* ſcis proverbium. Sic *Laneus Lupus Timavi* apud Martialem, cujus caro eſſet tenerrima. *Lupum lanatum* dixit, puto, Plinius pari notione, de eodem piſce. Martialem vulgo male interpretantur. *Laneum latuſculum, nateſque mollicellas* Cinaedo Thallo dat Catullus quoque. Plura alibi congeſſi. Quod per *Lanuvium* obſcaenae quid alluſionis praetendunt huic loco, id plane friget. *Volſas* enim fuiſſe faeminas, praeſertim meretriculas, illa parte quis neſcit? Cl. *Burmanni* negotium quo loco eſt? Utinam illi, qui res ejus dejectas videre cupiunt ac proſtratas, humeros ſuos eccleſiae veſtrae ruenti ſuppoſuiſſent. Miror atlantem nullum repertum in tanta coelitum turba. Sed malunt illi haud dubie ſupervixiſſe ſe eccleſiae, quam eccleſiam ſibi. Mitto hîc monumentum optimo *Capellano* a me datum. Tum Elegiam, quam expugnatus importuna flagitatione eorum, qui aliquid juris in me habere ſe cenſent, proximis diebus conſcripſi, cum decreviſſem ungues ab hac ſcabie in-

po-

poſterum cohibere. Utramque chartam ad me remittas. Sed cum cenſura tua, & quidem liberiore, ſi me demoveri cupis. *Capellani* laudibus parum me dediſſe arbitrabatur noſter *Ryckius*. Vale, virorum optime, & amicis communibus, *Trelſchio* in primis, tum & *Bynaeo* dic, quaeſo, ſalutem meis verbis perquam officioſam. Hujus ſomnium feſtiviſſimum hodie totum perlegi, in quo quod carpam aut culpem nihil habeo omnino, niſi id unum, quod in laudes meas invidioſe ſe diffundit. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXV. Ipſis Kalendis Martiis.

D. O. M. S.
ET. MEMORIAE. SEMPITERNAE.
V. C. JOHANNIS. CAPELLANI.
QVI. PRAETER. EXQVISITAM. REI. POETICAE. COGNITIONEM.
SCRIPTIS. IMMORTALIBUS. ABVNDE. PVBLICO. TESTATAM.
TOT. TANTASQVE. DOTES. ANIMO. COMPLECTEBATUR.
VT. VNIVERSVM. VIRTVTIS. BONARVMQVE. ARTIVM. NOMEN.
QVAM. LATE. DIFFVNDITUR. HIC. COLLEGISSE. SEMEL. AC. FIXISSE. SEDEM. VIDERI. POSSET.
PRVDENTIAE. SINGVLARIS. COMITATIS. CANDORIS. INTEGRITATIS.
STVDII. IN. DEMERENDIS. NON. MINVS. EXTERIS. QVAM. POPVLARIBVS. SVIS.
PRAESERTIM. A. DISCIPLINA. LIBERALIORI. INSTRVCTIS.
QVIBVSCVMQVE. VT. NVMQUAM. NON. PARATI. SIC. PRORSVS. INDEFESSI.
RARISSIMO. ET. AMABILI. PLANE. EXEMPLO.
IS. PRINCIPVM. TEMPESTATIS. SVAE. VIRORVM. AC. IN. HISCE. MAXIMORVM. REGVM.
LVDOVICI. VTRIVSQVE. PATRIS. ET. FILII.
ARMANDI. AD. HAEC. RICHELII. TVM. MAZARINI.
IN. PRIMIS. VERO. LONGOVILLIANI. DVCIS.
MVNIFICVM. FAVOREM. SOLIDE. CONSECVTVS. CVM. ESSET.
HAC. OMNI. PRAEROGATIVA. TAMEN. ADEO. MODERATE.
SIBI. VTENDVM. EST. ARBITRATVS. VT. INTRA. PRIVATI.
LARIS. ANGVSTIAS. ADFLVENTIS. VLTRO. FORTUNAE. ATQVE. AD. MAJORA. IDENTIDEM. INVITANTIS. AVRAM. MODESTE. CONTINERET.
HAEREDES. AC. AMICI. ANIMVM. VTI. PAR. ERAT. PROFESSI.
GRATVM. BENEMERITI. POSVERVNT.
VIXIT. ANNOS. LXXVIII. MENSES. IX. DIES. XV. OBIIT. LVTETIAE. NATALI. IN. SOLO.
ANNO. CIƆIƆCLXXIV. FEBR. MENSIS. DIE. XXI.

1 Ita repperi in autographo *Heinſii*, ſed quod *Graevio* miſit Epitaphium, paullo aliter fuiſſe conſcriptum colligere licet ex Epiſt. CCLVIII. quae mox ſubſequitur.

EPI-

EPISTOLA CCLVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

OMinari licet perlatas eſſe ad te, vir Clariſſime, quas ante hoc triduum tabellario veſtrati tradendas curavi. In iis inter alia de Tertulliani agebam loco longe perplexiſſimo, quem ſi detur enodare, rem feciſſe videar non prorſus contemnendam. Si liber eſſet nunc ad manum, excuſſa ſcripturae veteris omni diſcrepantia, poſſem haud dubie curatius nonnihil ac concinnius in medium proferre. Quantum recordari datur tamen, aſſeverant interpretes, membranas potiores prae ſe ferre, *per aërem aliquando araneorum horoſcopis idoneus diſtendit.* Ut minimum abſit, quin opinor ob cognationem litterarum duo vocabula in unum coaluiſſe, ac proinde reſtitui locum peſſime adfectum ſic oportere, *quae per aërem eliquando araneorum more orſus Cois idonius diſtendit. Orſus* vocabulum hac in re proprium, quod noſti, excidiſſe culpa feſtinantis librarii ut credam, omnino perſuadeor, pro *more orſus Cois*, *horoſcopis*; fecere; cum primam litteram *M.* in hiſce *araneorum* ultima abſorbſiſſet, quam iteratam oportuit. De *Sidoniis* tamen forte nec vana conjectura fuit. Ita Herculi apud Omphalen in Lydia ſervienti nunc *Sidoniam* veſtem, nunc *Coam* dant poëtae. ſed veriora ſint, per me licet, quae modo tibi proponebam. Arnobium, puto, habes Editionis Heraldianae, ibi pag. 181. de Jove occurrit, & *petulantis amoris flammam ſervilibus obumbraſſe fallaciis:* cur *ſervilibus fallaciis?* ſi mutavit formam ſubinde Juppiter, non video, cur *ſerviles fallaciae* id dicendum ſit. an *pervilibus fallaciis?* opinor tamen ab Arnobio relictum, *verſipellibus fallaciis* pag. 182. ſequitur. *modo in ſatyram ludicrum, in draconem.* Scribe: *modo in Satyram, lubricum in draconem.* Simile mendum inhaerere memini Apuleji Met lib. 1. de Fotide, ubi *lubrica* pro *ludicra* quoque ſcribendum. pag. 179. *Numquid pulſum a nobis ſenem Italorum dilituiſſe in finibus:* ita membranae, agitur autem de Saturno. Elmenhorſtius legit *pulſum a Jove.* Sed hoc longius abit a veteri ſcriptura. Credibile ſit ob cognationem litterarum duas hic denuo voces in unam coiiſſe, legendumque *pulſum culpa Jovis* ſic pag. 164. videtur corrigendum *ad ſenſum palati lautis cum jucunditatibus:* nam V. C. Regius *palatis cum jucund.* Vulgati, *palati ſuis cum jucund.* pag. 190. Ed. Herald. de Hercule, *peſtiferi tegminis circumpetitus indagine. Circumretitus* ſcribe, quod indagini optime reſpondet. Paulo poſt: *Et illa proles Jovis a Sopohocle in Trachiniis.* ſic refinxere, cum V. L. exhibeat, *Proles Jovis Sophocles in Trachiniis.* Lege, *& illa proles Jovis Sophocleis in Trachiniis.* Ibid: *Ora immutare fallacia.* V.C. Regius *Ellacia.* lege, *pellacia.* ſic pag. 161. *atafacta numina* idem Codex, pro *patefacta.* Sed in infinitum haec abirent frivola. Habui heſterno die a *Falconerio*, per quas indicat, ſe Romam ſalvum perveniſſe. Has nautis Breuckelianis tradendas

rogo cures. Vale, meorum mellitiſſime. Hagae Comitum. CIↃIↃCLXXV. Mart. v. Jam toti ſumus in excutiendis Parentis ſcriniis, quae muribus in pabulum majori ex parte ceſſerunt. *Hogerſii* noſtri fortunas miſeror, quem magiſtratu excidiſſe video, promotumque ad conſularem dignitatem *Cuperum*, quo ſucceſſu hominis amiciſſimi, ne is a ſtudiis avocetur, ſubverendum eſt quam maxime, alteri vero, ne animus dejiciatur hocce infortunio:

EPISTOLA CCLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Binae tuae longe acceptiſſimae mihi ſunt redditae. In auctione *Bynaeus* noſtris commodis invigilavit. Plerique, quos notaveras, ſalubri pretio ſunt nobis addicti libri. Nonnullos Juriſconſultorum animoſius licitari coactus eſt, ut ex ſubjecto indice cognoſces. Armaria & plutei vendentur, libris diſtractis. In iis quoque tibi parandis, ſi pretium non immoderatius a calidis quibuſdam emtoribus extendetur, noſtra non deerit opera tibi. Amicus noſter fertur cum irata fortuna redire in gratiam. Si fama non mentitur, vehementer laetabor. Tuo praecipue ſtudio & contentione vindicabitur ab hac temporum hominumque injuria. Quae de *Schefferi* valetudine afflicta narras, non poſſunt non mihi ſummo dolori eſſe. Inter illos, qui litterarum dignitatem tuentur & augent, primum fere locum tenet, ſaltem in plaga illa ſeptentrionali. In Germania quae ſolitudo ſit, *Reineſio*, *Barthio*, *Buchnero*, *Freinshemio*, & nuper *Boeclero* & *Boſio* extinctis, vides. Hîc quoque perpauci ſunt, quibus litterarum doctrina eſt curae. In Galliis nemo praeter *Valeſium*, & *Menagium*, in Italia ſoli illi [1] *Octavii* duo ſtudiorum elegantiorum dignitatem ſuſtinent, quorum alter jam eſt aetatis provectioris, alter negotiis aulicis diſtrictus, ut videatur ſeculum bene barbarum impendere. Faxit deus, ut tu ſaltem confirmatus propediem diu nobis ſuperſis, in cujus capite ſalus ipſa optimarum artium agitur. *Burmannus* gratias tibi agit, cum de ejus fortuna tam ſollicitum te praeſtas. Rogat ut Nobiliſſimo *Seelemio* vellas aurem, ut captatis mollibus fandi temporibus, ejus cauſſa Sereniſſimum apud Principem agatur. Urgebit id ipſum quoque *Liranus*, *Reinſwoudii* filius. In Elegia tua quis, licet Argo ſit ocultior, quod reprehendat poſſit invenire? Quid enim illa doctius, quid ingenioſius, & numeris omnibus abſolutius ab ipſis Muſis fingi poteſt? Nihil do tuis auribus, qui noſti me minime blandum eſſe, ſi talis elegia mihi ſcripta eſſet, Deus mihi viderer & immortalitate frui. Et ſpero ſane te non ante hoc ſtudium ejuraturum, quam datam mihi fidem liberaveris. Et quî poteris, quaeſo, cum tanta ſit ingenii tui ubertas, ut nec aetatis, nec valetudinis incommodis, nec ullis, quae te undique premunt, moleſtiis poſſit exhauriri aut imminui. *Mittere forem* non

1 *Ferrarius & Falconerius.*

non memini legere. Sed tu facile memoriae meae maligne reſpondenti ſuccurres. Epitaphium quoque τοῦ μακαρίτου *Capellani* mirifice placuit: paucis verbis ejus laudes ornatiſſime proſecutus es. & vix video quid iis poſſit ſine adulationis nota adtexi, praeterquam de prolixa ejus voluntate in litteras & litterarum cultores. pro *beneficum favorem* mallem *benevolentiam* ſcribere. & pro *qua plurimum pollebat*, *qua in primis excellebat*. Sed tua valeat exiſtimatio. Scrinia parentis tui tam male habita & cuſtodita eſſe indignor. Spero tamen te aliquid ex iis eruturum, quo ſeculum & Heinſiani nominis admiratores poſſis demereri. Breuckelianis nautis tuae litterae heri ſunt creditae. *Hogerſii* adflicta fortuna tantopere doleo, ut ab hac aegritudine vix animum ulla ratione poſſim abducere. *Cupero* dignitatem non invideo, ſi, quod tu vereris, a ſtudiis non avocetur, quae doctis lucubrationibus non vulgariter coeperat ornare. Tertulliani locum feliciſſime & ſagaciſſime reſtituiſti. In codicibus antiquis ait *Salmaſius*, ſcribi: *quae per erem aliquando araneorum horoſcopis idonius diſtendit.* unde ipſe refinxit: *quae per aerem liquando araneorum horoſcopis idonius ſedes tendit.* quod & recepit *Rigaltius*. Editiones *Marcilii*, *Junii*, *Pammelii* prae ſe ferunt: *quae per aerem aliquando, araneorum more ſcopis idonius ſe diſtendit.* *Petavius* in Animadverſionum libro in notas Salmaſianas legendum contendit: *quae per aërem aliquando araneorum more ſcopis idonius diſtendit.* & ſic explicat: Diſtendit bombyx textum ſuum per aërem, ſine ullis fulcris aut ſcopis, & multo quam ſi iis uteretur, idonius. Sed & *ſcopi* Petaviani, & *horoſcopa* Salmaſiana ſunt ejuſdem notae. Nihil certius, nihil pulchrius tua emendatione, *quae per aërem aliquando araneorum more orſus idonius diſtendit.* Non dubito ipſum *Salmaſium* & *Petavium* tibi ſubſcripturos, ſi in vivis eſſent. Reſtitui nuperius locum ſimilem fere rationem ſecutus in libro XI. ad Atticum, epiſtola 14. in quo laborarunt *Victorius*, *Corradus*, *Boſius*. In vulgatis extat editionibus: *quem videre, ſi ullo modo poteſt, res enim, pervellem.* *Boſius* & *Gruterus* ediderunt: *quem videre, ſi ullo modo poteſt, eſt enim res, pervellem.* Vetus codex Balliolenſis: *quem videre ſi ullo modo poſt enim reſp. vellem.* Cicero ſcripſerat: *quem videre, ſi ullo modo poteſt, poſcit enim res, pervellem.* Nimirum τὸ *poſcit* vicinum *poteſt* abſorpſit. In Arnobii libro IV. non immutem *ſervilibus fallaciis*. Serviles fallaciae ſunt, quae non decent ingenuos, nedum Deos. Scis enim fallaciarum & dolorum artifices ſervos a Comicis ſemper induci. Paullo ante *pulſum culpa Jovis* non diſplicet. Romana ſane editio: *pulſum a nobis*. Sed in Baſileenſi, quae prodiit Anno CIↃIↃXLVI. emendaverant: *pulſum a Jove*, unde hauſit *Elmenhorſtius*. Sed illa miris modis eſt interpolata. In loco priore annon legendum cenſes? *Jupiter ipſe Rex mundi nonne a vobis infamatus eſt iſſe per innumeras ſpecies.* Vulgati perperam: *Nonne a vobis infamis eſt iſſe per innumeras ſpecies.* Mox belliſſime reponis: *lubricum draconem.* Dein an putas ferendum? *Hercules &c. nocte una perdocuit & nomen virginitatis exponere:* an non praeſtaret? *nomen virginitatis deponere?* Baſileenſis: *nomen virginitatis ponere?* An *nomen virginitatis exponere* eſt virginitatem proſtituere: ut *nomen agelli* agellus: *nomen patriae* apud Juſtinum *patria?* Inferius *circumretitus* occupavit *Salmaſius*. Sic enim ejus editio: *nec*

non illa proles Jovis Sophoclis in Trachiniis Hercules peſtiferi tegminis circumretitus indagime. paullo poſt: *Ora immutare pellacia*, Salmaſius itidem vidit & ſic edi juſſit. procul dubio rectiſſime. lib. v. *Ex partu virginis tauri ſpecies fuſa*, *Jovialis monumenta pellaciae.* Eod. libro: *quid pro aureis imbribus, in quos idem ſe pellax fraude induit perfida, formarum varietatibus ludens?* In eodem libro v. non longe ab initio pag. 156. edit. Salmaſ. *Et quaenam illa quaeſo divina res fuit, quae ab impetu rerum tanto Jovem compulit avocari, & mortalium ſeſe denunciationibus ſiſtere?* quis ille *impetus rerum?* lego: *ab imperio rerum tanto.* lib. vii. pag. 217. *Quis maleficia reperit, aut commentatus eſt tanta, quanta vix explicari decem millibus queant annalium, vel dierum? non homo? Dierum* quid hîc ſibi velit non video. Puto ſcribendum: *diurnorum.* In diurnis actis urbanis annotabantur crimina & maleficia. In Propertii loco tuam conjecturam non auſim praeſtare. Editae tamen lectioni longe praeferam. Nec, ut nunc eſt, melius quid ſuccurrit. Vale, Princeps amicorum & ingeniorum. Deum precor, ut priſtinae ſanitati te reſtituat propediem. Trajecti a. d. xxvi. Febr. CIↃIↃCLXXV. Hodie in ipſa auctione fui praeſto, cum plutei venirent ſatis care, ut eos tibi vindicare non auderem, praeſertim cum praeter duos, reliqui eſſent humiliores & arctiores. Iterum vale. Has heri exaravi, ſed interpellatus non totus poteram detexere. Hodie ad nos inviſit, quae tuam rem familiarem curat in villa Broekelenſi. Narrat illa duos treſve mercatores Amſterodamenſes illam inſpexiſſe, & de ea conducenda agere. Dominum aedium *Brounium* in hac Urbe nunc agere. Se ſatis perſuaſam eſſe, poſſe nunc ducentis florenis eam conduci: nec tam commodam & amplam alibi in hoc tractu reperiri tam vilis pretii. Putabat e re tua eſſe, ſi ex me haec intelligeres. Habes hîc ſex orationum exemplaria. majoris formae quatuor. Unum tibi, alterum Ampliſſimo *Naeldvicio*, tertium Nobiliſſimo *Zulichemio*, & *Selemio* ejus filio cures quaeſo reddendum meo nomine, plurima ſalute eos impertiens: quintum minoris chartae deſtinavi *Vollenhovio*, ſextum *Franciſco Junio.* De cujus optatiſſimo in hanc urbem adventu num ſpes omnis decolavit? Habui olim ab *Iſaaco Voſſio* antiquum ſcholiaſten ἀνέκδοτον Luciani, ex quo deſcripſeram cum alia, tum praecipue annotationes in Lexiphanen & Soloeciſtam. Sed illae chartae interciderunt neſcio quo fato. Erant paucarum pagellarum. Si aut illius libri uſum in unum alterumve diem mecum communicare dignaretur, aut, cum ferri in alium locum extra urbem non ſiverit, ſi poſſet inveniri apud vos, qui illis deſcribendis operam locare vellet, magni beneficii numero haberem. Tu ſi ſenem αἰδεσιμώτατον videris, da, quaeſo, operam, ut ſaltem annotationum in Lexiphanen copiam mihi praeſtet. Vale iterum iterumque. *Naeldvicio* cave tradas & hanc orationem & Panegyricum ſine meis litteris, quas jam cum hiſce haberes, niſi & *Perizonius*, & tot alii adventores omne hoc tempus exemiſſent matutinum.

EPI-

EPISTOLA CCLIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MUltus eram heſterno die in Oratione tua, quam vix ad me perlatam & lectione perquam intenta ſemel iterumque percurri totam, & non ſine ingenti admiratione vix tandem paſſus ſum e manu mea ſeponi. Adderem plura & meritis tuis conſentanea, Vir Clariſſime, niſi tu in ultimis tuis tam operoſus fuiſſes, fere dixeram injurius, in meis quisquiliis invidioſa laude exornandis. Ad *Hugenios* patrem filiumque quae voluiſti deferri Orationis exemplaria, probe curata ſunt, etiam ad *Naeldvicium*. De optimo *Junio* hodie videbitur. Nam *Vollenhovius* pridem abeſt ab urbe, ſecutus ad Tranſiſalanos ſuos Principem, dum rei privatae ſtudet, & neſcio quid commodi ac emolumenti venatur. Ejus tamen ratio faxo habeatur, ut primum ad nos recurret. In libris mihi comparandis mirifice probaſtis tu & elegantiſſimus *Bynaeus* veſtram mihi diligentiam, cui & tibi ingentes a me gratiae hoc debentur nomine. Confido prorſus fore, ut ante Kalendas Apriles viciniae veſtrae me ſiſtam, defunctus omni moleſtia, quam mihi concoquendam longe taedioſiſſimam forenſes intrivere hactenus curae: tum de debito expungendo mature a me cogitabitur, ſin retardabunt, ac foro longius adfigent in tempus occupationes inviſae, tamen partes meas implebo ſedulus. Habui a *Langermanno*, ſed quae nihil majoris rei complectantur. Docet, nullum eſſe in rerum matura *Lambecii* fratrem. Aliud egiſſe, cum de illo ad te perſcriberet, *Daumium*: ſibi enim ab Hamburgicis Negotiatoribus, ad nundinas Lipſienſes, ſub autumni decurſum profectis, faſciculum eſſe traditum, quem *Daumius* a *Lambecii* fratre contendat eſſe petendum. Quid in ipſo faſciculo librorum contineatur non addit. Amici noſtri res quo loco ſint apud Leidenſes habeo incompertum: niſi quod inſigni non minus injuria, quam contumelia adfectum plerique nunc agnoſcant & fateantur. *Mittere* pro *demittere* vel *omittere*, ſimplex pro compoſito, videbar legiſſe, cum apud alios, tum apud Horatium. Atque hinc enaſci illud *miſſum facere*, quod apud Comicos frequenter occurrit, & *manumittere* apud Juriſconſultos; ſed cum codices plane nullos digreſſus é villa nuper huc mecum tulerim, praeter unum Heraldinae editionis Arnobium, magiſtrum, quem conſulam ſuper dubiis rebus, neminem nunc habeo in promtu, ex mutis illis ac elinguibus vetuſtioris ſaeculi. In Epitaphio *Capellani*, *beneficum favorem* malebam, fateor, quam quidvis aliud, niſi tu *munificum favorem* praefers. Auctus enim annuo ſtipendio amicus noſter ab his omnibus, quos illic commemorabam, fuit. De Tertulliani loco, hactenus conclamato, non male meritum me reor, te praeſertim ſic ſentiente; fieri nihilominus potuit, ut *Orſum*, non *Orſus* dederit is auctor, idque vocabuli collocarit poſt τὸ *araneorum*, ut perplexum orationis filum & mo-

moleſtam vocum tranſpoſitionem id genus ſcriptores ſolent captare: cujus poſteriores binae ſyllabae *Orſum* abſorpſerint culpa feſtinantis librarii. *araneorum orſum more Cois idonius diſtendit: ordiri retia* de araneis etiam apud Arnobium habes. Mirum, quam ſaepe peccarint librarii in omittendis ſyllabis inter ſe ſimilitudine nonnulla conjunctis. Sic apud Propertium Elegia prima, ubi agit de Milanione venatore, vix dubito quin Criticus non nemo ſemilitteratus, cum inveniſſet ſuo in Codice,

Ibat & hirſutas ille [illegible] *ire feras.*

refinxerit *videre feras*; quod verbum prorſus otioſum, cum debuiſſet, *ferire feras.* in Hiſt. Aug. Lamp. Elagab. cap. 20. *Exhibuit & palatinis ingentes dapes extis mulorum refertas. dapes* in ſcriptis exemplaribus nullae exhibentur, ſcribe: [1] *exhibuit & palatinis patinas ingentes extis &c.* In vita Carini cap. 20. *Donati ſunt ab Atrebaticis* (malim *Atrebatibus*) *birri petiti, donati birri Canuſini; Africanae opes in ſcena non prius viſae.* iſtas *opes Africanas*, quaenam fuiſſent, aliquanto apertius debebat indicaſſe. Opinor hoc enatum e veteri ſcriptura, quae fuerit, *Africana opea*, pro *Cenopia*, ſive *Conopea*, *in ſcena non prius viſa.* Aegypto enim, quae pars Africae, *Conopea* Romam perferebant. Sed in infinitum haec abirent. Locus non diſſimilis Tullii ex epiſtolis ad Atticum pulcherrime me hercules abs te reſtitutus eſt. Ad Arnobium, porro ut veniamus, memineram quidem *ſervilium* in ſcena *fallaciarum*, ſed minus aptae eae hîc loci videbantur, ut inſiſtatur proxime veſtigiis veteris ſcripturae, nunc *vernilibus fallaciis* malim: *vernile* enim omne vocabant, quicquid homine ingenuo minus habebatur dignum, & ſic alibi noſter. *Illa circumretitus indagine*, & *ora pelacia*, quod exhiberi adfirmas in editione Salmaſiana, miror equidem; cum in codice ſuo, quem cum Regiis membranis commiſit, quique penes me nunc aſſervatur, nil tale annotavit noſter, ut videbis aliquando. *pulſum a nobis* habet regius Codex, e quibus veſtigiis indaganda ſcriptura eſt vera. Placet tuum illud *infamatur*; & *ab imperio rerum tanto.* Simile mendum ſuſtuli & ego ni fallor pag. 246. ed. Herald. ubi & Leones in Deorum numero haberi ait. Locus in codice Regio ſic ſcriptus extat. *Inter Deos videmus veſtros leones* (puto *eonis*) *torviſſimam faciem, mero oblitam, minio & nomine frugiferi*: quid ſi ſcribimus locum conclamatum hoc modo? *Leonis torviſſimam faciem, & ora oblita minio in dominae Phrygiae imperio. in dominae* pro *nomine:* exciderant enim duae litterae, pro *Frug.* quae ſatis oſtendunt aliquid deeſſe, *Phrygiae*, ſic *Aeguptus* & *dea Suria* in antiquis monumentis & Maronianis codicibus. *Phrygia domina* quae ſit norunt & illi, qui nondum aere lavantur. *Dente premunt domito Cybeleia frena leones*, apud Naſonem. Eadem dea, Leoni inſidens, ſaepe in nummis vetuſtis exhibetur. *ferio* pro *perio* miſſa priore ſyllaba, quod eſt ſolemne huic codici; ut & *f.* & *p.* litteras inter ſe confundi. Sic pag. 165. *ficiis* pro *coepiciis*. Ita enim liber Regius. Vulgati *ficis*, ſed quis *ficis* locus eſt idoneus! inter tot herbas? *Cur enim Deus praeſit melli uni tantummodo, non praeſit cucurbitis, rapis, non cumilae, naſturtio, non ficis, betis.* (*v. c. ficiis beaticiis* pro *coepiciis, betaceis.* De [illegible] *beta-*

1 Ita jam correxit *Gruteri.*

betaceis vidit *Salmaſius*, & nos eleganter Plinii in epiſtolis locum reſtituimus) *caulibus*. pag. 280. de herbis ſimilis locus lib. 5. *coepitia* frequenter occurrunt, ſeu, ut codex Regius ſemper, *coepicia*: & cur ea inter tot herbas omitteret noſter? pag. 169. *non tantum puerculi & procaces puericuli* codex, opinor *vernulae procaces*. Tales Alexandrini pueri, a dicaci celebres ingenio. Sed praeſtat forte, *Vernaculi & procaces*. *Deus vernaculorum felle lividus* apud Martialem. D. *Zelhemium* hactenus non vidi: cum videbo, *Burmanniani* negotii ero memor. De conducenda villa quid factu opus ſit, perſcripſi ad illam, quae rem meam familiarem illic nunc curat. *Spanhemium* ex Ubiis huc ajunt propediem adfuturum. Vale, Amicorum lectiſſime CIↃIↃCLXXV. XI. Martiis. Rivetianam B. Virginis Apologiam non mihi, ſed *Bigotio* volebam emptam. Is liber cum non ſit ex rarioribus, exemplar abunde quaeri poterit. De Scholiaſte Luciani nihil ſperandum eſſe opinor, cum pridem in Britanniam ſunt vecti ſcripti Codices ad unum omnes e Voſſiana Bibliotheca. Quid de ruina Eccleſiae veſtrae? ſerione id abs te nunciatum! Nam huc ne rumor quidem iſtius facti permanavit.

EPISTOLA CCLX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ECce me tibi denuo moleſtum, vir Clariſſime. Binas vides hîc epiſtolas, quarum altera gratulatus ſum novam dignitatem, altera ſolatus res adverſas [1] communibus amicis. Niſi ex ultimis tuis didiciſſem *Perizonium* abeſſe, ad te ſuper curandis litteris nunc haudquaquam irem. Poſtremae meae uberrimam quisquiliarum criticarum meſſem ad te ferebant. Unde deprehendis, quam non erubeſcam apud te effutire, quicquid crudum ac indigeſtum ſubitanearum obſervationum ſubnaſcitur mihi. De *Dominae Phrygiae in imperio leonibus* etſi non deſunt, per quae ſententia mea fulciatur, atque in his illa Valerii Flacci lib. III. verſ. 23. tamen nunc eſt, ut potius curis poſterioribus acquieſcam. Quae perſuadent pro *mero minio* ſcriptum *cero* antiquitus fuiſſe, repetita temere littera *M*. ex fine praecedentis proximi vocabuli, cum ſubſequentis vocabuli prima, ultimam hujus abſorpſerit. Ita & in *frug.* iterata e vocabulo *ferio* (quam una littera facio auctiorem) in fine paucae litterae deſiderantur & *frug.* Quid igitur? minima mutatione ſcribo, *leonis torviſſimam faciem ceroto oblitam minio, & numen e rugitu ferino*. Cerotum non multo poſt ſequitur denuo ex reſtitutione praeſtantium virorum, nam & ibi corruptum circumferebatur. *Dirus ſanguineo de ceroto*. Quo loquendi modo & hîc fortaſſis ſcribendum, *numen de rugitu ferino*: ſalſe id Arnobius, ut ſolet. Latiſſimus in illo ſcriptore campus eſt apertus etiamnum ingenii exercendi. Et miror *Salmaſium* tam paucas margini,

1 *Gisb. Cupero* Conſulatum gratulatus, *Theophilum* vero *Hogerſium* dejectum ſolatus.

gini codicis ſui conjecturas adſcripſiſſe. Hoc certe loco tacuit diligenter. Quid in editione ſua exhibuerit, tu videbis, cum nunc mihi non ſit ad manum. Valerium Flaccum editionis meae dum forte dormitans inſpicio nudius tertius ſub noctem, locus ille libro III. verſ. 335. ſeſe offerebat peſſime me hercules adfectus.

Venatrix nec turba canum, pecudumque morantur,
Funereae quae cuique manus, quae cura ſuorum
Quae fortuna fuit.

Quid ſibi vult, *venatrix turba pecudum?* nam de Canibus res manifeſta eſt. Quid *funereae manus?* Quid *cura ſuorum?* aut fallor aut voluerat Flaccus,

Venatrix nec turba canum, pecudumque morantur
Inferiae; nec, cuique manus qua cura ſuorum,
Quae fortuna fuit.

Τὸ *nec* repetitum refer ad *morantur*, cujus loco τὸ *quae* perperam erat geminatum. Breviſſime omnes inferias proſecutus eſt Flaccus, in quibus equi dominos vectare ſoliti, canes venatores, pecudes, ſervi fideliores, ac res pretioſae, quos per *Fortunam* deſignat. Sic Papinius *cenſus totos* in rogum Glauciae liberti Meliorem immiſiſſe ait. Sed doctum doceo. Vale, vir optime. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. XIV. Mart. manu propera.

EPISTOLA CCLXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Binis tuis jucundiſſimis diutius debeo reſponſum quam volebam. Aliud ex alio interceſſit quotidie ſcriptioni accincto. Litteras ad Daventrienſes amicos recte curavi. Funebrem orationem meam tibi non improbari triumpho. Nam tu mihi es inſtar omnium. Maluiſſem tamen tuos obelos, & miniatulas ceras, quam laudes. Plurima enim in illa, quo es judicio acerrimo, procul dubio deprehendiſti, quae jugulari merentur, ſi malueris cenſoriam gravitatem illam ſalutarem in conſilium adhibere, quam amori obſequi, qui nimium indulgendo & connivendo mihi tolleret animum, niſi me noſſem ipſe, & quotidie meo me metirer pede. In auctione bibliopolae fere nihil fuit bonae frugis. *Cranzii* hiſtoria Eccleſiaſtica peſſime erat habita, Valerius Maximus non apud Aldum, ſed apud Aſcenſium prodierat; liber, qui eloquentiam veterem mentiebatur, complectebatur nonnulla *Laſcaris* Grammatica praecepta, *Juniani Maji* lexicon plurimis in locis foede laceraverant, Commentarium in Ezechielem *Dionyſius Exiguus* concinnaverat, Oroſium exaraverat recentiſſima manus. In Hieronymi chronicis neque caput nec pes comparebat. Licitatus ſum tibi Virinii Britannicam hiſtoriam novem, Plutarchum περὶ παιδαγωγίας Suffridi ſeptem, Camerarii epiſtolas obolis octo, Plinium Paulli Manutii, qui liber eſt elegantiſſimus, imperiali. *Ryckium* obtinere priſtinam ſuam dignitatem incredibiliter gau-

gaudeo, quam illuſtrabit haec injuria. Gronoviana domus propediem migrabit Daventriam: frater tamen natu minor, nuperius Franekerae Doctoris auctus dignitate, concedet Hagam, foro navaturus operam. *Jacobus* obſervationum perelegantem libellum, in quo lacunae plurimae Dionis, Arriani, Aeneae Tactici ſarciuntur & explicantur, ac obſcura ac corrupta loca corriguntur, adornavit, qui aut jam praela ſubiit, aut ſubibit brevi. Norimbergenſis amicus narrat *Wagenſeilium* tres diſſertationes de nummis & ſigillis Romanorum, Hebraeorum, & Germanorum litteris conſignaſſe, quas operae Norimbergenſes ſint deſcripturae typis. *Boſii* numiſmata bis mille imperialibus aeſtimari: Norimbergam ex Hungaria bina millia numiſmatum argenteorum a mercatore ex Hungaria perlata eſſe Damaſci erutorum, quae Senatores illius urbis emerint. Lutetia perfertur Terentium illuſtraſſe in Delphini uſum *Nicolaum Canum*, Plautum *Jacobum de Loeuvre*, Phaedrum *Jacobum Danetum*, Salluſtium *Danielem Creſpinum*, C. Nepotem *Nicolaum Courtinum*, Vellejum Paterculum *Robertum Riguezium*, Livium *Joannem Douſatum*, Claudianum *Pironem*. Amſterodamenſes bibliopolae moliuntur editionem omnium operum *Salmaſii*. In Tertulliani loco conclamato non arridet illa vocum tranſpoſitio. Sed *orſus* & *Cois* videtur latere in *horoſcopis*, *morem* vero, quod omnes editiones ante Salmaſianam prae ſe ferunt, abſorpſiſſe in manuſcripto *araneorum*. In Propertio recte correxiſti *ferire feras* pro *videre feras*, & in hiſtoria Auguſta, *Africana conopea*. Sed in altero illius Hiſtoriae loco an non commodius videtur, ſi reſcribatur *ingentes lances*, pro *ingentes dapes?* Propius abeſt hoc a ſcriptorum veſtigiis. In Arnobio perplacet *coepiciis*, *betaciis*. Vellem & Plinianum locum adjeciſſes ratione ſimili emendandum. Probo quoque *vernaculi procaces:* nec non *vernilibus fallaciis*, ſi ducant eo priſci libri, ſin; nihil immutem. In libro VI poſteriores cogitationes ſunt ſane σοφώτεραι. Nam leones traxiſſe currum Cybeles nemo inficiari poteſt: ſed num propterea in diis numerandi? ſic & pavones, columbae, anſeres Numinum albo eſſent adſcribendi. Mihi proxime ſcripturam veterum librorum accedere videtur, ſi ſic refingam, *leonis torviſſimam faciem, cereo oblitam minio, & numen rictu ferino.* Non tamen rejicio *numen e rugitu ferino. Cerotum* non memini uſquam alibi legere; niſi in verbis, quae ſtatim ſequuntur, ubi e conjectura id docti viri repoſuerunt. MSS. enim & editio Romana, *Sanguineo decotoro.* Κηρωτὰ Latinis ſunt *cerata*, non *cerota*. Quid ſi? *ſanguineo decolor ore.* Nam quamvis *ore* paucis interjectis verbis iterum inculcetur, non tamen hoc inſolens huic ſcriptori. In Valerio Flacco nihil puto commodius exſculpi poſſe, quam quod tibi venit in mentem. In vulgatis nullus eſt ſenſus. Firmat hanc emendationem, quae Servius notat ad V. Aeneidos verſ. 45. Magnam mendarum vim etiamnunc Arnobium obſidere nemo poteſt ignorare, qui ſtudioſius eum evolvit. Unum nunc eximam, ſed levem. In libro VI. pag. 201. Salmaſ. editionis, ut & in aliis ſcribitur: *O utinam liceret in ſimulacri alicujus medias introire pendigines. immo utinam liceret Olympiacos illos & Capitolinos Joves deducere in membra reſolutos.* Reſcribendum omnino: *diducere in membra.* Quando *Spanhemius* praeſto nobis erit? Pars camerae parocciae

illapſa ſane eſt, cui ſarciendae nunc incumbunt. Vale, Vir Excellentiſſime & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XXIII. Mart. CIↃIↃCLXXV. Careo Heraldina Arnobii editione. Si quae igitur in poſterum loca ex illa proponere examinanda volueris, quod mihi perquam gratum accidet, velim librum adſcribas, ex quo ſunt hauſta, ne nimium temporis illis inquirendis mihi ſit tribuendum.

EPISTOLA CCLXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

HOdierno mane, dum tua mihi traduntur, ſupervenit forte noſter *Ryckius*, cui res in integrum reſtitutas ſum gratulatus: longa eſt injuria, longae ambages: ſic ut paucis narrando detexi haec fabella haudquaquam poſſit. Et ſane, cum fore propediem rear, ut de repetundo rure cogitare mihi liceat, in proximum congreſſum noſtrum rejici haec ac differri malo, ne deſit argumentum mutuae confabulationi. Accreſcunt interim, vir Clariſſime, tua in me merita, quae cum ingentia fuerint jam pridem, haud parvo gradu ad culmen ſuae magnitudinis quotidie magis ac magis enituntur. Id quod in libris de novo mihi per te comparatis abunde liquet. De *Jacobi Gronovii* lucubrationibus in lucem publicam mox proferendis longe gratiores habui nuntios, quam quae de rixis ac contentionibus illum inter & Etruſcos exortis nuper jucunda parum auditu nobis ferebantur. Pro hiſce etiam, quae narras, deſcriptis per eruditos in Galliis homines, proxime luci publicae exhibitis, non parum tibi debeo. De Tertulliani loco nil jurgiorum tecum, ſpero, intercedet mihi, quod ad ordinem vocabulorum, dum conveniat ſuper ipſis vocabulis. In Arnobio pergam, ubi editionem ero nactus eam, quae tibi eſt in promptu. *Diducere in membra* recte omnino abs te reſtitutum. De ceteris vix habeo quod dicam, illo praeſertim de loco, *numine rugitu ferino*, ſive *fero*: cum ipſum quoque *Salmaſium* illic obmutuiſſe deprehendam. Monebam aliquando, memini, de *Ovilibus* apud Manilium in mendo cubantibus. locus eſt pag. 81. editionis Argentinae *Scaligeri*, uti ſchedae me docent, libro, ni fallor, tertio, qui nunc ita circumfertur,

Roma caſis & nata foret, pecudumque magiſtri
In Capitolinos auxiſſent fulmina montes.

Unus mons Capitolinus in urbe, non plures. Deinde quid ſibi volunt aucta illa fulmina per pecudum magiſtros? nunquid & illi fabricabant fulmen, ut Cyclopes Aetnei? inſiſtendo veſtigiis depravatae lectionis, nil propius poſſum exſculpere, quam quod hîc exhibebo,

Roma caſis & nata foret, pecudumque magiſtris
In Capitolino ſtraxiſſet ovilia monte,

vel

vel *ſtatuiſſet ovilia*. quod hiſtoriae temporum illorum eſt conveniens. *Spanhemium* vobis adeſſe nunc exiſtimo. *Schefferus* neſcio quid libelli nuper edidiſſe dicitur Upſaliae, ſuper nummo aureo recens illic terrarum invento. In hiſtoria Auguſta major utique ſimilitudo litterarum apparet inter *Palatinis* & *Patinas*, quam *lances* inter & *ingentes*. deinde *lances* neſcio ſi ſatis reſpondeant genio ipſius ſeculi. de *Betaciis* locum Plinii ex epiſtolis dabo, ſimul atque in villam ero reverſus. Illic enim liber a me nuper eſt relictus. Vale, amicorum decus & princeps. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXV. XXIV. Martii. Feſtinationi nimiae ut benigniter ac ſolito pro more ignoſcas rogo, tum haſce ut nautis veſtratibus tradendas cures per tuorum nonneminem.

EPISTOLA CCLXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

OPinio tui adventus, quem indies expectavi, me in reſpondendo tardiorem fecit. te, credo, iſtud inopinatum frigus moratur. Nam tricis moleſtiiſque forenſibus te defunctum eſſe ſperamus, ut nunc ad rus vicinum reverſus totus tuus eſſe, tuaeque poſſis ſervire valetudini & Muſis, quae deteſtantur & diris devovent iſta negotia, homineſque, qui ab earum cultu, & praeclaris illis rebus, quibus eas ornare potes, te abducunt. Tu enim unus es, qui hac tempeſtate in iſtis terris elegantiorum litterarum decus ſuſtines. Locus Manilii, foediſſime depravatus, videtur perquam ingenioſe & perquam eleganter a te ſuo nitori eſſe reſtitutus. Quae *Schefferus* de nummo prodidit aureo cupide videbimus. [1] Profeſſor Piſanus Hiſtoriae Eccleſiaſticae diatriben quoque de duobus nummis aureis, qui, ni fallor, in Magni Ducis cimeliis ſervantur, typis committit. Nuper credo narravi *Wagenſeilium* de nummis Hebraeorum, Latinorum & Germanorum commentatum eſſe, illaſque curas nunc publicare. In eodem argumento elaboravit etiam *Mauritius*, quem Spirae, credo, vidiſti. Emit is aliquando centum aureis egregium librum manu exaratum de Auſtriacorum nummis. Illum cum ſuis meditationibus communicat cum *Wagenſeilio*, ut in ſuas transferat ex iis diſputationes, quae cenſet e re ſua eſſe. De *Spanhemio* nihil audio. Quid Senex venerandus *Junius* rerum gerit? Quid Nobiliſſimus *Selcemius*? quem nuperius hîc tranſeuntem me non vidiſſe doleo ſane. Quaeſo te ut utrumque ſalutes meo nomine, ſi quando videris, ut & Ampliſſimum *Naeldvicium*. Tui ego complexus deſiderium ferre vix poſſum. Vale, Princeps ingeniorum. Trajecti ὡς τάχιςα. poſtrid. Kal. April. CIƆIƆCLXXV. Gregor.

1 *Noriſius.*

EPISTOLA CCLXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vredenhoevium.

COmitatis tuae humanitatiſque, qua nuperius nos accepiſti, memoriam nulla delebit temporis longinquitas. Id unice doleo, non ſaepius nos poſſe una eſſe. Utinam ſic poſſes iter inſtituere, cum Hagam recurris, ut noſtram tranſeas urbem potius, quam Amſterodamum. Invenies hîc *Wolzogium*, qui tui complexus aeque cupidus eſt ac ego. Rogo, ut ſi forte ratio tua non tulerit nos viſendi, Polybium Scaligerianis annotationibus onuſtum mecum communicare, & nautis ad me perferendum tradere velis. Non unica filia tam bene cuſtodietur matre a caſta, quam ab omni labe purus ſervabitur hic liber a me. Scis *Latini Latinii* ſecundum epiſtolarum volumen me dudum flagraſſe magna videndi cupiditate. Eo ſi carere potes ad unum alterumve diem, ut & *Patritii* notas in Ciceronis orationes, quaeſo ut addas utrumque Polybio, aut ipſe feras. Si forte migrandum erit ex his aedibus, velim quoque memineris libellorum *Manutii*, ſed tuo tamen commodo. Eho an non tu frontem de rebus periiſſe clamabis, cum tot libellos utendos a te poſtulem? Nec ſane, niſi multum praeſidii mihi in tua benignitate ſitum eſſet, ſuſtinerem haec a te petere. Heri vidimus hîc Nobiliſſimum *Naeldvicium*, qui luſtrabat praeſidiarios. Hodie Batavodurum contendit, cis unum alterumve diem reverſurus. Dolebat ſe neſciiſſe te in villa nunc agere, ſi hoc potuiſſet ſubodorari, ſe pridie in tranſitu te compellaturum fuiſſe. In Ciceronis epiſtolis ad familiares, ut vocant, mendas delevi modo binas, quae omnes inquinarunt editiones, & ſententiam pervertunt. In libro XVI. Ep. VII. *Solliciti eramus*, inquit, *de tua valetudine mirum in modum: nec mirabamur nihil a te litterarum, iis enim ventis iſthinc navigatur, qui ſi eſſent, nos Corcyrae non ſederemus.* Cum venti ſint, quibus commodo Patris Corcyram navigatur, cur nihil litterarum adfertur? Potius miraretur quod nihil litterarum afferretur. Dein cum iſti venti ſient, quid eſt, *qui ſi eſſent?* Cenſeo ſcripſiſſe Ciceronem: *Solliciti eramus de tua valetudine mirum in modum: & miramur nihil a te litterarum. Iis enim ventis iſthinc navigatur, qui niſi eſſent, nos Corcyrae non ſederemus* Cum Hagam petieris, nullus, quin Tacitum aut alium ſcriptorem tecum ſis laturus, dubito, ne nobis ſcribendi deſit argumentum. Vale, ὦ φιλότης. Trajecti a.d. VIII. April. CIↃIↃCLXXV. Nobiliſſimo *Goeſio* ſalutem.

EPI-

EPISTOLA CCLXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

VIx a nobis proxime diſceſſeras, vir amiciſſime, quando id operam ſtudioſe in primis dedi, ut ſuper aedibus locandis denuo tentaretur *Brounius*, ſed, ut eſt propoſiti tenaciſſimus, cum nil omnino remitteret a denuntiata jam ſemel horrendi carminis lege, villaeque in vicinia ac domus omnes occupatae tenerentur, tandem capto in arena conſilio ad id confugi oppidum, quo ſolent illi ſe conferre, qui a conſpectu fori abhorrent. Quid ni enim, poſt rem illic infeliciter a me quoque geſtam, horum conſortio adſcribar, ac vulturibus togatis ſat ſuperque meo paſtis jam ſanguine, res ſuas jubeam habere? Convaſatis igitur per ſummam feſtinationem ſarcinis, ac conjectis in ciſtas libris omnibus, quod eſſent, quae Hagam revocarent, timeremque, ne aeſtivi temporis opportunitas denuo aliud agenti efflueret, nec conſuli per thermas Germanicas adfectae poſſet valetudini, hac contendendum eſſe ocius ſtatui, relectis meiſmet veſtigiis. Habes, mi Graevi, cauſas, cur libros, quorum uſum proxime flagitabas, non ſepoſuerim. Erant enim in ciſtas jam tunc conditi, cum mandata tua ad me perferebantur. Poſt confectum iter, quod in menſes non niſi paucos extendi poteſt, omnia tibi, & quidem mature ſatis, ut ſpero, apud me patebunt. Habui Roma nuperrime ab Eminentiſſimo *Barberino*; ſed quae rerum novarum nil omnino complectebantur. Quae ad Ciceronem de novo obſervas, opinor eſſe veriſſima. Nunc habeto ad Petronium pauca haec hoſtimenti loco. Meminiſti, puto, carminis apud illum, cujus eſt initium: *Artis ſeverae ſi quis adamat effectum.* ita enim videtur ſcribendum pro *amat*, quod membranae conſtanter prae ſe ferunt. Sed in omni eo carmine vix quicquam ſani occurrit: locus, de quo nunc actum volebam, ſic ſe habet.

Dent epulas & bella truci memorata canore,
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minentur.

Intempeſtivae prorſus hîc loci *epulae* iſtae, ſi quid video. Elegiaci enim carminis potius & animi luxuriantis ac mollis, exacta frugalitatis lege polientis, argumentum epularum deſcriptio omnis omnino habenda. Sic Horatius argumentum inter alia dat Elegis, *ut referant libera vina.* At noſter hîc loci juvenem diſciplinae ſuae traditum, ac magnis ſe rebus applicantem, qualem formari cupit, ſive oratorem ſive poëtam, ab epularum uſu ac frequentatione excluſerat jam ante. Cur ergo poſt requirat in illo, ut ſtilum exerceat in epulis deſcribendis, cur epulas cum bellis, res argumenti plane diverſi, conjungit? Coaluiſſe in unum opinor bina vocabula, quae totam hujus verſus rationem conturbavere? voluit enim Petronius, ſi me audis,

 Dein-

Dein det epos, det bella truci memorata canore,
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur.

Sed tu videris, mi Graevi. Nam mihi Petronius ipſe, de cujus capite comitia habentur, nunc haudquaquam eſt ad manum. Vale, vir Clariſſime, & amicos communes a me ſalvere plurimum jube. Exarabam Hagae Comitum CIƆIƆCLXXV. XXIX. April. De praecedentibus apud Petronium alias agetur.

EPISTOLA CCLXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MErito plectitur *Brounius*, cum in praediorum tam urbanorum, quam rusticorum tanta vilitate ſuam villam non minore pretio proſcribit, quam olim locabatur, cum res omnium eſſent florentiſſimae, ut qui ſalubre vectigal ſprevit, nunc omni fructu careat. Tuam rationem probant omnes, qui tuas res contuliſti in ſeceſſum non inamaenum, ab arbitris ſane remotum. Nam a tuis vicinis nihil tibi periculi aut negotii. Sordent illis libri & nomina vetera: novis capiuntur tabulis, in quibus ſolis omnem cogitationem mentemque fixerunt. Nec eſt, ut ibi metuas vultures togatos, qui averſantur loca, in quibus ſine ſpe praedae morantur. Quid enim a male vivis hominibus ſibi promittant? Bene habitos captant & ſucci plenos, quorum nitore & ſanguine ſaginentur. Librorum, quos petieram, uſum ſatis mature tuus mihi reditus praeſtabit. A *Thevenotho* litteras habui per quam liberaliter & prolixe de Principis, quem hîc vidimus ante non multos annos, in me voluntate loquentis. Novi alioquin nihil. Tibi pro deſcriptione illius legationis Ruſſorum ad Seres gratias agit, teſtatus illam ſe habere: Sed eſſe in Hollandia centurionem quendam, qui & ipſe illud iter fecerit, & accuratius ſingula in illo obſervavit litteriſque mandavit, cujus ſit cupidiſſimus. De hoc homine ſi quid tibi conſtet, perquam velim quamprimum mihi ſignificari. Angli novam Joſephi editionem adornant, & petunt ſibi copiam fieri annotationum *Boſii*, quo nomine litteras ad Ienenſes dedi. Ex Germania perfertur *Obrechtum* de nummo Domitiani Iſiaco epiſtolam edidiſſe, & Julium Obſequentem *Schefferum*. Petronii locum inquinatiſſimum non infeliciter emaculaſti. Videtur ſane ſic ſcripſiſſe: *Dein det epos*, Vulgata ſcriptura defendi ſane non poteſt. Volebam etiam aliquid ex meis ληκύθοις, ſed excludebar tempore. Nobiliſſimo *Selemio*, & Ampliſſimo *Naeldvicio*, ſi forte eos videris, ſalutem ut dicas, rogo, nec non σεβασμιωτάτῳ *Junio*. Aveo & reliquas tuas emendationes in illud carmen, quas promittis, cognoſcere, ut & quando iter ſuſcipere conſtitueris. Vale, Princeps ingeniorum. Trajecti in Batavis a.d. VI. Maii CIƆIƆCLXXV. Gregor. Pacisne ſpes nonnulla vobis?

EPI-

EPISTOLA CCLXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUam hîc vides epiſtolam, hodie mihi Vianenſis nauta reddidit. De te valde ſollicitus ſum. Aveo enim cognoſcere num meliore loco jam ſit tua valetudo, & par itineri, quod habiturus es in Germaniam. Hîc quod ſcribam vix occurrit. Nam novi nihil in re litteraria ad me eſt perlatum. *Munkerus*, Delphenſis Scholae Rector novam Antonini Liberalis editionem concinnavit, quae brevi lucem videbit. *Jacobi Gronovii* obſervationes in Dionem, Arrianum, & Aeneam ſub praelis ſunt. In XI. ad Atticum epiſtola XXIV. locus eſt foede corruptus: *Sed ad meam manum reddiderint. enim haec occultius agenda.* Sic *Victorii*, *Manutii*, *Lambini* editiones, & excerpta duorum vetuſtorum codicum, quae penes me ſunt. *S. Boſius* ex ſchedis antiqui libri edidit. *Sed ad meam manum redi. Dehinc enim haec occultius agenda.* Manutius teſtatur in veteri Speciani libro ſcribi: *Sed ad meam manum rediero. etenim haec occultius agenda.* Unde conjicio legendum: *Sed ad manum rediero. Dein etenim haec occultius agenda.* Iſta enim verba: *rediero*, *dein* ac prima ſyllaba in *etenim* in aliis voluminibus coaluerunt in *reddiderint*. Tu, ſi quid venuſtius, qua es εὐστοχία, exſculpſeris, plurimum me tibi devincies, ſi mihi perſcripſeris. Rogo, ut has epiſtolas tecum in Germaniam feras: quando ſis viae te daturus propediem ex te reſciſcam. Vale, meum grande decus. *Velthuſius*, *Trelſchius*, & *Servaſius* tibi dicunt ſalutem. Trajecti in Batavis a.d. XI. Maii. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCLXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SCribis non diſplicere tibi, quae ad Petronium proxime annotabam, atque adeo petis, ut reliqua in eodem Arbitri carmine dem caſtigata. Putaſne praeſtari a me poſſe, Graevi optime, poſt diligentem ſatis tot tantorumque interpretum lucubrationem, quod ne ipſe quidem poſſit Aeſculapius, ut ex hoc Hippolyto Virbium concinnem, omni membrorum parte integrum, omnibus numeris recoctum, Aeſonis exemplo, qui labor, ut ſcis, totam conſumpſit olim Medeam? Atqui ego nec patrem Phoebum, nec avum jactare poſſum, tenui omnino inſtructus apparatu artium bonarum homuncio. Ne deſim tamen pollicitationi, quamquam deſtitutus nunc omni librorum praeſidio, cui ne Petronius quidem eſt in promtu, de cujus capite habenda ſunt comi-

comitia, parebo tuis deſideriis, ut potero. Verſus proxime caſtigatos a me, quantum recordari datur, praecedunt alii aeque mendoſi. in quibus mutandum primo videtur, *det pagina verſum*, pro *curſum:* agit enim toto hoc carmine id in primis Arbiter, ut ſtudia poëtica non minus, quam oratoria, ac Philoſophica commendet, atque haec cum illis conjungenda praeſcribat. Sed quid *Fortuna* hîc loci eſt? quid ſibi vult *diſtincta pagina*? Totus locus, ſi quid video, ſic videtur conſtituendus.

Interdum ſubducta foro det pagina verſum,
Et fortuita ſonet celeri diſcincta meatu.
Dein det epos, det bella, truci memorata canore,
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur.

Studiis forenſibus aliquid operae ſubceſivae detrahendum eſſe vult noſter, quod aut verſibus ſcribendis, aut lege metrica ſolutae orationi detur, idemque argumenti fortuito oblati & perfunctorii, in quo tamen temporis non multum teratur, ſed feſtinanter id omne agendum; deinceps ad majora, ſive carmine, ſive oratorio inſtituto, procedi poſſe. *fortuita* triſyllabum eſſet, ut *pituita* apud Horatium, *niſi cum pituita moleſta eſt.* prima enim in *pituita* ſyllaba eſt producenda, ſi Catullum audimus, apud quem occurrit, *Muccuſque & mala pituita naſi.* *fortuitus ceſpes* ſic Horatio eſt, fortuito oblatus, & *fortuitum lutum* noſtro alibi. Similem mendam me auferre memini e Tacito, ubi *Fortuna* quoque perperam irrepſerat. fuit, cum *furtivam paginam* amplectebar: nunc alterum malo. *pagina diſcincta* eſt legibus metricis ſoluta. ni mavis intelligi vagam, nec in certo argumento haerentem, vel nimis anxie elaboratam. ut *diſcincta otia* apud Naſonem. aliter *Schultingius* ad Senecam pag. 77. Illo verſu. *Mox & Socratico plenus grege mittat habenas*; Τό *grege* abeſt a ſcriptis, qui exhibent, *plenis immittat habenas*, vel *immutet.* puto,

— — — det primos verſibus annos,
Maeoniumque bibat felici pectore fontem:
Mox a Socratico plenus ſine mittat habenas;
Libera & ingentis quatiat Demoſthenis arma.

Socratico, nimirum *fonte*; quod proxime praeceſſerat. Nam ſicut Homerus fons poëtarum, ſic, Philoſophorum Socrates. Equus, cui mittuntur habenae, liber non poteſt dici, ſed eſt liberior, quam fuit ante; detractis habenis eſt omnino liber. *libera Demoſthenis arma* dicuntur eleganter, ob ſummam divini viri libertatem, qua tyrannos ac homines publicae rei graves nimioſque exagitavit, quod Philippicae ejus abunde reliquerunt teſtatum: ſic & *indomitum Ciceronem* paulo poſt habemus. *immittat habenas* vetus eſt ſcribendi ratio, quod minimo negotio exhiberi potuit a feſtinante librario, pro *ſine mittat.* praeſertim *S.* littera proxime praecedente. Volebam & olim *ſibi mittat*, vel *ſibi mutet habenas.* quomodo Papinius in ſilvis de conjugio ſuo ad Claudiani uxorem.

tua frena libens docilisque recepi,
Et ſemel inſertas non mutaturus habenas.

Sed

Sed praeterquam quod ſcripti meliores *immittat* agnoſcant, τὸ *mutare* paullo poſt rurſus occurrit.

> *Hinc Romana manus circumfluat, oraque Grajo*
> *Exonerata ſono mutent ſuffuſa ſaporem.*

Sic & illa conſtituenda, cum in vulgatis ſenſus vix appareat commodus, niſi quod *Exonerante ſono* praetulerim, propter *ſuffuſa* ſubſequens. Τὸ *ora* abſorpſerat verbum *exonerante*, in quo earundem litterarum ductus ſupereſt. Si vulgatum ſequimur, ſenſus non erit commodus. Nam quid eſt *manus ſapore ſuffuſa?* a Graecis ſtudiis incipiendum tyroni monet Arbiter, poſt ad Romana curam convertendam, ut moris apud veteres. Eamque in rem Gymnaſia tria proponit, Athenas, Tarentum, ac Neapolim. Cave enim aliam civitatem intelligas, quam Tarentinam, *per tellurem Lacedaemonio colono habitatam.* Et haec quidem hactenus. Nobiliſſimo *Thevenoto* cum ſcribes, illi, quaeſo, me ſtudioſum commendes in modum vide. Centurionis illius nomen litteris addidiſſet vellem, penes quem extare Serici itineris deſcriptionem terreſtrem per Tartariam Siberiamque, quas nunc vocant, inſtituti annis proximis cenſet. Tantus enim apud nos nunc eſt confluxus Pyrgipolynicum horum, ut numero obruamur ipſo. Tum doceri abs te cupio, quid complectatur tomus ille itinerariorum, quem nuperius ejuſdem elegantiſſimi *Thevenothi* cura in lucem prolatum ſignificabas proxime. Res meas, quando tu id ſcire cupis, parum ex ſententia promoveo, ac totus haereo in vado etiamnum. Vale, Graevi ſuaviſſime, & ſalve plurimum ab *Ezechiele Spanhemio*, qui nobis nunc adeſt. Exarabam Hagae Com. CIↃIↃCLXXV. a.d. x. Maii. Hiſce jam finitis tuas alteras, mi Graevi, accipio. Obſervationes ἢ δεῖνα in Hiſtoricos Graecos jam vidi ab amico exhibitas mihi heſterno die. Quid quaeris? Crebra & illic intemperantis linguae veſtigia paſſim apparent. Tu judicabis. Habui a *Scheffero*, qui te peramanter ſalutat. Neſcio quid vir optimus praeter ſolitum conqueritur de turbis, in Academia illa recens exortis. In Ciceronis loco vix liquet, quid tua conjectura magis appoſitum refingi poſſit. Niſi placet fortaſſis, *ſed ad meam manum redi, oro.* Haud ſcio tamen an praecedentibus id ſatis conveniat, cum liber non ſit ad manum. *Velthuſium*, *Trelſchium*, *Servaſium*, viros praeſtantiſſimos reſaluta. Dedicationem operis Meurſiani detextam jam pridem abs te oportuit. Imminet enim capitibus noſtris ea tempeſtas e ſeptentrione, quae minatur nos inter & Suecos diſcordiam ingentem; maturandum igitur. Heri apud *Seelhemium* epulabamur, ſecuturum propediem caſtra. Ibi ſalutatione tua ſum defunctus, etiam apud *Spanhemium Juniumque*, nam *Naaldvicium* non vidi.

EPISTOLA CCLXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ET amici peregre venientes, & variae, quae intervenerunt, occupationes & moleſtiae domeſticae meam ad te ſcribendi voluntatem quotidie protraxerunt. Acceſſit morbus graviſſimus *Nicolai* noſtri, qui eum ante hoc triduum confecit, & leto dedit. Tam belli pueri, cujus indoles neſcio quid praeclari promittebat, mors tam inopina acerbior mihi & uxori accidit, quam credi poſſit. Sed cum luctu nihil proficiatur, animi aequitatem revocare, & a ſenſu triſtiſſimi funeris nos abducere ſtudemus ſummopere. Mihi tuae litterae ſolatio fuerunt, quas tanto crebrius perlegi, quo frequentius illis reſponſionem paravi, accinctus indies, ſed iterum iterumque interpellatus. Quae ad Petronium notaſti, digna ſunt tui ingenii ſollertia & acumine. In illo tamen verſu, quem tu ſic conſtituiſti,

Mox & Socratico plenus ſine mittat habenas

nondum poſſum tuae ſuffragari ſententiae. Nam *mittere habenas* Latinis dici, aut ſaltem hoc ſenſu, non exiſtimaverim. Locus ſane nullus meae ſuccurrit memoriae. *Mittere habenas* eſſet exuere, deponere fraena. Sed *immittere habenas* frequens eſt & pervenuſtum. Virgilius, *claſſique immiſit habenas* Val. Flacc. *Volat immiſſis cava puppis habenis.* Hinc & ſimili tranſlatione *immiſſas rotas* dixit Propert. III. El. 6.

Immiſſis da mihi ſigna rotis.

Gonſalii editio prae ſe fert

Mox & Socratico plenus grege mutet habenas.

Sed recte volentibus Muſis deleviſti, quod intruſerunt, *grege*, ignotum membranis vetuſtioribus, quae cum prae ſe ferant *immittat*, non id eſt immutandum, ſed fulciendus verſus unica vocula; quam ſequens abſorpſit, inſerta:

Mox & Socratico plenus jam immittat habenas
Liber, & ingentis quatiat Demoſthenis arma.

Liber nimirum a legibus orationis pedibus conſtrictae, cui antea dedit operam.

Interdum ſubducta foro det pagina verſum

laudo proboque, idque ante probavit *Schultingius* ad Senecam, ut noſti. Sed in verſu ſequenti:

Et fortuita ſonet celeri diſcincta meatu.

tua quidem ſententia omnibus aliis meo judicio eſt praeferenda: nam *Schultingii* minime gentium poteſt tolerari; ſed mihi nondum videntur omnes tenebrae, quibus obſidetur, diſpulſae, aut mendae exemtae. *Diſcincta pagina* pla-

 cet

cet quidem pro metris ſoluta, *fortuita* quoque non improbem, ſed iſtud *celeri meatu* turbat ſenſum, quem elicuiſti. nec tamen nunc quod ſubſtituam commodius quicquam occurrit. Sed iſta tua emendatio:

Hinc Romana manus circumflùat, oraque Grajo
Exonerata ſono mutent ſuffuſa ſaporem.

arrident mirifice. Nihil potuit excogitari aptius. Certe *manus ſuffuſa ſapore* nihil Latinis auribus ſignificat. Proxime expecto (nam exciderunt memoria, quae de illis nuperius diſputabas coram,) quomodo cenſeas emendandos verſus praecedentes

Neve plauſor in ſcena
Sedeat, redemtus hiſtrioniae addictus.

Pervelim quoque ex te reſcire, quid tibi videatur de verſu Virgiliano Eclogae primae:

Non inſueta gravis tentabunt pabula foetas:

Mihi perquam durum accidit, imo abſurdum *gravis foetas*, perinde ac ſi dixiſſet *gravidas praegnantes*. Non hoc ferri poſſet in Sidonio aliquo, aut qui eo eſt corruptior. Non eſt quod adferant *ſcroſa foeta* ex Arnobio. Nam tales pleonaſmi apud ſcriptores praecipue illius aetatis non ſunt infrequentes, ſed *ſcrofa* eſt, ut οἱ παῖδες τῶν γραμματικῶν loquuntur, ſubſtantivum. Mihi itaque magis appoſita videtur diſtinctio nonnullarum editionum:

Non inſueta gravis tentabunt pabula: foetus
Nec male vicini pecoris contagia laedent.

Vale, vir Illuſtris, & me ama. Uxor te ſalutat. Filiola natu minima & ipſa valetudine eſt afflicta, illoque novo morbo, quem Angli Rachitidem appellant, vexatur. Sicut autem iſte morbus dicitur non ita pridem ex illa inſula in has terras ſerpſiſſe, ſic nunc moeſtiſſimi feruntur nuncii ex ea ad nos pervenire propediem evulgandi, cum Sereniſſimus Princeps ex caſtris Hagam reverterit, ubi indies expectatur. Vale, meum decus iterum iterumque. Trajecti Batavorum poſtrid. Kal. Jun. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCLXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Nicolai tui, pueri mehercules lepidiſſimi, & paternam indolem in tantilla aetate ubertim ſpirantis, exceſſum, vix credas quam dejecto animo quamque conſternato exceperim. Certiſſimum ille fragilitatis humanae argumentum, ut fluxa omnia, ut caduca tranſcurrant, ac de ſtatu, cum ſperes minime, dejiciantur, ſi aliunde non conſtaret, poterat nos periſcitus infans hoc funeſto caſu abunde perdocuiſſe. Ceterum cum tuarum rerum ſit omnino nihil, quod a me alienum arbitror, hanc ipſam neceſſitatis legem praeſcribente mihi affectu illo

eximio ſtudioque prorſus ſingulari, quo in me demerendum totus jam pridem ferris, jure dixerim tamen ac aſſeverarim religioſiſſimum quantum poſſum in modum, non alias adverſus tuis altius teneriuſque me ingemuiſſe; cum & meam rem agi hîc agnoſcerem, quem alterum tu parentem puero dediſſes. Sed obfirmemus, quaeſo, animum adverſus haec tam luctuoſa, tam ingrata; etſi aliunde non adfulget ſolatium, quod tanto exaequetur dolori, mutuemur id certe a communibus bonarum artium ſtudiis, in quibus tu cum regnes latiſſime, nos id unum hactenus fere praeſtamus, ut te debito proſequamur cultu, & quantum ſis ex noſtra ignorantia metiri quotidie diſcamus. *mittere habenas*, ut ad Petronium revertamur, de quo proxime inter nos agebatur, videor legiſſe apud optimos in re poëtica Latinitatis auctores, &, puto, exemplum aliquando erit in promtu; quando nullum nunc quidem, dum haec chartae illinuntur, ſuccurrit: nam de *immiſſis* eodem ſenſu *habenis* oblitus eſſe haudquaquam potuiſſem, qui meminerim ſic & *immiſſas aquas* occurrere apud auctorem Elegiae de exceſſu *Druſi*, ubi ille ad Tiberinum,

Vade, age, & immiſſis labere pronus aquis.

Dum hîc haeremus, tutiſſimum utique eſt cum caeſura, quae me nonnihil offendebat, verſum relinqui intactum, *mox & Socratico plenus immittat habenas.* porro τὸ *liber* vix aliter capi poterat, quam eo, quo tu interpreteris, modo, ſi diſcipulum, quem fingit inſtructum praeceptis ad profectum perquam ſalubribus Arbiter hoc loco, a ſtudiis poëticis recta duceret oratoriam ad artem. Sed cum Philoſophiam interponat utrique ſtudio noſter, quae legibus metricis non minus eſt ſoluta, quam oratoria, non video, quomodo liberiorem Oratoria faciat, quam Philoſophia, ſtudioſum adoleſcentem, ut poſt decurſum Philoſophiae campum, jam oratoriae arti accinctus *liber* dicatur potius, quam dum Philoſophiae ſe dabat poſt poëſin deguſtatam. Quae ſequuntur, ita fortaſſe rectius ſint concinnanda,

Interdum ſubducta foro det pagina curſim,
Et fortuita ſonet celeri diſcincta meatu.

Interdum, inquit, conſcribat aliquid curſim ſubductum curis forenſibus. τὸ *curſim* commodius reſpondebit *celeri meatui.* Primo vult aliquid ſcribendum fortuiti argumenti, ſed ὡς ἐν παρόδῳ tantum, & quaſi proludium majoris rei: poſtea majori niſu ad Epici argumenti opus tranſeundum. *Schultingius* quae dicat de hoc loco, non ſatis memini: ſed in ora codicis mei annotatum video paginam notarum ejus ad Senecam, quae locum hunc tangit, ac *diſtrictam paginam* vult caſtigari. Scazontis initium ſic conſtituitur non incommode,

Amat ſeverae ſiquis artis effectus,
Mentemque magnis applicat, prius mores
Frugalitatis lege poliat exacta.

Alii alia commenti ſint, nemo, quae propius accedunt ad ſcriptam lectionem. Nam *Pithoeus* ad leges Moſaicas rationem ac legem carminis omnem prorſus conturbavit. Sequentia etiam corrupta ſunt, *perditis addictus.* Certe perditorum hominum conſortium, non artium tantum bonarum ſtudioſis, ſed honeſto

cui-

cuique fugiendum. Agit autem Arbiter hîc de ſtudiorum avocamentis procul habendis, ut aulae frequentatione, ac conviviorum, quae a magnatibus inſtituuntur: reddunt & ſcripti ſuſpectum locum, quorum nonnulli cum prima editione, quae apud me eſt, *nec praedictus abditis.* Tragurienſis, *perdictis abditis*, alii, *perdictis addictus*, vel *abditus. Franciſcus Daniel* ex veteri libro monet, *Nec praedictis abdictus*, proxime veram ſcripturam, hoc eſt *praediis abductus. addictus* hîc ferri non poterat, cum mox denuo ſubſequatur. In praediis otiabantur ut plurimum, & Genio indulgebant: hinc toties in epiſtolis Symmachi, *otiari* pro ruſticari, & *otium Formianum* pro Formiana villa, ac ſimilia. *rus geniale* apud poëtas. In ſequentibus non placet illud, *ſedeat in ſcena*: neque enim in ſcena ſedebant ſpectatores. tum inconcinna illa, *redemptus & addictus* de eodem ſpectatore. Minima mutatione ſic omnia in ordinem ſincerum habebis redacta:

Nec praediis abductus obruat vino
Mentis calorem, neve plauſor in ſcenam
Sedeat redemptis hiſtrionicam addictus.

Ne ſpectator ſedeat addictus redemptis hiſtrionicam in ſcenam. notat vilitatem hiſtrionum, qui ſerviles ac mercenaria opera redimebantur a chorago; tum eorum, qui ſe iis addictos praeſtabant. Notum autem ex hiſtoricis antiquis, quo cultu ſtudioque nobiles Romanis ſeſe hiſtrionibus addixerint, ac illos etiam ad ſcenam e domo prodeuntes aſſectarentur deducerentque; recte igitur, *redemptos hiſtrionicam in ſcenam* vocat hiſtriones. *praediis abduci* (ſubintellige a *ſtudiis*) proprius loquendi modus apud Ciceronem tuum; epiſtolis ad Q. *fratrem: abduco me ab omni reipublicae cura, dedoque litteris. abduci a ſtudiis* Terentio & eidem Tullio, Quintiliano, *a Grammaticis puerum abducere.* Noſter Carmine de bello civili. *Populus (miſerabile viſu)*

Quod mens iſta jubet deſerta abducitur urbe.

Sic malo, quam *ducitur.* Tibull. lib. IV. El. VIII. verſ. 7.

Hîc animum ſenſuſque meos abducta relinquo.

& eodem libro. eleg. III. 5.

Sed procul abducit venanti Delia curas.

Quam veram eſſe ſcripturam ſuo loco adſtruemus. Juppiter apud Claudianum lib. III. *Raptus. Abduxere meas iterum mortalia curas Jam pridem deſueta mihi.* De *Socratico fonte* habe Quinctiliani locum lib. I. Cap. X. de Inſtit. Orat. *quid de Philoſophis loquar, quorum fons Socrates ipſe, jam ſenex, inſtitui lyra non erubeſcebat.* Apulejus de habitudine doctrinae Platonicae, *Philoſophia ex ipſo Socratis fonte membra ſuſcepit.* Sariſberienſis de nugis curialium lib. VII. Cap. VI. *Apuleus Afer, qui Socraticum fontem redolet. Philoſophiae fontem attingere* noſter infra. Et haec quidem de Petronio. In Virgiliano verſu Eclog. I. Illud *graves* non interpretabar *gravidas*, ſed *aegras* & morbo tentatas. apud Naſonem Metam. VII. De peſte Athenienſi

Inde graves multi nequeunt conſurgere, & ipſis
Immoriuntur aquis.

Proxime de locis nonnullis tecum agam Valerii Flacci; de quibus me conſuluit *Johannes Columbus*, *Schefferi* noſtri gener. Uxorem & amicos a me plurimum ſaluta quaeſo. Hodie a nobis abit Nobiliſſimus *Maersbrouckius* Friſios petiturus. *Bigotium* valere, & mei meminiſſe narrat *Elzevirius*. Hagae Com. CIƆIƆCLXXV. a. d. IX. Junii.

EPISTOLA CCLXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litteris tuis nihil mihi potuit afferri gratius, & deſideratius. Nam & tuum alloquium, & ſocietas doloris, quem in me conſolando adhibuiſti, meam aegritudinem mollierunt vehementer. Firmaram quidem ante ſapientiae praeceptis animum in patientiam hujus caſus, ipſaque haec perditorum temporum moeſtitia mihi ſubjiciebat, optime cum iis agi, quos his acerbitatibus, quae undique impendent, fata mature ſubducant, reſiſtere tamen dolori aegre poteram: tantum hujus pueri eſt deſiderium. Sed iſtum animi aeſtum ſedarunt, & me mihi reſtituerunt tuae litterae, plenae ſingularis erga me amoris, dudum quidem mihi rebus infinitis perſpecti, perquam tamen jucundi, & mirifica eruditione conditae. Quas gratias tibi agam pro tot pulcherrimis emendationibus in Petronio, quarum pleraeque ex ipſa Apollinis cortina videntur eſſe hauſtae? Quid enim exploratius tua correctione?

Amat ſeverae ſi quis artis effectus,
Mentemque magnis applicat, prius mores
Frugalitatis lege poliat exacta.

Aliorum commenta, & quae ipſe olim cogitaveram, viſa hac veritate ſordent. Extra controverſiam quoque pono:

Nec praediis abductus obruat vino
Mentis calorem, neve plauſor in ſcenam
Sedeat redemtis hiſtrionicam addictus.

Iſti ſollertiae tuae qui non applaudit, nae is aceti in pectore parum habet. Sed in illo,

Interdum ſubducta foro det pagina curſim,
Et fortuita ſonet celeri diſcincta meatu,

Nondum mihi ſatisfacio. Vix puto, quae huic loco inſident, ulcera ſine melioris codicis ope poſſe ſanari. Tuam tamen emendationem aliorum conjecturis longe praefero. *Mittere habenas* pro *immittere* ſicubi inveniatur, fac quaeſo, cum ad tuos te libros aliquando receperis, ut ex te cognoſcam, & tibi etiam pro hac ignota mihi notione Minerval debeam. Praeclaras tuas animadverſiones remuneror correctione non magnae rei in Pomponio Mela. In lib. II. c. 3. *In Epiro nihil Ambracio ſinu nobilius eſt. Facit ſinus, qui anguſtis faucibus,*

bus, *&* *quae minus mille paſſibus*, *pateant*, *grande pelagus admittit.* Quid quaeſo ſibi vult: *ſinu Ambracio nihil eſt nobilius. facit ſinus?* Eſtne in his ullus ſenſus? qui pulcher eſt, ſi ſcripſeris; *Facit facies ſinus*, quam ſequentibus deſcribit. Vides huic quoque loco fraudi fuiſſe ſimilitudinem duarum vocum, quarum poſteriorem prior abſorpſit. Amat vero hanc vocem Mela. In cap. 1. ejuſdem libri: *Poſt ſpatioſa modice paulatim ſe ipſa faſtigat*; *&* *quaſi in mucronem longa colligens latera*, *facie poſiti enſis allecta eſt.* Occurrit & alibi. A *Magliabechio* litteras modo accepi, in quibus deciſiones, & Antiparadoxa *Majoragii*, nec non editiones nonnullas pervetuſtas, & indicem interpretum a *Schotto* praetermiſſorum mihi promittit. *Voſſius* & nonnulli alii jam nautis noſtris ſunt crediti. Editionem Ciceronis epiſtolarum ad Familiares, ut vocant, Victorianam noviſſimam, quam te olim vidiſſe Florentiae narrabas, a ſe nunquam ait viſam: ſed eſſe penes ſe ad Atticum anni 1571. a τῷ πάνυ luci datas, prioribus editionibus emendatiores, quae digniſſimae ſunt, quae a me inſpiciantur. Earum quoque copiam ſe mihi facturum pollicetur, ſi deſiderem. Diſſertationem [1] Bononienſis doctoris de Diocletiano & Licinio cum longa epiſtola de Decennali propediem videbimus. Sed te quando hîc complectemur? quando & Germaniam ſequeris? *Bigotium* valere, vivereque tui memorem gaudeo hercule. Nomina Nobiliſſimi *Naeldvicii* Belgica, quaeſo, ut mihi ſignifices. Binis ejus litteris reſponſum debeo. Sed horum ignorantia me retardat. Vale, Vir Summe. Trajecti a. d. XXVI. Jun. CIƆIƆCLXXV. Gregor.

1 Errat vir ſummus: Piſana enim in Academia Profeſſor olim fuit *Noriſius*, cujus haec eſt diſſertatio.

EPISTOLA CCLXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Niſi te amarem modis indulgentiſſimis, mi Graevi, ſuccenſerem equidem ac indigne ferrem, quod, promiſſi omnis oblitus, auctionis, nuper apud vos habitae, indicem ad me perferendum curare inſuper habuiſti. Cum inter codices primae magnitudinis illic numero XXI. Taciti fragmenta exhibeantur, per quae primam illius ſcriptoris editionem, nequaquam a me quaeſitam hactenus, opinor denotari. Hanc tu noxam niſi expiandam tibi proponis, librumque, quo me fraudaſti, e latebris eruendum curas, magnam profecto litem tibi apud me paratam eſſe non eſt quod dubites. Et haec quidem de Tacito. Ceterum quod viſus ſum tibi non infeliciter verſibus Petronii Arbitri mendoſiſſimis manum admoviſſe medicam, totum id eſt benignitatis tuae, non meae ſolertiae. Cum mea omnia in majus ſolitus ſis extollere. De *pagina diſcincta* locum eſſe altioris indaginis tecum plane ſentio. Quid ſi ſcribamus tamen,

Inter-

Interdum ſubducta foro det pagina verſum,
Et feſtina ſonet ceteri diſcincta meatu.

feſtina, inquam, pro *fortuna*. ſic apud Flaccum Valerium libro III. Argonaut. 341. Scripti codices, *quas rapuit telis fortuna*, pro *feſtina*: de feſtinatae ſcriptionis exercitamento illo alibi nonnulla a me ſunt collecta. Porro cum injecta ſit Valerii noſtri commodum mentio, en tibi nonnullos accurati ſcriptoris locos, qui in mendoſis hactenus circumferuntur. Sub finem libri III. comparatio leaenae prole orbatae foediſſimum in modum eſt inquinata. Cur enim *terga* det, quae *ſedere* mox *in viis* dicitur! tum quid volunt ſibi iſta *ſedet inde viis*; quid *attrahit orbes? orbes* oculorum, inquam. Sed an illos contrahit hic dolor, ut metus corda? non putem. Nec in vetuſtis tamen membranis vel minimum ſubſidii hoc loco comparet. Τὸ *de* in *inde* perperam repetitum eſt ab oſcitante librario, quod jam bis eadem praeceſſiſſet ſyllaba, in *dedit* atque in *ſedit*: deinde vetus ſcriptura prae ſe tulit, ut conjecturam facio, *ſedet inde vivis. vivis* inquam pro *viviis*, hoc eſt *biviis*. ſic libro V. verſ. 394. vetuſti codices habent, *ſi vivos poſſis diſcernere calles*, non *veros*. *vivos* hoc eſt *bivios*. Apud Naſonem quoque Paridis Epiſtola, reſtitutum a me recordor, *in bivio pectora noſtra labant*. cum *in dubio* prius circumferrent editiones. Ne multis te morer, totus hic locus ſic videtur conſtituendus eſſe.

Non aliter gemitum quondum lea prolis ademtae
Aegra dedit. Sedet in biviis, incluſaque longo
Pervigilant caſtella metu, dolor atterit orbes
Interea, & miſero manat juba ſordida luctu;

lea aegra prolis ademtae, quomodo de Achille Patroclum lugente, Symmachus in Epiſtolis alicubi *aeger amici*; ſive, ut ego arbitror, rectius debere ſcribi, *aeger amiſſi amici*, ut cognatio litterarum in utroque vocabulo τὸ *amiſſi* abſorpſerit. *Druſus aeger rerum tenere motarum* apud Florum. apud Silium lib. XV. verſ. 135. *Sed quanquam inſtinctis tacitus tamen aegra pericli Pectora ſubrepit terror.* ita enim emendo, cum in ſcriptis ſit *inſtinctis periclis*. *aeger delicti* apud eundem lib. XIII. *aegra timoris Roma* lib. III. *aeger morae* apud Lucanum. Apud Salluſtium *aeger conſilii* plura exempla in promtu. *Aeger* Feſto *moeſtus, anxius*. Pergamus in Valerio lib. IV. 273. ad alium locum, aeque contaminatum, quem ſic caſtigo,

– – – Pollux ſic providus ictus
Servat, & Oebalio dubium caput eripit aſtu.
Ut videt urgentes effundi nubibus iras
Ardoremque viri, paulatim inſurgere feſſo
Integer, & ſummos manibus deducere caeſtus.

eripit perperam Carrion immutavit in *erigit*, ſecutus codicem ſuum, qui tamen proxime verum paullo poſt, *inſurgere ferro integer*. primus Vaticanus, *ferro integer*. Pollux urgentem fervide Amycum primo eludit mobilitate corporis, mox in feſſum exſurgit, ac paulatim caeſtus ejus elatos ſuis caeſtibus deducit, quod vigorem in altero accreſcentem, in altero vires defectas notat. libro II. verſ. 431. ſcribendum arbitror

Tunc

— — — *Tunc, tenui Lemno, tranſire Electria tellus.*
pro *tranſibat:* ſic libro v. verſ. 120. *Tranſit Halys*, cum Argo Halym tranſiret. Similes loquendi modos habes libri ſecundi initio. *Tenui Lemno*, paulatim evaneſcente. libro III. verſ. 493. corrigendum, *repetito crimine Perſes.* nam fraternum crimen Perſes novo crimine penſabat. lib. IV. 715. *nec tantas quamvis Tyrrhenus & Aegan Volvat aquas, geminis & deſint Syrtibus undae. Johannes Columbus, Schefferi* noſtri gener, aeſtuabat multum in hoc loco, dum legit, *nec parvas aquas.* Mihi caſtigandum videtur, *ut deſint*, reliquis intactis. ſenſus eſt, Non alibi undis effuſis ceſſerunt longius littora, ne quidem in Thyrreno & Aegeo, quamvis uterque tantas volvat aquas; ut undis ſuis deſtituantur Syrtes; Syrtes enim brevibus obnoxiae ac vadoſae; cujus rei cauſſam aſſignat nimiis Tyrrheni & Aegei pelagi aquis. Et haec quidem hactenus. Recte omnino monebat *Magliabecquius* Epiſtolas Ciceronis ad Atticum, non familiares, a *Petro Victorio* jam ſene in lucem emiſſas eſſe. Caſtigatio tua in loco Melae Pomponii plurimum ſane arridet mihi. Titulos noſtri *Blyenburgii* habes in hanc ſchedam conjectos: tum excerpta ê litteris pridem a me ad *Magliabecquium* exaratis. In quibus de *mala lingua* tantopere jactata cum ne γρῦ quidem occurrat, procacis ingenii calumniam hîc quoque agnoſcas licet. Vale, Virorum praeſtantiſſime, & communes amicos, *Maerſenbroucquium, Servaſium, Trelſchium* meis, quaeſo, verbis plurimum jube ſalvere. Nunc demum proceres noſtri manum coeperunt admovere diſcutiendo negotiolo, quod ad me ſpectat, ut ſpes ſit omni moleſtia defungi me poſſe ante ſextiles Kalendas. Convenit me proximis diebus denuo bibliopola, qui Meurſianas antiquitates typis ſuis deſcribit, & multus eſt in querelis de procraſtinata tanto tempore praefatione tua, quam dudum juſſeras ſperare; expedi ergo hominem, ut primum poteris. *Daumianae* modo ad me perferuntur, in quibus proponi tibi cupit locum Ciceronis ex Philippica IX. ſub finem. *Ut igitur, ſi ipſum conſulam, &c. decerno.* ubi contendit legi oportere, *Huic igitur &c. decerno.* Agere tecum olim memini, de circumſpiciendo juvene nonnemine Graecarum juxta ac Orientalium perito litterarum, qui parentis mei ad Heſychium annotata luci adornet, quam rem uti curae eſſe tibi ſinas, vehementer rogo. Iterum vale, decus o noſtrum. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXV. VI. Quinctil.

EPISTOLA CCLXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

OLim nihil de te audio, Heinſi Nobiliſſime, niſi quod Lugdunenſes amici narrent te valere, & nullam ornandae bibliothecae occaſionem amittere, quod ſummo mihi gaudio fuit. Spe tui deſideratiſſimi complexus, quam nuperius nobis faciebas, levavi quidem deſiderium tuarum litterarum, quibus per-

invitus tamdiu careo. Privor enim fructu, quem ex iis capio maximum, non ſolum incredibilis voluptatis, ſed & ſingularis & rarae doctrinae, qua omnes tuae ſunt conditae. Hinc perquam mihi moleſtum accidit iſtud tempus, quod a litteraria noſtra confabulatione mutum fuit. Negotiis, quibus diſtineris, ſpero te tandem eſſe defunctum ex ſententia, quamvis non ignorem quam difficulter res argentaria in tantis explicetur anguſtiis. Velim tamen de tuo itinere in thermas quid conſtitutum habeas, ex te intelligere, & quando te ſimus viſuri. Deſiderium enim hoc diutius non potero ferre. *Magliabechius* in nuperrimis litteris ſcribit ſe accepiſſe, te mihi commiſiſſe epiſtolam ad ſe datam a te, quam non viderit. Reſcripſi nec me ullam vidiſſe. De nominibus, quibus inſcribendae ſunt litterae ad *Falconerium*, ſi me certiorem feceris, multum te amabo. Spero illas recte curatum iri, ſi *Elzevirio* mittendae credentur. Sin cui rectius dari poſſint noſti, fac quaeſo ut & ſciam ante diem hebdomadis proximae, qua litterae in Italiam curantur. De *Voſſio* ecquid audis, & de venerando *Junio?* cui ſalutem ut meo nomine dicas, ſi quando eum ſalutaveris, rogo. Nuperius de loco Virgiliano eclogae primae te conſulebam. Tua ſententia mihi erit reſponſum Delphenſe. Aveo quoque cognoſcere loca illa Valerii Flacci, de quibus in ultimis tuis te mecum acturum promittebas, praefatus generum *Schefferi* de illis ad te miſiſſe. Manet te hîc Panegyricus Plinii cum *Baudii* annotationibus nuper editus. Si tamen malueris eum Hagam ad te perferri, obſequar tuae voluntati, ſimul ea mihi fuerit explorata. De Heſychio ἐ πάνυ parentis tui quid fit? Curae mihi erit ut nitide deſcribantur omnia, quamprimum eorum copiam nobis feceris. In publicis tenebrae ſunt etiamnunc & caecae nubes, ut nec perſpicaciſſimi qui curſus rerum, qui exitus ſint futuri, poſſint providere. Vale, Princeps ingeniorum & amicorum, & me ama. Trajecti Batavorum III. Nonas Quintiles. CIↃIↃCLXXV. Gregor.

EPISTOLA CCLXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

QUaeris quid agam. Ne quid mentiar, Siſyphi ſaxum volvo jam pridem, adeo in iis, quae toto jam hoc anno occupatum me tenent, promoveo nihil, non quod iniqua poſtulare videar iis, quîſcum mihi nunc res eſt, aut repulſae ſim obnoxius. Sed quod alia non deſint majoris momenti, in quibus expediendis ſe fatigent ποιμένες λαῶν, quos tricones argentarios ipſa aerarii jubet eſſe anguſtia. Convenient tamen proximis diebus in hac aula Proceres provinciae noſtrae, ad quos foederatae Belgicae Senatus, ea quae in rem meam jam decreta ſunt, remiſit confirmanda ac ſancienda. Sub caniculam interim, aut certe ſub Kalendas Sextiles ſubducam me hinc in ſeceſſum meum, & te in iti-

itinere, mi Graevi, complexurus optimum amicum. Ad *Falconerium* ſi quid voles per me curato, cum mihi in diem Jovis proximum ſit is ipſe per litteras compellandus. Qua dignitate nunc ille in aula Pontificia fungatur, vix eſt ut pro re explorata narrem; eſt & forenſibus cauſis admotus: utrumque ex epiſtola ejus colligo. Nihil peccabis, ſi Pontifici a cubiculo miniſtrum appelles, & Abbatem S. Hieronymi. *Voſſius* hectica febri laborare nuper dicebatur, nunc ajunt eum quodammodo reſtitutum a morbo. *Junium* ſenectus paulatim conficit: video enim & vires illi nutare, & memoriam nunc eſſe minus, quam ſolebat, firmam. De Virgilii loco in penultimis opinabar me egiſſe: nimirum *foetus graves* accipio non *foetas gravidas*, ſed *foetus aegrotantes:* nam & *gravis* pro aegro interdum ponitur, aut eo, qui morbo gravis ſit. Apud Naſonem de *peſte Athenienſi* lib. VII.

> *Fontibus & fluviis, puteiſque capacibus haerent:*
> *Inde graves multi nequeunt conſurgere, & ipſis*
> *Immoriuntur aquis.*

Ubi in ſcriptis plurimis, *Inde graves morbo.* Quod eſt alterius interpretamentum. Valerii Flacci loca complura tibi proxime proponebam, quae mendoſa nunc circumferuntur, ſed ut caedam vineta mea, in illis ſub finem libri tertii, *dolor attrahit orbes*, nunc nihil mutari placet. libro I. verſ. 758. *premere lumina* dixit,

> – – – *quam multa leo cunctatus in arcta*
> *Mole virûm, rictuque gemens & lumina preſſit.*

Sic enim, opinor, non male Columbus, pro *rictuque genas.* lib. VII. 379. *dolor artus contrahit*, *Prometheo.*

> – – – *Moto tunc contrahit artus*| *Monte dolor*

Ita & illic caſtigandum, cum *monte* ſit in *Carrionis* libro, non *mente:* hoc enim vult Flaccus; commotum fuiſſe Caucaſum, dum dolor contrahit Promethei artus. Sed nihil eſt inquinatius adhuc miſerrimo Valerio: nec meae facultatis in omnibus illi medelam ferre: poſſum gloriari tamen, ſi pateris, poſt aliorum non indiligentem curam nonnihil me huic contuliſſe operae, haud quaquam poenitendae. Et ne longe aberremus ab illa de Leone comparatione, ſub finem libri III. verſ. 731. *& ſidera ſuſtulit aſtris*, ita Carrion dedit, depravata codicis ſui, ut ſaepe alias, ſcriptura actus in transverſum: ante illum legebatur, *aris*, ſcribendum *ſidera ſuſtulit axis*, e mari nimirum. proximo verſu omnino corrigendum, *jacet ſine fluctibus aequor*, nam quis *flatus* & *flamina* uno eodemque verſu conjungi ferat. verſ. 734. *Comitis nec fata peremti Quae referat, videt.* contra fidem fabulae *peremptus Hylas* dicitur. & ſane ignorabat Hercules, quid illi accidiſſet: aliter Hylas ipſe libro V. verſ. 25. de apotheoſi ſua. Editio *Baptiſtae Pii*, *perenti*, non *perempti.* ſcribe, *parenti.* abſtulerat enim Hylam a Thiodamante patre Hercules. Inter alias itaque curas id, quoque ſollicitum illum habuit, quid patri eſſet relaturus de filio amiſſo. libro IV. verſ. 4. malim, *ſe pectore gaudia tollunt.* deinde verſ. 8. *ſic arma viro ſocioſque miniſtrat.* ne bis idem dicat: nam quid inter *viros* intereſt & ſocios? verſ. 9. ſcribe, *Jam quibus*

inſertam bellis. Sed haec nunc ſufficiant. Plinii panegyricum libentiſſimus videbo. Modo nuntiantur Sueci a Brandenburgico milite ingenti clade adfecti. Vale, mortalium conjunctiſſime. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. VIII. Julii.

EPISTOLA CCLXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Binis tuis omnis eruditionis, ſuavitatis, & amoris plenis, quae incredibili poene me perfuderunt voluptate, nondum, ut volebam, poſſum reſpondere. Sum enim nunc diſtrictiſſimus, duplicata publice domique opera, quia omnes ſcholae, rebus prolatis, proximo Saturni claudentur & conticeſcent ad tempus. Hinc nondum mihi licuit Valerii Flacci loca excutere. Sed propediem, cum Panegyricum Plinii ad te mittam, habebis δεκάπηχυν. Has ad *Falconerium* tamen non potui ſine hiſce paucis, quae in anteceſſum quaſi delibo, dare. Praefationi Meurſianis antiquitatibus praefigendae manus admovebo proxima hebdomade, eamque ſic adornabo, ac ſi Aprili eſſet exarata, aut aliquot menſibus ante. *Bynaeus*, qui tibi ſalutem dicit, fidem dedit, ſe parentis tui ad Heſychium annotationes luci adornaturum, cum eas ad nos miſeris. Aptiorem in hiſce terris vix invenies. Nam & in linguis Orientalibus eſt verſatus egregie, ac Graece Latineque non vulgariter doctus, quod te non fugit. Ex Germania litteras habui, quibus narrant omnia Reineſiana, quae ad heredes pervenerunt, praeter ea, quae *Friſius* ſervat, a bibliopola edituro poſſe centum imperialium pretio parari. indicem quoque eorum ad me miſerunt, quem vides. Si cui noſtrorum hominum poſſemus perſuadere, ut hos ſumtus velit facere, multas praeclaras res, quae forte blattas paſcent, in lucem protraheremus. Nullus enim dubito, quin pleraſque omnes epiſtolas varia multiplicique, qua praeditus erat, eruditione condierit: in primis quas ad *Bertramum*, *Langermannum*, *Bartholinum*, & *Tobiam Majorem* exaravit. Videamus, quaeſo, num hunc Theſaurum poſſimus ab interitu vindicare. Vale, Vir ſumme & me ama, ac prolixiores a me brevi expecta. Victoriae Brandeburgicae nuncii ad nos quoque pervenerunt. Utinam pacem ea nobis pareret, cujus ſpem non deploratam eſſe ſunt qui ajunt. Iterum vale, ὦ φιλότης. Trajecti prid. Kal. Sextiles CIↃIↃCLXXV. Dionyſ.

MANUSCRIPTA REINESIANA IN FOLIO.

1. Miſcellanea ad rem Medicam ſpectantia, itemque Emendationes tam in veteribus, quam recentioribus Medicinae ſcriptoribus tentatae.
2. Collectanea Critica; ſcapis VIII. ſub litteris, a. b. c. d. e. f. g. h.
3. Inſcriptionum Veterum Collectanea.
4. Variae Inſcriptiones miſſae ad Reineſium, à *P. Lambecio*, *Tho. Bartholino*. *J. G. Graevio*.

5. Prae-

5. Praefatio operis Inſcriptionum Novantiquarum.
6. Bericht von den Codice MS. Graeco Chemicorum, in bibliotheca Altenburg.

Epiſtolae. *Tho. Reineſii* Medici ac Polyhiſtoris celeberrimi Litterarum cum exteris commercium è bibliotheca *Jo. Andr. Boſii.* continentur hoc faſciculo Epiſtolae *Tho. Reineſii* ejuſdem & *Jo. Fred. Gronovii*, & *Cl. Salmaſii*, & *Tho. Bartholini*, & *Ezech. Spanhemii*, & *Car. Sponii*, & *Jo. Schefferi.* & *Nic. Heinſii.* & *Capellani.*

Tho. Reineſii, Medici & Polyhiſtoris celeberrimi, Epiſtolae ad *Bernh. Bertrāmum*, J. C. & Cancell. Sax. Altenb. Accedunt *Bertrami quotquot reperiri potuerunt.* Lectori ſi quis erit. Epiſtolas haſce agnoſco pro meis. Sed multa in iis eſſe, quae melius dici poterant, & accuratius tradi debebant, ingenue fateor. Ideoque nolim me ex iis aeſtimari, integrumque mihi eſſe volo, quid earum probem, quid improbem. Uni enim ſcriptae erant primitus, non omnibus editae. Haec *Reineſius.*

Epiſtolae *Reineſii* & Theologorum Jenenſium, *Gerhardi*, *Cundiſii*, *Jo. Majoris*, *Jo. Muſaei*, *Jo. Ern. Gebhardi*, *Tho. Reineſii* & *Jo. Tob. Majoris* Epiſtolae. *Tho. Reineſii* & *Jo. Vorſtii* Epiſtolae.

Epiſtolae Medicorum *Hofmanni*, *Sennerti*, *Moebii*, *Volkameri*, *Wolfii*, *Urſini*, *Bartholini*, *Schneideri*, *Schenkii*, *Volckii*, *Horſtii.*

Faſciculus epiſtolarum *Reineſii* & *Birnſtilii*, *Snelleri*, *Loſcheri*, *Friſchmuthii* &c.

Thomae *Reineſii* & *Laur. Langermanni* Epiſtolae. & *Jo. Weitzii* Epiſtolae. & *Philippi Parei* mutuae.

Epiſtolae *Henr. Gebhardi*, dicti *Weſineri* J. C. & *Reineſii.* item variae *Reineſii* & *J. G. Graevii*, *Boſii*, *Jönſenii*, *Gudii*, *Helmii*, *Thomaſii*, *Conringii*, *Slevogtii*, *Clauderi*, *Sagittarii*, *Soffingii*, *Homeji*, *Zechendorffii*, *Jo. Strauchii.*

Reineſii commentatio hiſtorico Philologica Parergica de Palatio Lateranenſi, ejuſque Comitiva.

Ejuſd. Summaria Obſervationum, emendationumque in ſcriptoribus Sacris, profanis, veteribus, mediis, novis &c.

Ejuſd. in nomina & virtutes balneorum Puteoli & Bajarum, ſicut in l. 10. Oribaſii continentur, notae. Ejuſd. ad *Patini* familias Obſervationes.

EPISTOLA CCLXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ULtimae tuae ſpem faciebant nobis mox fore, ut alia abs te proficiſcerentur, quae & Meurſianis trium Inſularum antiquitatibus addendam praefationem mihi ſiſterent, & ad caſtigationes quorumdam Valerii Flacci locis a me tibi propoſitas, ubertim reſponderent; ſed nihil horum hactenus comparuit, mi Graevi: interim oppreſſit me ac lecto adfixit morbus ſuperveniens: qui ita nunc remittit, ut magna pedibus debilitate moleſtus eſſe pergat. Quod incommodum ſi profligare poſſem, jam de receſſu vobis vicino cogitarem: ſed vires ante profectionem inſtaurari praeſtat. De re litteraria ac ſtudiis communibus ſi quid habes nuntiandum, eo ne me defraudari velis, vehementer obſecro. Fero enim impatienter hanc ſolitudinem abſentibus amicis ad unum omnibus, qui erigere animum jacentem jucundis narrationibus poterant ac ſolebant. Vale, Hagae Comit. CIϽIϽCLXXV. XXVIII. Julii.

EPISTOLA CCLXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

IRaſcor mihi ipſe, cum tot dies mihi periiſſe video. Eos enim in perditis numero, quibus mihi dulciſſimo & eruditiſſimo tuarum litterarum alloquio carendum eſt, quod ſemper me reddit doctiorem. Magnam eorum partem exemerunt amici undique hiſce feriis advolantes. Nunc me mihi aſſerui. Iacturam autem illam, quam feci, graviorem reddit afflicta tua valetudo, quam ex his, quae hodie mihi redditae ſunt, intellexi. Ex quibus magnum cepi dolorem, qui nulla voluptate mitigabitur ante, quam te firmum hîc videro & incolumem. Longiſſimae mihi videntur horae, quibus te hîc expecto, & deſiderium vix fero. Vellem nunc ſcribendi ſententia accommodata tempus ad hoc tuum ſuppeditaret, qua taedium iſtius ſolitudinis tibi poſſem eximere. Sed in re litteraria novi nihil accepi, niſi ducem Saxoniae *Bernhardum*, domus Vinarienſis, totum eſſe in antiquis numiſmatibus congerendis. De nonullorum expoſitione Ienenſes amici nuperius ad me ſcripſerunt. Inter hos unum ajunt eſſe cum inſcriptione partis adverſae: CAESAR. AUG. PONT. MAX. In averſa haec haberi M. SALVIUS. OTHO. III. VIR. A. A. A. F. F. & majoribus litteris adjectum, & ſuperſcriptum imagini TIB. IMP. quod quid ſibi velit non ſatis exputo. Num tempore Tiberii in Auguſti honorem hîc nummus eſt ab Othone flatus? Poſtuma Reineſii opera, quae penes *Boſium* fuerunt, ut ad nos perferantur, & noſtris hominibus edenda tradantur, ſi ibi non inveniant, qui velit ſuam operam illis publicandis navare, ſtudeo ſummopere. Nullus enim dubito, quin bonae frugis plena ſint futura. Animadverſionibus parentis tui τοῦ πάνυ manum in Heſychium deſcribendis admovebit *Bynaeus*, ſimul adferentur. Me habebit ἐργοδιώκτην. In Valerio Flacco venuſtiſſima & certiſſima eſt emendatio:

Non aliter gemitum quondam lea prolis ademtae
Aegra dedit.

Nec improbo: *ſedet in biviis.* nam *inde* nihil eſt. Sed *dolor attrahit orbes* non video ut ferri commode poſſit, & exponi, quod tu in tuis ultimis volebas. Dolore & frigore contrahuntur membra, ſed oculos contrahi id quidem φυσικῶν παῖδες negant. Locus ille alter lib. I. verſ. 758. aliter eſt accipiendus, & vulgata minime ſollicitanda, ut ego quidem ſentio:

quam multa leo cunctatus in arcta
Mole virum, rictuque genas, & lumina preſſit.

Nam quid ſit *rictum premere* non ſatis intelligo. Sed *rictu genas premit*, cum rictu genarum naturalem extenſionem contrahit, cùm nimirum inhiat undique urgentibus hoſtibus rictu, ſeu ore patulo. *Lumina vero premere* non eſt contrahere,

ſed

ſed tegere ἐπισκυνίῳ, quod ſolere facere leonem, cum iraſcitur & premitur a venatoribus, teſtis eſt Homerus Iliad. P. verſ. 135.

ὁ δὲ σθένεϊ βλεμεαίνει

Πᾶν δέ τ' ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται, ὄσσε καλύπτων.

Euſtathius notat ἐπισκύνιον eſſe cuticulam, quae in leonum oculos dimittitur, & eos obtegit providentia naturae, non tam in ira, cum fera σκύζεται, id eſt, iraſcitur, quam ne tela, quae conjiciuntur, videat, & metu percellatur. Sed rectius alii exponunt *ſupercilium.* Philoxeni gloſſae: ἐπισκύνιον *ſupercilium.* Auctor Scholiorum in Theocritum: λέγεται ἡ τῶν ὀφρύων κάθεσις ἐπισκύνιον. τοῦτο δὲ ποιεῖ ὁ λέων, ὅταν κυσὶ κυκλωθῇ, καὶ μέλλει πολεμεῖν αὐτοῖς. Hoc Ariſtophanes dicit in Ranis, ubi de leone irato agit, δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγειν, *horrendum ſupercilium contrahere.* quem locum ubi attentius conſidero nunc, cum haec in chartam effundo properans, ut vides, in tuam ſententiam, quam improbabam modo, deſcendo, & meae renuntio, qui malebam ſcribi, *dolor atterit orbam*, ut tu fere in prioribus conjeceras, quoniam *Zinzerlingus* notavit in nonnullis libris legi, *urbas.* Sed *contrahit dolor orbes*, ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται ὄσσε κάλυπτων ſecundum Homerum, aut cum ἐπισκύνιον ξυνάγει, ut Ariſtophanes loquitur. Et hoc ipſum eſt, quod in libro I. *lumina premere* dixit Valerius, non quod ipſi oculi contrahantur, ſed frons & ſupercilium, quo quaſi teguntur. Sed haec tu conſiderabis. In lib. IV. verſ. 273. nemo non tuae ſubſcribet correctioni. In *Philippi Engentini* editione extat *eripit*, in Zinzerlingi *Oebalio aſtu.* Sed valde εὐστόχως tu in ſequente: *Ut videt urgentes effundi nubibus iras.* ἂν ὑπὲρ εὖ. Certum quoque eſt *paulatim inſurgere feſſo integer.* quod & ipſum ſic in Hagenoenſi editione legitur, nec debuit mutari a Carrione. lib. II. 431. nihil cauſſae ſubeſſe video, cur vulgata rejiciatur, niſi veteres libri aliud ſuadeant. *Tenuis Lemnos*, ſc. fit, evaneſcit, & dein *tranſit Samos*, hoc eſt tranſitur, ut ſcriptores ſolutae orationis loquerentur, aut praeteritur. libro III. 493. nihil movendum videtur. Nam *repetere crimen* pro penſare crimine crimen, non ſuccurrit mihi a Latinis dici. *Repetit quo crimine Perſes* eſt, quanto crimine Perſes repetit, unde inique eſt depulſus, patriae bellum inferens & babarorum copias in eam adducens. lib. IV. 715. mihi perplacet tua ἐπανόρθωσις. Ex vulgata nullum commodum ſenſum elicias. In lib. III. verſ. 731. & *ſydera ſuſtulit axis*, & *jacet ſine fluctibus aequor*, nec non: *comitis nec fata parenti quae referat*, qui non probat, nae is invita Minerva litterarum ſtudiis incumbit. In IV. libro nihil liquidius etiam illo tuo: *arma viro, ſocioſque miniſtrat:* ut & quod ſequitur: *Jam quibus inſertam bellis.* Sed illud vide: *tacito te pectore gaudia tollunt*, an poſſit retineri: *gaudiis*, & *rebus laetis tolli* ſaepe legitur. Salluſt. *Splendor domeſticus tibi animos tollit.* Quippe ni & poëtae dicere liceat: *gaudia te tollunt*, ſive *animum tuum tollunt.* Si verum tamen dicendum eſt, in hoc quoque loco tecum ſentio. Nam *gaudium te tollit* eſt gaudium te inflat, & facit arrogantem ac ſuperbum. Sed Jupiter non ſuperbiam hîc Junoni exprobrat; ſed illam ait laetitia efferri, hoc eſt gaudia ſe tollere in pectore Junonis. In editione, quam Engentinus correxit, eſt *ſub pectore*, quod tuae favet ſententiae. In Philip-

lippica IX. Ciceronis *Daumius* non infeliciter conjecit: *Huic igitur, ſi ipſum conſulam, quid velit, ſic pedeſtrem ex aere ſtatuam ex ejus auctoritate & voluntate decerno.* Sed & pro *ſic pedeſtrem* lego, *ſi pedeſtrem.* Apud Horatium II. Carm. 10, hiſce diebus inveniebam in meo veterrimo libro:

Quondam citharae tacentem
Suſcitat Muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo.

Quod mihi blandiebatur. Sic in libro I. Carm. 6. *Imbelliſque lyrae Muſa potens.* Nam quamvis *lyrae* hîc pendeat a *potens*, eadem tamen eſt ſententia. A *Cupero* litteras habui, quibus rogat ut Apotheoſin Homeri ei remittam, ſi tu negotiis impeditus ei perlegendae vacare non poſſis, aut iter in Germaniam affectes. Reſcripſi te propediem nobis adfuturum, & ex te cogniturum, num tantum ab re tua tibi otii futurum, ut iſti diatribae poſſis dare horas aliquot. Proximo die Veneris cogito Amſterodamum, niſi uxor proxima partui moram objecerit. Vale, vir Nobiliſſime, & da operam ut convaleſcas, & brevi ad nos ſanus coloratuſque ac ποδώκης venias. Interea litteras tuas expecto plenas animadverſionum in Valerium Flaccum. Iterum vale, dulce decus meum. *Scheffſerum* CL. & ejus generum ſaluta quaeſo, ſi quas ad eum litteras dederis. Trajecti Batavorum prid. Kal. Auguſti CIↃIↃCLXXV. Gregor. Invenies apud nos, cum optatiſſimo tuo complexu fruemur, non ſolum Plinii Panegyricum, ſed & Taciti fragmenta a *Joanne Rivio* caſtigata & Venetiis a *Joanne Rivio* CIↃIↃXII. typis deſcripta, ea ſcilicet, quae deſiderabas. Catalogum illum non videram, ante quam libri proponebantur.

EPISTOLA CCLXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOn putabam me defraudatum iri fructu ſuaviſſimae tuae conſuetudinis, quam jam diu praeceperam animo. Nullus enim dubitabam, quin per noſtram urbem in ſeceſſum illum eſſes tranſiturus. Hanc voluptatem cum nobis inviderit adverſa valetudo tua, vehementer illi iraſcor, & opto ut propediem hinc εἰς κόρακας faceſſat. Mihi ante proximum Saturni diem non licet hinc ad vos excurrere, quamvis tui complexus ſim cupidiſſimus, ut vix durare queam. Res Germanorum eunt ex ſententia noſtra. Victoria Caeſareorum litteris nunciiſque confirmatur. Argentorato ad me ſcribitur III. Auguſti ſub noctem Gallos terga dediſſe, ac Rhenum tranſiiſſe per pontem in ripam Gallicam, relictis tormentis majoribus alioque inſtrumento bellico, nec non duabus cohortibus miliariis Anglorum & Hibernorum, qui poſitis armis ſe dediderunt, & in fidem recepti ſunt a Caeſarianis. Horum imperator cum machinis militaribus & omnibus copiis ſequente die ab Argentoratenſibus petiit facultatem

per

per pontem Argentoratenſem traducendi exercitum ad perſequendum hoſtem. Si nolint, vi ſe pontem occupaturum. Gallorum imperatorem & pleroſque legatos omnes ac primorum ordinum duces cecidiſſe. In his nominatur *Vobrunius*, Comes *Lorgius*, *Lambertus*, & plures alii. Caeſarianorum ducum nullus alicujus nominis periit. Hi nunc creduntur urgere & premere fugientes Gallos. *Templius* Hagam rediit. De pacificatione quid novarum rerum pertulerit audiemus proxime. In re litteraria quod ſcribam, nihil occurrit, niſi *Stephanum* de Urbibus *Pinedi* Hiſpani propediem exerciturum Amſterodamenſium praela, nec non *Borremanſii* cujuſdam Varias lectiones, ut & Theſaurum antiquorum numiſmatum, quem *Ouzelius* edet. Vale, vir Summe, & me ama. Trajecti prid. Eid. Auguſti CIƆIƆCLXXV. Uxor exactis menſibus proxima partui vix mihi permittit pedem efferre domo. Retinere tamen me non poterit, quin advolem ad te quamprimum. Iterum vale.

EPISTOLA CCLXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUam laute & quam eleganter a te ſim acceptus, & quas tibi gratias debeam pro illa comitate, ſi narrare velim, fruſtra hercle ſim, quoniam verbis ea non poſſum exequi. Malo itaque mecum haec tacitus mirari bona, quibus me cumulaſti, quam operam ludere. Id tantum velim tibi ſit perſuaſum, nos tuae conſuetudinis deſiderio incredibili laborare. Nam tantum abeſt, ut brevis haec ejus uſura noſtram ſitim levarit, ut potius incenderit. Fac igitur, ut & ad ſolitudinis taedium minuendum, & ad firmandam valetudinem, & noſtram cupiditatem leniendam propediem nobiſcum aliquot dies eſſe velis. Novi nihil etiamnunc accepi, praeterquam quod in hac ſceda leges. Vides hîc Ἀποθέωσιν *Cuperi*. Eucherii de vera ſapientia libellus neſcio qua ratione, ab inſcio certe fuit huc advectus. Eum remittam cum diatriba de templo augurali. *Obrechti* Domitianum ſi inveneris, quaeſo te, ut ejus mihi copiam facias. Vale, Princeps amicorum & ingeniorum, & me ama, te vero diligenter cura. Trajecti a. d. IX. Auguſti CIƆIƆCLXXV.

EPISTOLA CCLXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ETſi quid ſcriberem non habebam: novi enim nihil & in publica re & in litteraria ad me venit; inſtitui tamen quotidie ſcribere, ut tuas eliciam, quibus in primis delector. Mitto hîc tibi recenſendam praefationem ad Regem & lectorem, quam ut obelis configas rogo. Cave parcas amico. Nulla re magis me demereberis, quam ſeveritate caſtigationis. Sed fac, quaeſo, ut quamprimum ad me redeat. Typographus enim urget, ut quantocius remittatur. Apud Phaedrum lib. IV. fab. 4. in qua multa tu belle nuper corrigebas, non concoquo:

Quacunque ſumma tradet luxuriae domum.

nec quae interpretes attulerunt probare poſſum. Niſi a litterarum ductu nimis recederet, non rejicerem, quod tibi olim venit in mentem: *quacunque ſumma tradet licituris domum.* Cenſeo ſcripſiſſe Phaedrum: *luxuriem domus.* Nam *veſtem, uniones, pediſequos*, vocat luxuriem domus. lib. III. ſab. 16.

Noctua egreſſa cavo
Trepidantem conſectata eſt, & letho dedit.

Et metri ratio & ſententia loci, ſi accuratius expendas, poſtulant ut ſcribatur:

Noctua egreſſam cavo
Trepidantem conſectata eſt, & letho dedit.

Ἀποθέωσιν *Cuperi* ſpero te accepiſſe. Uxor videtur vela retro dare, aut ſaltem nondum pacem Lucinae impetraſſe. Fac igitur ut quamprimum praeſto ſis. Nam elapſis feriis canicularibus non licebit mihi me totum tibi impendere. Vale, meum praeſidium. Trajecti a. d. x. Auguſti CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCLXXXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NAe tu nimium officioſus es, qui tum quoque, dum in me demerendo totum te occupas atque exerces, pro tenui ac jejuno hoſpitio grates agendas ducis. Tot oblectamenta domi foriſque apud vos tibi numquam non parata ſunt, atque ultro ingeruntur, ut de me conveniendo cogitare vix poſſis, niſi cum deliciarum undique adfluentium ſatias jam te tenet, & aſſiduas iſtas lucubrationes, tanto cum rei litterariae emolumento conjunctas, ſtatuis ulciſci nihil

hil agendo. Lolio apud nos victitatur, mi Graevi. Tu vero tanta bonorum nuntiorum fruge, tam elegantibus epiſtolis me paſcis, ut ipſam ſolitudinem res ſuas habere ac plorare jubeam, dum videor mihi omni eruditionis muſarumque celebritate ſtipatus ac frequentia. E Germania, fateor, meliora & certiora exſpectabam. Sed te internuntio nihil tam magnum eſt tamque auſpicatum, quod non debeam mihi pro jure meo, ac poſſim polliceri. Proxime igitur futurum video, ut euangeliis pleniſſimas abs te accipiam. Quamquam per me licet; ferientur Galli jam vapulando defeſſi, dum ne tibi hac ceſſatione imponatur ſilentium. Phaedri locus lib. 3. fab. 1. expenſus a me eſt denuo. Illud ſub finem *quae jaces* plane frigidum ac otioſum non poſſum concoquere: perſuadeor igitur ut credam, mendo originem datam a vitioſa librarii oſcitantis ſcriptione, qui ſic dederit primo, *ſi valeas, inquit, ut farina mi laces. laces* pro *places.* una omiſſa littera, quomodo paſſim peccatum a librariis, inde poſt factum *jaces.* Caeterum ex hac lectione & gloſſa *farinae* ſuperſcripta (id eſt, *eſca*, vel *eſqua*) profluxiſſe poteſt videri, quod nunc circumfertur, *ut farina es, quod jaces.* Sed nugarum jam ſatis eſt. Habes hîc non nihil litterarum ad *Cl.Cuperum*, cui reſponſum hoc jam pridem debebam: quid de partu uxoris tuae? Vale, Flos artium bonarum. CIↃIↃCLXXV. 20. Auguſti.

EPISTOLA CCLXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUae praefigenda duximus opuſculis Meurſianis heri te accepiſſe puto. Interea tuae mihi gratiſſimae redduntur. Emendatio tua in Phaedro mire placet, niſi longius a litterarum veſtigiis recederet, pro gemina Phaedri ſcriptura haberem. Nunc ἐπέχω. Nova, quae ex Germania hodie allata ſunt, non niſi ſecunda Germanis nunciant. Caeſareos tres urbeculas expugnaſſe, ac intercepiſſe magnam vim commeatus, qui Nanceio petebatur, caeſo praeſidio. multis mulis captis, ac praeſente pecunia centum millium imperialium. Treviri nondum ſunt expugnati, feruntur tamen conditionibus egiſſe obſeſſi: ſed Lotharingius dux nolle ullas ferre conditiones, ſed id velle, ut arbitrio victorum ſe committant dedantque. Hannoveranus nunc perſonam omnem exuit, & operam ſuam addixit Suecis, ut non tam exitus belli appareat, quam novi motus ac indies gliſcentes turbae, quas niſi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ſopierit, quid futurum ſit, non ſine horrore prudentiores cogitant. Vale, ὡς τάχιστα. Trajecti a. d. XII. Auguſti CIↃIↃCLXXV. *Maersbroekius* tibi ſalutem dicit, & ut tuo complexu hîc fruatur aliquando, optat. Has heri exaraveram, ſed elapſa nobis erat, quae ad vos litteras fert. Germanorum triumphos hîc leges. Certiores tamen nuncios de Trevirorum expugnatione expectamus. Nam litterae, quas vidi, nihil hac de re pertulerunt ad nos. Sed de tuo adventu nihil nos audire, nihilque

que tuas loqui litteras, id mihi perquam grave fuit & moleſtum. Vide itaque, ſi me amas, ut te expedias, & brevi in noſtros complexus venias, id quod omnes amici communes optant. Regem Daniae bellum indixiſſe Suecis, pro exploratiſſimo mihi certi tradunt auctores. De novo Germanos inter & Gallos conflictu acerrimo ad ripam Rheni rumores circumferuntur, ſed ἀδέσποτοι, ſi non fallunt, de eventu proxime audiemus plura. Vale, Princeps ingeniorum. Trajecti a. d. XIII. Auguſti CIϽIϽCLXXV.

EPISTOLA CCLXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

REdeunt ad te, quae praefatus es ad Meurſianas antiquitates. In tuis illis omnia perplacuerunt, niſi quod nimius fuiſti, ut ſoles, in me laudando. Quae ergo in hunc hominem congeſſiſti prorſus immerentem, tam invidioſe, vide ne juſtius debeantur *Edmondo Grypenhielmo* Regis Suecici Senatori, qui interpoſita apud Senatum auctoritate ſua, id dedit precibus meis, ut librum obtineret nobis. qua propter nec ſine piaculo praeteriri poteſt illaudatus, & ſi beneficium id diſſimuletur nunc abs te, ne difficiliorem poſt experiamur, cum uſus venerit, videtur metuendum. Meas nudius tertius accepiſſe debuiſti, ad tuas ultimas pluribus proxime. Vale, mellitiſſime, Vianae CIϽIϽCLXXV. a. XX. Sextil.

EPISTOLA CCLXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

OCcuparunt me dies proximi ſcriniis excutiendis, quo labore propediem, ut ſpero, defunctus, alacrius proſiliam ad commercium litterarium inſtaurandum, mi Graevi. Tuas interim habui longe gratiſſimas. Accedente praeſertim rerum laetarum nuntio. Quae bona nobis perpetua faxit Deus ille, aut pacem largiatur, cumulum etiamnum bonorum omnium. Ad vos ut excurram per valetudinem adhuc contumacem vix permittitur. Urit me febricula continua, non quidem permoleſta, ſed cujus contubernio tamen carere mallem. Videbo tamen cis triduum quatriduumve, quid poſſim; *Bigotio* munus jam pridem paravi libros complures promiſſi reus, iis ſi quid tuo nomine cupis additum, fac, quaeſo, id quam primum ſciam. opus eſt. In Phaedri loco *luxuriae domum* non temere ſolicitarim. ſic *naturae vocem* pro *natura* eidem, & *onus naturae*, ſimiliaque. *Luxuriae domus* igitur, quae luxu abundat. Sic *Luxuriae victus* apud P. Syrum in Trimalcionis convivio,

Luxu-

Luxuriae victu Martis marcent moenia.

Quomodo illic caſtigandum ex veſtigiis veterum librorum. *luxuriae ſinum* Bajas Symmachus, ſimili plane modo lib. VII. Ep. XXIV. *Luxuriae pretia* in Culice verſ. 59. *Luxuriae caedes* apud Manilium alicubi. Alibi plura annotare memini. Naſo in Faſtis lib. V.

Haec aequata ſolo eſt; nullo ſub crimine regni,
Sed quia luxurie viſa nocere ſua eſt.
Suſtinuit tantas operum ſubvertere moles,
Totque ſuas auſus perdere Caeſar opes.

de domo, quam Auguſtus deſtruxerat. Quanquam id de nimio domus ſpatio poteſt accipi, ut *luxuria* ramorum & herbarum. Plura alibi annotabam; *Egreſſam e cavo* ſuperiora vix admittent, ubi noctuam in cavo ramo ſomnum cepiſſe dicit; vide tamen, ne & *crepitantem* vel *ſtrepitantem*, pro *trepidante* verum ſit, ut tanquam ſuperbientem adhuc voce collaudata: amicos omnes, & in his nobiliſſimum *Maersbrouckium*, jube ſalvere. Vale, Vianae. CIↃIↃCLXXV. 23. Sextil.

EPISTOLA CCLXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Litterae, quae modo ex Germania adferuntur, nunciant *Crequii* Trevirenſibus ſubſidio venientis copias undecim millium a *Lotharingio* deletas, ipſum Imperatorem vivum in manus hoſtium veniſſe, & Hermenſteinii in vinculis eſſe. Duo millia Caeſareorum in Gallorum, qui in ripa Rheni Gallica nunc tendunt, caſtra irrupiſſe, quingentos extinxiſſe, ſeptuaginta captos Argentoratum miſiſſe. Aquisgranenſium vero litterae, quas ipſe vidi, narrant *Condeum* cum duobus millibus in Germaniam contendentem, ut ſuis ibi laborantibus ſuppetias ferret, in itinere iſto inventum eſſe mortuum in lecto cubantem, quod nunciis & litteris Leodicenſium ad ſe ſit perlatum. Utinam hae victoriae pacem reddant Europae miris modis turbatae. Caeſarei trans Rhenum Hagenoam petunt, Galli Tabernas. Haec cum ſcripſiſſem, veniebant Haga nonnulli, qui diſſeminabant noſtros obſediſſe omnes aditus Trajectenſium ad Moſam. Verus ne rumor ſit, an fallat, brevi cognoſcemus. Vale, Virorum praeſtantiſſime & ama. Trajecti Batavorum a. d. XV. Auguſti CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCLXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NOvos abs te nuntios jam nunc accipio, mi Graevi, ob quos plurimum equidem te amo; ad vos pedem promovere per vires plus aequo dejectas non licet, hoc praeſertim tempore, tam non ſereno. Expediat tamen conſuli medicos veſtrates forſan, ſed viae parem vix me agnoſco. De Phaedri locis neſcio an ſatisfactum tibi, praecipue de *Luxuriae domo. Karthago fraudum domus* non diſſimili modo apud Silium oratione Reguli, apud Senatum Romanum habita. Sed de Phaedro alias. nunc adi Velleji locum lib. II. cap. 130. varie tentatum, *apud aures deorum de his queri.* alii alia. Redundant, ſi quid video, duae poſtremae litterae & *aures*, ſi quid video *ſi aut natura patitur, aut mediocritas recipit, hominum, audeo cum deis queri.* Cras tibi committam litteras ad *Bigotium* curandas *Elzevirii* opera. Habui e caſtris a *Naeldvicio*, qui amice tibi ſubiraſcitur ob ſilentii contumaciam. Amſtelodamenſes neſcio quas librorum auctiones jactitant, quorum Catalogos doleo ad nos non perferri. Bibliothecam in ordinem redigere non licuit hactenus, quod pluteis deficiar. Vale cum tuis omnibus, conjuge praeſertim. Vianae. CIↃIↃCLXXV. 16. Aug.

EPISTOLA CCLXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

LItterae, quas ad *Bigotium* dedi, tuam ſecutus auctoritatem, nunc me impediunt, ne tuis poſſim, ut volebam, reſpondere: ſero enim mihi tuae redduntur: & quae illas fert, reditum ſemper deproperat. Adverſa valetudo me vehementer excruciat. Cura te, quaeſo, ut illa febricula longe hinc faceſſat ad Getas aut ultimos Indos. Mihi nihil jucundum erit, antequam te plane convaluiſſe cognovero, teque praeſentem hîc complexus fuero. *Bigotio* miſi excerpta antiqui interpretis homiliarum Chryſoſtomi, qui in noſtra extat bibliotheca. Illa dudum deſideravit. In faſciculum, quem curabis, velim conjici has homilias a *Daumio* collectas. Illis ut Amſterodami adjiciatur ſpecimen animadverſionum *Blondelli* in Baronium, & antiquitates *Meurſii* trium inſularum, ſi detextae interea fuerint, jubebo. Quae de locutione *luxuriae domus* notaſti, perplacent. Nondum tamen illa potui expendere. *Obrechti* Domitianum, cujus ſpem faciebas, pervelim videre, nec non *Latini Latinii* epiſtolas, quarum deſiderio multis annis me ſcis laborare. Vale, Vir ſumme, & brevi veni. Trajecti ὡς τάχιςα. a.d. XXIV. Sextil. CIↃIↃCLXXV. Ad *Elzevirium* mittam, quas mihi commiſiſti hac veſpera.

EPI-

EPISTOLA CCLXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EN tibi faſciculum, quem heri Lugdunenſes nautae pertulerunt. Index librorum, qui brevi hîc vendentur, nondum eſt publicatus. Simul ac prodierit, ejus tibi copiam faciam. Nova, quae ſunt ex Germania allata, en tibi. Proximis nunciis accipiemus, manuſne denuo conſeruerint cum Gallis Germani, an illi terga dederint, Elſatia cedentes. Ardeo quidem cupiditate tecum horas aliquot ſuaviter & jucunde ponendi, ſed vix mihi licebit abeſſe domo. Noſtri enim conſules mihi partes impoſuerunt orationis habendae, cui componendae nunc accingor. Videbo tamen, an proximo die Saturni poſſim ad te excurrere. Vale, vir ſumme. Trajecti a. d. xxv. Auguſt. De loco Horatiano plura alias. Te ſperabam aliquam de Phaedri, aut Valerii Flacci, aut alius ſcriptoris egregii loco corrupto aut difficili quaeſtionem poſiturum in hac epiſtola, ne argumentum ſcribendi nobis deſit.

EPISTOLA CCLXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

VIx quicquam mihi accidere gravius poteſt & moleſtius, quam quod fructum ſuaviſſimae tuae conſuetudinis mihi invideat haec fatorum meorum acerbitas. Non ſolum enim magna voluptate careo, ſed multarum praeclararum cognitione, quam ex ore tuo hauſiſſem. Sed haec quoque inter alia, quae fert haec vita, incommoda ſunt ferenda. Poteris tu tamen hujus moleſtiae aſperitatem lenire, ſi per noſtram urbem Hagam recurrere conſtitueris, & aliquot horas nobiſcum ponere, quod ut facias te rogo obteſtorque. Auſpicati ex Germania nuncii novis ſubinde cumulantur. Vallum & murus interior Trevirenſium jam erat occupatus a Germanis, cum hae litterae, quas hîc publicatas leges, exararentur, confugientibus Gallis in baſilicam maximam. Id & litterae ad Ordines datae confirmant. Condenſis dux terga dat. Dani creduntur nunc Bremenſem agrum infeſtaſſe. Cuperiana cum ſchedis Heſychianis expecto, niſi ea tuleris ipſe. De verſu Valerii: *duret magis & freta juſſa capeſſat*, cogitandum accuratius. Nondum ſe ſatis mihi probat τὸ *duret*. Sed dum nihil ſuccurrit melius, hoc praefero vulgato *ſuperet*, in quo nihil ſani ſenſus. Proxime expecto, qua ratione tuearis *extremo axe*. In Vellejo Paterculo cap. 32. *Et bello poene invictus, pecuniae expellebatur cupidine*, mire ſategerunt ho-

homines docti. *Lipſius* corrigit *debellabatur*. Acidalius *excellebatur*, quod exponit ſuperabatur. Gruterus: *exbellabatur*. Sed mihi videtur rectiſſime ſcribi, *expugnabatur*. Noſti frequentia hujus tranſlationis exempla in hac voce in ſcriptorum optimorum monumentis occurrere. cap. 127. *neque in parvo paucitas miniſteria defecit*, ut & cap. 10. *coaleſcentibus reip. membris, & coram alieno*, non expedio, praeſertim in tanta feſtinatione. Manutius expunxit in ſua editione haec verba: *& coram alieno*. cap. 99. praeclare reſtituiſti, *maturus curis*, hoc eſt imperio. Sic ſaepiſſime loquuntur ſcriptores. Tacit I. Ann. cap. II. *Solam Divi Auguſti mentem tantae molis capacem, ſe in partem curarum ab illo vocatum.* & in XII. Ann. 25. *Se quoque accingeret, juvene partem curarum capeſſituro*. Hiſt. IV. 26. *Additur Voculae in partem curarum*. Sic: *curare* eſt imperare. Sall. *Marius ibi curabat*. Poſſis etiam non abſurde conjicere *viris* eſſe delendum. *Maturus* enim & *immaturus* ſaepe abſolute ſic ponuntur. Juſt. I. 2. *nec immaturo auſa tradere imperium*. Sic hoc loco *maturus*, ſcilicet imperio adminiſtrando, huic magiſter adſcripſerat interpretationis loco *vir.*, inde natum *viris*. ſed tuam rationem probo. In cap. 129. neſcio quid ſit *cauſſas audire preſſe*. *Lipſii* conjecturam non auſim damnare, niſi meliora doctus. Vale, vir. ſumme, & veni. En tibi Vellejum & Eeucherium. Trajecti a. d. XXIX. Auguſt. CIƆIƆCLXXV.

EPISTOLA CCLXXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

VIx tu pedem extuleras domo, cum auctus filiola ſanam ei mentem in corpore ſano precatus ſum. Nunc vides ſpem illam decolaſſe tui, cum in myſteriis operabimur, videndi. Rogo tamen ut, ſimul his ſacris fuerimus defuncti, penſes jacturam, quam fecimus heri, cum tantopere properares. Nam & nos fraudati ſumus multis praeclaris rebus, quas ex tuis colloquiis ſemper diſcimus, & amici dolent ſe non potuiſſe frui tua conſuetudine, nimia tua feſtinatione deluſi. Cogitanti mihi de devotionibus magicis, de quibus agebamus heri, ſuccurrit locus Horatii ex libro I. Sat. 10.

Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Diffingit Rheni luteum caput.

MSS. nonnulli *defingit*, alii *defigit*. quod probo. Nam intelligenda ſunt de magicis defixionibus, ut nimirum iſte poëta finxerit ſe Germanos, quod Varum ejuſque legiones deleviſſet, cum aliter ulciſci non poſſet, magicis devotionibus inſectatum eſſe, imaginemque Rheni luteam, quam finxerat, defixiſſe. Memini te heri locum attuliſſe neſcio cujus ſcriptoris, in quo duplicis defixionis, quae fiebat in nominibus ſcriptis, & imaginibus, mentio fiebat. Eum mihi ſubduxit oblivio fugitiva, tu fac, quaeſo, ut illum revoces. Ad *velamenta templorum* pertinet locus Ovidii III. am. El. 15. *It per velatas annua pompa vias.*

vias. Hodie litteras accepi ex Germania, in quibus quaerit amicus, num in his oris extent hi libri. *Hieronimi Magii* de alveo Tiberiade Baſil. 1527. Ejuſdem Lexicon Juris Baſil. 1575. Ejuſdem de diviſione fructus arboris in confinio natae Lugduni 1571. Ejuſdem de ſepulcris & ſepeliendi ritu Lugd. 1570. Commentaria in Inſtitutiones Juſtiniani Lugd. 1576. De Jo. Petri Caraffae, alias Paulli IV, genere Coloniae Ubiorum 1612. Quaeſo te, ut mihi ſignifices, num in tuis ſcriniis aliquid horum ſervetur: aut ſicubi ea videris. Vale, ſumme virorum & amicorum. Trajecti a. d. XXX. Auguſt. CIƆIƆCLXXV. puerpera ſalutem tibi dicit.

EPISTOLA CCLXXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NOn poſſum, quin tribus verbis tibi ſignificem, heri veſperi certos nuncios & litteras Ordines accepiſſe, Trevirenſium urbem vi captam, Gallos omnes caeſos, *Crequium* in vincula conjectum & Confluentes miſſum. Hinc nobis licet exiſtimare, quanta rerum humanarum ſit viciſſitudo. Illi, qui modo ſuperbi omnium inſultabant capitibus, nunc fracti, & abjecti eorum, quos ludibrio habebant, adorant genua. Hagae comitia habebuntur brevi, ſi rumor non fallit, de rebus graviſſimis. Ajunt legatum Britannicum petiiſſe ſenatum cogi Ordinum omnium provinciarum extra ordinem, eſſe, quod ad illum referatur, negotium maximi momenti. De his certiora ex te audiemus, ubi Hagam veneris. Ibi te compellabit *Maerſebroeckius*, qui hodie illuc contendit. *Trelſchius* & *Servaeſius* tibi ſalutem dicunt verbis amantiſſimis & puerpera. Vale & veni. Trajecti prid. Kal. Septemb. CIƆIƆCLXXV. Dionyſ.

EPISTOLA CCLXXXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PArtum uxoris tuae tam non difficilem, tamque auſpicatum, gratulor tibi, vir Clariſſime, ex animo. De prole facile augurabar, a Muſarum caſtris alienam fore, quando obſtrependo ſtudia noſtra Critica interpellabat. Sed hac de re coram, nihil enim nunc impedit, quo minus huc feſtines, cum & mihi quoque hinc cis dies paucos Hagam ſit recurrendum. Locus Horatii libro I. Satyr. X. ſubobſcurus eſt, nec video quomodo iſta *de turgido Alpino*, *diffingente caput Rheni luteum*, ad magicam trahantur commode, cujus nulla mentio praeceſſerit aut ſubſequatur. Praeſertim cum taceant de *defictione* ſcripti codices.

Sed tu docere me poteris, quod ignoro, ac tenebras loco perplexo detergere. videtur tangere poëtam neſcio quem, inflatum, ſubalpinum (nam de poëtis eſt ſermo) qui geſta Caeſaris in Aegypto & Germania decantaret, & ſimul ad ſtrumas Alpinorum alludere. de nominibus defixis locus eſt in Naſonis Amor. III. Eleg. VII. 29. temere a *Salmaſio* tentatus ad Solinum, qui *definxit numina* volebat reponi. *Hieronimi Magii* ſcripta ad unum omnia mihi ſunt incomperta plane. Habeo miſcellanea ejus, & de mundi exuſtione commentarios, tum libellos exiguos de Tintinnabulis, Equuleo, & Gigantibus. Salveat quaeſo puerpera, tum humaniſſimus *Trelſchius* (quem hic tecum videre geſtio) cum caeteris amicis, apud quos excuſaſti, credo, fugam tam praecipitem. Vianae Kalend. Septemb. Gregor. CIↃIↃCLXXV. Nova habui perquam accepta.

EPISTOLA CCLXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

HEſychium Parentis mei, quem tua opera jam nunc accipio, apud te ſervaſſes mallem, quanquam nihil peccaſti, qui mihi fueras praemonendus, ita fieri oportere, quando proxime a te diſcedebam. Nunc ſi amicus communis non ſubterfugit laborem olim oblatum, habebit, in quo occupetur. Tu ſententiam ejus explora, quaeſo, reique omnis me fac certiorem quam primum, quando adventus ad nos tuus, quod nolim, differtur. Interim *Goeſio* hiſce ſignificavi, volumen utrumque recte curatum eſſe: quod anxium in modum ne gravarere monere, nuper flagitabam. Gallos poſt cladem non unam in Germania acceptam animo nondum plane dejectos bellum adminiſtrare, ex iis, quae miſiſti, video & miror. Ceterum quod quaeſtionem tibi poni ſuper loco aut Phaedri, aut Valerii Flacci, aut ſcriptoris alterius, quocunque ex difficilioribus poſtulas, in eo morem tibi geram, ſimul copia majore librorum inſtructus petitioni tuae par ero. Nunc locum Valerii vide lib. I. verſ. 74. non majoris rei, ſi putes Τό *ſuperet* ſanum eſſe. Vale, Litterarum decus. Vianae. CIↃIↃCLXXV. 2. Septemb.

EPISTOLA CCLXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

COndenſem relictis caſtris probe munitis fuga ſibi conſuluiſſe, &, ut loco ſibi caveat, Briſacum verſus tendere litteris ad nos perlatum eſt. Germani interceperunt aliquot centum equites & commeatum. Illorum Dux dici-

dicitur ope ſumma niti, ut Gallos cogat manus conſerere. Quod ſi rumor non fallit, neſcio an prudenter ſatis hic agat. Nam fugientibus hoſtibus pontes ſternendi, non itinera occludenda, ne deſperatio virtutem acuat, quae ſaepe fuit victoriae parens. Heſychianis animadverſionibus τοῦ πάνυ parentis tui manus admovebit *Bynaeus* noſter, ſimulac eas acceperit. Potes ergo illas ad nos curare. Valerii Flacci locum non cenſeo ſanum eſſe, ſed de medicina invenienda nondum mihi licuit cogitare per curas, quas attulit mihi hoc puerperium, quibus ne nunc quidem defunctus ſum. Tuam igitur ſententiam expecto. Litteras ad *Goeſium* curavi ſtatim. Vale, grande decus meum. Trajecti, a. d. XVI. Septemb. CIϽIϽCLXXV. Bingſium occupaſſe noſtros, & nunc imminere Carolino Regio fama fert.

EPISTOLA CCLXXXXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Utrajectum.

SPartam oratorii muneris jam pulchre & convenienter abs te adornatam eſſe, & pro exſpectatione civitatis veſtrae licet augurari nobis. Quare audeo confidentem in modum ſacra tua interpellare, nuntiasque dare ad te litteras, de meo Haganam in aulam recurſu. Ventis nimirum ſecundis uſus Viana Roterodamum, & huc recta me contuli. ubi *Maerſenbroekium* & vidi, & jam videbo, quando revertetur rure, quod hodierno fiet die, aut ad ſummum craſtino. Comitia apud nos cis biduum habenda fore verus ad vos rumor pertulit, quae tu maximi momenti vocas, horum in primis curioſus. Et erunt fortaſſe haud parvi, non tamen maximi, ſi me audis, quando de meo quidem capite non habebuntur. Ex quo enim nuntium miſi publicae rei, privata me tangunt proxime, mi Graevi. Ad illa igitur, ni quid diſſentis, tranſeamus. In Valerii loco illud, *ſuperet magis*, ſi placet non mutari, me facile habebis aſſentientem tibi. Amat quippe interdum conciſos loquendi modos is ſcriptor, ut ad ipſum monebo in annotatis. *Superet* igitur, ſubintellige rerum praeſentium adverſa; atque ita eandem ferme ſententiam effeceris, ſive *duret* legatur, ſive *ſuperet.* Plenius Poëtarum princeps, *ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.* Sed tanti haec tam parva vix ſunt, in quibus multum aeſtuemus. *Extremum axem* in eodem Flacco lib. VIII. 457. ut intactum relinquamus, quod nunc placet, capiendus erit locus non de plauſtro Bootae, ſed de Boreali axe. Ne quid ad Aſtrologos igitur ſit recurrendum; quorum nullus eſt in promptu, ſcis puto, apud Naſonem Metam. lib. II. 514. totam hanc de Urſis coeleſtibus fabulam haberi, ubi Juno ad Tethyn.

Mentior, obſcurum niſi nox cum fecerit orbem,
Nuper honoratas, ſummo mea vulnera coelo,
Videritis ſtellas illic, ubi circulus axem

Ultimus extremum, ſpatioque breviſſimus, ambit.

Sed ad Vellejum jamdudum me vocas. cap. XXXIII. *Pecuniae expellebatur cupidine.* hactenus nihil ſuccurrit convenienter, quam *impellebatur*, hoc eſt tranſverſus agebatur. Scis hoc, *Solus is inflexit ſenſus animumque labantem Impulit.* ſic & noſter lib. II. cap. 51. *impulſi graviter illo praelio Caeſariani.* & cap. 70. *impulſi hoſtes.* Argute hoc opponit praecedenti *invictus.* Cogitabam aliquando *percellebatur*, vel *polluebatur.* Cap. 127. *Neque in parvo paucitas miniſteria defecit.* locum eſſe mutilum interpretes conſentiunt. mihi τὸ *favor* poſt τὸ *in parvo* videtur excidiſſe, cum idem fere litterarum ductus in utroque occurrat vocabulo. ex *paucitas* faciebam, *proavitus*, vel *avitus.* Nam illud *in parvo* minime eſt ſollicitandum. Hoc enim vult, ne quidem apud majores Populi Romani, cum res adhuc eſſet in ſtatu tenui, favorem & remunerationem fidei miniſteriis defuiſſe, quod ſubſequenti capite uberius & plenius exemplis confirmat in Sejani gratiam. *In parvo*, in re parva, ut apud Naſonem I. Triſt. III.

Si licet exemplis in parvo grandibus uti,
Haec facies Trojae, cum caperetur, erat.

& ſic ſolet Vellejus ipſe, ut lib. I. cap. 17. *difficilis in perfecto mora eſt.* Lib. II. cap. 45. *Sera Cn. Pompeji cura, verum & cupiti interrita.* Quomodo caſtigandum e veſtigiis unici codicis, in quo *& cupit interrita:* aliter Voſſius, quem vide. Poſſiſque &, *coepti interrita*, ſed alterum propius accedit ad veterem ſcripturam. Opera Pompeji enim ab exilio Ciceronem revocatum conſtat: lente quidem ſemet Magnus accingebat ad revocandum ab exilio Ciceronem, ſed re ſemel ſerio incepta, non patiebatur deterreri a propoſito per adverſarios viri optimi & diſertiſſimi. lib. II. cap. 90. *& coram altero* exſtabat in membranis, unde ſenſu non incommodo paucis mutatis & tranſpoſitis litteris elicio, *eo cura majore*; tum pro *quae*, quod proxime ſequitur, *quia.* Blanditur Caeſari, ut ſolet, dum eo majorem laudabilioremque curam ejus fuiſſe contendit in revocanda ad priſtinum ſplendorem re Romana, atque aſſerendo lacero imperio, quia bellum civile in multos jam annos eſſet protractum. *Eo* pro *&* Tacito non ſemel reſtitui, & ipſi Vellejo *Voſſius* lib. II. cap. 51. Cap. 129. elegans eſt vulgata ſcriptura, & plane Vellejana, hoc eſt eleganti adulatione concinnata, *cauſas preſſius audire*, quae tamen damnatur ab omnibus, etiam *Boeclero.* *Preſſius* ergo accipe humilius, quam pro imperatoris majeſtate. *Preſſum* & *elatum* Plinio in Epiſtolis ſibi opponuntur, quod quanquam ille de oratione uſurpet, quid ni & ad alias res liceat transferre. lib. IV. Ep. 14. *Deſcribimus modo aliquid preſſius, modo elatius.* Sic optimus Codex, non *altius.* lib. VII. Ep. 12. *quoniam eſt ſonantius & elatius, non alienum exiſtimavi, ne te torqueres, addere ſtatim preſſius quiddam & exilius, vel potius humilius & pejus.* Ubi ſuimet ipſius optimum agit interpretem. Habes & eandem denuo vocem lib. IX. Ep. 27. Sed jam ſum paene nimius. Admonet tamen illud *&*, pro *etiam* poſitum eleganter, alterius me loci, qui mire torſit interpretes. lib. II. cap. 116. *Nam & Sejanus vir antiquiſſimi moris.* Haec prorſus ſunt ἀπροσδιόνυσα: nam Sejanus iſtis bel-

bellis, de quibus agit, nuſquam interfuit, quod interpretes ultro fatentur. Omitto quod moris Vellejani non ſit bis in laudes cujuſcumque excurrere, contentus ſemel id feciſſe. & Sejani nomen in membranis illis, e quibus Vellejus prodiit, haudquaquam comparet. Exhibent illae, *& etiam vir antiquiſſimi moris. Lipſius* Junium Blaeſum huc revocavit, & auctoritate ſua aliis tantum non perſuaſit. At quantillae rei erat, τὸ *etiam* tanquam interpretamentum praecedentis ꝫ & amovere; pergit autem Vellejus in laudibus Lucii Apronii, quas exorſus erat jam ante, interjecta expoſtulatione cum fortuna, quod vir tantus Triumphalia ornamenta non eſſet conſecutus. Ne dubitare poſſis de hac conjecturae noſtrae ſinceritate, en alterum locum paullo infra cap. 118. quem in tranſcurſu caſtigabimus. *Sed praevalebant jam fata conſiliis, omnemque animi ejus aciem praeſtrinxerant. Quippe ita res habet, ut plerumque, qui fortunam mutaturus eſt, conſilia corrumpat, efficiatque, quod miſerrimum eſt, ut quod accidit, id etiam merito accidiſſe videatur.* Ita ediderunt, cum membranae praeferrent, *& etiam.* Videlicet ſcribendum, *ut, quod accidit, & merito accidiſſe videatur.* Sic & alibi Vellejus. apud Petronium quoque frequenter id corruptum invenias, praeſertim illo loco. *Nam ubi & fabulas anteceſſura latrocinia didiciſtis.* cum in ſcriptis eſſet, *fabulas & anteces.* Alii aliter; verum locus Velleji non uno naevo eſt deturpatus, nam membranae, *mutaturus deus*, loco τὸ *eſt.* Quare Gruterus τὸ *qui* expungit: ſcribo, *cui fortunam mutaturus ſit deus, conſilia corrumpat.* Serius agnovi *Voſſium* ex parte verum jam vidiſſe: ſimillimam habes ſententiam cap. 57. *Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cujuſcumque* (ſic ſcribo) *fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Ceterum quis ſuſpectum haberet illud, *Sed praevalebnnt jam fata conſiliis.* at membranae, quod audacter nimis immutatum, *poſtulabant etiam fata*, deinde *praeſtruxerat:* ſcribe, *Obſtabant ſed jam fata conſiliis, omnemque animo ejus aciem praeſtruxerant.* Hinc illud toties repetitum apud Poëtam, *fata obſtant.* Sed jam piget tot ineptiarum. Vale. 14. Septemb. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCLXXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TOtus mihi diſpliceo, qui tam longa procraſtinatione reſponſum tuis pulcherrimis & omnis generis eruditione refertis litteris debitum duco protrahoque. Cum illae mihi traderentur, totus eram in oratione iſta adornanda, quam brevi videbis. Hac cura cum eſſem defunctus, invitabar a viro Nobiliſſimo, qui inter hujus Provinciae Ordines non ultimo loco eſt, ut in Praetorium ſuburbanum ſecum contenderem, & avitam bibliothecam, quam eo juſſit deportari, inſpicerem & ordinarem. Compluſculos dies hoc officium exemit, nec poenitet operae, quam huic bibliothecae perluſtrandae navavi.

Reverſum exceperunt ſcholarum publicarum privatarumque, quae fuerunt aperiendae, occupationes & negotia, quibus ſic diſtinebar, ut vix aliis negotiis potuerim vacare. Nunc rebus compoſitis ad officium redeo, penſaturus tarditatem aſſidua & crebra ſcriptione. Apud Valerium Flaccum pereruditc *axem extremum* exponis: nemo non tibi applaudet. In illo *ſuperet magis* perquam durum videtur *ſuperet* accipere pro ſuperet adverſa. Vereor ut aliud quid lateat, quod ſine codicis melioris ope difficulter eruas. Sed in Vellejo Paterculo lib. II. cap. 33. certiſſima eſt tua emendatio, cum *impellebatur* pro *expellebatur* reſcribis. Egregie illam firmat Plinius lib. XXXIII. 22. *Urbis anno ſexcenteſimo vigeſimo ſexto mediis quinquaginta ſex annis erudita civitate, amare etiam, non ſolum admirari, opulentiam externam: immenſo & Achaicae victoriae momento ad impellendos mores.* quod male nonnulli mutarent ſcribentes: *mores convellendos.* pro quo paullo ante dicit: *Eadem Aſia donata multo etiam gravius afflixit mores.* Sic legendum, non, ut editi nunc prae ſe ferunt, *domata.* Sic & de eadem re loquitur Florus III. 12. *Syria prima nos victa corrupit: mox Aſiatica Pergameni Regis hereditas. Illae opes atque divitiae afflixere ſeculi mores. Impellere* ſic & apud Livium occurrit X. *Impulſa frons prima, & trepidatio ſubſidiis illata.* Tuus Valerius L. V. verſ. 62.

An nullas praeferre preces, nec foedera regis
Ulla ſequi, caeca ſed cuncta impellere pugna
Debuimus.

Integra locutio apud Ciceronem eſt, apud quem in Cluent. legitur *impellere in fugam*, pro quo Vellejus & Livius conciſe *impellere* dixerunt. Sed in capite 127. *nec in parvo paucitas miniſteria defecit*, non poſſum tuae ſubſcribere ſententiae, quamvis ingenioſiſſime excogitatae. Non ſolum enim longiſſime recedit ab editis verbis, ex antiquo codice deſcriptis, ſed & haec locutio durior eſt, *proavitus favor miniſteria non defecit*, quam ut ferri in Vellejo poſſit. Ne dicam locum illum videri talem ſententiam deſiderare: non ſolum magna negotia ſine magnis adjutoribus geri & adminiſtrari non poſſunt: ſed ne parva quidem ſine bonis miniſtris recte curantur. Sequentia tamen tuae non nihil favent opinioni. Hunc quoque locum pro conclamato habeo, in quo fruſtra ingenium exercebis ſine membranarum ſubſidiis. Cap. XC. non diſplicet tua conjectura *eo cura majore, quia.* In capite vero CXXIX. nondum intelligo quid ſit *preſſius judicare. Preſſa* quidem oratio ſaepe opponitur orationi copioſae, laſcivienti: Vide Quintil. XI. cap. I. & in lib. IX. cap. 4. *preſſa narrationis gracilitas.* Apud Cic. II. de orat. *oratio preſſa* opponitur orationi, in qua ineſt *aliqua luxuries*, ut ibi loquitur. Ciceroni alibi dicitur *ſubtilitas orationis.* In eodem libro Ciceroni Thucydides dicitur, *verbis aptus & preſſus.* & in de Clar. Orat. *Aſiatici oratores non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia, ſed parum preſſi, & nimis redundantes.* Apud Senecam de Tranquillitate animi cap. I. *preſſum* quidem *judicium* legitur: *Rurſus ubi ſe animus cogitationis magnitudine levavit, ambitioſus in verba eſt, altiuſque ut ſpirare, ita eloqui geſtit, & ad dignitatem rerum exit oratio: oblitus tum legis preſſiorisque judicii, ſublimis feror, & ore jam non meo.*

meo. Sed ibi quoque de oratione loquitur. *oblitus & legis preſſiorisque judicii*, quo nimirum ante conſtituerat in *uſum*, *non in praeconium aliquid ſimplici ſtylo ſcribere*, ut loquitur paulo ante. Opponitur quidem *elâtae* orationi apud Plinium, ſed ibi *elata* eſt copioſa, redundans. Recte dicitur *preſſus homo*, *preſſum judicium*, quod utitur preſſa oratione. preſſa aeque, ut *ſubtilis homo*, *ſubtile judicium*. Sed *preſſius judicare* quid ſibi velit, cum de judice loquimur lites decidente, fateor me nondum intelligere. In epiſtolis Plinii lib. VII. Ep. 14. *humilius & pejus* non exponunt praecedentia *preſſius & exilius*, ſed iis opponuntur. Alia enim eſt preſſa oratio, qualis Theucydidis, & Atticorum, alia humilis & prava. Haec enim vitioſa eſt, humi ſerpens, de qua multis agit Longinus περὶ ὕψους, & alii Rhetorum παῖδες. Capite cxv. nihil certius tua emendatione. Expungendum nomen *Sejani*, quod ſcioli inculcarunt. Luce meridiana clarius eſt omnia illa, quae ſequuntur, ad Apronium pertinere. In capite CXIIX. non poſſum non tibi ſubſcribere, qui ſecutus ductum membranarum illum locum belle reſtituiſti, ut & graviſſimam ſententiam capitis LVII. & vexatiſſimum Petronii locum. Proxime igitur alia hujus notae expecto. Non ſpero enim te meum ulturum ſic eſſe ſilentium, ut meum patiar exemplum, quo non poteſt gravior poena mihi infligi. Fac pro tua facilitate cognoſcam propediem te mecum in gratiam rediiſſe, ut ipſe mecum in gratiam redeam. Habes hîc litteras ab *Emmeneſſio*, & alias neſcio cujus, quas mihi tradidit, quae rem tuam familiarem curat. *Bigotii*, quas promiſiſti, expecto proxime. Vidi hiſce diebus *Plumerum*, qui te quaerebat, petiturus animadverſiones tuas in Valerium Flaccum, quas typis deſcribere decrevit, ſimul ac earum copiam ei feceris. Noli quaeſo diutius noſtram expectationem tenere ſuſpenſam. Scis quantum earum ſit deſiderium apud omnes, qui in litterarum ſtudiis verſantur. In Catalogo Doebletiano, ſi, quos infra poſui, libri vili hoc pretio poſſint haberi, velim mihi eos ſumi. In primis deſidero Simonidae libellos. Auctionis, quae hîc futura eſt, catalogus nondum poteſt haberi. Quamprimum proſtabit ad te curabitur. Heri *Goeſius*, tuus ex ſorore nepos, me inviſebat, Vianam contendens. Vale, vir ſumme, & me amare perge. Trajecti ad Rhenum a. d. XXIX. Sep. CIↃIↃCLXXV. Gregor.

EPISTOLA CCLXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

IN Valerii Flacci loco, ſi parum arridet tibi τὸ *ſuperet*, eo mihi recurrendum eſſe video, ut probem τὸ *duret* vel *obduret magis*; quando meliora nunc quidem non ſuccurrunt. noviſti illud, *At tu Catulle deſtinatus obdura.* τὸ *magis* praeterea ſimiliter poſitum in Valerio alibi occurrit. *Extremum axem* altero loco non diſplicere tibi gaudeo. Sed & illud verum praeſtare auſim, *ſe flexerat.* Naſo fabula Myrrhae *Tem-*

Tempus erat, quo cuncta ſilent, interque triones
Flexerat obliquo plauſtrum temone Bootes.

Lucano eſt *vertere. Parrhaſis obliquos Helice cum verteret axes.* Utriuſque locutionis exempla complura ad hunc ipſum Valerii locum congeſſi. In Vellejo. cap. 90. plus uno naevo locus eſt inquinatus: nam ſequentia non ſatis ſcriptoris mentem exhibent, *ad certam confeſſionem pacata eſt imperii.* hoc enim videtur velle noſter, Dalmatiam tot annos rebellem eſſe pacatam, unde liqueret vim priſtinam, profligatis bellis civilibus, imperio eſſe reſtitutam: ut ſcripſerit fortaſſe, *Dalmatia adſerti certam in confeſſionem pacata eſt imperii.* Apud Propertium quoque lib. 1. Eleg. 6. videtur corrigendum. *Ibis, & aſſerti pars eris imperii,* non *accepti,* quod nunc circumfertur. Ita enim loquebantur hoc tempore, blandientes Caeſaribus, tanquam per illos imperium Romanum ſibi eſſet reſtitutum in decus antiquum. Pluribus exemplis adducendis ſuperſedeo. cap. 129. jam perſuaſiſti, *preſſius judicare* non eſſe eo, quo volebam, ſenſu capiendum; nam longius videtur abire, *cauſas operoſius audit.* certe τὸ *praeſens* prorſus otioſum eſt. Non enim metuendum, ne abſens cauſſas audiret Tiberius. cap. 31. *per omnia majore vi habebatur,* diſputant homines eruditi, ſitne ſcribendum *major aevi,* an *aevo.* Ego neutrum amplexus lego, *major cive.* quod proxime ſi voles, pluribus illuſtrabo. cap. 35. *Ita conſulis virtutem amplificavit.* neminem laudabat Cato, aut laudabat parciſſime. Itaque hoc praeter indolem ejus. Puto, *conſultis virtutem amplificavit.* in commune tunc conſulendo amplificavit famam & opinionem virtutis ſuae. Mox, *at Catilina non ſegnius nota obiit.* ſic membranae, unde *vota* fecerunt. Sed exciderant binae litterae: nam corrigendum, *conata obiit,* ſequentia confirmant, *quam ſceleris conandi conſilia inierat:* cap. 76. *propriae Claſſis factum ducem.* Itane? non ergo ea Populi Romani Claſſis? at ſupra cap. 72. hinc laudavit Domitium. Membranae *proprae claſſis.* Miror non vidiſſe viros tot praeſtantes *proprae,* vel *propraet.* contracte fuiſſe ſcriptum, pro *pro praetore.* Sic in eodem codice ſemper *Cos. Tri. Pl. Pop. Reſp.* & ſimilia. cap. 52. nihili ſunt illa, *quam in omnes partes dimitteret*: opinor, *immunes partes dimitteret,* ita victor habebat, ut emeritos. Haec ſi puſilla judices, ut ſunt profecto, puſilliora tibi exſpectanda ſcito in poſterum, mi Graevi, ſi denuo reſponſum, ut nuper, procraſtinabis. Habes hîc Bigotianas epiſtolas, ſed ea lege, ut ad me reverti eas quamprimum ſinas. Tum rogo, ut haſce prioribus additas Vianam perferendas per tabellarios cures, ſic ut craſtini die ante veſperam eo perveniant, reſponſum enim ad illas die dominico Amſtelaedami exſpectabo, die Lunae huc inde rediturus ob cauſam ſonticam. De libris Doubletianis alias. nunc enim non licet. Vale, mortalium jucundiſſime. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. IV. Octob.

EPI-

EPISTOLA CCLXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MAla mihi ipſe ingerebam plurima, crebro iterans illud, merito plector, cum tuae deſideratiſſimae mihi redduntur. Nunc reſipui, animumque recepi. Quam mihi credidiſti, curavi illico Vianam. In Valerio *duret* aut *obduret* feremus, donec certius quid ſuccurrat. Sed τὸ *flexerat*, & *extremum axem* ſunt extra dubitationis aleam. Spero te brevi defunctum tricis illis moleſtiiſque, quibus diſtringeris, tuas animadverſiones in hunc poëtam traditurum *Plumero*. Diutius eas debere doctis hominibus non potes. In Vellejo cap. XXXI. locum inquinatiſſimum pulcherrime & certiſſime reſtituiſti: *per omnia major cive habebatur*. Miror audaciam *Boecleri*, qui hîc contra librorum fidem recepit: *& poene homine major habebatur*. Sed & aliis in locis compluribus nimium ſibi indulſit in eruditorum hominum conjecturis ſupponendis antiqui codicis ſcripturae. In capite XXXV. mire placet etiam, *conſultis virtutem amplificavit:* non ſolum hanc ob cauſſam, quam tu adfers; ſed quod & *amplificare virtutem* alterius, pro *laudare*, minus Latine dici cenſeam. Sed *conata obiit* praecepit *Gruterus*, quem perperam *Boeclerus* reprehendit. Sed in capite LXXII. non poſſum aſſentiri tibi reſcribenti, *propraetore claſſis factum ducem*. Quis illum propraetoria dignitate ornaverat? occupaverat illas naves, ut dixit ipſe Vell. cap. 72. & illarum navium dux erat? Nam claſſis illa non erat populi Romani, Octavio & Antonio jam omnia tenentibus. Sed & ipſum loquendi genus, *propraetore claſſis factum ducem* refragatur huic conjecturae. dicendum eſſet *propraetorem claſſis factum*. *Propria claſſis* igitur eſt, quam ipſe ſuis duxit auſpiciis, ſine auctoritate Senatus, populique juſſu; hinc & dixit cap. 72. *ſemet ipſo contentus duce partium*. In capite LII. *immunes* argutius eſt, quam verius. Nam *immunes* de emeritis accipi, aut quibus nihil poenae damnique datur, non ſane memini. de hoc igitur loco, ut & quem ex capite XC. & CCXX. adfers, ampliandum cenſeo. Cum maxime feſtinabam interpellantibus amicis. In Dubletiano indice neſcio num ſignificaverim nuperius me ſummopere deſiderare Plinii epiſtolas a *Claudio Minoe* editas, inter minores pag. 134. eſt numero 463. vide quaeſo ne eae mihi elabantur, ſi quos habes, quibus hanc curam potes mandare. Rogat etiam *Servaeſius*, ut quos in hac ſcida notatos vides, ſibi parari jubeas. Bigotianam epiſtolam propediem recipies. Hae nundinae nobis ferent corpuſculum epiſtolarum *Reineſii* ad *Bertramum*, qui Duci Saxoniae fuit a conſiliis interioribus, & toties a *Reineſio* in Variis laudatur, exaratarum, procul dubio bonae frugis plenum. Lipſiae Horatius & Virgilius editur cum novis, ut narrant, commentariis. Vale, Vir ſumme. Trajecti a. d. XXIII. Septemb. CIↃIↃCLXXV. Dionyſ.

EPISTOLA CCLXXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

REdditas tibi eſſe, quas ante hos decem dies miſi, litteras nullus dubito. Tua me valetudo ſollicitum habet & animi anxium, cum tam longum intervallum ſit, quo nihil a te accepi. Sed forſan alia te a ſcribendo retardarunt. Vides hîc orationem, quam juſſus habui, & edidi. Non quidem illa te poterit tenere, & delectare, quae tam longe abeſt ab iſta terſae & cultae ſcriptionis laude, quam in te mirantur omnes, nec hoc nomine ad te perfertur, ſed ut tuis miniatulis notata melior ad me redeat & politior; quo non poterit gratius quicquam mihi a te fieri. De locis nonnullis Vellejanis, de quibus nuperius agebamus, ſententiam meam retexo, & vineta mea caedo. Nam in capite LXXVI. omnino tibi ſubſcribo, perſuaſus, legendum eſſe, ut tu cenſebas, *pro praetore claſſis factum ducem.* Nam pro praetore ſe geſſit, & ſine Senatus auctoritate populique juſſu hanc perſonam ſibi ipſe induit. Sed in capite XXXV. non videtur recedendum eſſe a librorum ſcriptura. Nam Cicero ipſe in epiſtola XXI. lib. XII. ad Atticum, in qua ſcribit de Bruti Catone & illius oratione, teſtatur Catonem ſummis laudibus ſe extuliſſe, idque Brutum litteris mandaſſe. *Me autem*, inquit, *hic*, nimirum Brutus, *laudat*, *quod retulerim*, *non quod patefecerim*, *quod cohortatus ſim*, *quod denique ante*, *quam conſulerem*, *ipſe judicaverim. Quae omnia quia Cato laudibus extulerat in coelum*, *perſcribendaque cenſuerat*, *idcirco in ejus ſententiam facta eſt diſceſſio.* cap. XC. *Dalmatia ad certam confeſſionem pacata eſt imperii* interpretor, Dalmatiam bona fide eſſe ſubjugatam, ut & ipſa & aliae gentes cogantur fateri, nunc totam ſub imperium eſt redactam, ut cogatur noſtrum imperium ferre & agnoſcere. Sed in Propertio recte vidiſti ſcribendum: *Ibis & aſſerti pars eris imperii.* Alia propediem ad hunc guſtum a te expecto. A *Jacobo Wallio* Graecum Latinumque carmen longe pulcherrimum & elegantiſſimum hiſce diebus accepi: A *Steenbergio* ſalutem, qui fidem facit ſe propediem miſſurum ad nos *Gevartii* commentarium in M. Antoninum, ſi modo editorem ei praeſtiterimus. Nunc id operam do, ut excitem, qui praeclari operis procurationem velit ſuſcipere typographus. *Reineſii* epiſtolas ad *Bertramum* typis mandatas brevi nos jubent expectare amici ex Germania. Ecquid ſpei feceris *Plumero* de tuis in Valerium animadverſionibus aveo cognoſcere, quando te hîc reducem ſimus complexuri. Habes quoque exempla orationum, quas commodo tuo reddi curabis Illuſtribus viris *Zulichemio*, *Selemio*, *Blyenburgio*, *Slingelandio*, & *Junio*, ſi vobiſcum etiamnunc agit. Vale, vir ſumme & me ama. Trajecti in Batavis a. d. v. Octob. CIƆIƆCLXXV. epochae Dionyſiacae. Eſt penes me libellus tibi tradendus, quem meae fidei commiſit *Goeſius* ſororis tuae filius. *Trelſchius*, *Servaſius*, *Maerſenbrouckius*, & uxor mea tibi ſalutem dicunt.

EPI-

EPISTOLA CCC.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

OCcupatum me tenuerunt dies proximi, in rebus haud magni quidem illis momenti, ſed tamen quas inſuper habendas eſſe non judicarem, vel ea de cauſſa, quod de ſtudiis meis promovendis & illic ageretur. Aſſedi nimirum ſectoribus bibliothecae Doubletianae, ut plurimum. Per id tempus lentis maxillis non ſine taedio fui objectus, praeſertim quod viderem, nec tibi, nec aliis amicorum ex ſententia gratificari me poſſe, tanto animi ardore res plerumque geſta eſt a licitatoribus, quoties venum exponeretur liber parum obvius in bibliopolarum pergulis. Quid dicas enim, ſi audias in tantis reipub. ac privatae anguſtiis non defuiſſe, qui florenos XXIV. pro Philoſtrato, pro Sidonio Savaronis octenos auſi ſint offerre? Juſtelli canones, quos videbaris deſiderare, flor. X. aſſibus XII. venierunt, idem fere pretium & Archimedes aequavit. Briſſonius de verborum ſignificatione deque formulis flor. XIV. atque ita porro: ut jam intelligas, quam non fuerit e ratione frugalitatis tuae ac praeſcripti abs te pretii, de corio tuo ludere. Simonis Simonii opuſcula non ſunt illius, quem tu opinaris, ſed alterius; librum de putredine tamen comparavi; ceſſurum tibi, ſi ſic videbitur. Nam alterum ejuſdem opuſculum *Ryckius* tulit, ob adnexum Caſauboni commentarium in Apuleji Apologiam. Comparavi & tibi Minoem in Plinii epiſtolas, ſed, ne quid erres, editionis primae, cum tertiam ego jam pridem poſſideam. Protrahetur auctio in tertium, quartumque, ut reor, diem. Cave enim exiſtimes, finitam eſſe. Juriſconſulti majoris rei cum vendebantur, nondum tu tuas exararas, quae de nonnullis comparandis agebant. aberam ego Amſtelaedamum profectus, ut Ampl. *Servaſio* diligentiam meam approbare non potuerim. Scipionis & Alberici Gentilium opuſcula per partes & cum aliis libris diſtrahebantur, idque eo pretio, quo meos noluiſſem. Horum tamen geminos poſſidere me reor, ut gratificari amico noſtro poſſim. Atque haec de libris. Orationem vero tuam longe pulcherrimam ac crebis Latini terſique ſermonis luminibus emicantem, qua nunc laude extollam? Antiquum obtines, Chreme; quo magis magis indignatus ſum, cum vidi ſcriptum emendatiſſimum tot naevis eſſe a barbaris librariis conſpurcatum. A *Daumio* litteras habui, qui ſilentium tuum mirari ſe teſtatur. Ceterum mittit *Rivini* pleraque ad Poëtas Chriſtianos annotata, ut vix quidquam iſtorum nunc deſiderem. Cornelium Nepotem *Boſii* Amſtelaedami proſtantem in Bibliopoliis vidi. Plinii epiſtolas a *Thomaſio* recens editas meo aere jam paravi. Ad Vellejum, quando vis, jam revertamur. Tò *cive major habebatur*, minima mutatione haud inconcinnum mihi fore videbatur. tuoque calculo nunc approbatum videre gaudeo. Scies illud Lucani lib. II. 564.

Haud privata cupit, Romana quiſquis in urbe
Pompejum tranſire parat.

Sed locus illuſtrationis haudquaquam indiget. capite xxxv. *Conſultis virtutem amplificavit* pulcherrime aſſeruiſti, ex ipſo Cicerone, ut fruſtra omnino fuerim, qui in loco integro ulcus latere crediderim. cap. 72. *Propraetore claſſis factum ducem*, cum teſtabaris tibi non probari, vix patiebar perſuaderi, ut manum darem, nunc laetor mutatam eſſe abs te ſententiam: *Propraetore* ſic capiebam, ut Domitius, quanquam injuſſu Senatus, tamen auctoritate praetoria claſſem occuparet, tanquam muneris ad ſe pertinentis. Nam niſi praetor, aut praetorius, id haud quaquam fuiſſet auſus, ſine juſta reprehenſione, cum Vellejus tamen id ejus factum videatur approbare. *Praetor Navalis* occurrit apud noſtrum lib. 1. cap. 9. niſi illud *navalis* ad triumphum refers. *conata obiit* a Grutero praeceptum non videram, ſolo conſulto *Voſſio* ad illum locum, qui veriſſimam conjecturam non debuit illaudatam praeterire. cap. 52. *immunes dimittere* ſine muneribus militiae, hoc eſt exauctoratos, demittere, ſi exempla proferre non poſſum, id Latine dici, quando bibliothecam habebo meis uſibus expoſitam, tum viceris. cap. 90. *ad certam confeſſionem imperii*, cum tolerari poſſe videatur, conjecturam meam damno. cap 81. *ejus reditus erant publici*, nihili hoc eſt: in veteri codice fuerat, *erant relicti*. Puto, *reſecti*. hoc enim vult Vellejus. Sic *recidere* & *amputare reditus*. cap. 66. ſub finem in pulcherrimo Catonis elogio, mutilata ſunt illa, *citiuſque in mundo genus humanum, quam cadet*. Scribe, *quam ea cadet*, laus nimirum Ciceronis. Cognatio litterarum inter *ea* & *ca*, in *cadet*, hîc conturbavit manum librariam. cap. 55. *nuſquam erat Pompejus corpore, adhuc ubique Jubae nomine*. Magnus *Scaliger* ſub nomine *Joannis Villiomari* dudum delebat τὸ *Jubae*, & eruditos omnes invenit approbatores. Quid ſi dederit Vellejus, *adhuc ubique jubar e nomine. jubar* pro fulgore nominis. cap. 53. locus eſt inquinatiſſimus, *quos victores darent comites ei fortunæ aggregaverat:* nam aut expungenda illa, *victores darent*, tanquam inconſulte a librario repetita ex ſuperioribus *victoriam daret*, aut ſcribendum, *quos victores durae comites ei & Fortuna aggregaverant*. tenes illud Maronianum,

Res dura, & regni novitas me talia cogunt.

cap. 51. *Caſtris Pompeji teneretur*. V. C. *Pompejo retineretur*. *Pompeji obtineretur* Velleji genuinum puto. Sic alibi noſter non ſemel. Frontinus Strateg. lib. I. VIII. II. *Afris neceſſe fuit capta caſtella praeſidio obtinere*, perperam vulgo, *ibi tenere*. noſter cap. 42. *cum idem enim Aſiam eam, quam obtinebat*, mendoſe omnino. ni fallor, *tum idem enim Aſiae eam oram obtinebat*. cap. 40. *omni ante ſe inlata pecunia in aerarium, praeterquam a Paullo, ex manubiis intulit*. Manifeſte hoc falſum: nam & longe ſuperavit haec praeda pecuniam a Paullo captam. Quid ergo. an ſcribemus? *in aerarium P.R. etiam a Paullo* (ſc. *illatam*) *intulit*. Sed jam exceſſi orbitam: proxime habebis Gloſſematis quibuſdam liberatum Vellejum, & mendo graviſſimo, quam emendationem tibi olim approbabam. Vale, vir Summe, & amicos communes cum uxore a me ſaluta. Hagae Comitum

tum xx. Octob. cIↄIↄCLXXV. Pag. XII. orationis tuae Franciſcum XI. Galliarum regem nominas. Atqui ego Franciſcos tantum duos Galliarum reges agnoſco. an Ludovicum XI. voluiſti? ſub finem orationis, malim. *cumulent*, quam *cumulet*, ut ad *illos* proximum referatur. *Wallii* carmen & ego multa cum admiratione legi: quaeſo ſalutem illi dicas a me, ut & *Steenbergio* viro politiſſimo, quem me abſente hîc fuiſſe nuper doleo multum & indignor.

EPISTOLA CCCI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

HAec ſcribo, mi Graevi, ne quid ignorare pergas, orationis tuae, terſae mehercule & perpolitae, exemplaria jam illos inter a me diviſa eſſe, quibus ea voluiſti oblata. Unus nobis reliquus eſt *Naeldvicius*, cujus abſentis ratio a me haberi hactenus non potuit. Sed cum e caſtris propediem ad nos reverſurus exſpectetur, ne facundia tua fraudatum ſeſe conqueratur, operam in primis dabo. de Heſychio parentis mei ne graveris velim me docere, ſitne manus illi admovenda ab amico noſtro, uti ſpondebas, an occupatus forte in gravioribus juvenis doctiſſimus alio curas converterit? Antoninum Liberalem diebus proximis Amſtelaedamo redux hîc inveni, novis eruditionis antiquae reconditaeque luminibus illuſtratum a *Munckero* noſtro. De Vellejo moleſtiam rurſus tibi exhibere equidem formido, quem ſatias jam pridem tenet, ſi quid video, talium ineptiarum. Capite tamen 42. libri II. rectius, puto, emendes, *Tum idem enim Aſiam eamque oram obtinebat*, quam *Aſiae eam oram*. *Eamque oram* de ora ea maritima intellige, in qua piratas ceperat Caeſar. quae ratio facit, cur de captis piratis nihil Proconſule invito ſtatuendum ſibi divus Julius ſit arbitratus. In nummis ac marmoribus antiquis non neſcis frequenter occurrere, *Praefectos claſſis & orae maritimae*. apud Rutilium Numantianum Itinerarii lib. I. verſ. 421. verſus occurrit, uti quidem in membranis legitur,

Cognomen verſu Veneris, cariſſime Rufi,
Illo te dudum pagina noſtra canit.

Veneri cariſſime Rufi repoſitum iverunt, quaſi *Venerius Rufius* ſit dictus, quod tamen non probant. *Voluſianum Rufio* huic nomen fuiſſe ex marmoribus antiquis, a *Caſtalione* prolatis, liquet quodammodo, quod metri ratio non admittebat exprimi. Idem *Caſtalio* perperam *verſans* pro *verſu*, ut & in praecedentibus, *Veterum* nomen pro *verum* idem immerito. Reliquos, quod in promptu ſint haudquaquam, interpretes non datur conſulere. Sed ubi hunc Rufium jam ante celebravit? nuſquam certe hoc in Poëmate. Quapropter vide ne *cognomen nudum*, pro *dudum* reponi oporteat. Fortaſſis &, *Verſu Veneris Illotae*, hoc eſt, verſu invenuſto, incompto. Sic *pingius* & *craſſa Minerva* ſimiliaque. Tu

 me

me expedi. de Lota Venere, ſive Venere myrtea, Naſo in Faſtis, ad quem locum in adverſariis ego complura. Tu, cui & bibliotheca in promptu, optimis libris inſtructa, & qui omni bibliotheca es inſtructior, hîc ſuccurre nobis haeſitantibus. Exarabam Hagae Comitum Nonis Novemb. CIƆIƆCLXXV.

EPISTOLA CCCII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

A duabus hebdomadibus magna vis malorum incubuit meae domui. Filiae duae graviſſimis convulſionibus ἐπιληπτικοῖς fuerunt mirum in modum exagitatae. Vix eae meliuſcule habebant, cum me & uxorem gravedines cum febricula vexarunt, & diem unum atque alterum afflixerunt lecto. Vix tandem incipimus reſpirare: nondum tamen bona fide convaluimus. Acceſſit his moleſtiis aegritudo, quam ex obitu viri optimi & amiciſſimi *Joannis Brunii* contraxi. Ei nunc parentationis officium a me perſolvendum erit. Vides quid me repreſſerit, impedieritque, quo minus officium tuis ſuaviſſimis & erudituſſimis litteris citius perſolverim. In auctione Dubletiana quoniam noſtra tenuitas non permiſit nobis cum tanta licitatorum inſania certare, ſervabimus nos melioribus temporibus, cum aut arca noſtra patietur ſtultitiam, aut melius dabitur emendi, quos deſideramus, libellos facultas. Paucos intra dies haſtam vibrabunt *Hackii* Lugdunenſes. Libri ſunt lectiſſimi. Ex lectione catologi ſtatim deprehendi, cujus ſit iſta bibliotheca. Vehementer miror, quid hominem iſtum permoverit, ut libros tanto ſtudio, cura, & ſumtu conquiſitos venum exponat. Tuam vicem doleo, qui tamdiu a nobis abes, & tam bonas horas tam male cogeris ponere. Sed ſpero te brevi tuas res conſtituturum, ut in poſterum tibi tuiſque Muſis & amicis vacare poſſis. Ad Vellejum nunc redeamus. *Immunes* certum eſt non dici exauctoratos, ſed veteranos; qui ſtipendiis emeritis ſub vexillis in caſtris retinebantur, unde & *vexillarii* appellantur, & liberi erant ab omnibus muneribus militaribus, niſi cum manus cum hoſte conſerere neceſſitas juberet. In capite LXXXI. vereor ut gravius ſit vulnus, quam quod poſſit divinatione ſanari. Vetus codex habet: *ejus relicti erant publici*, non vero, *ejus reditus erant relicti.* Quid autem eſt *reſecare publicos? reſecare reditus* & *recidere* Latiniſſime dicitur, ſed *reditus* non agnoſcunt libri, nec hiſtoria illius facti admittit, quae apud Dionem extat lib. 49. ubi narrat argentum repraeſentatum ab Auguſto, nec non agros paullo poſt aſſignatos eſſe militibus. Quoniam vero publici non ſuffecerint (Campani enim agri magnam partem publicam fuiſſe nemo poteſt ignorare, qui vel Ciceronem, vel Suetonii Julium legit) Caeſarem a Campanis emiſſe multos agros, pretiique loco dediſſe Cretenſem agrum, & aquam Juliam. Apud Vellejum videntur excidiſſe plures voces. Poſſet tamen ferri, *ejus agri reſecti erant publici*, nimirum Capuae, non reipublicae Romanae. Sed in loco tam

con-

confragoſo nihil definio. In capite LXVI. non improbem, *ea cadet*. Cap. LIV. difficulter probabis hominibus politis, *jubar e nomine*. *Jubar* enim ſcriptoribus Latinis, qui oratione pedibus ſolutâ ſunt uſi, eſt ſtella & tempus matutinum, ut veſper, & veſperugo, veſpertinum. Sed pro ſplendore accipitur apud ſolos poëtas. Malim igitur hîc *Scaligerum* audire. Cap. LIII. *victores darent* recte expungitur prave hîc repetitum. *Dura res* hîc nimis eſt dura. Cap. LI. placet *caſtris Pompeji obtinerentur*, quia propius accedunt ad veteris codicis ſcripturam. Recte quoque in Frontino corrigis: *praeſidio obtinere*. In Cap. LXII. valde arridet, quod in poſterioribus aſſeris, *tum idem enim Aſiam*, *eamque oram obtinebat*. Haec ad tuas priores. Proxime, quarum ſpem feciſti, expecto, mendas nimirum gloſſaſque in Vellejo deletas. In libro II. cap. XI. legitur in editis omnibus: *Metelli tamen triumphus fuit clariſſimus*, *& meritum*, *virtutique cognomen Numidici inditum*. Quid eſt *meritum clariſſimum?* ſcribendum cenſeo: *triumphus fuit clariſſimus*, *& meritum virtute cognomen Numidici inditum*. Quae in poſterioribus notaſti ad Rutilii verſum inquinatiſſimum, ingenioſa ſunt, & plane Heinſiana. *Cognomen nudum* pro certiſſimo habeo. Sed *verſum Veneris illotae* pro verſu impolito nondum poſſum animum inducere, ut credam Rutilium ſcripſiſſe. Voluſianos dictos eſſe *Venerios* merito rejicis: quamvis & *Sirmondus* ad Sidonium ajat, Voluſianum hunc, ad quem ſcripſit itinerarium iſtud Rutilius, appellatum eſſe *Rufium Venerium Voluſianum*. Sed opinio de cognomine *Venerius* nititur hoc ſolo verſu. Veneriorum quidem in inſcriptionibus vetuſtis eſt mentio, ut apud Gruterum DCCCLIII. 6. & alibi, ſed nihil illae faciunt ad gentem Voluſianam. *Veneri cariſſime*, eſt feliciſſime, beatiſſime. Quoniam Veneris jactus eſt in talis omnium feliciſſimus, hinc *Venuſtus* & Graecis ἐπαφρόδιτος, eſt felix, beatus. *Veneri* autem *carus* poſuit pro *venuſtus*. Sic *Deo carus* ſive *diis carus*, pro felici uſurpari tu non ignoras. *Venuſtum* autem vocat Rufium, quia bis ad praefecturam Urbi fuerat evectus, & in tanta erat dignatione apud Caeſarem. Tuam igitur ſecutus emendationem ſic ſcribendum cenſeo:

Cognomen verſu, Veneri cariſſime Rufi,
Illoto nudum pagina noſtra canit.

Sed hoc tui ſit conſilii: tua hîc valeat exiſtimatio. A nemine magis invitus diſſentio, quam a te, cujus ingenio & eruditioni faſces ſubmittunt quotquot ſunt homines docti & politi. In initio hujus poëmatis verſ. 15. videtur mihi haerere menda. Quid enim illo verſu ſibi vult, *collegarum imperium?* qui illi collegae? Mihi ſcribendum videtur:

Ordinis imperio collegatuque fruuntur.

Ordo eſt ſenatus iſtius aetatis ſcriptoribus, ut apud Ammianum Marcellinum: *Ordo & populus*. Adſciſcuntur Latini in imperium collegatumque ſenatus. Heſychium τοῦ πάνυ parentis tui jam verſat *Bynaeus*, propediemque manus ei admovebit, ſi dictis fidem praeſtiterit. Orationes meas cum tradendas curaſti, quibus juſſeram, tibi plurimum debeo. Ad Nobiliſſimum *Naeldvicium* litteras dabo, ſimulac intellexero reverſum eum eſſe, brevi etiam ad noſtrum *Daumium*: Antoninum Liberalem nondum vidi. Habes hîc cultiſſimum libellum

Cupe-

Cuperi, qui hodie ad me perlatus eſt. Nunc ejus ἀποθεώσει editorem quaero Amſterodami. Qui a duce *Montoſerio* tibi voluit ſalutem dicere, is me quoque inviſit. Bibliopola eſt Pariſienſis, ſed gente Zelandus. Propediem redibit Pariſios. Agricolam & Conradi quaeſturam Baſileenſis editionis libens videbo, pretium vobis redditurus. *Jacobum Gronovium* credo te vidiſſe Hagae; mihi ſaltem dixit ſe te ſalutaturum, juravitque conceptis verbis, quae in praefatione ſcripſit de podagroſi cerebri homine, pertinere ad Florentinum quendam, nobis non ignotum. Vellem memoriae parentis donari quicquid ante hac dictum actumve eſt. Fuit noſter nuperius apud Principem Paderbornenſem, a quo benigniſſime fuit acceptus. Vidi & litteras a Magno duce αὐτοχειρὶ totas ad illum ſcriptas, plenas incredibilis humanitatis, & laudum, quales nunquam legi a Principe tribui iſtius ſortis hominibus. Habuit & alias a Cardinale, eas quoque perbenignas. Sed haec inter nos. Vale, Princeps ingeniorum. Trajecti a. d. XXVIII. Octob. CIↃIↃCLXXV. Dionyſ. Perilluſtri *Zeleemio* ſalutem dico. *Junium* navigaſſe ad totos diviſos orbe Britannos audio. Sed *Voſſii* bibliotheca num eo etiam eſt vecta.

EPISTOLA CCCIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUem ante hos decem dies faſciculum a Cupero mihi redditum nautis veſtris ad te curandum commiſi, cum meis litteris ſpero te accepiſſe. Nunc mitto catalogum librorum, qui prima hebdomade hîc venum ibunt. Si quos tuis uſibus velis addictos id, quaeſo, ut quamprimum ſignifices. Invigilabimus tuis commodis. Plura nunc non licet. Fervet enim cum maxime parentatio, quam manibus *Brunii* debemus. Proximo die Lunae hoc pietatis officio defungemur. Non licuit autem mihi per deſtillationes cerebri, quibus infeſtabar, huic curae manum admovere, niſi ante hoc biduum. Ex Germania narrant *Conringium* diſſertationem edidiſſe de nummis Hebraeorum, & *Strauchium* animadverſiones in Gratianum publicaturum. De *Valeſio* ſi quid explorati habueris pervelim ſcire. *Cuperi* libellus mihi perplacet. In oratione, quam nuper mittebam, *Franciſcus* XI. flagitium quoque typographorum eſt, cum ego ſcripſiſſem *Franciſcus* I. Pro aliis, quae notaſti, plurimas tibi gratias debeo. Vale, grande decus noſtrum, & noſtri temporis. Trajecti a. d. VI. Nov. CIↃIↃCLXXV. Dionyſ.

EPI-

EPISTOLA CCCIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PRoximos dies aut valetudo occupavit mihi, aut excurſus hac ab urbe, ne ſcripſerim; praeterea licere nonnihil mihi ſum arbitratus in te, veterem amicum, cujus cogitationes in parentalibus collegae tuo *Brunoni* parandis defixas eſſe haudquaquam ignorarem. Nunc quoque vix eſt ut ſcribam, niſi verbis pauciſſimis, ne tu, quo ferris in me meaſque res adfectu, pejora omineris, quam par eſt, de hac mea valetudine. Habebis igitur propediem a me litteras verborum minime inanes, utinam ne rerum quidem: interim per allatas recens a *Bigotio* litteras ſum edoctus, *Henrici Valeſii* morbum remiſiſſe nonnihil, ita tamen, ut defunctus ſit minime omni periculo ſenex litteratiſſimus. Hoc ut tibi ſignificarem me rogavit optimus *Bigotius*. Idem addit Patres Societatis Jeſu poſt obitum *Coſſartii*, Themiſtium ejus publico permiſiſſe, tum a *Combefiſio* exſpectari propediem ſcriptores Byzantinae Hiſtoriae ternos, hactenus ineditos, *Henrico Valeſio*, cujus & notae ſunt acceſſurae, laudatiſſimos. Alium in Zonara edendo occupari, & hoc quidem hactenus; *Jacobus Joh. Friderici Gronovii* filius cum fratre me quaeſiviſſe fruſtra non ita nuper domi hîc meae dicitur, ſed ſemel tantum, idque horis inter meridiem veſperamque mediis, quo tempore per civitatem diſcurro frequentiſſime, res meas pro viribus promoturus, etſi ſine ſucceſſu hactenus: de eo, quod ſe excuſat, agemus coram. Vale; Hagae Comitum VIII. Novemb. CIϽIϽCLXXV.

EPISTOLA CCCV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUae de *Valeſii* valetudine, de Themiſtio *Coſſarti*, de tribus ſcriptoribus hiſtoriae Byzantinae ineditis, quos adornat publicae luci *Combeſiſius*, ac Zonara me docuiſti nuper, gratiſſima habui. *Valeſium* utinam audiamus propediem confirmatum eſſe. Nam in ejus capite ſalus litterarum in illo regno vertitur. Magnam faciemus jacturam multorum praeclarorum operum, quae molitur & promiſit dudum, ſi fatis acerbis eripietur nobis vir ille ſummus. In auctione Zyliana *Gallonius* de cruciatibus martyrum viginti obolis, *Vorſtii* Philologia octodecim, *Bangii* coelum orientis tredecim fuit nobis addictum. *Siricii* & *Urſini* ſcripta nullius audio pretii eſſe, a Theologis Germanis edita. *Grotio* de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra pretium dixeram viginti quatuor obo-

obolos, *Bocharti* epiſtolae decem: ſed hi libri longe carius ſint venditi. Num *Hoepingius* noſter ſit cras reſciſcam. In Medicis & Philologis ut quos cupis emantur invigilabimus. Syntagma Hiſtoricum veterum Graeciae monumentorum *Allatii* ſunt acta trium ſanctorum Anargyrorum Coſmae & Damiani, quae Vindobonae prodierunt, cura *Reinoldi Dehnii*. & *Brunnerus* de incredibilibus, eſt Palaephatus *Brunneri* in Suecia publicatus, quos libros dudum te credo habere. Sin tamen volueris illos tibi parari, nihil nobis erit antiquius, quam ut tuae ſerviamus voluntati. In reliquis quoque ſumendis tibi noſtrum extabit ſtudium. Meis commodis nullus obſtas. Nam pleroſque habeo, quos excerpſiſti, aliis non invitus careo. Et licet ſint, quos deſiderem, arca tamen exhauſtiſſima non ſinit nunc nos emaces eſſe. Nam ſtipendium maligne penditur, & non niſi guttatim, ut ſic loquor. Idea orationum *Boxhornii*, ſunt argumenta orationum, quae adoleſcentibus propoſuit ſtudia eloquentiae meditantibus, corruptiſſime ab imperito homine divulgata, quae digna non ſunt tua bibliotheca: nec *Buchleri* epiſtolae. In Heſychio deſcribendo *Bynaeus* noſter fidem dedit ſe ſubſicivas horas poſiturum, & navaturum operam, ut brevi poſſit publicari. Stephanus de Urbibus *Pinedi* fervet, & quantum video *Berkelii* occupabit editionem. Ad *Bigotium* ſcribam propediem. Tuas illas ponderoſas expecto cupidiſſime. Dedit ad me litteras quidam *Prippelnagelius* Bommelenſis, quibus ſuum tibi miniſterium in ſcribendo ſerviendoque offert. Si homine illo, quem ego non novi, volueris uti, fac brevi reſciſcam. Meis liberis nunc eſt meliuſcule. Nondum tamen emerſerunt ex illo morbo, quo conflictantur. Vale, grande decus meum. Trajecti Batavorum a. d. XIV. Novemb. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

OTium illud, quod mihi pollicebar mox praeſto fore, cum nuperius ad te, mi Graevi, ſcriberem, nondum ſum nactus. appropinquat tamen, poſt ſeceſſum procerum hujus Provinciae non defuturum, ut ſpero, qui rebus ſuper arduis deliberaturi convenere. *Gallonium* & *Vorſtium* in auctione Zyliana uſibus meis tua ſedulitate eſſe comparatos plurimum gaudeo. Idem de caeteris promitto mihi, praeſertim de ſyntagmate hiſtorico *Allatii*, quem librum, niſi pretio inſano redimendum, nolim patiaris elabi. Hoc & dictum eſto de *Riccioli* Hydrographia. Nam Almageſtum ejus jam poſſideo. Palaephatum *Brunneri* fruſtra quaerebam nuper in armariis meis. *Buchleri* neſcio cujus epiſtolae & idea Orationum Boxhorniana per me licet valeant exulentque bibliotheca mea, quando tu, librorum judex optimus, eos jubes inde abeſſe. Ampl. *Borchium* compellavi heſterno die ſalvum ſoſpitemque. Occurrebat mihi *Jacobus Tollius* hoc mane, qui poſt nuntiatam mortem *Alexandri* fratris, ad

iſtam cathedram ſeſe ſignificabat adſpirare, meamque operam implorabat. malle tamen ſeſe, ni diſſentirem, alteram in Silva Ducum apud Brabantos vacantem, quam *Jacobo Gronovio* deſtinet nonnemo. De ſtipendio veſtro, lente & guttatim ſtillante in ſinum tuum ex aerario publico, iraſcor equidem calamitati temporum. Apage ſtillicidia iſta frigidiſſima, & meras hyemis Gallicanae reliquias; nunc ubi Joves illi antiqui, qui nimbis aureis toti perpluebant? Sed obduremus animum, & ſecundis ſervemus: venient, ſpero, aliquando laetiora tempora, juſſis eſurire Thraſonibus noſtris, qui Principum munificentiam omnem nunc in ſe derivant ſoli. In Rutilii loco nondum concoquo illud *veneris*: Τὸ *u*, quae prima littera ejus vocabuli, forte perperam repetitum eſt, ex ultima vocabuli praecedentis, aut pro *a* poſitum, quas litteras Longobardi ſimillimas habent. Sed & *verſu illoto* duriuſculum videtur. *Illoti pedes*, *illotae manus* in uſu ſunt promiſcue. *nudum cognomen*, quod reſtituebam, videtur dictum, ut apud Naſonem Triſt. II. *vixque meus capiet nomina nuda liber.* Quid ſi dederit Rutilius

Cognomen verſu, a teneris chariſſime Rufi,
Illo te nudum pagina noſtra canit.

Ad Vellejum proxime revertemur. Vale, Suaviſſime Graevi. Hagae Comitum 26. Novemb. CIƆIƆCLXXV.

EPISTOLA CCCVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

INdicem librorum, quos in auctione Zyliana coëmendos mihi curaſti, vir clariſſime, quamprimum ad me perferri velim. aut ſi a legibus nihil obſtat, ipſos codices, ſed examinatos prius a bibliopola, nequid mutilati inter ipſos occurrat. de pretio, quod debetur ex pacto pro iis mature praeſtando, mihi curam relinque. Vianam ante feſtos dies vix licebit excurrere, adeo nihil a me promovetur hactenus in re pecuniaria ac rationibus, quae mihi ſubducendae reſtant cum aerarii publici praefectis. Interim Ampliſſimo *Blyenburgio* ad nos reduci orationem tuam tradidi. *Munckero* ob editum Antoninum male minatur *Berckelius*. Patruum ſuum Cardinalem ab Etruria, litteratiſſimum Principem, e vivis exceſſiſſe ſignificabat proxime per litteras magnus Etruriae Dux, incredibili meo cum dolore. *Junius* fretum Britannicum ſoſpes eſt emenſus, cum *Iſaaci* Bibliotheca omni. Haec ad me illuſtris *Beuningius*. Peregre pridem ad me allatum eſt nihil rerum novarum de communibus ſtudiis. Tu, ſi quid habes cognitum, eo ut impertias hunc hominem, enixe te rogo. Viquefortianum negotium, ut apparet, non illi tantum exitioſum eſt. reorum in numero praecipui *Crommonius Grotiuſque* nunc ubique ſunt in fabula. *Grotius* a judice citatus, & ad diem XV. menſis hujuſce, ut ad accuſationes co-

ram reſpondeat. Sed quando noſtra res hîc non agitur, alio tranferamus caſtra deque ſtudiis noſtris confabulemur, praeſtat. Quanquam quid ego ſemipaganus & deſultor ad bonas artes tanto tempore neglectas te nunc duco, qui regnas in hac palaeſtra, cum a me incondita omnia & cruda proficiſcantur. De Domitio *Propraetore* claſſem occupante, ſententiam hactenus non muto. Nummos binos pluresve *Fulvius Urſinus* in Gente Domitia profert, hanc rem, ut opinor, denotantes. cum ab altera parte hunc Domitium, ab altera triremem exhibeant. Hic eſt Cn. Domitius, Neronis Proavus, de quo copioſe Suetonius in Nerone cap. 3. Unde colligere licet hunc ipſum jam ante Bruti Caſſiique mortem duxiſſe claſſem praetoriam, ut opinor, quam poſtea denuo occupavit propraetore; *poſt Bruti Caſſiique interitum claſſem olim commiſſam retinuit.* Is & conſulatu poſtea cum C. Soſio eſt functus. cap. 52. non video quid aptius refingi poſſit, quam, *Immunes Martis dimittere.* Sic *immunis mali* apud Naſonem, *vobis immunibus hujus Eſſe mali dabitur.* cap. 81. *Rhenanus* exhibuit, quod tu mones, *ejus relicti erant publici. Voſſius* me decepit, ut putarim pro *publicis* eſſe in V. C. *relictum.* quid ſi ſcribamus; *ejus reſecta erant publica. publica*, pro agris publicis, de quibus ad Naſonis Faſtos lib. v. 285. nos nonnihil. Cap. 66. de *jubare* alias videbimus: nam & hiſtorici locutionibus Poëticis frequenter utuntur, praeſertim Florus. Lib. II. cap. II. annotavi in codice meo, *Emeritumque virtute cognomen Numidici inditum.* Ut τὸ *que* tranſponatur. in Rutilii Itinerario verſ. 15. quid concinnius iſto, *collegatu*, reponi poſſit haud video. Ecce nunc Velleji locum depravatiſſimum, quem olim a me caſtigatum ſaepius flagitaſti. lib. II. cap. 28. *Primus ille, & utinam ultimus, exemplum proſcriptionis invenit, ut in qua civitate petulantis convicii judicium Hiſtoriarum ex alto redditur, in ea jugulati civis reipubl. conſtitueretur auctoramentum.* Exhibeo ſcripturam veterem, quam miris modis detorquere interpretes ſunt conati, ut de iis jure dixeris, quot homines, tot ſententiae. iis refutandis me nunc non dabo. nam apage *Hiſtriones* illos *exoletos.* Latas fuiſſe leges vult Vellejus, per quas interdictum eſſet probra & convicia in hiſtriones, viliſſimum genus hominum, jactare. quis credat igitur a Vellejo hîc factum, quod aſſeveret non licuiſſe? quid enim eſt *convicium petulans*, ſi *exoletos* Hiſtriones appellare non eſt convicium? ſcribe igitur primo, *petulantis convicii judicium hiſtrioni rarum ex alto redditur.* Deinde minima mutatione, *jugulati civis reis.* Rarum petulantis convicii judicium hiſtrioni ex alto reddebatur a Praetore. Quare? quia de plano Praetor dabat ſecundum hiſtriones, quibus conviciari per leges non licebat. res ergo non erat altioris indaginis, aut longae diſquiſitionis, ſi de facto conſtaret. *ex alto judicare* & *de plano* inter ſe opponuntur. hoc non intellexerunt homines eruditi. *Ex alto* hoc eſt e tribunali. pro *reipb.* (ſic enim in antiquis membranis paſſim) *reis* reponi unius litterae mutatione haud improbabis. De Gloſſis nunc, quae hîc illic in hiſtoriam Vellejanam irrepſere, paucis habe. libr. II. cap. 4. *Miſſuſque in Hiſpaniam fortunae virtutique expertae in Africa reſpondit.* Sic ſcribe, nam quod addunt *reſpondit in Hiſpania*, putidiſſimum gloſſema eſt, cum ex eo, quod miſſus eſſet in Hiſpaniam, ſatis intelligi de-

dederit, ubi virtuti in Aſia expertae reſponderit. Cap. 5. pergit narrare de rebus in Hiſpania geſtis, quare & ejus initio videtur ſcribendum, *praeclara militia A. Bruti fuit.* amota *Hiſpania*, cum Hiſpaniae gentes mox ſequantur: deinde corrigendum, *cum urbem Contrebiam nomine oppugnaret*; ubi denuo *in Hiſpania* perperam irrepſit. puto id ipſum quoque in fine capitis eſſe tollendum. libr. 1. cap. 2. locus eſt vexatiſſimus, *ſedem cepere circa Lesbon inſulam.* mira locutio, cum conſtet inter omnes Lesbon ab illo inhabitatam, quanquam *Boeclerus* ſe ſolviſſe nodum hunc Gordium retur, quod & Aeolidis partem inſederint Oreſtis liberi. Sed omnia erunt plana, ſi tollimus τὸ *circa*; eſt enim epexegeſis, *ſedem capere*, *Lesbon inſulam.* ſupererant plurima, ſed jam tu laſſus es legendo, ni fallor, ego certe ſcribendo. Vale. Hagae Comitum VIII. Decemb. CIƆIƆCLXXV.

EPISTOLA CCCVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EX libris Zylianis pleroſque, qui momenti ſint alicujus, tibi vindicavi. Paucos quosdam eripuerunt nobis ſtulti emtores, quorum tamen jactura tanti non eſt. Allatianum ſyntagma venditum erat, cum tuae mihi redderentur litterae, ſed & hoc, ut ſpero, tibi aſſeremus. Nam qui emit ſalubri pretio nobis id transſcripturum exiſtimo. Ex indice ſubjecto cognoſces qui noſtris ceſſerint uſibus. Ampliſſimum *Borchium* ad vos reverſum gaudeo. Illius opera & ſtudium tibi non deerit in negotio, quod nunc exercitum te habet, ad exitum perducendo. Tui enim eſt cupidiſſimus. Quaeſo ut ſalutem ei meo dicas nomine verbis amantiſſimis. Propediem habebit antiquitates trium inſularum Meurſianas: tandem enim prodierunt in dias luminis auras. Cum libris, quos ex auctione Zyliana tibi paravimus, proxime videbis exemplar tibi deſtinatum, & quod Nobiliſſimo *Zelemio* & ampliſſimo *Naeldvicio* mittetur, niſi nos fefellerit bibliopega. Plurimum tibi debeo, cum ſilentii mei cauſſam apud virum Excellentem egiſti. Nam niſi tuum ingenium tuaque gratia, qua plurimum apud eum potes, mihi adfuerit, valde vereor ne mea cauſſa ſit occiſa, & excidam illa benevolentia, qua me ſolebat proſequi. *Munkerum* & *Berkelium* committi invitus audio. Si ille plus vidit in ſcriptore iſto emendando, cur indignatur? In commune quaeramus. Procul dubio ſatis magnam meſſem aliis reliquit uterque, ſi qui in hoc libello excutiendo voluerint elaborare. Cur non vult aliis licere in ſe, quod ipſe ſibi in alios ſumſit? An non nuperius putavit ſibi jus eſſe in fragmentum Stephanianum, quod paucis abhinc annis ediderat *Tennulius*? Accedet tamen mox tertius & quartus, qui in eodem libello expoliendo poſuerunt operam, & non pauca rectius conſtituiſſe, quam priores editores, ſperant ſe poſſe teſtatum facere. Si quid *Munckerus* peccavit, & id

 mode-

modeſte ac ſuo loco *Berkelius* docuerit, non debet hoc aegre ferre *Munckerus.* Sin in clamores & convitia exarſerint propter quaſdam correctiones, ipſi ludibrium debebunt viris gravibus, & ipſas praeſtantiſſimas artes jocum ludumque facient apud indoctos. Cardinalem Etruſcum diem ſuum obiiſſe incredibiliter ipſe quoque doleo, qui ſuum in me ſtudium non obſcuris ſignificationibus ſemel iterumque declaravit. Servent modo ſuperi Magnum Etruriae ducem. Accepi hiſce diebus a *Magliabeckio Gerhardum Voſſium* in Catonem Ciceronis, cum nonnullis aliis Tullianis interpretibus rariſſimis: ſed ſine litteris. Sed ex iis, quas ad alios miſit, intellexi *Noriſio* conflictandum eſſe cum plurimis, qui facto agmine illum invaſerunt. Vidi *Hanſenii* cujuſdam ſcriptum, in quo & *Noriſius* & *Ferrarius* vapulabant, in Italia editum. Sed plura nunc non licet, tabellario itineri accincto. Proxime cum libris habebis reſponſum ad loca Vellejana. Vale, vir Summe, & me ama. Trajecti ὡς τάχιστα. a. d. III. Kal. Decemb. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SEdulitatem illam, quam bibliothecae meae inſtruendae tantum non aſſiduam confers, Vir Cl. ac ſingulare prorſus in te rerum mearum ſtudium amplector ulnis ambabus. Id autem ut muneribus omnibus abſolutum praeſtes, da quaeſo operam, ne quid nobis elabatur *Allatii* ſcriptum, cujus ſpem proxime faciebas. Quod ſi coemti a te meos in uſus ultima auctione libelli ante diem Martis proximam non poſſunt huc mitti, apud te cures ſerventur ſatius omnino fore cenſeo, dum Vianae me ſiſtam; quod fiet, ut auguror, ante feſtos dies proximos. Videbis nunc apud me, quid *Bigotius* ultimis literis perſcribat, qui te peramanter jubet ſalvere. Habeo quae ad illum propediem mittantur: iis & *Blondelli*, quae promiſeras (ea enim videre deſiderat vir optimus) & Meurſianae trium inſularum antiquitates, & ſi quid praeterea illis oblatum cupis, addantur, per te licet. De rixa *Berckelium* inter ac *Munckerum*, quantum videtur, exarſura propediem recte judicas. *Berckelius* quidem, ſi me audit, diſſimulabit injuriam, cum nulla, certe tanta non ſit, quantam velit ſibi illatam. hoc ſi facit, & exiſtimationi ſuae & fortunis non male conſulet. cum ampl. *Terborchio* multus hodie de te ſermo mihi fuit. Exſpectat ille avide promiſſa de Meurſianis. Ea cum praeſtabitis, non deero mandatis tuis apud *Naaldvicium*, *Zeelhemiumque.* Vale, virorum clariſſime. Hagae Comitum XIII. Decembri. CIↃIↃCLXXV.

EPI-

EPISTOLA CCCX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

JUſtiſſimas equidem loquacitatis nimiae poenas perſolvi tibi, mi Graevi; nam quo ego impudentius odioſa febris criticae digreſſione te obtundo, eo tu conſtantius rem facis te digniſſimam omnino, qui naenias iſtas futiles tacendo cautus ulciſcaris. Vianam heſterno die perveni, ubi in magna ſolitudine te unum, qui reliquorum inſtar es omnium, anxie circumſpicio, deſideroque miſere, idque eo magis, quod tam vicinus, abſis tamen. Veni igitur quamprimum, aut rape curſum potius intentis viribus. Quod ſi facies, promitto ſancte altum mihi de criticis quisquiliis ſilentium fore. *Sciazzium* e vivis exceſſiſſe, relicta hereditatis parte majore *Gudio*, neſcio an intellexeris. mihi pridie profectionis meae rumor publicus per forum Haganum late diſperſus id nuntiavit. Vale, Vianae XXIII. Decemb. Gregor. CIƆIƆCLXXV. De oppugnatione Wismarienſi ſi quid reſcieris, id ne celatum mihi velis, vehementer rogo.

EPISTOLA CCCXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TArditatis cauſſam, quod tam diu tot tuis amantiſſime ſcriptis nihil repono, coram agam propediem, ſi Deus dederit. Spe certa tui adventus ſuſtentabar, inſtantibus feriis natalis Servatoris. Per noſtram enim urbem tempeſtate tam aſpera te tranſiturum Vianam putabam, tuique complexus deſideratiſſimi opinione meum oblectabam animum miris modis. Sed quoniam ea me fefellit propediem ad te volabo. Diutius enim tui deſiderium ferre non poſſum, niſi tu malueris, quod te rogo obteſtorque, ante ad nos excurrere. Mihi enim hac hebdomade pedem urbe movere non licet, quia acroaſes Academicae ſunt finiendae, dilabentibus, qui mihi dant operam, adoleſcentibus. De *Sciaſſii* obitu & teſtamento Hagae relicto, in quo & tu & ego ſumus ornati, plura propediem, ut & de aliis nonnullis. Nunc enim mihi abrumpendum erat, quia hora jam audita me vocat ad recitationem publicam. Raptiſſime XXIII. Decemb. Gregor. Viſmariam nondum expugnatam eſſe ajunt. Cras exploratiora.

EPI-

EPISTOLA CCCXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NE nunc quidem mihi licet vetus nomen expungere. Sed cis duo treſve dies liber ſolutuſque hac, qua nunc diſtringor, occupatione vel centeſimis uſuris tibi ſatisfaciam. De judicio *Sciaſſii* haec ad me frater ejus. Ante complures annos illum ordinaſſe ſuprema. Praecipuam poſſeſſionum partem cernere noſtrum *Marquardum*. Tibi, *Henrico Valleſio*, *Gronovio* τῷ μακαρίτῃ, mihi nonnulliſque aliis eruditis viris legaſſe ſingulis tria millia florenorum. Hoc teſtamentum, cum ad Cimbros contenderet, credidiſſe fidei *Nieropii* Senatoris Hagenſis, quod nunc, cum fama mortis ejus ad ſe perveniſſet, aperuerint. Fratres & affinem litteris publicis arceſſi in Cimbriam, juberique praeſto eſſe ad ſextum Januarii inſtantis, cum tabulas teſtamenti, quas ibi confecerit, ſint reſignaturi. *Nieropium* ſibi vindicare facultates, quas his in terris reliquerit, legibus & judicio. Neminem velle ad Cimbros iter ſuſcipere, ut ſciri non poſſit, num poenitentia ductus, quod vero ſimile eſt, aliam rationem inierit ultimae voluntatis, an teſtamentum, quod hîc ſit inventum, velit ratum eſſe. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. *Henricus Valeſius* litteris ad *Jacobum* datis ſignificat, ſe cum valetudine rediiſſe in gratiam, & nunc totum in litteris eſſe. *Garnerius* edidit breviarium Liberati Diaconi, quo ille Neſtorianae & Eutychianae haereſeos hiſtoriam explicuit. A bibliopola nondum recepi antiquitatum Cretenſium Meurſii exempla tibi & *Selemio* deſtinata. Brevi tamen habebis. Tuum librum ad *Bigotium* recte curabo. Nunc accipis amphoram Rhenani decem, ut loquuntur, cantarorum. Vale, Vir Summe. Trajecti a. d. xv. Decemb. CIↃIↃCLXXV. Dionyſ. Uxor, *Trelſchius*, & *Servaſius* tibi ſalutem dicunt. Filiola mea *Loyſa* graviſſimo conflictatur morbo, ut agat animam fere. Cantarus eſt obolis viginti duobus. Vilius non potuit haberi, ſed eſt notae Opimianae.

EPISTOLA CCCXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

VAletudo filiolae tuae miris equidem modis ſollicitum me habet, qui in familiae tuae rebus ſive proſperis, ſive adverſis res meas agi habeo perſuaſum, ut credas. Praeterea te hîc intueri exoptabam unice. Nunc metus eſt, ne dum tu moraris excurſum ad nos tuum propter hanc cauſſam ſonticam, mihi in-

interea ſit hinc abeundum. Pro vino gratias ingentes ago. Nunc enim probe cautum eſt, ne cum tu, *Ryckiuſque* venietis (nam & is cum uxore ſe venturum erat pollicitus) apud ſiccum hoſpitem dura vobis omnia proponantur. de faſciculo ad *Bigotium* mittendo ingens in mora eſt periculum; multi enim dies effluxere, quando monuit me *Elzevirius* ſua jam parata eſſe, quae mitti Rothomagum oporteret. Quae *Robertus Goeſius* in Italiam proficiſcens apud te depoſuit, aut fer tecum, aut mitte quam primum. Uxorem tuam, feminam lectiſſimam, tum *Trelſchium*, *Servaſiumque* ſaluta, quaeſo, verbis meis quam officioſiſſime. Vianae Decemb. CIƆIƆCLXXV. Gregor.

EPISTOLA CCCXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NEc temporis anguſtiae, nec tua humanitas, nec mea fert infantia, ut gratias pares ſingulari tuae comitati, qua me accepiſti benigniſſime, & tot xeniis auctum dimiſiſti, agam. Utinam, ſi ſedes refixurus es proximo vere, eas poneres in hac urbe, ut ſaepius tuo mihi liceat frui complexu, illiſque ſermonibus, quos ego omnium beatorum epulis & voluptatibus praefero. Novi nihil plane. Viſmariae obſidionem credunt jam ſolutam eſſe. Hamburgenſium litteras ajunt noviſſimas nunciaſſe Reginam, jam ex caſtris diſceſſiſſe, & expectari ibi equos, qui avehant tormenta. Eminus tamen circumſidebitur occluſis omnibus acceſſibus, ne qui commeatus poſſit apportari, aut recens miles. Pacificatores propediem creduntur coituri eſſe. Locum Symmachi nullus poſſum invenire de illa urbe, cujus maxima pars foeneratur. In Plinii epiſtola de venatione in recentibus libris legitur, *agitatione motuque*, ſed in Sichardi, *hac agitatione motuque*, ſcribitur, ut bene conjiciebas. De *utroque metallo* Manilii tuam expecto ſententiam. Pro novis nunciis ego expecto a te novas obſervationes. Vale, decus noſtrum, & ſi nos amas, excurre, quaeſo, ad nos antequam Hagam te recipias. Venies, quod noſti, nobis deſideratiſſimus. Trajecti a.d. XXX. Decemb. CIƆIƆCLXXV. Dionyſ.

EPISTOLA CCCXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

GRates agendas eſſe reris, mi Graevi, quaſi hoſpitio meo laute comiterque exceptus. At vero id omne tuum eſt beneficium, cui ni mature ſalus pedibus quaeſita eſſet, jugulari equidem modiſque enecari diriſſimis poteras;

 certe

certe tot frivolarum obſervationum toxico, quas odioſe nimis crudeliterque ingerebam, & quidem ſine miſſione, adeo ut nil omnino reliqui fuerit, niſi ut & mala occentarem carmina: ſed tu hanc peſtem fuga provida cautiſſime es amolitus, & Ulixea plane nobilitate illeviſti auribus ceram, ne quid iſtos in ſcopulos impingeres. Symmachi locus de Beneventanis exſtat lib. I. Epiſt. III. ad patrem, in editione Paraeana, qua ſola nunc utor. Puto & in Schioppiana. Nam vetuſtiores eam non agnoſcunt, aut in calce voluminis adjectam oſtentant. Nunc flagito verſus iſtos jambicos antiqui marmoris ſubalpini in Priapum, quos apud te vidi olim. de loco Manilii alias agemus. Nam tu Vellejanis noſtris virgulam cenſoriam nondum appoſuiſti. Ante meam profectionem utinam te cum uxore ac aliis amicis hîc te amplectar. Sed properandum eſt tibi, hoc ſi agas: ſin minus, litterarum tuarum matteis me paſcas quotidie, omni prece obſecro. Danorum me miſeret, qui tanto jam tempore irriti oppugnationis ſedent ad urbem non munitiſſimi operis. Sed illos quid terreat, aut tam ignavos faciat, ego quidem unice ſum ſecurus. *Bynaeum*, quaeſo, noſtrum adhortari perge, & adjutor quandoque veni, ſi haeſitet hîc illic, ut Heſychiana mei parentis aliquando lucem auſpicato videant. Vale, virorum praeſtantiſſime. Vianae a. d. XXV. Decemb. Julian. CIƆIƆCLXXV.

EPISTOLA CCCXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

UBi poteram accipi lautius & ſuavius, quam apud te, qui & lectiſſimis epulis, & exquiſitae doctrinae ac elegantiae ſermonibus corpus animumque mirifice paviſti, ut illorum dierum, quos tecum poſui, & acroamatum jucundiſſimorum, quibus me oblectabas, ſemper meminero? Nuſquam tempus ullum majore cum voluptate tranſigo & majore fructu. Quoties a te domum redeo, tantum bonarum rerum in horrea mea condendum mecum fero, quantum mihi longiſſimo tempore non potuiſſem quaerere. Damno & deploro meam infelicitatem, qua non diutius per domeſticas occupationes mihi licuerit tantis frui deliciis. Sed vide ne tibi tua humanitate arceſſas hominem, qui proco Penelopes longius & impudentius tuis incubet aedibus aliquando. Nunc quidem obſtant varia, quae me uxoremque non ſinunt ad vos excurrere. Fac tu nobis tui copiam, ſi nos amas. Nihil poterit nobis accidere optatius & deſideratius. Proximo forte Lunae aut Mercurii die tecum contendam Lugdunum. Verſus Jambicos marmoris antiqui in ſubalpinis regionibus extantes en tibi.

SYLVAN[1] AE SACRA SEMICLUSE FRAXINO
Et hujus alti ſumme cuſtos hortuli,

Tibi

1 Hoc A procul dubio delendum eſt, ſic tamen extat in editione. *Graevius*

Tibi haſce grates dedicamus Muſicas.
Quod nos per arva, perque montes Alpicos,
Tuique luci ſuaveolentis hoſpites,
Dum jus guberno, remque fungor Caeſarum,
Tuo favore [1] *properanti ſoſpites.*
Tu me meoſque reduces Romam ſiſtito
Daque Itala rura te colamus praeſide,
Ego jam dicabo mille magnas arbores.

T. POMPONII VICTORIS PROC.
AUGUSTO T.

De Viſmariana obſidione cras exploratiora, puto, poterimus perſcribere. *Jenckinium* pacificatorem Anglum appulſum eſſe Rotterodami certo creditur. Principem locum equeſtris ordinis apud Sicambros ambiri ab illo, de quo nuperius id tibi narrabam, certa res eſt. *Kromommii* cauſſam agere Ordines Selandiae, & meliore illas loco eſſe quam vulgus exiſtimet, *Maerſebrucius* amico ſignicavit. Octoviri Bavarici filia elocabitur Regi Hiſpaniae. Hoc certis nuntiis ad nos perlatum eſſe ſunt qui heri mihi voluerunt perſuadere, iique οἱ ἐν τέλει. *Bynaeum* urgebo. Nunc totus eſt in Theologicis. Propediem enim candidatorum numero adſcribetur. His curis liber & ſolutus impendet ſe rurſus huic operae, quam dicavit Heſychio ϰ πάνυ edendo. Se in multis locis haeſitare jam diu conqueritur. Juſſi illum eas πεϱικοπὰς notare, & mihi oſtendere, quod propediem facturus eſt. Propertio cum variorum notis edendo nunc ſe accinxit *Sylius* noſter. Ne plane cartam perderent, auctor eis fui, ut ſequatur *Duſae* editionem, & integras Scaligeri, Achillis Statii, & Mureti notas publicet, adjectis excerptis aliorum. Celſi Lugdunenſis velim memineris, ubi ad *Bigotium* litteras dabis. Vale, vir Summe. Trajecti Batavorum a. d. XXIII. Decemb. CIↃIↃCLXXV. Juliani, hoc eſt biduo ante quam tuae ſunt exaratae, quibus nunc reſpondi.

1 *l. proſperante.* Graev.

EPISTOLA CCCXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOviſſimae Hamburgenſium litterae laetiora nobis narrarunt, quam quae nuperius adferebantur. Viſmaria ante hos duodecim dies a Danis capta eſt. Conditiones deditionis proxime expectantur. Hodie in hac Urbe prandet Sereniſſimus Arauſionum Princeps, Hagae coenaturus. Gallici legati viae ſe dabunt Novimagum contendentes a. d. XVIII. Januar. Gregorian. inſtantis anni. Eluvies iſta magnam ſtragem hominum pecudumque edidit in Hollandia Septentrionali, deletis & ſuppreſſis ſeptem, ut ajunt, pagis. Cum haec exa-

rarem me inviſit *Servaeſius*, litteras ſecum ferens, quas Lutetia ad ſe ſcriptas oſtendebat, ſignificantes legatos jam viam carpere, & Pariſiis exceſſiſſe. Vale, vir Summe & tuo complexu cave nos defraudes. Trajecti Batavorum a.d. XXIV. Decemb. CIↃIↃCLXXV. Juliani. viri Nobiliſſimi *Trelſchius* & *Servaeſius* tibi ſalutem dicunt.

EPISTOLA CCCXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DE diſceſſu meo rem nondum habeo ſatis deliberatam, quod biduo proximo valetudinem ſenſerim lubricam omnino, & ſui identidem nos admonentem. Verſus, quos miſiſti manus antiquae, habui, uti debebam, longe quidem acceptiſſimos. Utinam id genus complura tuis e ſcriniis eruantur! nec minus debeo tibi pro nuntiis tam auſpicatis. Auſpicatos voco, quod opiner eos momentum ingens fore ad praeſtandam nobis pacem; ſine qua nihil fortunatum aut ſalutare duco. Triumviros rei amatoriae Poëtas, qui typis deſcribendos in urbe veſtra ſuſceperunt, velim operi adderent *Achillis Statii* in Propertium annotata hactenus inedita, quae Romae dicuntur reſervari apud Patres Oratorii, quos vocant. Horum enim bibliothecae *Statius* ipſe moriens ſcrinia ſua legarat. Utilis omnino hac in re fuiſſet nobis opera *Octavii Falconerii*, nunc ad quem hîc confugiamus, notum in urbe habeo neminem, quod praeſens rogare ſum oblitus, cum vellem tamen maxime; nunc obſecro, ut ſi incides quandoque in catalogos bibliothecarum e celebrioribus apud vos publica diſtractis auctione, eos mihi vindices, cum dabitur occaſio. Hoc in numero ſunt *Heurnii*, *Canteri*, *Lappii a Waveren*, *Buchelii*. De publicae etiam Bibliothecae catalogo neſcio quid promiſeras, ſi meminiſti. Haec nunc, cum alia, mi Graevi, ad te perſcribenda non eſſent in promtu. Vianae 26. Decembri. Jul. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOvi hîc, praeterquam quae leges in iſta, quam mitto, ſcida, nihil habetur. Nova victoria potitos eſſe Danos cognoſces, expulſis Ribnitio Sueciis, & quadringentis captis. Cum *Jenkinſio* ex Anglia revertit ad nos *Spanheimius*, quem equidem videre pervelim. In pacis negotio, quantum providere licet, lente procedent. Nam Auſtrii cum ſociis videntur alieniores eſſe a pace.

Sed

Sed haec ἐν θεῶν γούνασι. Excruciat me tua valetudo, nec ſinit me mea, quae ſatis commoda eſt, frui. Non poſſum enim recte valere, ſi tu, quem non minus diligo quam me ipſe, infirmitate conflictaris. Quaeſo te, ut vel tribus verbis cras mihi ſignifices quomodo te habeas: ſin melius, rogo ut ad nos excurras, & hîc animum cum amicis à curis & occupationibus leves ac reficias. Omnibus venies, mihi crede, deſideratiſſimus. De *Statii* notis in Propertium egeram in noviſſimis litteris cum *Falconerio*, ſed is placida ſopitus quiete eſt alieniſſimo tempore. Videbo tamen num per amicos Florentinos poſſim hunc theſaurum canibus incubantibus extorquere. Catalogorum, quos deſideras, meminero. Niſi mei periiſſent, ut noſti, jam haberes Heurnianum: bibliothecae publicae habebis brevi. Te viciſſim rogo, ut ſi quos habes geminos, eos mecum communices. In primis deſidero Rutgerſianum & Scaligeri. Vidiſtine craſſum illum Oxonienſem? Thucydidis quoque illius, cujus margini nonnulla *Turnebus* adſcripſerat, rogo ut mihi copiam facias in uſum diei unius alteriuſve. Brevi ſartus tectuſque ad te redibit. Sunt quaedam loca in illo ſcriptore, quae me torquent, quae videbo, num ejus ingenio poſſint expediri. Utinam tu ipſe ferres eum librum. Vale, Princeps ingeniorum. Trajecti Batavorum a. d. XVI. Decemb. CIↃIↃCLXXV. Gregor.

EPISTOLA CCCXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

VAletudinem haud modice mihi dejecit attrivitque tempeſtas foeda hodiernae diei. Ita fit, dum adfigor lecto, ne Thucydides *Turnebi*, quem flagitabas, nunc ad te perferatur. Hunc tamen, ut primum offeretur inveſtiganti (nec longe quaerendus erit) non fore fraudandum tuis uſibus perſuaſum habeto, ut credas. Praefectionem meam tardari doleo, vel propter *Spanhemium* noſtrum, quem reducem a Britannis aveo complecti. Nunc dum ego excurſum ad Haganos procraſtino, ne is elabatur interea nobis ſubverendum videtur. Si remiſerit in diem craſtinum tempeſtas coeli haec tam turbida nonnihil, certiora de itinere meo poterunt nuntiari. Praevideo fore, ut Dani animo multum efferantur hoc tam proſpero rerum adverſus Suecos ſucceſſu, quos a ſe vinci inſolitum habent. Bibliopola ille, qui Cretenſia Meurſii toties promiſſa nobis pergit non praeſtare, ipſe e Batavo in Cretenſem veteratorem mutari videtur: adeo enim ille κρητίζει, ut omnem Creticae antiquitatis genium hac laude provocare poſſit. Litterae, proximis diebus hinc inde ad nos perlatae, nil prorſus commemoratu dignum complectuntur, ut ſic quoque certare tecum haudquaquam detur. Vale, vir amiciſſime. Vianae a. d. XXVII. Decemb. Jul. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

VAletudinem parum firmam afflixiſſe ſpurcam hanc tempeſtatem magno cum gemitu in tuis legi litteris. Sed cum nunc iſta hyems deſaevierit, ſpero quoque tecum nunc eſſe meliuſcule, & cras nos tuo fruituros complexu. Habes hîc catalogum bibliothecae Ultrajectinae. *Meurſii* Cretenſia ſequentur brevi, niſi, toties totieſque qui nobis illuſit, bibliopola antiquum obtinebit fidem ſuam fallens, & nos vanis ducens procraſtinationibus. Thucydiden, quem promiſiſti, expecto. Vidi hodie apud amicum epiſtolam Hagae ſcriptam heri, quae narrabat legatum Regis Daniae Arauſionenſium Principi ſignificaſſe non ſolum Viſmariae, ſed & Caroloſtadii deditionem. Hujus tamen rei nuncii ad alios in hac urbe nondum pervenerunt. Vale, vir Summe, & veni. Quod ſi per noſtram urbem te non tranſiturum eſſe noſſem, mitterem ad te exempla aliquot parentationis meae, quae traderes amicis. Sed te omnes cupidiſſime expectamus. Vale, meum decus iterum iterumque; Trajecti Batavorum a.d. XXVIII. Decemb. Jul. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUas heri ſero accepi, illico curandas tradidi hemerodromo Amſtelodamenſi, ut nullus dubitem, quin recte curatae ſint & tempeſtive. Sed tuo nos defraudari complexu, quem jam animo praeceperamus omnes, graviſſime ferimus, quotquot hîc Heinſianum nomen colimus & veneramur, qui jam nobis ipſis in adventum tuum indixeramus feſtum diem. Sed non mirum te municipes hos tenues contemnere, qui plenis velis contendis ad Proceres Haganos, & celſos illos Rhamnes, qui tamen praetereunt auſtera poëmata. Ex Anglia accepimus, prodiiſſe ibi Arundelliana Marmora cum notis *Seldeni*, *Palmerii*, *Lydiati*, & *Pridieauxii*, & *Lydiatum* de feſtis Romanorum. *Willius* Medicus celeberrimus obiit, cujus opera nunc junctim eduntur. Thucydiden ſperabam ante tuum abitum me viſurum eſſe, & videbo credo. Spes enim, quam tu facis, nunquam deludit hiantes. Novi nihil. Hagam ubi veneris, Nobiliſſimis Viris *Naeldvicio*, *Zeleemio*, *Terburchio* ſalutem plurimam meo nomine dic quaeſo, ut & Excellentiſſimo *Spanhemio*, ſi eum ibi offenderis. Habebit

bit antiquitates Meurſianas, cum hac tranſierit, modo de ejus tranſitu certior fiam. Vale, mea lux. Trajecti Batavorum a. d. xxx. Decemb. CIƆIƆCLXXV. Dionyſ.

EPISTOLA CCCXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

JAm grates, quas debebam, egiſſem tibi pro inſigni hoſpitalitate, quam more ſollemni nuper exhibebas, niſi ſpem feciſſes diſcedenti excurſus ad nos tui mox ſecuturi. Suſpicamur moram properanti injectam ab inclementi coelo; nunc quando omne gelu ſopitum eſt, vide ne quid porro ſpes noſtras & tuas pollicitationes inſuper habere pergas, operamque da, ut quando ſis exſpectandus nobis quam primum, reſciamus. Sunt enim de quibus agendum erit tecum. Idem mecum exoptat ampl. *Terborchius*. Ex quo diſceſſi a vobis, omnia mihi hîc barbara videntur, tam delicati faſtidii ſum factus per ſermones tuos omni litteratura excultos, prae quibus nihil hîc offertur nobis. Amicos omnes jubeo ſalvere, & in hiſce loco non poſtremo Cl. *Burmannum*. apud reliquos ſubitaneam profectionem meam excuſaſti jam, credo. Vale, virorum amiciſſime. Hagae Comitum XXIV. Jannuar. CIƆIƆCLXXVI.

Apoſtrophe Jocoſa ad Cretam, cum Meurſianas ejus inſulae Antiquitates, diu multumque ſub praelo Typographico frigentes, V.C. JO.G.GRAEVIUS editor promiſiſſet non ſemel nobis, & tamen praeſtare promiſſa differet.

Dic Creta, Creta, ecquando deſines tandem
Dare caſſa rebus verba, ſpemque fruſtrari
Jam pollicendo ſat ſuperque dilatam?
Moremne ſemper obtinebis antiquum,
Cunas tonantis & ſepulchra poſt rapti
Jactata falſo, tauriforme poſt monſtrum,
Poſt Daedaleae pervium aërem pennae,
Atque inferis Minoa judicem adlectum,
Nos fabularum magna portio facti
Sumus heu? tuarum: nos inane promiſſum,
Labyrinthi ut error flexuoſus, exercet,
Procraſtinatrix & miſerrime ludit
Proles Meletis cum vetuſta Smyrnaei,
Fons ille vatum, myſta proximus Phoebo,
Te criminetur arguatque mendacem,
Ut promereris, auctor haud minus verax.
Antiquitatis ecce promus adſertae
Tibi eamdem inurit Graevius *notam noſter,*
Par Creta Cretae Meurſiana Minoae.
Jam parce coepto, parce, totque cum larvis
Omnem apparatum tolle ludicrae ſcenae,
Oblita temet, ut mei recorderis.

EPISTOLA CCCXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

PAſtus pulcherrimorum & elegantiſſimorum tuorum ſermonum, ut & ſuaviſſimarum eſcarum deliciis, non poſſum non voluptatis, quam apud te cepi ſummam, perpetuo meminiſſe. Tua merita in me jampridem tanta ſunt, ut ſi vel cogitando ea me aſſequi poſſe ſperarem, inſanirem plane. Tuus ſum χρήσει κ̀ κτήσει. Cras a ſollemnibus muneribus feriabuntur Magni Muſarum myſtae. Cooptabitur enim novus collega *Hulſius* rite more majorum in collegium. Propter iſtam inaugurationem feſtus huic Parnaſſo dies indictus eſt. Te, ſpero, praeſto futurum, fidemque datam liberaturum: quia ſine te nobis haec ſacra non poterunt conſtare. Vale, Heinſi, noſtrum decus & praeſidium unicum, & craſtino die Veneris, aut potius a meridie hujus lucis tui exoptatiſſimi complexus nobis fac copiam, niſi velis iram Leidenſis Apollinis provocare. Iterum iterumque vale, & veni. Lugduni Batavorum a. d. xxx. Januar. CIϽIϽCLXXVI. Si forte quid tuum ad nos retardaret iter fac quaeſo cognoſcam. Tuus enim ad nos adventus rationem mei reditus moderabitur. Litterae poſſunt mitti ad aedes viduae *Schultingii*. Sed omen deſpuo, & te exſpecto.

EPISTOLA CCCXXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

AUguror iter omne, quod a nobis domum diſcedens ſuſcepiſti, fortunatum tibi cum uxore obtigiſſe, quamvis id ipſum jam ex te reſciſſe debebam, ſi antiquo ſcriptionis ſedulae inſtituto tuo parem te praeſtares. Sed cum nonnihil ſit, quod in te jure meo videar deſiderare poſſe, vereor ne quid Scazontes mei te offenderint, friguſculove perfuderint: poſt horum igitur tenuem guſtum tibi appoſitum tam inauſpicato, quicquid ſupereſt apud me damnati carminis Vulcano expiandum committam. Acerbitatem fortaſſe improbaſti nimiam. At ego omnem malignitatem a ludo hoc abfuiſſe teſtor: religioſe, quae in mores meos non cadit. praeſertim cum tecum mihi res eſt, cui ut ſuccenſeam aut iracunde inſultem, ſi velim maxime, haud quaquam a me impetrarem. Nunc has ad *Perizonium* exaratas tuae fidei permitto. habui proximis diebus e Saxonia a *Frid. Bened. Carpzovio* laetiſſimum nuntium portantes de re litteraria. Sed de nuntio alias agemus. ad ipſas literas cum reſcribi propediem a me oporteat, quis ſit is *Carpzovius*, & quo fungatur munere, Academicone,

cone, an alio quocunque occupetur in re publica, velim doceri. *Carpzovium* juris conſultum celebrem mihi fama jam pridem commendavit. Sed hunc e vivis jam pridem exceſſiſſe opinor. Vale 21. Februar. Hagae Comitum CIϽIϽCLXXV.

EPISTOLA CCCXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SAlvus quidem domum redii, ſed reverſum tot exceperunt occupationes, ut officio fungi tibique debitas gratias perſolvere pro benigniſſima tua voluntate, qua me accepiſti, non potuerim. Nullus illuxit dies, qui me non admonuerit tuorum in me meritorum, & verbis dumtaxat, ſi rebus non licet, gratum memoremque animum tibi probare. Sed quotidie meum ſcribendi conſilium aut nec opinae ortae remorae, & negotia, quae differri non poterant, aut amicorum ſalutationes, aut intempeſtivae quoque adventorum interpellationes retardarunt. Tui Scazontes tantum abeſt ut bilem mihi conciverint, ut potius tuam mirer bonitatem, qui non gravius accuſaveris meam tarditatem. [1] *Fridericus Benedictus Carpzovius* publice docet in Academia Lipſienſi Hebraeas litteras. Parens ejus paſtor fuit urbis illius eruditus & facundus, frater celebris Juriſconſulti. Quae de Reineſianis ſcriptis te docuerit pervelim certior fieri. Novi hîc quod ſcribam nihil eſt. A *Magliabeckio* habui hiſce diebus epiſtolas ad Atticum *Victorii* editionis noviſſimae, gratum hercle munus & deſideratum, nec non *Majoragii* libellum, quo defendit Ciceronem contra *Calcagninum*, & diatriben *Noriſii*, qua Plautino ſale perfricat Macedonem adverſarium ſuum. Iſtos libellos mihi attulit *vander Duſſen* Delphenſis. Vale, vir Summe, & propediem expecta prolixiores. Nunc tabellarius avolat. *Hogerſium*, qui hiſce diebus mecum fuit, te vidiſſe puto. Iterum iterumque vale. Trajecti ad Rhenum a.d. v. Februar. CIϽIϽCLXXVI. Jul. Accipis hîc nummum Patini.

1 Errare puto Clariſſimum Graevium; Hic enim *Fredericus Benedictus Carpzovius*, fuit *Johannis Benedicti* Profeſſoris Theologi celeberrimi apud Lipſienſes quintus filius, Polyhiſtor & Maecenas eruditorum celeberrimus, Senator & Aedilis Lipſienſis, cujus auſpiciis, conſilio & opera Acta illa Lipſienſium eruditorum maxime fuere prodita, & qui obiit xx. Maii. Anno 1699. ut didici ex Epiſtola *Chriſtiani Junckeri* ad *Joan. Georg. Pritium* de obitu *Frider. Benedicti Carpzovii* eo anno Schleuſingae edita. vide & Act. Lipſ. 1699. Junio. p. 288. Epiſtolas ejus & *Heinſii* mutuas elegantiae, & rerum, Hiſtoriam literariam illuſtrantium, pleniſſimas, in hac etiam Sylloge locum reperturas ſperamus,

EPISTOLA CCCXXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ITa eſt, ut narrabam proxime, mi Graevi, *Fred. Bened. Carpzovius* litteras nuperius ad me dedit, perquam officioſas ſane, & laetarum rerum nuntias longe exoptatiſſimas, addito litteris faſciculo, qui nonnulla apud Saxones in lucem recens prolata complectebatur. Diſſertationes videlicet doctiſſimi *Thomaſii* de Stoica mundi exuſtione, tum ſciographiam Hiſtoriae Aethiopicae, quam luculentam *Job. Ludolfus* de Abyſſinorum regno ac rebus paratam praelo jam nunc habet: Sed quod praecipua voluptate me perfundit, accedebat ſpecimen operis Reineſiani veterum inſcriptionum typis jam deſcriptum: quod integrum auſpiciis Sereniſſimi Saxoniae Electoris juris publici mox faciendum jubemur ſperare. Addit idem *Carpzovius* occupari ſe in edendis *Reineſii* ejuſdem variis lectionibus, poſt curas primas egregie adauctis; de ſecundo tamen ejuſdem libri tomo hactenus, ut ſcis, deſiderato vellem certiora ſubjunxiſſet. Addit alia, quibus commemorandis nunc ſuperſedeo. Ego certe viri hactenus mihi ignoti humanitatem & munificentiam ſingularem exoſculor tenerrime. Scazontes hîc habes, ut ipſe illos & uras & ſeces pro arbitrio. Aequo enim animo feram hoc omne, dum te placatum experiar. viderer pro jure meo egiſſe tecum, etſi liberius aliquanto, niſi & ego jam dudum elegos tibi deberem, quos vindicare credo voluiſti. Vale Hagae Comitum 19. Februar. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EUangelium pro tot rebus laetiſſimis & longe acceptiſſimis, quas de Reineſianis inſcriptionibus mihi narras, nimis diu tibi debeo, Heinſi meum decus. Sperabam ἀγαθὸν δαίμονα mihi quoque aliquid oblaturum, quo poſſem tuam remunerari liberalitatem, ſed mihi nondum licuit eſſe tam beato. Quod enim narrem dignum tuis auribus de re litteraria nihil ſuccurrit hoc tempore. Specimen Inſcriptionum operis Reineſiani videre ſane quam cupio. Utinam ſecundus etiam variarum lectionum Tomus lucem videret, & quae de Hiſtoricis Graecis & Medicis antiquis litteris ſe conſignaſſe olim teſtatus eſt. Expecto reliqua, quae tibi ſignificavit *Carpzovius*, quibus commemorandis nuper ſuperſedebas. Scazontes tuos, etſi ſatis acri ſale perfricent miſellam Cretam,

&

& ejus promiſſores, mirifice me tamen delectant. Tanti hercle fuit differre promiſſa, ut Scazontes tam argutos, tam lepidos & plane Heinſianos, hoc eſt, plenos ſalis & urbanitatis potuerit haec diuturnior advocatio elicere. Si Muſae me non hoc diu deſiderato honore dignantur, ut illorum in numerum referar, qui meriti ſunt elegis tuis immortalitati transſcribi, poſſum contentus eſſe vel hoc Hipponacteo praeconio, in ultimo quodam libellorum tuorum angulo. *Iſaacum Voſſium* prima hirundine ad nos advolaturum ex Britannia ſunt, qui nobis perſuaſum velint. De nupero praelio marino in mari infero pugnato nihilne ad te Magnus Dux? *Schefferi* diſſertationes Academicae ecquando perferentur ad nos. In Vellejo Paterculo praeclara ſunt, quae de Cn. Domitio propraetore obſervaſti. Sed in capite LII. lib. II. vereor, ut poſſis probare elegantioribus hominibus tuam emendationem *immunes Martis dimittere*: immunes malorum, calamitatum ſaepe legitur apud ſcriptores idoneos, ſed immunes Martis dimittere, puto, a Latina lingua eſt alienum. Immunes in militia dicebantur non exauctorati & dimiſſi, ſed qui veteranorum nomine ſub vexillis in caſtris habebantur; ſoluti omnibus muneribus militaribus, niſi cum in campum eſſet deſcendendum, & manus cum hoſte conferendae, quibus opponebantur *munifices*. *Bello dimittere* Latini ſcribunt, dicuntque: ſed *immunem belli dimittere* nemo dixerit, aut ſi quis diceret, ſi recte loqueretur, eſſet veteranum ſacramento ſolvere, ſeu exauctorare. Mallem legere: *quam omnes impune dimitteret*, non in illos ſaeviret poſt victoriam, quippe qui clamarit, *parce civibus*. Verbum militare eſt *dimittere*, ut bene Voſſius notavit. Cap. LXXXI. pro *ejus relicti erant publici*, emendas *ejus reſecta erant publica*. Invitus a te diſſentio, cujus ſollertia tot argumentis mihi eſt perſpectiſſima. Poſſem in tuam diſcedere ſententiam, ſi a ſcriptoribus ſolutis pedibus *publica* pro agris vectigalibus accipi meminiſſem. Sed tamen, dum haec ſcribo & omnem meam replico memoriam, ſubit locus Suetonii in Vitellio cap. 7. *Sinueſſanos Formianoſque; quorum publica vectigalia interverterat, non niſi terrore calumniae amovit.* & illud Horatii: *Pars hominum geſtit conducere publica*. Itaque do vela retro & tuam exoſculor emendationem, *ejus reſecta erant publica* hoc ſenſu, vectigalia, quae ex agro Campano redibant reipublicae, reſecta erant, quia illum agrum militibus aſſignaverat, ſed penſavit hanc jacturam aerarii vectigalibus Cretenſibus. *Publicum* ſaepius in hac notione apud Hiſtoricos Latinos reperitur, quam *publica*: ut *exercere publicum* apud Suet. inde *publicani*. In libro II. cap. XI. tuae quoque ſubſcribo correctioni, modo pro *emeritumque virtute cognomen* ſcribatur, ut ante conjiciebam, *meritumque virtute cognomen*. nam *emeritum* pro *meritum* uſurpari non credo, niſi a te fuero meliora doctus. Libro II. cap. XXVIII. emendatio tua perquam ingenioſa, qua locum deploratum reſtituiſti, valde blanditur. Nec tamen auſim verbis conceptis jurare Velleji hanc manum eſſe & verba. Sed tua tamen conjectura propius abeſt a veſtigiis veteris libri, quam aliorum. Nihil certius quoque, quam quae tradidiſti de putidis gloſſis delendis in capite IV. & V. hujus libri. Libro I. cap. 2. rem acu tetigiſti. Verior emendatio non poterat ex ipſo tripode Delphico proficiſci. In libro II. cap. VI. legitur:

gitur: *Quo die ſingularis Pomponii equitis Romani in Grachum fides fuit, qui more Coclitis, ſuſtentatis in ponte hoſtibus, ejus gladio ſe transfixit.* Senſus hujus loci eſt obſcurus, cum neſcias τὸ *ejus* referendum ne ſit ad Coclitem, an ad Gracchum. Videtur ſenſus poſtulare, Gracchi gladio ſe Pomponium transfixiſſe. Sed Gracchi, qui fuga ſalutem quaeſierat, gladius unde Pomponio? Non in eodem loco morabantur. Si tantum interpunctionem leviter immutaveris, ſalva erunt omnia. Sic enim ſcripſit Vellejus: *Suſtentatis in ponte hoſtibus ejus, ſe gladio transfixit.* De Sciaſſiana hereditate nihilne audis? Vale, vir ſumme, & me ama, ac in poſterum crebriores a me expecta. Trajecti ad Rhenum a. d. XIX. CIƆIƆCLXXV. Julian. Habes hîc litteras a *Perizonio* noſtro, cui ſi potes tua commendatione hunc, quem meretur, locum exambire, immortali beneficio juvenem elegantis ingenii tibi devincies, & bene de litterarum ſtudiis mereberis. Ampliſſimo *Terburchio* & Nobiliſſimo *Selemio* ac *Naeldvicio*, ſi quando eos videris, ſalutem ut meo nomine dicas, rogo.

EPISTOLA CCCXXIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NOn eſſe differendum reſponſum ad *Perizonii* noſtri ſuaviſſimas ratus ſum, ne ſpem ille vanam in me collocaret: neminem enim prorſus habeo, in illo Brabantiae tractu, ubi vacare profeſſionem artium bonarum is aſſeverat, apud quem aut gratia aut auctoritate quicquam poſſim. Si poſſem, illi prae caeteris officia mea ſtuderent. impende, quaeſo, omnem facundiam, ut hoc mihi credat tibique juvenis ornatiſſimus Tentavit jam pridem ſuper re eadem per littteras *Jacobus Tollius*, atque idem reſponſum tulit. Et haec quidem hactenus. Jucundiſſimis tuis nonnihil reponam propediem, nunc narro me recentem eſſe a morbo graviſſimo, quem funeſtus multum adauxit nuntius de exceſſu *Caroli Dati*, in quo unicum & ultimum amicorum Italorum amiſi. Ita me paullatim efferri ſentio, mi Graevi, in cariſſimis capitibus. De *Sciazzii* ſupremis tabulis nihil omnino. unde fit, ut ſuſpicer ipſum *Gudium* propediem huc eſſe venturum. Tu vale, & diurna cum tuis. Hagae Comitum. a. d. 11. Mart. CIƆIƆCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA CCCXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ACcipis hîc Catalogum illum librorum, quos hîc in auctione venum propoſituros eſſe *Culenburgii* heredes olim tibi ſignificavi. Sed ſpes deludit hiantes. Eſt enim farrago librorum non magnae rei. Si quos tamen ex iis tibi forſan addictos velis, fac mature reſciſcam, ut tuae poſſim ſervire voluntati. De Sciaſſiana voluntate perlatum ad me eſt, reſciſſa eſſe in noviſſimis tabulis priorum legata, ſi non omnia, ſaltem quibus me ornaverat. Te ſpero reſpexiſſe benigniores deos. In Petronio egimus aliquando de hoc loco: *Sed per ambages Deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum praecipitandus eſt liber ſpiritus.* Tibi videbatur rectius legi, *Deorum myſteria*, & *ſententiarum ornamentum.* Sed *Deorum miniſteria* non rejecerim, quod poëtae deorum miniſterio pleraque agi & adminiſtrari canant, ut apud Homerum modo hic, modo ille deus mittitur ad res turbandas, aut in tranquillum collocandas. apud Virgilium Juno Aeolum incitat in Aeneam, Venus armat Cupidinem in Didonem. In hoc ipſo carmine Petronii Pluto Fortunae utitur miniſterio in bello civili excitando. Nihil in omnium poëtarum libris eſt frequentius, qui omnes fere animoruw motus excitari & ſedari Deorum miniſterio fingunt. Sed *ſententiarum ornamentum* perplacet. Vale, vir perilluſtris & me ama. Trajecti Batavorum a.d. XXI. Februar. CIↃIↃCLXXVI. Celſi rogo memineris, ubi ſcribes ad *Bigotium.*

EPISTOLA CCCXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUantae res humanas verſant viciſſitudines! quam nullum gaudium non dicam perpetuum, ſed diuturnum nos gaudere ſinit impotentia & crudelitas fortunae, quae ſemper ex noſtro dolore ſibi ludos facit. Vix nuperius laetiorum rerum aura nos adflaverat, cum ſtatim turbines, procellae, foediſſimaeque tempeſtates quaſi agmine facto irruunt. Nondum compoſueramus animum confuſum acerba morte *Octavii Falconerii*, cum denuo in lacrymas eſt eundum, quas longa dies vix compeſcet. Nam recens hoc & grande vulnus, quod inexpectatus obitus *Caroli Dati* nobis inflixit, non facile coibit, tanta eſt jactura, quam in illo fecimus. Ingenii ejus elegantiam, ac ſuavitates, vitae integritatem, candorem, voluntatem prolixam erga omnes, quos aut probitas,

tas, aut bene de litteris merendi ſtudium ei conciliaverat, ſemper ego amavi & ſuſpexi plurimum. Ereptus mihi eſt amicus, qui nihil non mea cauſſa volebat, & ſtudiis meis, quacunque ratione poterat, commodabat. Licet tibi longo plurimorum annorum uſu fuerit conjunctior, non tamen flebilior tibi occidit, quam mihi. Acerbitatem hanc exaſperat graviſſimus morbus, in quem te ſcribis incidiſſe: nec ſatis etiam nunc ex illo convaluiſſe. Sed ſpero tamen, cum meliuſcule ſit, te propediem firmum fore. Non ante potero animum moerore fractum colligere, quam te reſtitutum priſtinae valetudini intellexero. Deum interea precibus fatigabo, ut hujus voti me quamprimum compotem faciat. Si me vis vivere & valere, fac ut crebro de tuae valetudinis ratione certior fiam. Nam in tua ſalute meam verti decrevi. Apud *Perizonium* cauſſam tuam agam. Cura valetudinem tuam diligentiſſime. Trajecti Batavorum a. d. XXII. Februar. CIↃIↃCLXXVI. Julian. *Trelſius* tibi ſalutem dicit, qui duos ipſos menſes ex pedibus & manibus laborat.

EPISTOLA CCCXXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

EXcidiſſe te tabulis amici noſtri ſupremis ne quid indigneris, narro non mei illic majorem, quam tui rationem eſſe habitam. Nimirum [1] fabricator doli araneas iſtas ſoli ſibi diviſas & praedam omnem eſſe voluit. Noviſti illud in apologo, *quia rex ſum Leo*: hac caſtigatione loci male affecti ſemet ipſus pulcherrime expreſſiſſe viſus eſt architectus & modimperator tabularum. poſſunt nunc, ſi me audiunt criticorum patres conſcripti, jure optimo exſibilare fungos forenſes & naſutiſſimis rabulis oppedere, qui ſecum natas, ſecum interituras artes captatorias gloriabantur. *Niropium* certe Hagani, quod ſcis, fori Tribonianum nuper, atque tunc inter heredes principis loci virum, tanto frigore percuſſit machinatione hac *Bomius* noſter, ut vix inſpectis tabulis, ad primum tam horrendi carminis auditum & hereditatibus captandis, & vitae humanae ſupremum vale dixerit vaferrimus ſenex. Audio tamen teſtatoris defuncti agnatos proximos in eo nunc eſſe, ut contendant hereditatis triente fraudari ſecundum leges Holſaticas ſeſe haudquaquam poſſe. Qua propter e bonis defuncti, quicquid hîc terrarum inveſtigari oculis Lynceis poteſt, id omne mordicus illi arripiunt; quod & ipſum fatum videtur ſubiturus haereditatis involator, ſi huc venerit. Sed, ut circumſpectus eſt, vitabit laqueos, nec temere ſe credet tam aduncis manibus. Haec ſunt, quae in rem tuam conferri poſſe videbantur ſolatia, mi Graevi, Valetudo mea pro anni tempeſtate, lentis paſſibus in melius procedit. a *Bigotio* copioſas habui, qui plurima te ſalute

im-

1 *Marquardus Gudius*, qui *Sciaſſii* olim Rector & comes, poſt itinera varia, ipſi perſuaſerat, ut in Holſatiam ſecum concederet, ubi defunctus illum heredem inſtituit.

impertit: Catalogus Bibliothecae Trajectinae inter codices MS. cum Palponiſtam exhibeat, vide ſodes quid de illo volumine *Daumio* noſtro polliceri debeamus. Si vulgatis libris auctiorem invenies, pro magno theſauro carbones iſtos venditare poteris, & ingens praemium a viro ſperare, frivolorum iſtorum percupido. Vale, Hagae Comitum 6. Mart. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCXXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

VAleant captatores & tabulae, modo tu valeas. Tua enim ſanitas mihi pluris eſt, quam quicquid nummorum in arcam noſtri amici congeritur. Nae ille ſolas non ſtulte litterulas didicit, & non tantum artem tenet veteres codices emendandi, ſed & novos faciendi longe ſibi utiliſſimos, qui rectius tradunt omnes rationes auri argenti aeris flandi feriundi, quam quicquid unquam ab omnibus ciniflonibus memoriae proditum eſt. Non eſt ut exprobrent in poſterum Criticis ſuum in rebus inanibus, nec ſibi, nec aliis profuturis rebus, ſtudium. Abſolvit hoc crimine nobiliſſimam artem, & poteſt vicinis ejus Hamburgenſibus nunc os obturari, qui olim civem ſuum, quod in hac arte, ſumtum ſuum non excercenti, conſumeret aetatem, conjecerunt in vincula. illa profecto nunc caput in ſydera tollet, & jubebit plorare Punica negotiatorum ingenia, quae vix tantum argenti multorum annorum curis & miſeriis poſſunt facere, quantum illa brevi temporis momento in ſinum ſui cultoris largiſſime infundit. Frendeant licet & rumpantur haeredipetae Hagani, noſter vanas hominum curas ridet, & partis fruitur. A *Bigotio* quae nova habes, & *Carpzovio*, quaeſo ut mecum communices propediem. Sum enim avidiſſimus audiendi. Tu vero cum haec narraveris, animum abduces a luctu, nec tibi, nec quem luges, profuturo. Palponiſtam jam olim contuli cum vetere noſtrae bibliothecae codice, ex quo non ſolum emendari poteſt in locis plurimis, ſed & augeri. Communicavi haec pridem cum *Daumio*. In auctione cras invigilabimus tuis commodis. Gyraldum nondum inſpexi. Sed de his propediem certiora. Vale, Princeps ingeniorum, & fac quamprimum de tua valetudine & rebus litterariis certior fiam. Trajecti Batavorum prid. Kal. Mart. CIↃIↃCLXXVI. Julian. Cum has ſcripſiſſem, perferuntur ad me a bibliopola lectiones *Schefferi* Academicae perluſtrandae. Delibavi illas tantum fugitivo oculo, ſed vereor ut tibi ſe probent, praecipue quae ad Tragurianum fragmentum notavit. *Trelſchius* tibi ſalutem dicit. *Hogerſius* Hagae oppreſſus morbo gravi decumbit, in aedibus uxoris *Rippendae*.

EPISTOLA CCCXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

De variis *Reineſii* lectionibus hoc tantum ad me *Carpzovius*, eas auctiores atque emendatiores a ſe praelo nuper commiſſas eſſe. De ſecundo tomo nihil addit. Sed ſi fiet, ut reſponſo meas dignetur, reſciri omnia plenius poterunt, quando illum ſum percunctatus, quid de tomo ſecundo ſperandum nobis. Addebat de *Loccenii* antiquitatibus Suecicis Hiſtoriaque, typis reſcribi apud Saxones coepta. Moliri & amoenitatum juris Menagianarum editionem Typographos. Scazontas cave aliter interpreteris, quam ludum inter duos periturum. debere Elegos pergo, quos, etſi tarde procedentes, ne crede tamen quicquam rei habere cum Scazontibus. Lectiones Academicas *Schefferi* tandem hîc vidimus, ſed exemplar, quod erat unicum, auferebat Ampl. *Terborchius*. Apud Vellej. lib. II. cap. 52. quoniam improbatur tibi, *immunes Martis dimittere*, abeat in malam rem conjectura haec: ſuſpicabar aliquando ex ultima ſyllaba in *omnes* & *partes*, pro *& partes* faciendum *expertes*. Ut fuerit, *damni expertes*, vel *munerum expertes:* nam *munera* pro oneribus aliquando. *duri fugientem munera belli*, habes apud Naſonem, & apud Lucretium, *fera munera militiaï*. Cap. 81. *De reſectis publicis* non muto ſententiam. Apud Naſon. v. Faſt.

Vindice ſervabant nullo ſua publica vulgus,
Jamque in privato paſcere inertis erat.

Sic reſtituiſſe me memini e ſcriptis, cum vulgo legeretur, *ſua paſcua*, ubi & plura annotavi. Hinc aediles *Publicii*, quia haec *publica* curabant. Lib. II. cap. II. *emeritum virtute cognomen* ſum amplexus, quod *emereri* illo aevo pro mereri in uſu fuiſſe frequentiſſime haud me praeteriret. apud Naſonem Epiſtola Hypſipyles

Quid refert, ſcelerata piam ſi vincit, & ipſo
Crimine dotata eſt, emeruitque viros.

Ita enim meliores ſcripti conſtanter. ubi perperam nonnulli, *demeruitque*, ut illic diximus. Tibullus I. Eleg. x. 59.

Nec laſciva ſoror dicatur plura bibiſſe
Pocula, vel plures emeruiſſe viros.

Lib. II. cap. 6. *hoſtibus ejus, ſe gladio transfixit*, omnino amplector. Talia multa apud illum ſunt tranſpoſita. Sed jam aures credo callum duxerunt tibi, tot auditis in Vellejum frivolis caſtigationibus, quare manum de tabula. Ad *Perizonium* cum ſcribes, quaeſo, ex te intelligat, egiſſe me cum nonnemine viro primario urbis Silvae Ducis. Illum autem aſſeverare vanos eſſe rumores de profeſſione humaniorum litterarum iſtic loci vacante. Nobil. *Zeelhemius* cum Principe, puto, ad vos eſt profectus. Fratris ejus fortunae, quod nolim, malo loco

loco pergunt eſſe, & tantum non conclamatae. Mors repentina *Caroli Dati*, quanto maerore me confecerit vix eſt ut verbis exprimatur. Ne nunc quidem, cum virum cogito, a lacrymis temperare poſſum. Libris illis, quos magno numero ad illum ſimul ac *Falconerium* mittebam ante menſes ſex ſeptemve, quid factum ſit, hactenus ignoro. Oravi itaque *Laurentium Panciatichum*, ut ne gravaretur ſignificare, ecquid ſalvi in Etruriam perveniſſent. Eorum indicem, quos in Culenburgiana auctione coemptos volebam, accepiſſe te opinor, & de Gyraldo prae caeteris tibi curae fore. Nunc ut oraculum tuum in tranſcurſu conſulam, doceas me, rogo, ecquid notaveris lectum tibi apud Graecos quoſcumque σέμνον pro parvo uſurpari. *Bigotius* narrat capitularia Regum Francicorum a *Baluzio* propemodum ad finem eſſe producta, duobus ingentibus tomis. Quibus acceſſurum ſit quicquid ejus argumenti a *Pithoeo*, *Sirmondo*, aliis. Eumdem *Baluzium* occupari in edendis Innocentii III operibus. a *Guſſanvillaeo* Gregorium Magnum e MSS. recognitum edi, & ab eodem Ambroſium. Scriptores uſibus Delphini inſervituros frigide diſtrahi: unde fiat, ut Typographi a reliquis, qui ſuperſunt, edendis deterreantur. haec fere ille. Amico noſtro ſordere codices antiqui merito cepere, quando per compendiariam cum codicillis optime illi convenit, in quibus deſudandum eſt minus. Laudarem inſtitutum critici noſtri acutiſſimi, niſi reliquos criticos plorare juberet. Vale XI. Mart. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Carpzovium amo cum operam navat Inſcriptionibus *Reineſii*, & Variis ejus lectionibus auctius atque emendatius edendis. Utinam & tomum ſecundum, & Paralipomena de Hiſtoricis Graecis, nec non quae de Medicis veteribus commentatus eſt, in lucem protrahat. In ſcriniis ȣ πάνυ latuiſſe diatribam de Lingua Punica infinitis acceſſionibus locupletatam mihi eſt exploratiſſimum. Vellei locum libro II. cap. LII. nondum perpurgatum eſſe puto. Si quae certior conjectura tibi pro tua ingenii ſollertia ſuccurret, nihil mihi gratius accidet, quam ſi eam mecum communicaveris. Sed in capite LXXXI. de *reſectis publicis*, & in lib. II. cap. XI. de τῷ *emeritum virtute cognomen* plane in tuam diſcedo ſententiam. Omnem ſcrupulum mihi exemiſti; quamvis hiſtoricos ſic locutos eſſe non meminerim. Σεμνὸν pro parvo accipi non mihi quiſquam perſuaſerit. cum contra ea σέμνὸν ab Heſychio & Suida exponatur μέγα, quod veriſſimum eſt, & multis poſſet declarari exemplis, niſi res eſſet pervulgata. Novi quidem Eumenidas dici σεμνὰς Θεὰς: novi apud Ariſtophanem ἀλάζονας dici σεμνȣ̃ς, & Penelopen a Lycophrone dici βασσάραν σεμνῶς κασωρεύȣσαν, *meretricem ſtrenue ſcortantem*, ſed σεμνὸν eſſe parum πȣ̃ κεῖται; ſane qui hoc me do-

 cuerit

cuerit magnus mihi erit Apollo. Conclamata *Hogerſii* valetudo, quae & aliorum litteris mihi nunciabatur, moerorem, quem conceperam ex morte *Caroli Dati*, vehementer auxit, ut dolore poene exanimer. Tantillo temporis ſpatio tot cariſſimorum capitum, in tanta penuria, facere jacturam ferri ſane moderate non poteſt. Deus ſpero reſpiciet *Hogerſium*. Nihil heri hodieque de illo accepi, ut ſpe quadam melius conſtitutae nunc valetudinis tenear. Ea ne me fallat deus faxit. Gratiſſima habeo quae narras de *Baluſio*, aliiſque Gallis. Ego quod reponam nunc nihil habeo. Accipis hîc catalogum librorum, qui brevi vendentur hîc, ut vides. In auctione nupera quos deſiderabas habemus omnes, praeter *Sylvii* progymnaſmata peſſime habita, & [1] *Simonem Simonium* de Nobilitate, quem intercepit quidam Delphenſis. Is liber non videbatur mihi a viro polito ſcriptus. Docuerat morum diſciplinam Lipſiae, ante hos quinquaginta annos. Multa corraſerat, ſed nullus nitor, nulla vis in ejus ſcriptis. Poterit tamen, credo poſſeſſori extorqueri, ſi tanta illius habendi te tenet cupiditas. Hominem enim novi. Libros, quos emimus tibi, Hagam proximo die Jovis mittam, ſi juſſeris. Sin malueris Vianam curari, aut hîc tuum adventum illos praeſtolari, tuae voluntati, ubi de ea certiores erimus futuri, ſatisfaciemus. De *Hogerſio* ſuperetne, an ad plures abierit, quod Deus avertat, pervelim ſcire quamprimum. Nob. *Trelſchius*, quem etam nunc arthritis affigit lecto, tibi ſalutem juſſit praeſcribi verbis amantiſſimis, ut & *Serviſius* & *Maerſebroekius*. Vale, vir ſumme. Trajecti in Batavis a. d. IV. Mart. CIↃIↃCLXXVI. *Bigotium* rogo ut meo ſalutes nomine. Spero ad illum jam perlata eſſe exemplaria Meurſianarum antiquitatam, quae *Elzevirius* ad illum curavit. Celſi Lugdunenſis velim memineris. Iterum vale, meum praeſidium & decus.

1 Medicum fuiſſe & patria Lucenſem, ſed religionis cauſſa ſolum vertiſſe, Lipſia vero abiiſſe in Sileſiam & Moraviam, & inde in Poloniam ſe Antitrinitariis junxiſſe tradit *Verton* des, Satyres Anti. T. II. pag. 218. An ſit idem *Simon Simonides*, cujus poëmata aurea, ut dicit, & cum antiquitate comparanda, edidit *Joach. Morſius* Lugd. Batav. 1619. neſcio, nec videtur. Nam licet & in Polonia, & ſub patrocinio *Joannis Zamoſcii* vixiſſe ex Poëmatis appareat, tamen aetas vix congruit. Lites enim *Simonius* cum *Jacobo Schegkio* habuit jam Anno 1569. *Simonides* vero ille Anno 1613. dicit ſe prope attingere annum ſexageſimum. forte ejus filius fuerit. Sed nihil adfirmo. vid. *Lipſi.* v. Cent. Miſc. Ep. 57. & *Buchner.* parte II. Ep. 63. & 116.

EPISTOLA CCCXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SUb horam ſecundam noctis proximae e vivis exceſſit noſter *Hogerſius*, in flore aetatis raptus, cum annum quadrageſimum ageret. Nec aliud exſpectandum videbatur, ut ex ultimis meis reſcire potuiſti: defuncti uxor, lacrymis tota diffluens, nec ſolatia admittens, miſerum praebet ſpectaculum. hoc

pro

pro noſtra conſuetudine ſignificandum duxi, cum aliud nihil in promptu eſſet, quod nuntiarem. XIV. Mart. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DE exceſſu *Hogerſii* noſtri immaturo tecum agebam heſterno die. Obiit etiam in Etruria *Franciſcus Rhedius*, qui etſi ea aetate non erat, ut noſci a me potuerit, cum ante annos hos XXIV in Italia peregrinarer, tamen ex ſcriptis mihi erat compertiſſimus, quorum pleraque perferri ad me voluerat ipſe, conciliante nos *Dato*. Diem alterumque exemit mihi jucundiſſimis ſermonibus noſter *Francius*, adducto ſecum comite *Brouckhuſio*, poëta non humillimi ſpiritus, ſi hominem forte noſti. Gyraldi opera cum caeteris libellis, quod mihi vindicaſti, eſt cur tibi debeam non parum. Apud te ſerventur velim, dum aut adſim ipſe ſub dies feſtos proximos, aut quid iis cupiam fieri ſignificem. e catalogo, quem hodie a te accepi, nonnullos in calce epiſtolae videbis deſignatos, quos ſi pretio ſalubri mihi addicendos curabis, geminabitur beneficium. τὸ σευνος non poſſe capi pro parvo quod aſſeveras; comprobaſti opinionem meam. Vellejum facere miſſum jampridem animus erat, niſi aliud nunc agenti locus ſe offerret lib. II. cap. 57. *Li'elli conjurationem nuntiantes, dati ab eo, neque protinus lecti erant*: turbata eſt nonnihil orationis ſeries. forte tranſponendae voces, *neque protinus ab eo lecti erant.* Sed verius ex *dati* refingendum eſſe *dilati. libelli &c. dilati ab eo, neque protinus lecti erant.* multa de hoc loquendi modo ad Naſon. Met. V. fabula Ruſticorum in ranas mutatorum. *Diſtulit ira ſitim*, ubi *ſuſtulıt* ante legebatur. In Fragmento Petronii Traguriano memini conjecturam meam, cum tibi obiter aperuiſſem, non fuiſſe ſatis approbatam. Nunc experiri libet, ſi idem negotium felicius mihi ſit ceſſurum: Nicerotis verba ſunt in convivio Trimalchionis cap. LXI. *Cum adhuc ſervirem, habitabamus in vico anguſto (nunc Gavıllae domus eſt) ibi, quomodo dii volunt, amare coepi uxorem Terentii cauponis, noveratis Meliſſam Tarentinam, pulcherrimum bacciballum.* Illud *bacciballum* vocabuli monſtrum eſt, monſtroſum aeque Reineſii *Caſſalbadium.* Cenſebam igitur fontem erroris inde fluxiſſe, quod librarius ſollemni errore unam ſyllabam geminare neglexiſſet, antiquitus videlicet exaratum fuiſſe *bacciciballum.* hoc eſt *Bacchi cymbalium.* ſingula videamus: *Bacci* & *Baci* pro *Bacchi* paſſim occurrit in antiquiſſimis membranis. *Ciballum* pro *Cymbalium* non eſt magnae mutationis. *y* in *i*, & *r* in *l* degenerant promiſcue in priſcis monumentis: amat praeterea haec diminutiva impenſe Arbiter. Sic *Schedium Lucilianum*, *ſeſama in catillis*, *corymbium*, *mactrilla* & ſimilia. Lenaeum Grammaticum Suetonio dici *Cymbalum juventutis*; Appionem Grammaticum Tiberio *Cymbalum mundi* potes recordari. Sed iſta minus ad rem faciunt. Si liberet argutari, poteram

 con-

contendere videri alluſum ad κύμβος, cavum receſſum. Sic & *patellae* id genus feminae dictae. *Cymbalum* vocat Meliſſam, quod eſſet cymbaliſtria. Vides Terentii coponis uxorem, copam & ipſam. Copae autem plerumque ad oblectandos compotores, aut fidicinae aut crotaliſtriae erant, aut ſimilium quid artium callebant. Talis & *Copa Syriſca* in Catalectis. *Bacchi* igitur *Cymbalium* Meliſſa haec, quod cymbalo, ut dicebam, Bacchicum ſodalitium, potores oblectaret, vel etiam quod cymbaliſtriam ageret in ſacris Bacchicis. Vetus inſcriptio apud Gruter. pag. CCCXVIII. 2. *hic ſita eſt pupa & famula Bacchi Cymbalis.* id eſt, ut ego interpretor, Cymbaliſtria. Hiſce ſi non pervicero, quod volebam, plura in cauſſam meam dicenda non habeo. Vale, Hagae Com. 15. Mart. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ACerba optimi *Hogerſii* mors mihi perquam luctuoſa fuit. Nam ingenio erat optimo, moribus candidiſſimis & facillimis, ut omnibus eſſet in deliciis, niſi quorum inimicitiam ſecta, quam ſequebatur in republica gerenda, ei conflaverat. Accedebat eruditio minime vulgaris. Nam & carmina pangebat, ut noſti, terſa & naturali quadam pulchritudine nitentia. Viduam moerore confectam praeterito die lunae hîc vidi. Tantum & tam recens vulnus nondum poterat tractari. Hic annus, quem vix ingreſſi ſumus, perquam funeſtus nobis eſt, qui nobis tot cara capita eripuit. Faxit deus, ut his malis nunc ſimus defuncti. *Franciſcum Rhedium* non obiiſſe, ſed ex graviſſimo morbo recreatum eſſe, heri ad me perferebatur. Sed *Pollinius* Romae quoque deceſſit. *Octavii Ferrarii* Origines linguae Italicae prodierunt: & Proluſio XXXII Palladis turbatae arma, & XXXIII Veneta ſapientia, ſive de optimo civitatis ſtatu. Etiam *Petrus Paullus Boſca*, bibliothecae Ambroſianae Mediolani praefectus, edidit de ſerpente aeneo Ambroſianae Bibliothecae Micrologum. *Noriſii* libellum de nummo Domitiani indies expecto. Vidi ſpecimen inſcriptionum *Reineſii* Lipſiae a *Carpzovio* publicatum inſigne, quod deſiderium reliqua videndi meum vehementer accendit. In Vellejo Paterculo lib. II. cap. 57. mirifice tua mihi placet emendatio certiſſima, & ingenioſiſſime a te excogitata. Valde quoque blanditur in Traguriano fragmento *Bacchi cymbalium*, modo *cymbalium* legatur, ut *ſchedium*, *corymbium*. Si *cymbalium* non probabitur Criticorum filiis, poteris *cymbalum* commode retinere, pro quo ſcriptum fuit *ciballum*. Frequenter enim in geminanda eadem littera lapſos eſſe librarios tu non es docendus. *Cymbalis* in inſcriptione antiqua recte interpretaris *cymbaliſtria*. Non auſim quidem praeſtare Petronium ſic ſcripſiſſe, ſed nihil tamen, quod propius abſit a veſtigiis corruptae ſcripturae, & magis appoſitum huic

loco,

loco, a quoquam ſine ope vetuſtioris codicis facile poterit afferri. Nobiliſſimus *Zeleemius* me hîc nuperius inviſit in tranſitu, quem rogo ut meo nomine jubeas ſalvere, ut & ampliſſimum *Terburchium* & *Naeldvicium*, ſi vobiſcum fuerint. De *Grotio* nihil hîc audimus. Si quid habes, quaeſo ut nobiſcum communices. Vellejum nolim deponas, ſed me his deliciis, quas epulis Jovis praefero, paſcere crebro pergas. Vale, Heinſi incomparabilis. Trajecti ad Rhenum a.d. IX. Mart. CIↃIↃCLXXVI. Libros, quos petebas ex iis, qui modo venditi ſunt, omnes habemus praeter Xaverii vitam, Eraſmum de lingua, & iter Andreae, qui carius venditi ſunt.

EPISTOLA CCCXXXIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NOn potuiſſe me defungi conſolationis officio apud viduam *Hogerſii* noſtri vehementer quidem doleo. Dies Saturni erat, qui proximum hunc praeceſſit, quando matutinis horis proceſſi domo ſciſcitaturus, ut ſolebam, quo loco res eſſent amici decumbentis: cum in occurſu *Rumpfius* medicus me docuit jam exſpiraſſe noſtrum. Mox incidi in *Francium*, qui, quod mea potiſſimum de cauſa iter a ſe ſuſceptum aſſeveraret, totum mihi diem abſtulit. Die poſtero poſt exacta ſacra ſolemnia, nihil prius habui, quam ut ad miſerrimam viduam me conferrem, ſed illa jam ſeſe Haga proripuerat. Hoc quaeſo factum; cum occaſio feret, apud illam excuſa. ad Vellejum & Petronium quae proxime annotabam, non diſplicuiſſe tibi harum rerum judici ſanctiſſimo, eſt quod plurimum mihi gratuler. *Cymbalium* ſuavius & amatore dignius eſſe rebar, quam *Cymbalum.* praeſertim cum multum ſit in hiſce diminutivis Arbiter. In hoc ipſo Trimalchionis convivio ſenex ineptiſſimus margaritas Fortunatae uxoris *Crotalia* vocat, a *Crotalis* deducta derivatione. Quid ni ergo per Grammaticos liceat & *Cymbalium* a *Cymbalo* deducere? Sed quando fieri poterit propediem, ut coram confabulemur de ſtudiis noſtris, differam haec praeſtat in congreſſum noſtrum. Tunc & curae mihi erit, ut diſpungantur rationes noſtrae ſuper codicibus abs te nuperius meos in uſus coemptis. *Franciſcum Rhedium* laetor revixiſſe. Hunc enim *Francius* eſſe mortuum, cum de morbo tantum inaudiviſſem, prae ſe ferebat. Utinam & de *Grypenhielmii* exceſſu falſus ſit nuntius. Sed metuo, ne nimium ſit verus, praeſertim tot malis concinentibus. *Petri Grotii* res eodem manere loco pergunt. Excmit illum hactenus, ut ſcis, Judicis cenſurae valetudo pertinax, quae cum nihil intermittat, in eo nunc forum eſt, ut quando in jus non poteſt ambulare, alienis humeris illuc ut rapiatur. Nihil tamen ſuper hac re deliberati habemus. Corppium *Rittershuſii* dic ſodes ſi videris. Hujus enim in nuperis *Daumius* mentionem apud me facit. Impetus ille de ſcriptis *Reineſii* poſtumis edendis, praeſertim antiquis in-

ſcriptionibus, nonnihil videtur refrixiſſe. Certe *Carpzovius* in nuperis typographorum procraſtinationes multis incuſat, qui malint e ſcriptis Theologorum ac rabularum forenſium captare lucrum, armis praeſertim Saxoniam late nunc circumſtrepentibus. Videbis ipſas apud me litteras: cogito enim Vianam ſub tempus Paſchale, ubi ſi te dabitur ampleɛti, nihil erit, quod ultra exoptem. Vale, mi Graevi. 21. Mart. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCXL.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MItto quod pretii debebatur pro libris, quos in proximis apud vos auctionibus mihi licitatus es, Graevi Clariſſime. Nunc reliquum eſt, ut non libri tantum ad me perferantur, ſed tu quoque ut quamprimum adſis. Da, quaeſo, operam ne paucis, quos in hoc ſeceſſu, quo hodie demum veni, exigendos mihi propono, diebus ſine te tranſigantur mihi. ipſis libris ſi commentarium neſcio cujus de Scriptoribus Umbris, quem penes te reſtare opinor, addideris, quod tamen fiat tuo commodo, feceris rem pergratam. De caeteris coram. Vale, decus Muſarum. Vianae Kal. April. Gregor. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCXLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TAnta tuae ergo nos comitatis benignitatiſque eſt magnitudo, ut nihil fieri poſſit cumulatius, & jam pridem omnem gratiarum, quas referre noſtrae eſt opis, modum exceſſerit. Memoriam tamen tuorum ergo nos meritorum tibi ſemper praeſtabimus. Velleji loca, de quibus agebamus coram, domi excuſſi & perpendi accuratius. Pleraeque mirifice mihi arrident emendationes. Lib. II. cap. 47. ubi pro *invidia Pompeji male cohaerentis*, ſecutus ductum veteris codicis emendabas, *invidia potentiae aemulae, cohaerentis*: *Gruterus* hanc correctionem occupavit, quam tamen recte, mea quidem ſententia, rejicit *Voſſius*. *potentiae*, quod *Lipſius* animadvertit, omnino reponendum; reliqua bene ſe habent. Cohaerebat quidem concordia inter Caeſarem & Pompejum, ſed male cohaerebat non amore & mutua voluntate nixa, ſed quam Julia, ne diſſueretur, miris rationibus retinebat. Cap. 64. praeclare tu: *velut ſatiato Antonio poene finita fuit*. Sed *velut Lipſio* debetur. Cap. 69. recte quoque animadvertiſti excidiſſe vocem, reponendumque putabas: *inopinato claſſis Pompejanae adventu*. propter majorem affinitatem litterarum *claſſis* & *hoſtilis* mallem: *inopinato claſſis hoſtilis adventu*. Cap. 88.

Cap. 88. *Nec minora conſequi potuit, ſed non tam concupivit.* *Lipſius* quoque *non* tranſpoſitum eſſe conjiciebat, primaque verba tecum refingebat: *nec minora conſequi non potuit.* Sed ſi divides *nec* in *&* *non*, ut apud tuum Ovidium

Ora nec immunda mane lavabis aqua,

pro & ora lavabis non immunda aqua, videtur lectio vulgata ferri poſſe. Sed pro *non tam*, mallem, *ſed non tamen.* Cap. 111. *eorum vires evaſimus*, ubi tu malles *eluſimus*, Gruterus *exhauſimus*, Lipſius *invaſimus*; recte tuetur *Voſſius* allatis Tiberii verbis ex Suetonio, quibus teſtatur Baetonem iniquitate loci circumcluſum paſſum ſe eſſe evadere cum exercitu. Cap. 112. locum corruptiſſimum pulchre conſtituiſſe videris. Sed poëticum hoc *flaccebat* non ſatis meis auribus ſe probat. Cogitabam, quamvis paullo longius abſit ab edita voce, an ſcripſerit Vellejus: *Ita longe erat barbaris numerus ſuus*, ut apud Florum in libro ſecundo: *Longe illis triplex murus*, & ſic ſaepe ille ſcriptor & tuus Ovidius. Ad ſententiam hujus loci nihil aptius poterat poni, ſed num has voces poſuerit Vellejus non auſim praeſtare. Cap. 114 *fortunae eorum proximus*; non diſplicet *Voſſii* conjectura, *fortunae ſuorum proximus*, per ſuos intelligit Aemilios. Cap. 125. nihil certius tua emendatione: *ſtricta antiquaque ſeveritate uſus.* Sed ſequentia verba laborant prava diſtinctione, quae ſi emendetur, facile reſidebunt fluctus illi, quos in hoc ſimpulo viri docti excitarunt; ſcribendum, *ancipitia ſibi, tam re quam exemplo perniciosa, & his*, & quae ſequuntur. *ancipitia ſibi*, eſt ſibi periculoſa, quorum eventus erat dubius & incertus. In capite 109. *majori quam quod habebat operi praeparabat.* Num tu recte dici Latine putas *habere opus.* Apud Ciceronem quidem legitur *habere opus in manibus*, ſed ſimpliciter ſine adjectione alius nominis non occurrit hoc loquendi genus ſic uſurpari. Niſi praeceſſiſſet *agebat* id hîc reponerem: ſed nunc cenſeo ſcribendum: *quam quod gerebat operi.* Capite 66. num ibi probas *funebri auctoramento?* Plura vellem, ſed qui has feret tibi, properabat. Vale, decus meum grande & unicum praeſidium, Trajecti a. d. XXVIII. Mart. CIↃIↃCLXXVI. Dionyſ. Uxor pira mittit, quae vino ſunt mitiganda & condienda paſſis uvis minutioribus. Propediem te hîc expectamus. Veni, ſi nos amas.

EPISTOLA CCCXLII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

TU vero grates agendas mihi pro cetera ingenii tui benignitate cenſes, quaſi non acceperim longe plura, quam in vos hoſpites vere horarios, ut ſic dicam, ac fugitivos nuper contulerim. Uxor certe tua, matronarum optima, & ſub adventum, & poſt diſceſſum tam lectis muneribus me plane oneravit, nec iis vernaculis tantum, ſed tranſmarinis quoque ac exoticis, ſic ut Indos ipſos ac Seras ad me demerendum videatur exhauſiſſe. Vix a me diſceſſeratis, cum

cum gravi valetudine tentatus ſum denuo, ut facile daretur intelligi, medicinam in te profugiſſe e meo contuberno. Meliuſcule tamen nunc habeo, quod monendum duxi, ut literarum nonnihil a te elicerem: praeſertim ut cauſſam ſcires, cur de Velleio nunc non agam. fiet id cum bono deo proxime. x. April. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCXLIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Afficior ſummo dolore te gravi rurſus valetudine vexari, & moleſtiis illis Hagenſibus conflictari, per quas nec valetudini, nec litteris operam dare, ut maxime volumus, potes. Quando tandem liber ſolutuſque his curis tibi & rei litterariae vacabis; quae caret tamdiu tot egregiis operibus, quibus tu illam ſolus ornare potes & augere? Niſi in lucem prodierint, quae praeclare obſervaſti, infinita loca praeſtantiſſimorum ſcriptorum aeternis maculis foedata jacebunt, & tenebris obſita Cimmeriis. Nos Deum precamur, quod unice poſſumus, ut firmus valenſque ex his tricis brevi eluctetis, & quamprimum nos doceas, quae ignorabimus omnes, quam diu a te illa prementur. De republica nihil novi. Galli Philippopolin ad Rheni ripas ſitam commeatu & praeſidiis inſtructuri dicuntur receſſiſſe, quoniam omnes acceſſus obſederunt & valida munierunt manu Caeſariani. De *Grieffenfeldii* crimine nihil etiamnunc explorati habemus. Ejus bona jam ſunt publicata. ingens praeſentis argenti vis in theſauris ejus inventa. Vulgi rumoribus fertur illum cum Suecis & Gallis litterarum commercium exercuiſſe, iiſque arcana quaedam conſilia prodidiſſe. Sunt & qui jactitant inſonti has ſtrictas inſidias a proceribus aulicis, tantam potentiam hominis ex ſordidis initiis ad eminentiſſimum faſtigium brevi tempore provecti gravantibus. Sed tantum auri pondus tantillo tempore bonis artibus non videtur potuiſſe quaeri. Dies brevi ſecreta recludet. *Heidanus* Lugduni edidit librum acrem in Curatorum decretum, qui quo animo haec laturi ſint, brevi forte cognoſcemus. Pugnat pleraque, quae cenſoria virgula ſunt perſtricta, nec quenquam unquam Lugduni docuiſſe, nec docere potuiſſe, quia ſint abſurdiſſima: de mala fide & inſcitia illorum, qui haec obtruſerint Curatoribus, conqueritur graviſſime. Hae contentiones Academicae & Eccleſiaſticae vereor ne magnam calamitatem his terris importent. Animi plerorumque Bataviae & Selandiae incolarum in partes diducuntur, & gliſcunt diſcordiae indies. Reliquas provincias nondum hujus noxii ſideris vis afflavit, niſi quod nobis nonnihil noceat vicinitas Cremonae. Sed de his ſuperi viderint. Ex Germania ad me fertur quendam *Joachimum Kuhnium* animadverſiones in Julii Pollucis onomaſticon edidiſſe, & *Schefferum* notas in Juſtinum. Mythologos Anglos qui viderunt, narrant in iis eſſe quaedam Philoſtrati & aliorum ἀνέκδοτα, ut

ut magno videndi illos deſiderio tenear. Celſum Lugdunenſem miſiſtine ad *Bigotium?* Hic liber ſi qua ratione poſſit mihi confici illius opera, cujus mihi conficietur, vehementer gaudebo, & magnum ornamentum meae acceſſiſſe bibliothecae habebo. Vidiſtine unquam Chiliadem locorum Homericorum *Hartungi?* Laudatur ab iis, qui ejus vitam memoriae prodiderunt. Lectiones Venuſinas *Rutgerſii*, quas olim promiſiſti, ſi quando in tuas inciderint manus, rogo ut mecum communices. *Fumum* pro vaporibus, quod nobis nuper diſplicebat, ſcis in cujus hominis ſcriptis, video defendi poſſe Virgilii auctoritate, qui II. Georg. verſ. 217. de terra dicit feraci.

Quae tenuem exhalat nebulam, fumoſque volucres.

Ubi fumi ſunt vapores, ut etiam ſenſiſſe videtur Servius. In villa Tiburtina Manlii: *Turbare Satyram* erudite explicat *Gronovius* in diatribe, rejicit *vibrare Satyram*, quod jam olim *Scriverio* in mentem venerat. *Tota quies* tuetur quoque *Gronovius*, ſed in hoc loco tuae ſubſcribo ſententiae. In illis verſibus,

Et nunc ignaro forſan vel lubrica Nais,
Vel non abruptos tibi demet Hamadryas annos.

ignarae praecepit *Meurſius*. Refellitur a *Gevartio*, ſed ſi tuam emendationem ſequentis verſus cognoviſſet, in tuam ſane iviſſet ſententiam. *Alioſque in gurgite fontes*, vidit *Bernartius:* & *nigros invitant murmura ſomnos* etiam *Gronovius*. ſed *pigros* tibi debetur. De iſtis corruptiſſimis,

Quicquid & argento primum vel in aere Myronis
Luſit, & enormes manus eſt experta Coloſſos.

Aliquid a te expecto. Reliqua nuperius bene conſtituta ſunt: ſed in *Luſit* videtur aliquid ſordidi haerere, quod olim a te purgatum eſſe affirmabas; quod tamen tum ex memoria tua effluxerat, quam ubi collegiſti, quaeſo te ut me quoque doceas. Vale, vir ſumme. Communes amici te ſalutant & hîc expectant quamprimum. Iterum vale, Trajecti ad Rhenum poſtrid. Kal. April. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCXLIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri Amſterodamo reverti, tuaſque ſuaviſſimas noſtri mihi reddiderunt. Habes libros, nuperius emtos, & faſciculum a *Daumio* & *Francio*, nec non litteras a *Bigotio*, quas *Elzevirius* mihi curandas commiſit. Ipſe litteras accepi a duce *Montauſerio*, *Thomaſio*, *Daumio*, de quibus coram. Cras enim, niſi conclamata filiolae valetudo me retinuerit, te videbo. Nihil tuo complexu mihi eſt optatius. Coriolanum Cepionem de Mocenici rebus geſtis, & Majerum de volucri arborea mecum feram, interea nonnulla ex iſtis libris meum in uſum excerpam. Hodie prandeo cum Nobiliſſimo *Naeldvicio*, qui te ſalutat. Vale. ὡς τάχιςα. Trajecti a. d. III. April. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCXLV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MUltum equidem, & plus quam credas, me demereris tam crebra ſcriptione, flos amicorum illibate, quam ſedulitatem vel eo maxime collaudandam mihi eſſe intelligo, quod per valetudinem dejectam haudquaquam detur certare tecum in hoc officio. quippe cum hodierno die paucis verſibus conveniendus mihi per epiſtolium eſſet *Elzevirius*, labor tantillus me delaſſavit, ut eandum rurſus aleam ſubire temerarium omnino ac inconſultum videri poſſet. Binis igitur tuarum reſponſum a me debeatur licet, in pauxillos dies, dum vires erigo, nonnihil differam. de diſceſſu meo omnia ſunt incerta, quem tamen, niſi ſontica de cauſſa, non procraſtinabo, cum nec tu ignores eſſe, quae praeſentiam meam apud Haganos unice urgeant. Quo recta contendendum erit, amotis itinerum ambagibus. Te tamen ignaro abſit, ut pes ex hoc nidulo a me moveatur. *Francium* non vidi, cum tu alia omnia ſperare me juſſeris. Vale, vir elegantiſſime. Vianae a. d. XIV. April. Gregor. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCXLVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

LItterae tuae ad *Elzevirium* recte curabuntur hac veſpera. *Francium* quid tenuerit exputare non poſſum. Fidem enim dederat ſe *Brouckhuſium*, in aeſtiva ſe conferentem deducturum Vianam, ut tuo poſſit complexu frui. Sed ab hoc tempore nihil de illo ad me perlatum eſt, niſi quod ſponſo neſcio cui, proxima neceſſitudine ſibi juncto, cogatur officium praeſtare in ſponſaliis & nuptiis, occupari quoque in transferenda ſede in alias aedes. Tua valetudo me ſollicitum habet & anxium mirifice. Non poterit ulla res mihi ſuavis eſſe, antequam his angoribus fuero liberatus, qui me verſant dies noctesque. Non potero autem his moleſtiis levari, antequam te plane valere cognoro. Nam in tuo capite non ſolum decus & ſalus vertitur rei litterariae in his terris, ſed & omnis mei praeſidii ſpes. Deum itaque Optimum Maximum, & Chriſtum Servatorem ſupplex veneror, ut dejectam valetudinem tuam erigat & confirmet, & vires confectas reficiat, ut nobis & Muſis diu ſuperſis, & illa praeclararum rerum doctrina, quam domi conditam habes, nos illius cupidiſſimos bees. Novi hîc, quod tibi narrari poſſit, nihil omnino auditur. Provinciae noſtrae Ordines de novis tributis deſcribendis deliberant: ſed ſunt, qui verentur ut de novis tabulis iis ſit deliberandum. Sed haec dî avertant. Cura valetudinem diligentiſſime. Trajecti ad Rhenum a. d. V. April. CIƆIƆCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA CCCXLVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

AUguror fore, ut cis triduum a latebris lectuli prorepam, ac contendam ad Haganos. Decumbens offendi forte fortuna in Martialis epigramma, quod Langianus index certius demonſtrabit tibi. ejus tale eſt initium

Dum non vis leporem, dum non vis carpere mullum,
Et plus quam patri, Naevia, parcis apro;
Accuſas rumpiſque cocum &c.

Contendi patrem Naeviae cum apro, jocus videtur frigidiſſimus, & tanto Poëta indignus. Nec pater enim convivis apponebatur, ut aper. Quid igitur? Scribendum videtur, ne te morer, *plus quam putri apro.* Jam computreſcebat aper toties appoſitus, ut ſervari non poſſet, nec tamen carpi ac dividi inter convivas eum permittebat Naevia. Locum ipſum inſpice, ſodes: nam mihi liber nunc quidem non eſt ad manum. Vale a. d. XVII. April. Gregor. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCXLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEſternum diem combuſſi cum *Francio*, & *Broeckhuſio*, qui nos inviſebant. Hodie *Francius* remigravit Amſterodamum, nuptiis neſcio cujus neceſſarii, quaſi vi retractus. *Broeckhuſius* Treviros ſequetur, *Weedio* ſtipendia facturus. Sed forte cras is te videbit. Niſi caerimoniis mihi fungendum eſſet, comitem me itineris hujus haberet. Valetudinem tuam ſic reſtitutam eſſe, ut viae te poſſis dare ſane quam gaudeo: & ſpero propediem me tibi de confirmatione illius gratulaturum. In epigrammate Martialis de apro putreſcente emendando rem acu tetigiſſe mihi videris. Nihil ſane vulgata lectione frigidius & inſulſius. Gallorum validam manum irruptione facta infeſtaſſe agrum opulentiſſimum Menapiorum, & ibi octo pagos flammis deleviſſe, & etiamnunc igne ferroque omnia vaſtare, ac diripere, ingenteſque agere praedas, plurimorum litteris ad nos perfertur. Dicuntur Hiſpani ex vicinis praeſidiis copias cogere, & Gallos velle reditum occludere. Sed poſt feſtum vereor ne veniant. Vale, Princeps ingeniorum, & curam valetudinis tibi jube primam eſſe & antiquiſſimam, ſi ſalvam cupis eſſe rem litterariam. Trajecti a. d. VIII. April. CIↃIↃCLXXVI. Ampliſſimus *Servaſius* tibi ſalutem dicit.

EPISTOLA CCCXLIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SOleo, mi Graevi, quoties ſcriptorem ex antiquis quemcumque paullo intentiore cura perlegendum mihi propono, ea, quae inter legendum occurrunt, animadverſione non indigna, margini exemplaris, quod in manu eſt, adlinere, unde fit, ut mihi quandoque veniant in mentem, ac in iis numerentur, quae ab aliis jam ſunt occupata. At vero ubi tantum otii contingit, ut in mundum redigere detur lituras harum quisquiliarum, quod in Vellejo Papinioque inchoatum nondum perfeci, ſoleo ad illos confugere, qui animadverſionibus ſuis ante me ſcriptores eoſdem illuſtravere, ne quae ab iis jam dicta ſunt ac annotata, pro meis lectoribus obtrudam. Id monendum duxi, ne quae in utroque nuper ſcriptore a me caſtigata tibi proponebam, aliter accipias, quam pro immaturo tumultuariarum obſervatiuncularum abortu: Apud Vellej. lib. II. cap. 47. pro *Pompeji* reſcribendum eſſe *potentiae* certum habeo. pro *Camiliae*, quod vetus liber habebat, *male* ſi reponimus, vide ne longius recedamus ab antiqua ſcriptura, quae litteris nonnullis hîc truncata fortaſſe fuerit. Ut in *Pontiae* pro *potentiae* paulo ante: ut dederit Vellejus, *& invida potentiae ac aemulatu cohaerentis.* Quo ipſo ſatis deſignat *male cohaeſiſſe.* Sed ut hoc in medio relinquamus, cap. 88. poſſumus vulgatam ſcripturam relinquere intactam, *Nec minora conſequi potuit*, (Sc. quam Agrippa) *ſed non tam concupivit.* quo ipſo immoderatam Agrippinae ambitionem notat. Cap. 112. opportune mihi in memoriam revocas caſtigationem, quam eram oblitus codici meo adſcribere. Succurrit enim rejecto τῷ *flaccebat*, in eo me acquieviſſe, ut arbitrarer corrigendum, *ita jacebat Barbaris numerus ſuus.* Ita animo dejectus erat. De quo loquendi genere in Adverſariis multa annotavi. Cap. 114. *Fortunae Aemiliorum proximus*, malebam quam Voſſianum *ſuorum*, aut meum *avorum.* Quod Lepidi plerique male de republ. meriti, quamquam gens Aemilia multos inſignes viros oſtentet, praeſertim Paullum Aemilium. Caute igitur vitavit Vellejus, ne in Aemiliis Lepidos laudaret. Cap. 123. non ſana iſta, *tam re quam exemplo pernicioſa:* non enim fuerunt pernicioſa, nec credebile eſt Vellejum tam acerbo verbo ac immiti hîc uſum. Quare rectius alii, *periculoſa.* Sed & in ſequentibus ſic conſtituendus: *Quo equidem tempore, ut pleraque egit ignave Germanicus, ita Druſus, qui a patre in id ipſum, plurimoque idem igne emicans, incendium militaris tumultus erat miſſus, ſtricta antiquaque ſeveritate uſus, ancipitia ſubiit, tam re quam exemplo periculoſis:* ſcripſi inter alia, *Plurimoque idem igne emicans*, pro *plurimo quidem*, quod hîc locum non habet, & jam praeceſſerat. ſic apud Silium, *Et plurimus idem Ludentis per colla jubae:* ſed & paullo ante videtur corrigendum, *Inter ſeveram praecipue notorum ultionem.* De auctoribus enim ſeditionum ſupplicium praecipue ſolere ſumi res explorata eſt. Cap. 109. emendave-

daveram in codice meo *majori*, *quam quod obibat*, *praeparabat*. idque verum opinor. In Naſonis codicibus priſcis ſaepe confunditur *habere* & *obire* ut ad illum monui jam pridem. Cap. 66. Notabis *emeruiſſe* pro *meruiſſe*. Sic & alibi idem Vellejus. *Auctoramentum funebre* non mutarem: funeſtiſſimum enim revera auctoramentum erat merces illa, quae pro capite optimi civis longeque omnium diſertiſſimi pendebatur. *Jugulati civis auctoramentum* habes cap. 28. Volebam & alia in Vellejo loca tibi nunc proponere & tranſire ad Papinium. Sed ſatius duco proximis illa reſervari, quum uſus magiſter jam pridem non ſine magno malo edocuit, hoc infrequentiores litteras abs te perferri ſolere in manus meas, quo compellaris ipſe verboſius. Vale, mi Graevi & amicos communes a me ſaluta. in primis operam da, ut quamprimum cognoſcam, quo ſit loco humaniſſimi *Trelſchii* valetudo. Quos ex Gallia exſpectamus libros, ſi abeſſe pergant, a naufragio metus eſt. Alia nuntianda nunc non habeo. Hagae Comit. xxv. April. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCL.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SOllicitudinem de tua valetudine minuit epiſtola, quam hoc die accepi; ſuaviſſimam ſane & optatiſſimam. Nam cum nullam infirmitatis mentionem facias, & ipſa prodat animum vigentem, licet augurari te nunc vires vi morbi fractas recolligere, & priſtinam incolumitatem recuperare. Quî enim de tot locis Vellejanis tam erudite & tam acute poſſes diſputare, ſi tibi cum moleſtiſſimis doloribus eſſet aſſidue confligandum? Metum meum auxerat noſter *Broeckhuſius*, qui de tua valetudine non laetiſſimum nuncium mihi perferebat ante hos octo dies. Itaque, cum ſequentibus diebus nihil de te accepiſſem, decurſo nuperrime Jovis die Vianam excurrebam. Ibi ex tuis domeſticis cognoſcebam de tuo itinere Hagenſi: ſed magna quoque te imbecillitate fuiſſe, cum viae te dares, invitus audiebam. Nunc confirmatum te eſſe videor ex tuis litteris percepiſſe. Faxit deus, ut laetiora indies ad nos de te adferantur, brevique expugnatis pertinaciſſimi morbi reliquiis tibi & nobis totus reſtituaris. De locis Vellejanis cras ſpero me tecum poſſe agere. Nunc excluſus iniquis temporis ſpatiis mitto catalogum librorum perendie vendendorum. Operam ſi tibi poſſum navare, ſcis eam tibi a me promtam eſſe & paratam: Res publicae videntur in proximum diſcrimen eſſe adductae apud Morinos. & forte jam deciſum eſt, utinam bono patriae. Vale, vir ſumme & me ama. Trajecti Batavorum a. d. xxvi. April. Gregor. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NOvi ingenii tui ubertatem & ſollertiam, quod ſuis copiis adfluens alienae laudis poſſeſſionem non appetit, ſed aliis potius de ſuo largitur benigniſſime. Cum nuperius tibi ſignificavi, nonnullas conjecturas, quae tibi inter legendum natae erant, aliis quoque in mentem veniſſe, videbar mihi tuo ſervire ſtudio & voluntati, qui non unis litteris a me petieras, ut ſi quid ab aliis caſtigatum animadvertiſſem, quod tibi, qui bibliotheca tua nunc uti non poſſes, ſuccurrerat, id indicarem. Hanc unam rationem, cum id monui de nonullis Velleji ac Statii emendationibus, quas mecum inter confabulandum communicaveras, ſecutus ſum, nec aliter ſpero hoc a te accipi. In libro II. cap. XLVII. rectiſſime corrigitur *potentiae* pro *Pompeji.* Sed *ac camiliae* videntur ortum eſſe ex depravata ſcriptura. *ponti ac* pro *potentiae.* Nam cum omiſſa eſſet ſyllaba pro ex *ae* alii fecerunt *ac*, alii inverſis litteris *ca*, inde quoque *male* mutatum oſcitantia ſcriptorum in *miliae*. Nam *male* ſcripſiſſe Vellejum mihi perſuaſiſſimum eſt. Dicit male cohaeſiſſe concordiam inter Pompejum & Julium, quia alter alterius potentiae invidebat, quam tamen, quamdiu in vivis erat, retinebat Julia, & impediebat ne rumperetur. Ex invidia potentiae non cohaerebat concordia, ſed male cohaerebat. *Male cohaerens concordia*, eſt ut apud Phaedrum IV. *male commiſſa gratia*, de Simonide:

Fraudatus quamvis & dolens injuria,
Ne male commiſſam gratiam corrumperet,
Promiſit.

Sic enim ille locus legendus videtur, vulgo perperam ſcribitur *male dimiſſam*. *Male commiſſa* eſt Horatio *male ſarta* lib. I. Satyr.

an male ſarta
Gratia nequicquam coit, & reſcinditur?

In capite LXXXVIII lectionem editam merito tueris. In capite CXII. nemo non τῶν χαριέςέρων tibi adſtipulabitur ſcribenti *jacebat* pro *placebat*. Haec ipſa eſt veritas. Nec refragor tibi cap. 114. reponenti *Aemiliorum* pro *ſuorum* Voſſiano. Cap. CXXV. recte quoque vidiſti *noſtrorum* in his, *inter ſeveram praecipue noſtrorum ultionem*, tollerari non poſſe. Sed *notorum* cum reſcribis vereor, ne uſus probes. *Notos* enim ſimpliciter dici pro notos duces, & auctores ſeditionis, vix crediderim. Mallem, etſi longius recedat a veſtigiis editae lectionis *auctorum* ſcribi. qui illi fuerint ex I. Taciti Annali nobis liquet. Mox pulchre tu, *egit ignave*, ut & *plurimoque idem igne emicans*, Sed *ancipitia ſibi*, *tam re quam exemplo pernicioſa* non immutem. Sana ſunt, ſi modo interponatur copula. *ancipitia ſibi, & tam re, quam exemplo pernicioſa* coercuit. Erant illa ſibi periculoſa, ſed pernicioſa reipublicae tam re, quam exemplo. Loquitur enim de tumultu

multu & ſeditione illa Pannonicarum legionum, quam quanto cum periculo compeſcuerit Druſus Tacitus prodidit: quam re fuerit perniciosa, quod novum ducem, novum ſtatum, novam rempublicam quaeſierint illi furentes milites, & Senatui & Principi voluerint leges dare; quam exemplo fuerint perniciosa, inde conſtat, quod aliis quoque legionibus viam aperuerint ad rebellandum, ſi tuliſſent impune. Sicut & contagio hujus furoris videtur traxiſſe Germanicas legiones. Cap. CIX. non difficulter tibi ſubſcriberem, ſi *obire opus*, ut *obire diem*, *horam*, *provinciam*, *vadimonium* Latine dici, haberem exploratum. Sed forte tibi exempla in promtu ſunt hujus locutionis, quae mihi nulla nunc occurrunt. Haec ipſa ratio me quoque non ſinit probare vulgatum in cap. LXVI. *auctoramentum funebre* pro funeſto. Nam licet ejuſdem ſint originis *funebris* & *funeſtus*, non recte tamen *caſus funebris*, *annus funebris* poneretur, pro *annus*, *caſus funeſtus*: Sic nec *auctoramentum funebre*, quo quis conducitur ad alicujus caedem, reſragante uſu, penes quem eſt arbitrium recte loquendi, veteres dixiſſe, certum habeo. Si tamen meliora tu docueris, non invitus in tua caſtra tranſibo, & tibi debebo minerval. Proxime alia loca ex Velleio, quae ſubtexere conſtitueras, expecto. Quo tuae litterae ſunt longiores, eo gratiores mihi accidunt. Dies nonnunquam aliquot eximit otii penuria. Si vacuus eſſem, quotidie te laceſſerem. Nulla enim re magis me delectari, cum carendum mihi eſt fructu tuae ſuaviſſimae conſuetudinis, quam hac confabulatione litteraria velim tibi perſuadeas. Libros, quos *Montozerius* ad nos mittit, non ſpero infeſtam nobis intercepturam fortunam. Graviter ſane hanc ferrem jacturam. Virorum optimo, & tui, ſi quiſquam, ſtudioſiſſimo, nondum bene convenit cum podagra. Meliuſcule tamen nunc ſe habet, ſed nondum e cubiculo ei licet pedem efferre. Poene tamen convaluit, cum tuas litteras ei recitarem, mirifice hercle recreabatur. Tibi gratias apud me egit plurimas pro tanto tui erga ſe ſtudio: & tibi ſalutem juſſit dici verbis, quae dici fingique poſſunt, amantiſſimis. Vale, vir illuſtris & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XXVII. April. CIƆIƆCLXXVI. Gregor.

EPISTOLA CCCLII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Fidem equidem meam apud te, mi Graevi, nolim vacillare. De Papiniani igitur locis ex Tiburtino Mallii, quod pollicitus eram proxime, videamus. Id enim carmen excutiendum forte ſe nobis offerebat, ut potes meminiſſe, quando domi meae una de ſtudiis communibus proxime confabulabamur. *Turbare Satyram* erudite, fateor, tuetur *Gronovius*, nec perſuadet tamen ſanam eſſe lectionem eam: quid enim? *Satura* lex eſt, quae diverſi argumenti leges complectitur, unde & *Satyra* carmen nomen mutuata. Ideo *Satyram* qui ſcribit, cum argumenti diverſi res ea complectatur, *Satyram turbare* dici poteſt. Sic

&

Papinius *turbaſſe ſylvas* ſit dicendus, qui Silvas ſcripſit in diverſis argumentis, aeque ac Satyrae, ſe ocupantes. *Turbidam Satyram* poſſe dici concedo, hoc eſt iracundam; aqua liquida limo turbari poteſt, aer liquidus fumo. Sed Satyra, quae livens nigra fuligine eleganter a Papinio deſcribitur, quomodo turbari poſſit non video, cum per ſe ſit turbida abunde. Haud videram equidem Scriverianam caſtigationem, cum de *vibranda Satyra* mihi in mentem venit, quod meminiſſem ſic locutos ſcriptores veteres de ſcriptis pugnacibus ac aſperioribus, idque a vibrando ferro videtur deductum, ut *ſtringere*, & *deſtringere ſcripta*; ſic noſter IV. Silv. *& caſtum vibraret Julia ferrum.* cum legem Juliam deſignet, quae, quod in adulteros acerbe inveheretur, eoſque plecti juberet, *vibrare ferrum* ibi dicitur. Sed nolo pluribus contendere, ne mordicus mea videar tueri. Paulo poſt in eodem Tiburtino male omnino illi, qui *tuta quies* repoſuerunt: male & amicus noſter, qui *totam quietem* contendit dici, ut apud Martialem, *Totis candidior puella Cygnis*, cum ſcribendum ſit illic, *lotis Cycnis*. Quod an ab aliis jam obſervatum ſit haud ſcio. Ut nec illud Taciti Annal. XIV. *Iiſdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit, quia fontem Aquae Marciae ad urbem deductae nando inceſſerat, videbaturque potus ſacros & cerimoniam loci corpore toto polluiſſe.* Scribendum inquam, *corpore loto.* Similes naevos Naſoni in faſtis deterſimus. *Lota quod obſcuras ungula fecit aquas.* Cum *mota* ante nos legeretur. In eodem Tiburtino, *pigros invitant murmura ſomnos* legendum. Ut *per pigros ſomnos* intelligantur difficiles ſomni, & tarde provenientes; moneo praeterea, verſum unum alterumve hîc excidiſſe: cum enim nullo turbine turbari noctes dieſque dicat, & deinde per murmura invitari ſomnos ſubjungat, deſignare debuit, quaenam ſint illa murmura. Tale aliquid dediſſe Papinium ſit veroſimile,

Pigros invitant murmura ſomnos,
Vel ſalientis aquae, nemoris vel flamina moti.

Sic Naſo; *Invitat ſomnos crepitantibus unda lapillis,*
Tum Horatius Epodis

Et unda lymphis obſtrepit cadentibus,
Somnos quod invitet leves

Pluribus piget haec illuſtrare. Paullo poſt habemus:

Quicquid & argento primum vel in aere Myronis
Luſit, & enormes manus eſt experta Coloſſos

Primae editiones & libri ſcripti, *enormi coloſſo*, quod & praecedentia requirunt. Sed nondum ſanatus eſt locus. Volebam aliquando *Lindia & enormi manus e.e. Coloſſo*, ut Chares Lindius, auctor Coloſſi Rhodii, intelligatur; Sed nunc ſum in alia ſententia & ſcribo

Quidquid & argento primi Myos, aere Myronis
Luſit, & enormi manus explorata Coloſſo.

Primus argento Mys, ut Myron aere, Papinio judice: nam Myron etſi celebris & argento, tamen aere praecipuam conſecutus eſt laudem. Hinc *bucula Myronis aerea*, tot verſibus a Graecis ac Latinis celebrata. *Myos* nomen hîc

ex-

excidiſſe ſuſpicor, quod ſaepe id mendoſum in antiquis exhibeatur monumentis: Martiali certe jam bis terve ex vetuſtis codicibus homines eruditi id ivere reſtitutum. Ego etiam fragmento Traguriensi Cap. LII. reddere ſum conatus, ubi Trimalchio, qui ubique inſcitiſſimus ac mendaciſſimus, ut ſcis, inducitur, de ſcyphis ſuis agit. Is ſic videtur conſtituendus. *Habeo ſcyphos urnales plus minus, quemadmodum Caſſandra* (*Medeam* homo inſulſus dicere voluit) *occidit filios ſuos, & pueri mortui jacent, ſic ut vere putes*; (opinor, *ſic ut vivere putes*, cum quae ſummae artis erant dicerentur *vivere*, eam locutionem ridicule ad pueros mortuos refert Trimalchio) *habeo capidem, quam reliquit patronorum meus, ubi Daedalus Niobam in equum Trojanum includit.* de Niobe in equum Trojanum incluſa a Daedalo (de *Paſiphae* voluit dicere vaccae ligneae incluſa a Daedalo) aeque inſcitum, ac illud de Caſſandra paullo ante. Sed ſcribe, *habeo capidem, quam reliquit Patrono meo Mys.* Nam Trimalchio non niſi unum patronum habere potuit, a quo libertatem videlicet erat conſecutus. Sed vide hominem aeque mendacem ac inſcitum. Mys enim aliquot ſaeculis antiquior patrono ejus. Revertamur ad Papinium. *Enormi manus explorata Coloſſo*, non unum deſignat artificem, ſed omnes illos, qui ſtatuas viro majores formarunt, reſpectu Myos & Myronis, quorum ars in minutis ſeſe exercebat. & haec quidem hactenus. Mythologis iſtis Anglicis negat *Bigotius* quidem quicquam novi acceſſiſſe: nam Cononem & Ptolemaeum Hephaeſtionis ex bibliotheca Photii eſſe depromtos. *Hartungii* chiliades vidi duas. Utramque, certe unam ex hiſce habeo, ſed opinor faci Criticae Gruterianae libros illos eſſe poſtea inſertos. *Fumum* pro caligine habes apud Valer. Flacc. lib. VIII. verſ. 452. *Tempe viridi lucentia fumo.* Ubi cave *dumo* reponas. Senec. Rhetor I. contr. 8. verbis Fabiani Papinii. *Quin etiam montes ſilvaeque in domibus marcidis, imbre fumoque viridibus.* de Celſo egi, agamque cum *Bigotio.* ad Vellejana etiam proxime reſcribam: jam enim modum epiſtolae videor exceſſiſſe. Vale, virorum praeſtantiſſime. Hagae Com. 29. April. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCLIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

TAm alti ſilentii tamque diuturni cauſſas ignorare me fateor, niſi quod nil laeti ſuſpicor, ut indiviſus amoris comes eſt metus. Id tamen qualecumque eſt neſcire non debebam, ſi vacaret tibi de me cogitare, qui te in oculis aſſidue fero. Scribe igitur quamprimum, quo ſint loco res veſtrae, & metum deme, qui nunc me premit, & vexat ſub pectore fixus. Rumor fit N. cetera laute ſatis victitantem, adeo oblitum eſſe coeli illius, ſub quo natus eſt, ut heſternae puerorum e trivio coenae occurſarit, eamque ligurrierit avidiſſime; quid eſt crambe recocta capi, ſi hoc non eſt? Hagae Comitum XV. Mai. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCLIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUi paullulum de via regia decedunt, tot plerumque tantiſque jactantur erroribus, ut aegre in eam poſſint revocari. Mihi ſane, cum non repraeſentaſſem officium tuis eruditiſſimis litteris debitum, ſed id diſtuliſſem in proximum ſemper, tot dies nec opino elapſi ſunt, ut vix nunc poſſim rationem inire hanc culpam expiandi, & a tanta ceſſatione ad priſtinam ſcribendi aſſiduitatem revertendi. Praeteritam hebdomadem exemerunt dulces temporis fures, amici Amſterodamenſes, & inter hos noſter *Francius*, & Lugdunenſes. Praeterito Solis die aëris amoenitate invitati Vianam contendimus cum ampliſſimo *Servaeſio*, & in tuis pranſi ſumus aedibus. Libavimuſque abſenti hoſpiti ſpumantem pateram. Cujus ſi nobis licuiſſet frui colloquiis & leporibus, omnes numeros impleviſſet voluptas, quam capiebamus. Execrabamus tricones illos, qui te tamdiu morantur, & nobis uſuram hujus felicitatis invident. Nunc, ſi te pateris exorare recipiemus nos ad bonam frugem, & redibimus ad noſtras diſputationes litterarias. Quae de locis Papinianis, e Tiburtino Manlii, pulchre & erudite diſſeris, digna ſunt illa tui ingenii ſollertia, & doctrinae copia. Si *Satyra* non ſuam debet originem *ſaturae legi*, aut *lanci*, fateor ſententiam τοῦ μακαρίτου labefactari. Sed is, *turbare* non hoc ſenſu accipit, quo dicitur aqua liquida limo turbari, ſed perſuaſum habens *Satyram* eſſe carmen, quod inſectetur more Luciliano varia peccata & ineptias hominum, *turbare* hîc ait poni pro *miſcere*, ut in epicedio Glauciae, *& dulci turbabit cuncta rapina.* Et in arbore Atedii: *Spargere tu laticem, & foliis turbare memento.* Folia tam levia non turbidum faciunt ab imo laticem, ait ὁ πάνυ, ſed miſcent & veluti variant. Eadem ratione Martiali *turbato ſordidus auro* Hermus dicitur, pro permixtis aquae auri ramentis. Sicut autem *turbare* pro miſcere ponitur, ſic viciſſim *miſcere* pro turbare uſurpant. Phaedrus: *Procax libertas civitatem miſcuit. Miſcere* autem aut *turbare Satyram* poëtice eſſe carmen miſcellum, quaſi per ſatyram more Luciliano, ſcribere. Sic alibi poëtam dicere *nodare palaeſtras*, quia nodi in palaeſtris ligentur, ita *Satyram turbare*, quia turbando & miſcendo diverſorum generum vitia fiat opus miſcellum, ſeu Satyra; quae *livere nigra fuligine* fingitur, quia acriter & iracunde carpit vitia, *turbare* vero, quia eodem in carmine varia miſcet & perſtringit. Haec eſt ſententia mei doctoris, quam nondum poſſum ejurare. Pluribus autem eam perſecutus ſum, quoniam librum iſtum a multis annis ſcio a te non eſſe viſum. Tui nunc eſt conſilii, illam probare, ſi accuratius expenderis, aut damnare. In Protreptico Criſpini valde probo tuam emendationem: *Erigeretque toros.* Sed *fulmen* cur in illo loco refingas in *ferrum* nondum potui exputare. Legis enim Juliae poenam non fuiſſe coërcitionem corporis, ſed deportationem, aut relegationem *Lipſius* ad IV. Annalem Taciti,

alii-

aliique viri docti praeceperunt. Relegationem autem, & damnationem poëtas vocare *fulmen* tu non ignoras, qui ſaepius tuum Ovidium ſic loqui meminiſti. *Erigeretque toros* itaque duco exponendum; excitaret toros, & aſſererit adulteriis contaminari & labefactari ſolitos. Non longe poſt *tota dies* veriſſime correxiſti. Nihili eſt, *qua tibi tota quies ſilet*. Valeant qui aliter ſentiunt. Applaudentibus Muſis & Gratiis repoſuiſti quoque in Martiale *lotos cygnos*, & in Tacito *loto corpore*, & mox in Statio *pigros ſomnos:* ſed difficiles & tarde provenientes ſignificari vix in animum poſſum inducere ut credam. *pigros ſomnos* exiſtimo dici, quod nihil, dum ſomno indulgemus, agimus. Ut Claudianus: *pigraſque ſopor diffuderat alas*. Praeclare videris etiam obſervaſſe verſum excidiſſe. Summopere arridet:

> *Quicquid & argento primi Myos, aere Myronis*
> *Luſit, & enormi manus explorata Coloſſo*

Nec infeliciter in fragmento Traguriano: *quam reliquit patrono meo Mys*, quamvis hanc conjecturam praeſtare non auſim. Omnem enim videtur fidem excedere Trimalcionem tam ridiculum fuiſſe, & imperitum, ut ſuſtinuerit patrono ſuo aequalem facere hominem, qui multis ſeculis ante floruit, quamvis inſcitiae ridiculae luculenta exempla de Caſſandra filias mactante, & Nioba incluſa equo Trojano paullo ante, fidem fere faciant hujus ſtultae ignorantiae. Sed hîc tua valeat exiſtimatio. In Mythologis Britannicis inedita quaedam reperiri mihi affirmaverat *Matthaeus*, ſed qui hoc ab aliis acceperat. Oculato *Bigotio* potius credo. *Hartungi* decuriae locorum quorundam memorabilium inſertae ſunt faci Criticae Gruteri, ſed Chiliades locorum Homericorum, ut & Prolegomena ſeu annotationes in tres priores Homeri Odyſſeae Rhapſodias, quae commemorantur in ejus vita, nullus vidi, & ſane videre pervelim. Si in tua extant bibliotheca, videbo illos aliquando libros, ſi deus dederit. Cum de Celſo egiſti cum *Bigotio*, gratias tibi debeo plurimas. Utinam is liber meae vindicetur ſuppellectili. Nam inprimis illum deſidero, & Plinii epiſtolas cum animadverſionibus *Minois* recentiſſimis. Libri ex Gallia a *Montoſerio* nobis domo miſſi, quando tandem ad nos pervenient? In auctione nupera emi Μικροπρεσβύτικον veterum quorumdam Theologorum duobus florenis. *Georgii Vallae* in Ptolemaeum Quatripartitum, & Ciceronis Partitiones Tuſculanas duodecim obolis. Fragmenta vetuſtiſſimorum auctorum ſuppoſititia, ſcripta Beroſi, Myrſili, & hujus notae alia, adjecta ſunt Solino veteris editionis, quem emi tredecim obolis. *Poleti* hiſtoriam fori Romani viginti quinque, *Kratepolii* epiſcopos Colonienſes octo obolis tibi ſumſi. Sophiſta Theon non erat editionis patris tui. Apologia N.72. in Q. nobis erepta eſt inopinis. *Trelſchius* & *Servaeſius* tibi ſalutem dicunt & grates infinitas, teque ſperant hiſce feriis hîc complexuros. *Trelſchius* indies magis magiſque corroboratur; ſed publico nondum utitur. Vale, decus meum & praeſidium unicum, & ad nos quamprimum veni. Trajecti Batavorum a. d. x. Maii. CIƆIƆCLXXVI. Dionyſ.

EPISTOLA CCCLV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PArum equidem amice benigniterque mecum actum eſt ab amicis illis tuis, qui me tanto tempore jucundiſſimi mei Graevii alloquiis fraudaverunt. *Satyram* non magis dictam opinor eſſe a *Satyra lance*, vel *lege Satura*, quam *Satyrium* Petronianum, aut *herbam Satyream*. *Saturum Tarentum* habes apud Maronem, I. Georg. 197. & *caſam Saturam* apud Martialem x. 96. hoc eſt, omni copia affluentes. Quomodo *lanx* & *lex Satura*. Aeque argutantur Grammatici, qui apud Maronem legi debere contendunt, *Satirum Tarentum* hoc eſt, puto, pro *Satiriano*, a loco in vicinia Tarenti, unde & *caballus Satirejanus* apud Horatium I. Sat. VI. 59. Satyrae proprium erat *juvenari*, ut Horatiano utar verbo, hoc eſt ludendo ac per jocum, non iracunde vitia inſectari, qua in re Juvenalis videtur nonnumquam peccaſſe. Si Satyricos ſcriptores excutimus vetuſtos, qui aut carmine aut oratione proſa huic argumento ſe dederunt, agnoſcemus nihil ab his miſceri aut turbari, ſed in vitiis carpendis certum ordinem obſervaſſe. Sic ut unaquaque Satyra peculiare argumentum ſibi tractandum poëtae proponant, quod liquidius in aliis etiam appareret, ſi Varronis exſtarent Satyrae. Pari orbita ſe incluſit Petronius, ut ex convivio Trimalchionis fit manifeſtum. Quem librum totum libertis exagitandis dedit. Fortaſſis & illa ſcripſerit in nonneminem e libertis Claudianis, Pallantem puta, quod vero ſimillimum mihi videtur, ob cauſſas alibi fuſius explicandas; diſſimulato tamen nomine liberti, ut genti Claudiae parceretur. Nam *miſcellas Lucilianas* potius referendas opinor ad varium carminis genus, quo in Satyris uſus Lucilius, uti ex fragmentis apparet, quam quod in una eademque Satyra diverſi argumenti res ſit complexus. Martianus Capella quoque ſuam *Miſcellam* vocavit, quod varia carminum genera ſolutae intermiſcent orationi, quod Varro ac Petronius itidem factitarunt. Interim haudquaquam ſolida eruditionis laude ſunt fraudanda, quae praeceptor tuus in Diatribe pro vulgata adduxit lectione. In Protreptico Criſpini lapſus eſt memoriae, quod *ferrum* reponebam pro *fulmine*. *Erigere toros* admirantis geſtum referri malebam, quam ad toros conjugales, quod non ſatis liquido ſic exprimat Papinius agi de conjugiis, cum & *caelibum* tori poſſint aeque eſſe ac maritorum. apud Propertium lib. IV. El. de ſpoliis opimis Jovi Feretrio dedicatis locus eſt mendoſiſſimus, quem ſic conſtituebam,

Virdomari genus, hic Brenno ducebat ab ipſo,
Mobilis erectis fundere geſa toris.

Mobilis enim eſt in ſcriptis. de *rotis erectis* frigidum videtur. non enim Viridomarum e curru pugnaſſe, quando caeſus eſt a Claudio Marcello, memini legere. praeterquam quod currus non fuerint in uſu Gallis proeliantibus. Sed & Jupiter

ter fulmen jaculaturus erigere toros deſcribitur a Poëtis. Sic Naſo 11. Metam. 311. *dextra libratum fulmen ab aure Miſit in aurigam.* Quod ille, ſi recordor probe, ab Homero eſt mutuatus. *piger* quidem *ſomnus* a Poëtis deſcribitur, ut re vera eſt, ſed id epitheton hîc ſupervacuum videtur, quod operoſo Papinii ingenio parum convenit. praeſertim cum hoc ipſo Tiburtino, quantum datur meminiſſe, non *pigros*, ſed *alentes corpora ſomnos*, & in bicipitem Parnaſum evolantes Vopiſco adſcribat. Prae *argenti primi Myos* poteſt vulgata ſcriptura *primum* ferri; ut *primum* ſit, omne ex operibus Myos praecipuum, ac praeſtantiſſimum. In fragmento Traguriano mirum videri non debet, ſi jactat Trimalchio poculum patrono ſuo relictum ab artifice, qui multis ante ſaeculis vixiſſet, cum is idem *Trimalchio* mire confidens, mendax, inſcitus ac oblivioſus paſſim introducatur. Quod tuto ſe poſſe inter ſui ſimiles arbitrabatur. Sic modo ſe *bene natum* jactat, modo fatetur e piſtrino emerſiſſe: praeter Anachroniſmos, quos ſubinde committit, etiam aliis in locis. *Hartungi* librum, quem narras, in Ubiis comparaſſe videor. Dum haſce exararem, feruntur ad me litterae a *Gerardo Voſſio*, per quas ſpem facit miſſurum ſeſe mihi propediem Arundeliana *Seldeni* marmora, a praelo Typographico recentia. *Monachium* ruri eſſe cum ſuis avunculis, quem Leidenſes indignantur tam lento pede ad ſpartam ſuam obeundam proreptare, vacante profeſſoria miſeri *Heidani* cathedra, cujus adverſa me mirîs modis adfligunt. De libris e Gallia pridem exſpectatis bene nos jubet *Elzevirius* ſperare. mox adfuturos pollicetur. Sed ut veniam ad penultimas tuas, quibus etiam nonnihil reſponſi a me debetur, cave arbitreris offendi me admonitionibus tuis, ſi quando me doces ab aliis eſſe jam occupata, quae in meis numerabam, cum iſta opera me demerearis plurimum. in Vellejo lib. 11. cap. 47. ſub illis ſcripti codicis *Camiliae*, ne quid de Pompeji Caeſariſque familia lateat utique videndum, quanquam Lipſiana conjectura optime quadrat, niſi quod longius a ſcripta lectione abeat. in Phaedro Minerva omnino dextra uſus, quando repoſuiſti *gratiam commiſſam.* Legebam ego aliquando,

Ne male dimiſſus gratiam corrumperet.

Cap. 125. pro *praecipue noſtrorum*, num placet reſcribi, *praecipue noxiorum?* Mox reſtat difficultas in iis, *tam re, quam exemplo pernicioſa.* Exemplo res illa dici poteſt pernicioſa, ut apud Horatium *Exemplo trahenti perniciem veniens in aevum.* re ipſa pernicioſum, quo modo dici poſſint, quod bene ceſſit, non video. Cogitabam aliquando, *ancipiti ſibi tam re quam exemplo pernicioſa.* Sed ſcriptus codex pro *tam re* habet *timere.* Deinde τὸ & ſubſequens expungendum. *Obire opus* non videtur dici minori jure, quam *obire bella*, *obire partes ſuas* apud Ovidium. *Auctoramentum funebre* videtur alluſiſſe ad conductos Gladiatores in funere virorum illuſtrium. Sed nae ego ſum multus, qui cum me tuis litteris carere poſſe negem, hoc ago inani loquacitate obtundendo, ne reſpondeas. Vale, Hagae Comit. 23. Mai. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

PLerique mortales difficulter ſententias, quas teneris in annis imbiberunt, poſſunt ejurare. Nam quae diu animis infixa inſedere, pro veriſſimis habentur ac tenentur, mordicus ut evelli vix queant. Tantum tamen fuit tuarum rationum pondus, ut inveteratam opinionem de *Satyra*, quod ſit carmen miſcellaneum, ſic dictum a variis, quae in illo perſtringuntur, variorum hominum vitiis & culpis, ut *lanx* aut *lex ſatura*, exuerim & plane abjecerim. Totus in tua caſtra tranſeo, perſuaſus hoc potiſſimum argumento, quod eodem in carmine ſeu libro, non promiſcue diverſa diverſorum hominum delicta carpant & ineptias Saturarum ſcriptores, ſed ſingulis vitiis aſſignarint ſingulos libellos, ut ex Juvenalis Satyris & Petronio liquido conſtat. Poſſem quidem argutari, ſi liberet, & pernaciter tueri *Caſauboni* & Doctoris mei ſententiam, ſed vero victus tibi herbam porrigo. Valde quoque veroſimilis videtur emendatio tua in Propertio.

Mobilis erectis fundere geſa toris.

Nam quamvis Galli pugnaverint e curibus, quos *covinos* dixerunt, unde Lucanus libr. III.

Et docilis rector conſtrati Belga covini,

quid tamen ſit Latinis *erectis rotis fundere ſagittas* nemo docere poterit. *Nobilis* tamen non mutem. *Nobilis fundere geſa* eſt celebris jaculatione ſagittarum, qua ſuos cives omnes longe ſuperabat, ut apud Phaedrum

Non artis ulla medicum ſe prudentia,
Verum ſtupore vulgi factum nobilem.

In Protreptico Criſpini omnino tuae nunc accedo ſententiae, *erigere toros* pertinere ad Juliae minantis geſtum, ſed vide quaeſo, ut certior haec ſit emendatio, ſi exemplo alio hanc locutionem poſſis firmare. Nam locus Propertii lubricus eſt, quia in omnibus editis aliter, ut noſti, legitur. *Pigros ſomnos* hîc non in hac notione accipi, ut in aliis poëtarum locis, in animum inducere nondum poſſum. Ait ibi eſſe ſylvas, quarum ſuave murmur invitet pigros ſomnos. Omnes ſomni, qui vere ſomni ſunt, pigri & ignavi ſunt. Alii vero ſunt ſomni alentes carmina, nimirum vigilatae noctes, quas aeque commode ibi exigere poterat, propter ſilentium illud, quam ſomnis pigris, ſi quando libebat, indulgere, propter gratum murmur. Sed haec tanti non ſunt, ut de illis contendamus. Apud Paterculum lib. II. cap. CXXV. perplacet tuum *praecipue noxiorum*. In ſequentibus nihil moveo, niſi diſtinctionem, *ancipitia ſibi, tam re, quam exemplo pernicioſa*. Re pernicioſa erant, quia ſeditio illa, qua inſurgebant contra rempublicam, magna mala fuiſſet datura, niſi fuiſſet mature compreſſa. *Re* ſunt *pernicioſa*, quae per ſe ipſa nocent; nocuiſſent autem, niſi fuiſſent ſedata,

data. Cur vero illa non poſſint dici *re pernicioſa*, quae non in nervum eruperunt, non video. Et ſane jam nocuerant. Nam & exuerant obſequium; aſpernabantur diſciplinam, diripuerant agros, tres legiones miſcuerant in unum, effregerant carcerem, ſolverant vincula rerum capitalium damnatis ac deſertoribus, ipſius Blaeſi familiam vinciebant, centurionem Lucillium interficiebant, nec longe aberant ab exitio legati. Haec fuerunt re pernicioſa: exemplo vero nocuerunt, quod alii quoque imitati fuerunt hunc furorem, & vi iniquas leges extorquere reipublicae ſint auſi. *Auctoramentum funebre* cum exponis ludos funebres, non video quid faciant hi ludi ad mortem Ciceronis. Sub voce *funebri* menda latet, quam forte felicior hora deteget. Nunc non licet promittere capillum. Romae diem obiiſſe *Alexandrum Pollinium*; ſed *Petrum Paullum Boſcam* Ambroſianae Mediolanenſis bibliothecae praefectum micrologum edidiſſe de Serpente aeneo Ambroſianae baſilicae narrant amici. De Celſo ſi quid reſponſi tuliſti a *Bigotio*, ſignifica quaeſo. Libros tibi emtos Vianam curabo. *Maerſebroeckius* jam aliquot hebdomades apud Friſios agit. Reliqui omnes tibi ſalutem juſſerunt reſcribi verbis amantiſſimis. Ampliſſimum *Terburchium* & *Naeldvicium*, ubi videris, rogo ut ſalutes meo nomine. Trajecti Batavorum a. d. XXVI. Maii. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCLVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

SCripturo mihi ad te jam in uſum abiit quodammodo funeſta quaevis nuntiare, Graevi Clariſſime. Certe caſum longe funeſtiſſimum nunc nuntio de exceſſu *Henrici Valeſii*, quem *Em. Bigotius* ignorari a me noluit. adderem & de morte *Jacobi Gaddi* Florentini, ſi hunc tibi cognitum fuiſſe ſcirem. Non multis ante obitum annis ruri latitabat, vino, ut ferebant, plus ſatis deditus, praeter morem Etruſcum, ſic ut ſibi quoque viveret ignotus. Noluit te neſcire idem *Bigotius* exemplaria Meurſianarum antiquitatum omnia abs te miſſa duci *Montauzerio*, aliiſque, quibus ea offerri volebas, eſſe tradita. *Valeſii* nihil poſtumum videtur eſſe ſperandum, praeter ea curis ſecundis auctiora, quae & in lucem vivus emiſit. *Menagium* in obſervationibus ad linguam Gallicam edendis occupari adverſus Jeſuitam neſcio quem. Cardinalem *Barberinum* praelo Romano commiſiſſe deſcribendos Geographos, qua Graeos, qua Latinos veteres, a *Luca Holſtenio* collectos. Inſcriptionem Graecam a te miſſam facit plurimi, ſed teſtatur in uno ejuſdem loco, quem tamen non deſignat, aquam ſibi haerere. De Celſo *Roberti Conſtantini* nihil addit, nec poteſt. Sane, niſi Lutetiam delatus, ubi mercem librariam magis obviam, quam Rothomagi, homines docti, ut ſcis, experiuntur. *Seldeni* marmora Arundeliana editionis ſecundae e Britannia propediem exſpecto, unde & mox adfuturum *Monachium*, illuſtriſſimus *Beuningius* me docet, poſt perluſtratas Academias illius inſulae

cele-

celebriores. Quod mecum ſentis de Satyris Romanis non eſſe dictas eas, aut a *lance*, aut a *lege Satura*, eſt cur applaudam ſane mihi, qui imparatus plane & librorum deſtitutus omni ſubſidio ad hoc argumentum excutiendum acceſſeram. In *lance* aut *lege ſatura* non magis turbari aut miſceri ea, quae iis comprehendebantur, opinor, quam in ipſis Satyris. Quid enim vetat in una parte lancis collectas fuiſſe uvas, in alia nuces, in alia rurſus poma, per varias ſpecies diſpoſita, quod adhuc fieri conſuerit? Similiter & in lege Satura, cum ageretur de diverſi argumenti legibus, ab una tamen lege ad aliam ordine procedebatur. *Miſcellae Lucilii*, non inde dictae videntur, quod mixtim vitia, quae carpebant, turbabantur ab his aut confunderentur, ſed, uti proxime ſignificabam, quod diverſo carminum genere luderent, fortaſſis & proſa inſerta oratione: ſunt enim in fragmentis, quae ſub legem certam carminis vix voces. Poſſunt & inde dictae videre, quod teſte Horatio, *verbis Graeca Latinis miſcerent*. Diſcurrit per omnes ferme liberales artes Capella Marcianus, ſed ita ut arti unicuique proprium aſſignet librum. id genus ſcripti *miſcellam* tamen *fabulam* appellat ipſe non uno, quantum licet recordari, loco. Sic & Boëthii de Conſolatione Philoſophiae libros *miſcellum opus* poſſis nuncupare, ob inſertum variorum genus carminum. Et haec quidem hactenus, quae tui, vir Clariſſime, arbitrii erit ſub examen accuratius vocare. Propertiano loco *mobilis* malebam, quam *nobilis*, etſi nec alterum damno, quod ſcriptos praeſtantioris notae codices ſic videbam malle. & ſane in iſta jaculatione multum poteſt mobilitas, ut tela non tantum juſſo infigantur loco, ac oculis ante deſtinato, ſed ut crebra quoque iterentur. Ita in mimicis geſtus a mobilitate plurimum laudis mutuabatur.

Artifices lateris, ſcenae ſpectacula amantur,
Tantum mobilitas illa decoris habet.

apud Naſonem. Nam aliud eſt in [1] Catalectis, *Factus & Alcides mobilitate deus.* Quod ad errores Herculis referebam: *mobilis* igitur *fundere geza*, ut apud Perſium Sat. 1. ut in vetuſtiſſimo codice inveni.

O Jane, a tergo, quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitari nobilis albas.

Quod nemo non fateatur praeſtare vulgato, *imitatur mobilis*. ſed ut hoc leve eſt, ita majoris omnino momenti de *rotis erectis*, quod ſubſequitur proxime eodem in verſu. nemo veterum, puto, dixit aut Brennum, aut Viridomarum e curru pugnaſſe, uti Heroës antiqui ad Trojam factitabant. Britannos ſua aetate e curribus pugnaſſe teſtis adfirmat oculatus divus Julius. Unde id mutuatos eſſe Belgas ſuſpicari poſſis, quibus frequentiſſima cum Britannis interceſſiſſe commercia, idem teſtatur, unde & *eſſeda Britanna* Naſoni dicuntur. De Gallis qui id ipſum dicant auctores abs te exſpecto. Quod ſi *rotas* hîc propugnandas cenſes (nam recte *rotas erectas* ferri non poſſe judicas) *e tectis rotis* fortaſſe ſit ſcribendum, ut currus conſtratos ac tectos innuat. Sed & hoc du-

rius

1 Eſt ex Rutilii lib. 1. 76. in quo verſu emendando Poëticae elegantiae ſtudioſis riſum praebuit ultimus editor.

rius aliquanto videri poſſit. De *toris erectis* nonnulla ad ipſum Propertii locum annotare memini, quae nunc non ſunt in promptu. Fuit cum ſcribendum arbitrarer, *exertis toris*, ſed eam ſententiam poſthac miſſam faciebam. ita apud Paterculum lib. II. cap. 7. *erecto laevo ſuper caput brachio*, non *rejecto*, quod parum videtur Latine dictum: erigebat nimium brachium laevum, ut latus ſiniſtrum pateret ad ictus. Praeterea *Brenno ducebat ab ipſo* correxi, quod Gallis non opiner id vanitatis adfuiſſe, ut a fluminibus deducerent genus, ut Homerici Heroes. Et ſane *Brenus* ſimplici *n* nonnumquam inveni in codicibus vetuſtis. Praeterea τὸ *Virdomari* non poſſum concoquere, & vereor, ne ex gloſſemate in contextum Propertii irrepſerit: non enim auctor caſtigatiſſimus ſolet claudere ſententiam initio hexametri: deinde cum agat de ſpoliis opimis a Marcello relatis, ſatis erat dixiſſe *Bellica cum vaſti parma relata ducis*, & ſubjungere, *Indomitum genus, hoc Breno ducebat ab ipſo.* tale enim quid videtur excidiſſe, cujus loco inſciti librarii nomen *Viridomari* inculcarint. In loco Papiniano, ſi *toros* refers ad lectos maritales, videri poſſit ſcripſiſſe potius is auctor, *Exigeretque toros*, judices enim criminum exactores. Sic *exigere vulnus*, apud Tacit. de Mor. Germ. pro inſpicere; idem verbum Petronio aliiſque reſtitui; ſed id nunc non agimus, & jam laſſi ſumus, ego ſcribendo, tu tantum ineptiarum patienter audiendo. De *pigris ſomnis* ſtatues pro arbitrio. Apud Paterc. cap. 135. locus ille, de quo nobis non convenit, comparationem habet Germanici & Druſi, quorum uterque ſeditionem militarem ſedare erant conati, ibi ignave ſe *geſſerat* (id enim verbum videtur hîc inſerendum) Germanicus, ſi quid illi credimus; contra, ut oſtendat ne Druſo quidem ſe parcere, qui Germanico immerenti inſignem fecerat injuriam, temeritatem in illo carpit, qui ancipitia & exemplo pernicioſa ſit auſus. Tu poſteriora illa refers ad milites ſeditioſos, ego referebam ad ipſum Druſum, quem hîc cum Germanico in uno eodemque utriuſque conatu comparat, nec improbabam conjecturam *Voſſii*, e ſcripta lectione *timere*, facientis *temere*, ut deſignaret hîc Druſum ancipitia quidem & exemplo pernicioſa auſum, ſed tamen utilia & rei publicae conducibilia, cum imperator tam praeſenti periculo ſe expoſuerat ac caput ſuum, in quo ſalus Romani populi verteretur. Plura reſtabant addenda, ſed charta jam deficit. *Auctoramentum funebre*, non interpretatus ſum, quod ſciam, ludos publicos, ſed Vellejum ad ludos funebres alluſiſſe volui, quibus gladiatores in caedem pretio redimebantur, uti miles ille ab Antonio redemtus in caedem Ciceronis. Hagae Comit. prid. Kal. Jun. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NOn potuit hic funeſtiſſimus rei litterariae annus inſigniri graviore clade & vulnere, quam quod ei mors magni *Valeſii* impoſuit. Κεῖται σεμνὸν ἔρεισμα Ἀθη-

Ἀθηνῶν. O dura fata & nullis aequa virtutibus, quae nec ab hoc viro ſe continuerunt, qui ſolus in Galliis priſtinam illam eruditionis, qua laude in primis floruit, dignitatem ſuſtinebat; qui tam multa & praeclara meditabatur, & ſolus docere poterat. Quis nunc praecipiet de Athenienſium republica, [1] de Critica, & aliis exquiſitis argumentis, in quibus expoliendis ὁ πάνυ diu elaboraverat? quis dabit illa ἀνέκδοτα Ariſtidis, Libanii, quae pridem promiſit? Extinctum eſt ſane lumen non ſolius Galliae, ſed totius Europae, qui Principatum eruditionis tenuit. Heu quanta nunc ubique vaſtitas, quanta ſolitudo! Barbaries plenis invecta velis late graſſabitur. Non video enim qui ſuccreſcant in locum tot heroum, quos feralis hic annus nobis eripuit. In Galliis pleraque ingenia decora nunc ſuae linguae excolendae invigilant. Neglectis vero linguis illis eruditis brevi politioris Litteraturae ſtudium exoleſcet omne. Documento eſt Italia, tot ingeniorum parens ante hos centum annos. Nunc praeter unum *Octavium* nemo eſt, qui decus id tueatur. Deum precor ut te, litterarum unicum praeſidium, diu ſervet incolumem, utque his tricis te expediat, ut tibi & praeclaris his artibus noſtris ornandis vacare poſſis, & tuas elucubrationes, quarum deſiderio poene conſeneſcimus, in lucem proferre, quae magno noſtro malo tamdiu in tenebris jacent. Vidi hiſce diebus *Rappolti* verboſiſſimum commentarium in Horatii Satyras & epiſtolas, in quo pauca ſunt, quae tibi poterunt placere, quamvis oculo tantum fugitivo illam molem annotationum libaverim. Si quid forte adſperſum eſt melioris notae, tantis tamen rerum pervulgatarum ac trivialium cumulis obruitur, ut non ſine magno taedio ſeligatur. In Petronio in titulo amphorae, *Falernum Opimianum annorum centum*, ultima verba *annorum centum* habet pro gloſſemate, delenda judicat, ac mox pro *ergo diutius vivit*, ſcribendum cenſet, *ergo diutius vivite*. Novus quoque prodiit catalogus manuſcriptorum Auguſtanae bibliothecae, ab *Ebingero* ejus cuſtode concinnatus. Geographos *Holſteinii* avidiſſime videbo, ut & marmora Seldeniana. De Satyris Romanis rectiſſime ſentis. Jampridem *Caſauboni* & Doctoris mei ſententiam ejuravi. Nam quamvis in ſatyra potuerint diverſa tangi vitia, ut in ſatura lege diverſae res juberi aut vetari, tamen illa non miſcebantur, ut a coquo jus variis rebus conditum, ſed cum unum perſtrinxiſſent, ordine progrediebantur ad aliud. Videtur tamen adverſari tuae ſententiae Martiani Capellae Satyricon: id enim non potuit ſic dici, quod ibi vitia hominum naſo ſuſpenderit, & hominum auriculas mordaci raſerit vero, ſed quod fuerit opus miſcellum, ad inſtar legis ſaturae. In jaculatione ſagittarum non video quid poſſit *mobilitas*. Vires potius & certa manus hanc artem commendant & abſolvunt. Sed artificum ſcenicorum laus praecipua eſt *mobilitas*. unde & ſaltatio dicitur *motus*. Vereor itaque ne in quibuſdam codicibus male ſcribatur *mobilis* pro *nobilis*. Sed apud Perſium nihil certius ſcriptura veteris codicis:

Nec

[1] Haec diſſertatio nuper in Belgium miſſa, una cum aliis opuſculis jam brevi operas exercebit, & in publicum exibit, niſi fidem fallant librarii: additi libri quinque Emendationum, quibus multa Graecorum ſcriptorum loca egregie emendantur.

Nec manus auriculas imitari mobilis albas.

Gallos aeque curribus dimicaſſe ac Britannos docet Livius x. cap. 20. de Gallis loquens: *Eſſedis carriſque ſuperſtans armatus hoſtis, ingenti ſonitu equorum rotarumque advenit.* Docet Lucanus lib. 1. de Belgis:

Et docilis rector conſtrati Belga covini.

Sic hunc verſum emendavit *Iſaacus Voſſius*. Hi currus, in quibus pugnabant Galli, proprie dicebantur *covini*, & videntur eorum uſum a Belgis accepiſſe Britanni. Inde Mela 3. 6. *Dimicant & bigis, & curribus Gallice armati. Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Hinc & Silius Italicus XII.

Agmina falcifero circumvenit arcta covino.

Quoniam hi covini erant *tecti*, unde Lucano dicti ſunt *conſtrati*, non improbo tuam conjecturam *e tectis rotis*. Reliqua in Propertii loco, ut a te reſtituta ſunt, vehementer arrident. *Brenno* pulcherrimum eſt. Perſuaſiſti mihi etiam *Virdomari* nomen ab imperitis hîc eſſe inculcatum. Non poſſum quoque non tibi applaudere in Vellejo Paterculo reſcribenti, *erecto laevo ſupra caput brachio.* In capite CXXV. facile patior inſeri vocem *geſſerat*; ſed *ancipitia ſibi, tam re quam exemplo pernicioſa* capienda ſunt omnino de militibus tumultuantibus. Germanicus in ſeditione legionum Germanicarum ignave ſe geſſit; ſed Druſus aggreſſus eſt Pannonicarum legionum compoſitionem, quarum turbae ſibi erant periculoſae, & re & exemplo reipublicae pernicioſae. *Mobilitatem*, quae in catalectis Pithoeanis conſecraſſe dicitur & in coelum collocaſſe Herculem, fateor me non intelligere. Vix enim credo *Mobilitatem* poni pro erroribus ejus. Sed haec expendam accuratius, ubi in id incidero. Habes hîc epiſtolam a *Broeckhuſio* & *Perizonio*. Ad utramque ſi quid reſponſi paraveris, recte a me curabitur. Habes etiam hîc catalogum bibliothecae brevi vendendae. Propediem alium videbis. Amici omnes tibi ſalutem dicunt plurimam. Vale, grande decus meum. Trajecti Batavorum prid. Kal. Jun. CIϽIϽCLXXVI. Julian.

EPISTOLA CCCLIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DE *Henrico Valeſio* ſic eſt, ut ſcribis: fecerunt litterae humaniores jacturam incomparabilem in illo capite. Utinam pauci e multis per Europam adhuc ſuperſtites, a quibus ornamentum artes ſperare poſſunt, diurnent fato meliore. Nam quod horum in numero me quoque collocabas, aut ludis ſuaviter, aut fallit te judicium tuum. Omittamus, quaeſo, verborum iſta lenocinia, quae neceſſitudinem noſtram non decent. De *Rappolti* in Horatium commentariis quid ſentirem reſcire jampridem *Carpzovius* voluit. Sed negavi librum a me inſpectum eſſe, quod vere aſſeverare poſſum. E Petronio quae proponis ab illo caſtigata, in iis lapſus eſt. Illud *vinum Opimianum annorum centum* retuli jam pridem inter argumenta, unde evinco, hunc ipſum Petronium eſſe Neronianorum tempo-

rum ſcriptorem. Falluntur enim *Valeſius* & alii, qui recentiorem faciunt. Nec tentandum, *ergo diutius vivit*; facete enim Trimalchio, ut ſibi placet ubique in jocis frigidis, quaſi invideret vino tam longaevo vitam obtigiſſe longiorum ea, quae hominibus obtingit. Capella Marcianus videtur Satyrae nomen praefixiſſe lucubrationibus ſuis, quia deos introducit de bonis artibus differentes (ad exemplum Varronis, qui id ipſum in ſatyris quandoque factitavit) nec raro acetum ſatyricum intermiſcet eruditis diſſertationibus. *Mobili* iſti *Viridomaro*, etſi Gallo, jam reddo *nobilitatem* ſuam, quia tu, Trebati docte, ſic jubes. De Gallis quoque e curru pugnare ſolitis viciſti, pleniorem tamen relaturus palmam, cum oſtenderis pugnantem e curru Viridomarum a Marcello caeſum: nam quo modo tam propinquus ad falcatum currum acceſſus potuerit dari, ut caput enſe demeteret Viridomari, non video. ſcis quae ſequuntur, *Illi virgatis* &c. Velleji locum accuratius perpendam. interim & is tibi debet ſalutem. Plura reſtabant in eo ſcriptore excutienda, nec contemnendae forſan illa notae, ſed nunc nec vacat, & malo iis de rebus garrire tecum, quae tam altae non ſunt indaginis, & reſponſum minus procraſtinatum a te pollicentur mihi. Ingens volumen inſcriptionum antiquarum, quibus & Seldeniana accedunt, e Britanniis a praelo recens ad me perlatum eſt. Roma exſpecto praeter columnam Trajanam & Antoninianam, aliaſque nuperae editionis antiquitates, Aſcetica Nili, catenas SS. Patrum in Marcum, vitam Octavii Pantagathi, Fulvii Urſini & Angeli Collotii, quae partim eminentiſſimus *Barberinus* munus ad me mittit, partim meo aere *Goeſius* noſter mihi comparavit. Habui a *Daumio* & *Gebhardo* Uratiſlavienſi proxime, ſed quae nihil fere majoris rei complectantur. *Gebhardus* mittit excerpta Virgiliani *Codicis*, *Daumius* Palponiſtam ſuum, & *Reineſii* & *Vorſtii* epiſtolas. Ad *Broukhuſium* habes hîc reſponſi nonnihil. *Perizonius* per te licet certior fiat, omnia ſua cauſa me velle. Sed praeſtolanda erit occaſio, qua res ejus in tuto collocentur, quae hactenus nulla apparet. Vale, Flos amicorum, & hominum praeſtantiorum, cum amicis omnibus. Hagae 14. Jun. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NUlla ſunt verborum lenocinia, nullae fucatae laudes, nihil do tuis auribus, cum te in principibus ingeniorum numero, qui praeſtantiſſimas artes praeclaris lucubrationibus ornarunt. Facio hoc diis hominibuſque approbantibus. Nemo enim eſt, qui noſtras artes intelligit, qui tibi non faſces ſubmittat. Sed haec apud alios malo, quam apud te, qui minime blandus ſum, & artium patriciarum parum gnarus. *Rappolti* conjecturam in Petronio merito improbas, *Valeſio* miror quî in mentem venerit, Petronium rejicere in tempus tam longe a Neronianis remotum. Palmarium argumentum ejus de picturae corruptione

&

& interitu, de quo Petronius agit, liquidiſſime refutat Plinius Hiſtor. Natur. lib. XXXV. non uno loco. Cap. I. *Primum dicemus, quae reſtant de pictura, arte quondam nobili, tum cum expeteretur a Regibus populiſque, & illos nobilitante, quos eſſet dignata poſteris tradere: nunc vero in totum marmoribus pulſa, jam quidem & auro, nec tantum parietes toti operiantur, verum & interraſo marmore, vermiculatis ad effigies rerum & animalium cruſtis.* Cap. II. *Imaginum quidem pictura quam maxime ſimiles in aevum propagabantur figurae: quod in totum exolevit. Aerei ponuntur clypei, argenteae facies ſurdo figurarum diſcrimine, ſtatuarum capita permutantur, vulgatis jampridem ſalibus etiam carminum. Adeo materiam malunt conſpici omnes, quam ſe noſci. Et inter haec pinacothecas veteribus tabulis conſtruunt* (ſic malo pro *conſuunt*) *alienaſque effigies colunt.* vide ibi plura. Et mox in eandem ſententiam, qua Petronius uſus, dicit: *Ita eſt profecto, artes deſidia perdidit: & quoniam animorum imagines non ſunt, negliguntur etiam corporum. Aliter apud majores. in atriis hae erant quae ſpectarentur, non ſigna externorum artificum, nec aera, aut marmora.* Cap. V. *Hactenus dictum ſit de dignitate artis morientis.* Plura in illo libro leguntur, quae Valeſianam hanc arcem expugnant. Marciani Capellae miſcella num hoc nomine Satyricôn poſſint inſcribi, quod deos introducat, & nonnunquam, quamvis rarius, nonnihil aceti adſpergat Satyrici, oblectationis cauſſa, equidem dubito. Nam Varro in Satyris ſuis, quibus vitia hominum perfricuit ſale nigro, potuit jure ſuo Deos introducere, ut & Lucianus in dialogis fecit. Sed ſi num propterea, cum in alio argumento, quod non inſtitutum eſt reprehendendorum depravatorum morum cauſſa, quamvis id nonnunquam in tranſcurſu quaſi faciat, ut fere omnes amant, nonnihil querelarum de corruptione morum interſerere, (in Plinii hiſtoria naturali nihil eſt frequentius) Dii introducuntur, is libellus poſſit dici Satyricon, tu videris. Nondum poſſum huic ſententiae ſubſcribere. Apud Propertium verſus ille

Illi virgatis jaculanti ab inguine braccis

mire corruptus eſt. *ex agmine*, ut nonnulli emendarunt, nimis recedit a veſtigiis veteris ſcripturae. Nihil plenius lectione, quam neſcio quibus ex libris aut editionibus affert *Paſſeratius:*

Illi, virgatis velantibus inguina braccis,
Torquis ab inciſa decidit unca gula,

quae ſi priſcorum codicum fide nititur, editis longe eſt praeferenda. Poteſt autem ſic intelligi, ducem illum Belgicum a Brenno genus ducentem, & de curru pugnantem, a Claudio fuiſſe interfectum ſive ſagitta, ſive haſta, & poſtea caput ejus amputatum eſſe ac torquem detractum. In Vellejo ſi porro tuam navare volueris operam, nihil narrare poteris mihi auditu gratius. Inſcriptiones Britannicas cupide videbo, cum ad nos veneris, ut & quae ex Italia expectas, in primis parietinas Lateranenſes, columnam Trajani & Antonini, & Panthagati ac Urſini vitam. Ampliſſimus *Terborchius*, quem heri hic vidi, tibi juſſit ſalutem nunciari, ac ſignificari, ſe tuam cauſſam apud Syndicum Hollandiae oraſſe, qui fidem dederit ſe omni ſtudio & contentione tuis commodis invigilaturum, & incubiturum huic rei, ut tuis juſtiſſimis deſideriis

 ſatis-

ſatisfiat. Putat nunc e re tua eſſe, urgere & inſtare, ut tandem his moleſtiis defungaris. Plura vellem, ſed per temporis anguſtias non licet mihi eſſe prolixiori. In Valerio Flacco lib. I. verſum 681. ſic interpretor, reliquos omnes Argonautas vota Jaſonis voce & ſublatis dextris probaſſe ac rata habuiſſe. Sed de his alias uberius. *Monachium* veniſſe gaudeo. Vale, decus literarum & ſeculi. Trajecti a.d. VIII. Jun. CIↃIↃCLXXVI. Julian.

EPISTOLA CCCLXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PRaeter Plinii loca, quae producis adſtruendae Petronianae de pictura ſententiae, a me quoque in adverſariis annotata, & Vitruvii & Velleji nonnulla produci poſſent, quae Plinio ſubſcribant. Vellejus certe inter artes deficientes Plaſticen recenſet, Vir Clariſſime. De Propertio, cum is nunc non ſit in promtu, non habeo quid dicam, niſi ſic, ut legendum mihi videbatur jam olim, me reſtituiſſe ex vetuſtorum codicum auctoritate; ubi Bibliothecam dabitur excutere, certiora potero proferre. *Le Monium*, ſive tu *Monachium* mavis, ſalutavi apud Leidenſes, ſed & ille heſterno die me quaeſivit Hagae, utcumque fruſtra, cum Lugduno rediiſſem. Vir eſt profecto ad unguem factus, & mire cum doctus, tum elegans, nam praeter ſtudia Theologica in humaniori litteratura profectus fecit haud poenitendos. Ampl. *Terborchio* eſt ſane quod debeam, adeo promta viri officia ubique experior, quo indignius fero me, Leidae cum eſſem proxime, commodis ejus non potuiſſe a me conſuli. Nam ſcriptores Byzantinae hiſtoriae, quos florenis CCLXX vel LXXX. licitatos cupiebat, exceſſere pretium illud. In Valerii loco ſi legimus, *dextraeque ſequuntur*, quod ſcripti comprobant, vix ſenſum commodum eliciemus e loco perplexo: nam Τὸ *que* redundat. Opinor igitur *dextraeque* ſcribendum, quod *Turnebo* aliiſque jam olim arriſit. non bene *Aldus*, aliique *Aldum* ſecuti, *dextraeque ſequuntur*. Fuit cum vellem, *Oritur clamor mox dextra ſequentum Verba ducis.* quaſi omen verborum dextrum acclamationes, ut fieri ſolitae, proſequerentur. Sed nunc prioribus acquieſco. Ingens proventus eſt Poëtarum, Poëtriarumque apud vos, ut video, quos jure Perſius *corvos picaſque* appellabat *pulvinares*, cum nihil crepent praeter Orpheos & Sapphones: nam qui connivent ad iſta, jam Homerum caecitate imitantur. haec, cum alia non habeam ſcribenda. Heſychio parentis mei quid fit? quid catalogo, quem proxime pollicebaris? Vale, Graevi ſuaviſſime. Hagae Comitum 19. Jun. CIↃIↃCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA CCCLXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TAntum quod, quae rem tuam familiarem curat, ad nos pervenerat, cum tuae mihi gratiſſimae redderentur. Per multos ambagium flexus & circuitiones quaeſivi, quid rerum gereret ſoror, reſpondebat ſe nihil de illa accepiſſe, a quo Amſterodami conſcenderit, cras ſe illam expectare aut ſaltem litteras, ut valde verear, ne quae fama ſparſit vera ſint. Ait ſe terreri ſomniis formidoloſis, ante non multos dies mortuam manum de nocte ſuas malas tractaſſe: ſibi impendere fatum aliquod acerbum, gaudebat incredibiliter, cum tuas videret litteras. Nam de tua ſollicita erat valetudine. A Duce *Montoſerio* litteras habui, ſed nihil novi narrantes. Scribit ſe inſulas Meurſianas accepiſſe, & ad utrumque noſtrum ſuperiore menſe litteras dediſſe, quas nobis traditas eſſe ſperat cum libris miſſis. Litteras tuas ad Ampliſſimum *Terborchium* hac veſpera committam fidei hemerodromorum Swollenſium. In Valerio Flacco ſemper probavi conjecturam *Turnebi*. Scis autem manibus elatis ſolere milites promittere ducibus, quae vellent promittere. Lucan. lib. 1.

Elataque alte, quaecunque ad bella vocaſſet,
Promiſere manu.

Sic enim legendum. Vulgo male, *elataſque alte promiſere manus*. Si quando vacat Vellejum in manus ſumere, emendationum optimarum meſſem uberrimam expecto. Vale, vir Nobiliſſime & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XI. Jun. CIƆIƆCLXXVI. Julian. *Monachium* (ſic ipſe gaudet nominari, ut ex litteris Latinis non unis ante multos annos ad me datis, ut & ex carmine Graeco Geographiae ſacrae *Bochardi* praefixo conſtat) pridie compellavi, & ut proximis feriis ad nos tecum excurrat rogavi. Vir utique eſt inſignis, quem olim nobis vindicare ſtudui. Sed vicit fortuna Lugdunenſis Academiae. Tu ſi quando eum videris, fac ut ei perſuadeas, ut hîc aliquot dies confabulando tranſigamus.

EPISTOLA CCCLXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DEnuo moleſtus tibi ſum: auget enim ſollicitudinem meam, quae meis ultimis reſcripſiſti; hodierno die ad me perlata. Arbitror quippe e re illius eſſe, ad quam haſce vides exaratas, ut ſeſe aut Harlingam conferat quamprimum, aut Amſtelaedamum, in ſororis ſtatum qualemcumque illic inquiſitura certius; niſi literas jam ab ipſa accepit, per quas ſecura eſſe jubeatur: nam

nam niſi Harlingam advolet mature, praevideo non defore illic vulturios, qui facultates feminae ſimplicis arrodant, ſi quid ei humanitus acciderit accidatque in poſterum, hoc praeſertim tempore, quo furta & rapinae in morem abierunt, etiam eis, qui perſpectae integritatis eſſe credebantur. Et haec quidem hactenus. De caeteris *Turnebi* conjecturam in Valerio Flacco amplector & ipſe. De *dextris* tamen elatis a milite quidem duci pollicente exemplum quaero, omni librorum ſuppellectile excluſus: nam in Lucano nil videtur mutandum. Non enim bella promittebant milites, ſed manum in bella, & hanc quidem promiſſae rei fidem facturam in altum tollebant. *Manus* autem pro opera militum poſuit Lucanus. Hinc *manus*, & *dextrae* pro ipſis militibus apud antiquos ſcriptores, Poëtas praeſertim. Sed de ſtudiis communibus copioſius alias confabulabimur. Cras Lugdunum rurſus cogito, ut *Monachium* conveniam. De Libris, quos Rothomago pridem exſpectamus, miror tam altum eſſe ſilentium: aurem igitur tacenti *Elzevirio* vellebam hodie denuo per litteras, ut ſignificaret quamprimum, quid ſperare deberemus. Pudet enim pigetque tantum temporis effluxiſſe, non actis gratiis duci *Montauſerio*, quas merebatur peringentes pro inſigni munificentia. Vale, virorum praeſtantiſſime 21. Jun. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas mihi miſiſti Vianam curandas illico perlatae ſunt, ut dudum, credo, ex reſponſo intellexiſti, quod tuae repoſuit. Nihil interea de fatis mulieris illius accepimus. Si tibi in Friſiam erit excurrendum, quis domi ſervabit? quis curam geret tuae bibliothecae & rei familiaris? Vereor ne haec ſollicitudo, cum tibi per iſtam hominum veſtrorum importunitatem non liceat domum reviſere, tuas augeat moleſtias. Sic novae ſemper acerbitates, quae nos miſeros urunt mordentque, & ſi quid laeti forte evenit, obfuſcant, offunduntur, ut plus fellis in hac omni vita ſit, quam ſuavitatis. Dextram olim ſuſtuliſſe milites, cum concionanti imperatori acclamarent, ex non uno ſcriptore priſco licet colligere. Loca quidem, quae notavi, nunc quaerenti obvia non ſunt, ſed incident tamen non longe poſt, credo, in manus meas. Iſte ipſe locus Lucani, etſi non ſollicitetur vulgata, ſatis hoc probat. Cur enim manus tollebant, niſi quod illo ſigno promtam ſuam operam vellent facere teſtatam? Hac ratione ſuam voluntatem ſtudiumque declarabant. Vide quoque in Croyacis tabulis in XXXVIII. nummum XXII. elegantiſſimum, ubi Hadriano concionem habenti populus elatis dextris acclamat. Corippus lib. II.

Alterniſque ſibi reſponſat agmina dictis,
Emittunt pariter dextras, pariterque remittunt.

De libris nobis dono miſſis ab Illuſtriſſimo Duce *Montoſerio* quid tandem futurum

rum ſit avide expecto. Modo ne in portu Anglicano naufragium faciant. *Monachium* ſpero tecum proximis feriis ad nos excurſurum: nam nihil veſtro complexu mihi eſt expectatius. Catalogus, quem promiſi, nondum vidit lucem, nec, puto, ante caniculares videbit. Sed τοῦ μακαρείτου *Hogerſii* libri brevi venum ibunt, quorum indicem indies expecto, bonis libris refertiſſimum. In Heſychio parentis tui non longe proceſſit *Bynaeus* noſter, quoniam occupatus fuit aliquandiu in pervolvendis libris & ediſcendis, quos memoriae mandatos oportet habeant, qui in candidatorum Theologiae cenſum volunt referri. Hac cura cum nuperrime ſit defunctus, & ſpe teneatur propediem in vico quodam amoeno vicino cathedram eccleſiaſticam obtinendi, brevi ſe totum huic operi conſummando daturum promittit. Non ego deſinam urgere hominem. Vale, vir ſumme, & me ama. Trajecti Batavorum poſtrid. Id. Jun. CIƆIƆCLXXVI. En tibi litteras a *Cupero*. Locis illis, quibus nuper probabam Gallos in curribus dimicaſſe accenſeas licet hunc Flori, qui eſt in libro III. Cap. II. de bello Allobrogum: *Nihil tam conſpicuum in triumpho, quam rex ipſe Bituitus, diſcoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat.* Si librum IV. belli Gallici cap. 33. inſpexeris, videbis ut Viridomarus in eſſedo pugnans potuerit caedi. Nam eadem ratio in curribus certantium Belgarum fuit, quae Britannorum.

EPISTOLA CCCLXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PEriſſe naufragam ſororem illius, cui rem familiarem curandam credidi, non dubii rumores, ut videri poterant, ſpargebant; ſed faemina ex proximis agnatis ejus, cujus capiti timebatur, hunc Amſtelaedamo nuntium ad nos perferebat, incaute profecto, cum tale nihil factum nunc intelligamus. Angebat haud modice hunc animi fluctuantis aeſtum, quod non videbam, cui domum traderem ſervandam, vacillante per ſummam temporum injuriam fide propemodum omni, ſi in Friſiam evocaretur illa, quae hanc ſpartam adornandam jam a multis annis ſuſcepit; ſed nunc in ventos abiere timores. Tibi interim, mi Graevi, plurimum a me debetur, quod nec gravatus ſis in partem venire ſollicitudinis, qua urebar, & in literis curandis operam mihi navam ac diligentem multis approbaſti. De *dextra* a militibus ſublata, cum fidem & obſequium imperatori ſponderent, rem planam & perſpicuam feciſti, quod Lucano eſt *elatas manus promittere*, in cujus verſu praeſtat nihil moveri. De Viridomaro etiam pugnante e curru magis ac magis tibi accedo, ac proinde *rotas* Propertianas haud eſſe mutandas in *toros* minimum abeſt, quin cenſeam. Et fors ſit, ut dederit Propertius. *Nobilis aeratis fundere geza rotis*; ut *rotae aeratae* ſint *falcigerae*. Sed & ex ipſis rotis tela aliquando dirigebantur in hoſtes, ut memini legere apud Vegetium, alioſque rei militaris ſcriptores. Nautam, qui

munus *Montozerianum* ad nos ſit laturus, a piratis metuentem in Tameſin fluvium ſe recepiſſe, atque illic etiamnum haerere, *Elzevirius* adfirmat. *Monachius* dicitur oraturus die Veneris proximo. Si ſub id tempus Leidam excurres, me fortaſſe illic videbis, quod velim maxime. Ob litteras *Hogerſii* ad me miſſas plurimum te amo. *Bynaeus* utinam Heſychio manus admovere pergat: noſtri enim a quorum nutu haec pendeant, & metus eſt, ne librum intempeſtive prorſus repetitum veniant. vale, 27. Jun. CIƆIƆCLXXXVI.

EPISTOLA CCCLXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

GAudeo ſane hac quoque cura & ſollicitudine de illius foeminae, cujus fidei credidiſti tuam rem familiarem, itinere te defunctum eſſe, & falſos fuiſſe rumores infauſtos de naufragio ſororis. Oppido pauci enim ſunt, quibus tuto credas. Accedo ſententiae tuae, nihil in Lucani verſu eſſe mutandum. Firmabo hanc ſententiam brevi luculentioribus exemplis, cum mihi licuerit otioſius ſcidas meas excutere. In Propertio proxime a veſtigiis antiquorum librorum abeſt illa ſcriptura, quam in noviſſimis litteris probas: *Nobilis aeratis fundere geſa rotis:* non poſſum non eam amplecti. Nauta, qui *Montauzerianum* munus fert, neſcio quos apud Lotophagos deſidet. Sed praeſtat accipere θεῶν ἐρικυδέα δῶρα ſero, quam nunquam. Cautus homo metuit, ſi ſine praeſidio ſe committat alto, ne tam ventis, quam illis myoparonibus hoſtilibus, omne mare infeſtum reddentibus, ludibrium debeat. Habes hic litteras a *Perizonio*, & duo Catalogi Hogerſiani exempla, quorum alterum tibi debetur, alterum velim meo nomine tradas Reverendo *Lemoynio*, addita, ſi indri grave fuerit, ſalute plurima. Spero me vos brevi hic complexurum, quod ſi *Ryckium* quoque noſtrum vobiſcum adduxeritis, nihil poterit ad voluptatis ſummam, quam ex veſtris capiam ſermonibus, accedere. Per exercitae ſtationis meae munera, quae cum maxime fervent, inſtante tempore, quo res erunt proferendae, mihi non integrum eſt ad Lugdunenſes excurrere, quamvis nihil mihi ſit optatius, quam audire diſertum illud os, a quo tantus populus Rhotomagi tanta cum admiratione pependit. Apud Valerium tuum libro I. Argonauticon verſ. 941. Minerva

Moliri hunc puppem jubet, & demittere ferro
Robora: Peliacas & jam comes exit in undas.

Sed quae ſunt iſtae *Peliacae undae*? Procul dubio legendum:

Peliacas & jam comes exit in umbras.

Ovid. *nec habet jam Pelion umbras.* Sed haec deleo. Video enim jam alios praecepiſſe. Sed verſ. 136.

Antra petens Siculo revocat de littore Cyclops.

Pendet hic ſenſus. Nemo enim eſt, qui revocatur: forte ſcripſit Valerius:

Antra

Antra premens Siculo hanc revocat de littore Cyclops. Super antro ſtans Galatheam revocat. Pro hoc Valeriano expecto aliquid Vellejani, quod nuper promittebas. Vidiſtine *Kuhnii* animadverſionum in Pollucem ſpecimen Argentorati editum? Dignum ſane eſt, quod a te videatur. Non prodiit cultior & doctior libellus in Germaniis ab aliquot annis. Vale, vir ſumme, & Cl. *Ryckio* ſalutem dic meo nomine verbis amantiſſimis. Hanc tibi tradet uxor mea, quae Lugdunum excurrit. Trajecti Batavorum a. d. XXII. Jun. CIↃIↃCLXXVI. Juliani.

EPISTOLA CCCLXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NOn diſplicere tibi conjecturam meam, quamvis mihimet ipſi vixdum ſatis probatam, in Propertiano verſu de *rotis aeratis* Viridomari, haud parva equidem voluptate me perfundit, animumque addit ad alia id genus complura tuo arbitrio permittenda, ſimulatque recollegero me ex itinere Leidenſi ac Rotterodamenſi, a quibus etiamnum fatigatus nonnihil langueo. Quid quod in conventum Ordinum Hollandiae craſtinum praeparanda ſunt nonulla, ſi quam rationem mei ab illis cupio haberi. Speraveram equidem fore, ut ad audiendum *Lemoynium* mecum concurreres. Sed quando me ſpes ea eſt fruſtrata, ſalutatione tua apud virum eximium ſum defunctus, indicemque Hogerſianae bibliothecae, ut juſſeras, in manus illi tradidi. De *Montozeriano* munere quid exſpectandum ſit nobis fateor me non videre, poſt ſpem toties eluſam. In Flacco Valerio lib. I. verſ. 95. *Peliacas umbras* jam repoſuerant olim *Baptiſta Pius*, *Sabellicus*, *Maſerius*, *Aldus*, quos ego in editione mea ſum ſecutus. Nam *Carrion*, quod ſcriptos codices audire maluit, hoc loco fruſtra fuit. Sic & inf. verſ. 122. legendum forte, *Haemonias oculos detorquet ad umbras*: nondum enim conſtructa Argo Haemoniis undis innatabat. Sed hoc levioris rei. Verſ. 136. locus a prava diſtinctione laborat, de qua nos in annotatis noſtris. Scribe

Proſequitur nudis pariter Galatea lacertis
Antra petens: Siculo revocat de litore Cyclops

verſ. 148. *Nigro Neſſus equo fugit.* quis nigrum fuiſſe Neſſum, qua equus erat, veterum dixit? deinde quid hoc hic loci ad rem? ſcribendum utique, *Aegro Neſſus equo fugit.* Fuit enim vulneratus in hoc adverſus Lapithas conflictu Neſſus, ut apud Naſonem eſt videre. Simile mendum inſedit codices Papinianos Silvar. V. Pietate Abaſcantii, ubi legendum, *Aegra domus queſtu*, non *nigra*. & haec quidem pluribus quam propoſitum erat. Vale, praeſtantiſſime hominum eruditiorum. Hagae 6. Jul. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

INvitus [1] binis tuis amantiſſimis reſponſum, tam diu debui. Superiorem hebdomadem exemerunt amici, quos ex vicinis urbibus & agris excitarant nundinae noſtrae, qui ſalutationibus, ambulationibus & vocationibus me hominem, ut noſti, tenerioris frontis poene confecerunt. Hanc vero hebdomadem eripuit mihi adverſa valetudo, & interceſſit, ne dare poſſem, quam volebam, tibi & Muſis operam. Graves enim faucium dolores & tumores, indeque nata febris me lecto affixerat. Nunc cum nonnihil reſidere coeperint, nihil mihi prius fuit officio, quod tibi eſt perſolvendum. Litteras tuas ad *Perizonium* illico curavi, cum domum rediiſſem Leida. Sequente die Martis, quo tuae noviſſimae mihi tradebantur, cum indice librorum, quos Nobiliſſimus *Zeleemius* deſiderabat, ad eundem *Perizonium* ſcripſi, veſperique eam epiſtolam hemerodromis Swollenſibus commiſi: quam ſequente Mercurii illi redditam eſſe ſpero. Alia nulla ratio Daventriam mittendi hinc datur, niſi die Jovis, cum auriga illuc contendit. Vereor autem ne ſerius eo pervenerit. Miror pridie nihil litterarum a *Perizonio* ad me fuiſſe perlatum. Vidi *Plymerum*, qui illam auctionem obierat. Care venditos eſſe libros aſſeverabat. *Boiſſardi* antiquitates longe minore pretio tamen, quam quod eis conſtituerat *Zelemius*, ſibi vindicaſſe Ampliſſimum *Terburchium*, ut & *Cluverii* opera, narrabat. Sed certiora propediem a *Perizonio* habebimus. Donum Illuſtriſſimi Ducis *Montoſerii* tandem ſalvum ad nos pervenit. De legibus municipalibus Cimbrorum, quas dicuntur tuliſſe olim de ordinandis teſtamentis, ſi quid explorati ex Germania perlatum ſit, quaeſo ut mecum communices. Vellem quoque tabularum utrarumque exemplum poſſit haberi. *Broekhuſius* tibi ſalutem dicit, & litteras promittit, noſque bene de Philippopoleos expugnatione jubet ſperare. Nunc ὁμηρικῶς ad tuas priores non nihil. *Haemonias oculos detorquet ad undas* non videtur refingendum in *umbras*. Nam pinus jam caeſae erant, & Argo texebatur in littore maris Theſſalici, non in ſylva montis Pelii. Diſtinctionem illius loci

Proſequitur nudis pariter Galatea lacertis.
Antra petens: Siculo revocat de littore Cyclops,

qui non probat, nihil videt in his litteris. verſ. 148. emendatio *Aegro Neſſus equo* perplacet etiam, firmata Naſonis egregio loco. Verſ. 199.

Sed non ſponte feror, nec nunc mihi jungere montes
Mens tamen, aut ſummo depoſcere fulmen Olympo.

Τὸ *tamen* valde friget, aliae editiones prae ſe ferunt *tumet*. Vereor ne *tamen* hoc na-

[1] Omiſi alteram, quia nil continebat, niſi mandata de emendis libris *Seelhemio* in auctione Hogerſiana, quae hac epiſtola repetuntur.

natum ſit ex oſcitantia librarii repetentis *mens men*, inde alii finxerunt *tamen*, pro quo legendum forte *mens eſt*. Nihil tamen hîc definio. Video *tamen* poſſe tollerari. Sed in ſequente verſu non intelligo haec.

Ne Peliae te vota trahant.

Cogitabam: *Me Pelias, me vota trahunt*, ut cum non ſponte hanc expeditionem ſe ſuſcepiſſe teſtatus ſit, nunc dicat quid ad eam ſubeundam ſe compulerit. verſ. 229. rectius mihi videntur vetuſtiores editiones ſcribere,

Non pallore oris,

non ut recentiores, *non pallore viris*. Κακωφώνητος eſt fateor. Sed optimos poëtas a talibus abhorrere tu non es docendus. verſ. 231.

Cui genitor tribuit monitu praenoſcere divum
Omina, ſeu flammas, ſeu lubrica cominus exta,
Seu plenum certis interrogat aëra pennis.

Num parens monitu deorum illum docuit futura cognoſcendi artem? Non videtur ſic ſcripſiſſe Valerius, ſed potius:

Cui genitor tribuit monitus praenoſcere divum,
Omina ſeu flammae, ſeu lubrica cominus exta,
Seu plenum certis interroget aera pennis.

Monitus Divum ſunt ſigna illa, per quae futura praeſignificant, quae poſtea commemorat. Sic ſaepiſſime loquuntur non poëtae ſolum, ſed & Hiſtorici & oratores. Lucanus libro 1: 587.

Fulminis edoctus monitus, venaſque calentes
Fibrarum, & motus volitantis in aëre pennae.

Sic exiſtimo iſtum locum legendum, cum in editis ſit, *fulminis motus*, & *monitus volitantis pennae*. Vale, vir perilluſtris & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XXI. Sextilis CIↃIↃCLXXVI. Julian.

EPISTOLA CCCLXIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NUtare valetudinem tibi, & minus e voto reſpondere, equidem perinvitus e tuis heſterno die ſum edoctus. Mirari itaque deſino, quod tanto tempore tacueris, qui ſolebas eſſe in exarandis litteris mirifice navus ac diligens. Jamque obliqua cavillatione inſimulabam criticam inſulſam prorſus ac fatuam, quam, ut ſaepe alias, opinabar ſilentii hujus praecipue nunc eſſe in cauſſa, dum te gravioribus inhaerentem nequicquam avocat, mi Graevi. de *Haemoniis undis* ad Flaccum Valerium ſit, ut voles: neque enim id pro oraculo, ut ſcis, venditabam. verſ. 199. e caſtigatione *Baptiſtae Pii* codices typis deſcripti majorem partem agnoſcunt, *nec nunc mihi jungere montes Mens tumet*: recte ut opinor, cum in ſcriptis, *mens tamen* conſtanter legatur. pari modo caſtigabam lib. 11. verſ. 103.

Neque enim alma videri
Jam tumet, aut tereti crinem ſubnectitur auro.

cum in ſcriptis ſit, *jam tum ea cum reti*, niſi quod in ſecunda Vaticana *jam tunica aut tereti.* vide annotata noſtra ad Claudiani Bell. Gild. verſ. 330. Adludit autem ad Gigantomachiam. Quod ſequitur haud quaquam ſollicitandum, *Ne Peliae te vota trahant.* Neptune, inquit, ne te filii tui Peliae vota trahant, qui mare nobis infeſtum imprecatur: illius juſſis ſuſcepimus hoc iter illicitum; non noſtra ſponte: ſupr. verſ. 154.

Inviſae Pelias freta tuta carinae
Optet, & exoret noſtris cum matribus undas.

Verſ. 229. ſcripti conſtanter, *non pallore viris*, hoc eſt Argonautis. Τὸ *oris*, quod editiones exhibent nonnullae, duriuſculum, e *Sabellici* conjectura eſt, & in mea expreſſerunt operae Typographicae. Nam pallor per ſe deſignat oris pallorem: ſupra verſ. 149. *haec quamquam miranda viris* &c. Sic paſſim noſter verſ. 231. pulcherrime mihi viſus es reſtituiſſe de *monitu deorum*, & *ominibus flamnae*, etiam apud Lucanum de *fulminis monitu.* quod & ego ex ſcriptis melioribus meo in codice annotavi, ut videbis aliquando. Sed ni fallor, Grotiana editio id jam occupavit. *Zeelhemio* non potuiſſe nos gratificari doleo equidem in auctione nupera. Alterius fratris res malo eſſe loco pergent, obniſis hactenus Gornichemienſibus, ne in integrum reſtituatur, ac judici obloquentibus, cujus ſententiam in reum latam typis deſcribendam curarunt, additis commentariis peracerbis ac in vulgus emiſſis. *Grotio* dies dicta eſt in menſem ſeptembrem a judice, quando cauſa ejus orabitur palam in foro. Sed & praetor Haganus loco motus eſt, dum meretriculas fraudulenter nimis ſubornat in adulteros parum cautos, quorum multos] vaferrime, nec ſine ingenti emolumento ſuo, deprehendit in flagranti delicto, & quidem reipub. admotos ac primarios viros. Alterius nuper mortui viduae dies etiam dicta eſt ob peculatum admiſſum, ut ajunt. Hagae Comitum III. Auguſt. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

DE locis Valerii Flacci, de quibus nuper agebamus, tuae ſententiae non poſſum non ſubſcribere. Nam verſ. 199. lib. I. legendum eſſe ex caſtigatione *Baptiſtae Pii*

— — — Nec nunc mihi jungere montes
Mens tumet,

tibi tam docte hanc emendationem aſſerenti quis non aſſentiatur? Tuis perſuaſus rationibus in poſterum non ſollicitabo lectionem codicum verſ. 229. *non pallore viris.* Sed in illo loco. *Ne Peliae te vota trahant* nondum poſſum tuae accedere ſententiae. Non enim ſuccurrit memoriae ſimile loquendi genus apud

apud ſcriptores latinos. Exponis, ne te Peliae vota moveant. Senſus, fateor, eſt optimus, ſed vide num *trahere* ſic poſitum eſſe uſquam poſſis oſtendere. Aliud eſt, *trahit ſua quemque voluptas*, ut tu ipſe facile vides. Sed *ne te trahat hujus aſperitas, facilitas*, pro te moveat ut hoc facias, videtur mihi a conſuetudine Latine loquentium alienum eſſe. In verſ. 231. gaudeo tibi meam probari emendationem: & conjecturam meam in Lucano veterum codicum praeſidio, & tua ſententia firmari. Editio Grotiana nondum occupavit hunc locum. nec in notis ullam facit mentionem ullius ſuſpicionis de ejus depravatione. Sed ſilentio cum praeterit. Apud Valerium Flaccum lib. I. verſ. 44. legendum cenſeo: *Non mihi Theſſalici impietas culpanda tyranni.* vulgo *pietas*, refragante, ut mihi videtur, ſententia. Inferius verſ. 65.

quos caerulus horror
Et madido gravis unda ſinu, longeque ſecutus
Imber, ad Aeoliae tendunt ſimul aequora portae.

Quae ſunt *aequora Aeoliae portae?* ſi dixiſſet ad inſulam, ad littora Aeoliae portae ferrem: ſed *aequora* non capio. Vide an ſcribendum ſit: *Ad Aeolias tendunt ſimul aequore portas* cum aequore irato tendunt ad carcerem Aeolium, ira maris & atrocitas fluctuum aeſtuantium ſedabatur & in Aeolium antrum, cum hyeme & imbre intrudebatur. *Simul* pro *cum*, ſexto cum caſu apud Tacitum alioſque occurrit non infrequenter, ut apud Homerum ἅμα. Sed haec tui ſint arbitrii. Si me rectiora docueris, non invitus hanc opinionem exuam. *Ludovici Hugenii* vicem doleo, & ſpero ex his malis eum ſe emerſurum eſſe. Gorichemienſium infinitae querelae hic quoque differuntur. Sed ſententiam judicum nulli vidimus. *Moleſchotius*, ſi peculatus reus eſt, luat. *Grotius* ut majeſtatis crimen a ſuo capite amoliatur vel parentis nomine opto. De Praetore Hagano coram; brevi, ut ſpero, ſuaves audiemus fabulas. A *Luca Langermanno* litteras habui. Queritur ſe bis ad te litteras dediſſe, ſed nihil reſponſi tuliſſe, ut dubitet ubi locorum aut gentium agas, idque ut ei ſignificem rogavit. Scripſit mihi quoque de legibus municipalibus Cimbrorum de teſtamentis ordinandis, de quibus agam proxime. Nunc cogor abrumpere. In anteceſſum haec habe, ſpem omnem teſtamenti noviſſimi Sciaſſiani diſcutiendi decolaſſe, ut audies brevi. Vale, meum decus. Trajecti Batavorum a. d. xxx. Jul. CIϽIϽCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NUnquam mehercules rerum magis incertus vixi, quam nunc vivo: adeo de die in diem me trahunt procraſtinantque, qui juvare debebant, cum poſſint. Hoc cum dico, jam intelligis, quam mei non ſit arbitrii, quod vellem tamen unice, Vianam me conferre in nidum meum. De valetudine tua

tua mire eram ſollicitus, de qua nunc me melius ſperare jubent tuae litterae. De Tabulis Schiazzianis opportune mones. Jam exaratae ſunt, credo, a proceribus noſtris litterae ad illum, qui res foederatorum Belgarum curat Hamburgi, *Romero* datus ſucceſſor. Sed is hac in aula etiam num moratur, quod exciderat monere cum proxime te appellabam. Optimum *Langermannum* jam, credo, millies rogavi, ut ſi quas ad me mitteret, eas *Danieli Elzevirio* inſcriberet, ita fore, ut tuto ad me perferantur. Quod cum ille poſt toties repetitas preces negligat, non miror litteras ejus in via perire. Nullas certe ab illo accepiſſe me hoc anno, aut ſi quas accepi, non defuiſſe reſponſo memini. In Valerio Flacco *vota* aut *preces trahere* aliquem cur dici non poſſint, aeque ac apud Naſonem lib. I. artis *trahunt promiſſa puellas*, haud video. Sic *dictis* alicujus *trahi* idem ex Ponto lib. III. El. 5. *arte, ſtudio nominis fulgore trahi*, & multa id genus alia apud illum occurrunt. Plinius XXVI. 3. *trahebat praeterea mentes artificio mirabili*. Apud Flaccum eumdem lib. I. verſ. 244. nihil immutandum videtur: nam *pietas culpanda* impietatis habet inſtar; *impietas culpanda*, praeterquam quod verſum duriorem facit, ab *Andrea Schotto*, ni fallor, eſt occupata. Apud Papinium Statium Thebaidos primo Adraſtus inter epulandum, noſtra quoque in gente, inquit, multum

Erravit pietas, nec culpa minoribus obſtat.

Vides errantem pietatem cum culpa conjungi, ut impietatem deſignet: agit enim de inceſto & parricidio mitiſſimis verbis. Has quoque ad *Perizonium* perferendas cura. x. Aug. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

HEri cum Amſterodamo revertiſſem, ubi ipſos novem dies combuſſi, tuas gratiſſimas inveni. In quibus hoc unum perquam acerbum mihi accidit, quod ex iis intellexerim, te nondum ex iſtis eluctari poſſe incommodis, quae te nobis & tibi ipſi adimunt, ut fructu nobis carendum ſit tui ingenii, tot praeclara & publico profutura promturi, ſi his tricis expeditum ſibi poſſet vacare. Sed haec eſt temporum horum iniquitas, quibus

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.

Sperare licet, capta Trajecto ad Moſam, aurea pacis tempora, quibus reddetur noſtris artibus ſuum pretium & honos. Otio nobis opus eſt, ut Muſae animum agentes, & earum cultores, quorum nunc decus obſolevit, recreentur. Vix abeſt quin & nos hîc eſuriamus, exhauſto ſumptibus bellicis aerario. Nam quicquid corraditur, id omne bello huic damnoſiſſimo eſt impendendum, nobis egere & plorare juſſis. Sed obdurandus eſt animus in patientiam harum moleſtiarum, donec, quod brevi auguramur futurum, illuceſcant candidiores ſoles. *Spes alit agricolam*, noſti reliqua. Valetudo mea jam videtur

eſſe

eſſe confirmata: ſed *Wolzogii* erat peſſimo loco, cum Amſterodamo diſcederem. Dyſenteria enim & profluvio alvi laborabat. Medici tamen heri bene ſperabant. Levabatur enim non nihil doloribus, & ſanguinis nimius fluxus ſiſtebatur, & carebat febri. De legibus municipalibus Cimbrorum ad teſtamenti factionem pertinentibus haec *Langermannus* ad me: *Ut prius exponam tibi, quod te tangit, ex litteris affinis hujus mei, quas Pater illius, vir magni nominis, & primus reipublicae noſtrae ſenator mihi oſtendit, intellexi, ſcire te velle, an liceat Sleſwigae ſine conſenſu Principis, & heredum, qui ab inteſtato erant ſucceſſuri, teſtari: id quod cum & mihi dubium videretur, conſului amicum quendam meum Axenium, virum doctiſſimum, qui Sleſwigae in foro degit, & forte fortuna in me incidit, & ab illo ſum edoctus, olim non licuiſſe. Eſſe autem anno* 1662. *per publicam ſanctionem licentiam illam omnibus a Principe conceſſam, ut non modo ſine Principis, ſed & Agnatorum conſenſu teſtari poſſint. Nec minus hoc licere in bonis hereditariis, ſub certis conditionibus. Quas cum ſcire deſiderarem, addidit, illas eſſe uſque adeo obſcuras, ut ipſe illarum vix meminerit. Promiſit tamen ſe hujus diplomatis exemplum mihi miſſurum.* Haec ille, cui proxime ſignificabo, quae de litteris, quas ad te daturus eſt, *Elzevirio* inſcribendis mones. In noviſſimis meis eum rogavi, ut ad me curaret, quas tibi deſtinaſſet. Apud Valerium Flaccum lib. I. de illo loco *Ne Peliae te vota trahant*, non tibi diutius refragor. Fateor locum iſtum ſic exponi poſſe commode, ut tu cenſes explicandum eſſe. De verſ. 244. ampliandum duco, donec quae illi loco illuſtrando congeſſiſti, aliquando videro. Appoſite Papinium laudaſti, qui maxime facit ad vulgatam ſcripturam aſſerendam. Verſ. 654. gaudeo *Carrionis* librum meam firmare conjecturam. Nec tua ſententia multum diſcrepat ab opinione mea, quae vel hoc nomine mihi nondum diſplicet, quod *quos caerulus horror* retineat cum omnibus libris, & *ſimul aequore* prae ſe ferat *Carrionis* codex. In eodem libro I. verſ. 741. editur:

quantumque propinquat
Jam magis atque magis, variis ſtupet acta Deorum
Prodigiis: quatiuntque truces oracula Colchos.

Acta eſſe littus nemo noſtrum ignorat. Sed quae eſt illa *acta*, quae ſtupet prodigiis? Num actae ſtupent? Nugae. ſcribe:

quantoque propinquat
Jam magis atque magis, variis ſtupet Aeta Deorum
Prodigiis.

Sic & lib. V. verſ. 51.

Heu quantum Phaſis, quantum Aeta receſſit!

Verſ. 706. memini te nuper me docere *nubem* poni pro volatu, aut volante. Exempla ſi quae ſuggeſſeris hujus notionis, multum te amabo. Tuas litteras cras ad *Perizonium* curabo. Vale, decus unicum Muſarum & meum. Trajecti a. d. IX. Aug. Julian. CIƆIƆCLXXVI. Carmen tuum in Rompfianae Medicinae laudem legi cum *Francio*. Quid quaeris? Antiquum obtines. Tanta eſt venae tuae ubertas, ut nec adverſa valetudine, nec curis, moleſtiiſque poſſit minui, ac deteri.

EPISTOLA CCCLXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

VErſus, quos mittebam proxime, non illaudatos abs te abiiſſe, miror equidem, & tantum non inſimulo te, mi Graevi, ob hanc rem facilitatis nimiae. Quid enim poſſum ego, tanto moleſtiarum oppreſſus oceano? Vide igitur ne plane ſim ridiculus, ac Eumolpo Petroniano ſimillimus, cui in ipſo naufragio de verſibus condendis vacet cogitare. Ne interim feras impune tam magnificas laudes, quas plena manu in me confers, en alia epigrammata, quae *Eraſmo* noſtro dedi, ut poſtulato Conſulum Roterodamenſium ſatisfieret: non enim habeo, quo ſtultitiam meam excuſem, niſi Maronianum illud, *Haud injuſſa cano.* Apud Flaccum Valerium, ne quid opineris inſolenter dictum lib. I. verſ. 706. *nube novas linquente domos*, cum de volatu Daedali ac Icari ſolo agat, ſic idem Valerius lib. IV. 495. Harpyas *nubem* dixit *Cocytiam*, cum tres tantum fuerint. Papinius de Aquila Ganimedem rapiente, Coma Earini

Pergame, pinifera multum felicior Ide,
Illa licet ſacrae placeat ſibi nube rapinae.

Omitto quod idem Papinius Saturnalibus dixerit *immenſas volucrum per aſtra nubes:* & *nubes columbarum* Prudentius Hamart. verſ. 807. Idem Valerius lib. II. 521. *Nubem pharetrae* poſuit, & paulo ante de bellua marina, *cujus ſtellantia glauca Lumina nube tremunt.* Sic & *ſupercilii nubes*, & haec quidem hactenus. lib. I. verſ. 742. Scribendum utique

quantumque propinquat,
Jam magis atque magis variis ſtupet Aea deorum
Prodigiis

Ut & lib. V. *heu quantum Phaſis, quantum Aea receſſit. Aea* enim urbs Colchorum, unde *Aeaea venefica* Medea: *Aeeta* triſyllabum eſt. Loca Naſonis, quae aliter ſtatuunt, eſſe mendoſa ad Hypſipyles Epiſtolam VI. verſ. 103. puto, multis jam demonſtravi. *Gronovius* noſter prima editione Obſervationum ſic, uti tu, utrumque Valerii locum caſtigarat, ſed monitus poſt a me *Aeetam* dici non poſſe, mutavit ſententiam curis ſecundis, ſi memini. Nuper denuo compellatus fui de Heſychio parentis mei per ſororis filium, urget ille reſtitutionem libri, parentem difficilem ac moroſum cauſatus. De re litteraria quod nuntiem nihil habeo in promtu. Eſt tamen id unicum, quod abs te petam, ut convenias Illuſt. Comitem *Benedictum Oxenſternam*, qui, puto, nunc inter vos verſatur, Neomagum aditurus propediem. Eſt enim vir comitate non minus, quam dignatione conſpicuus, nec rudis artium bonarum. Illi ſi obſequia mea deferas, rem feceris mihi oppido gratam. Debebam ipſe non deeſſe officio, ſic enim merita viri, in me collata pridem, haud protrita exigebant, ſed e miniſtris foederatorum Principum ſuperciliosi quidam, apud *Fagelium*

ſunt

ſunt conqueſti, quod *D. Olivecrantium* nonnumquam convenerim. qua de re monitus per illum nunc abſtineo. In Epigrammate nuper miſſo tertium a fine diſtichon conſtituas licet.

Exiguo collecta ſalus humana libello,
Arceat ut longum fata, ſit arte brevis.

Illud propemodum monere ſum oblitus, dum evolvo forte Florum proximis diebus, munus ducis *Montozerii*, pag. 171. incidi in craſſiſſimum errorem. Nam illa verba, *nec illis ad ultionem deerat animus, ſed ducem non habebant*, quis non videt de veteranis Caeſaris eſſe capienda? ubi Tanaquillus pro *ducem* confidenter nimis *exercitum* reponit, tamquam de Bruto Caſſioque ſit ſermo. & laudat Filia conjecturam paternam. Vale. 22. Aug. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

TAcuiſſe te tanto tempore non miror, cui nunquam non magno apud me conſtent officia, mi Graevi. Id ne poſſis inficiari, quae tua eſt humanitas, ecce novi incommodi cumulum ingentem. Vix reverſus domum Roterodamo ſub noctem heſternam tuas acceperam cum catalogo Bibliothecae Linganae, cum ecce libros enotavi nonnullos, quos mihi cupio addictos, ſi per te licet: horum ſyllabum hiſce ſubjunctum invenies. Tuae fidei ac diligentiae cetera promitto. Loci Papiniani mentionem abs te injectam memini, cum nuper eſſemus una

Et quas percoquit Eboſita caunas.

Auctoritate *Monachii* noſtri, aut potius *Salmaſii* permotus, negabas, puto, Sacchari uſum illo tempore innotuiſſe. Sed in alia omnia Dioſcorides, Varro Attacinus, Plinius. Deinde *Caunas* pro *Cauneis*, aut *Cauniis* a Cauno urbe derivari durius videtur. Sed in Ebuſo ſaccharum percoctum fuiſſe illa tempeſtate in diſcrimen vocari poſſet, cum in Indiae Arabiaeque arundinibus id naſci auctores laudati teſtantur. Verum revoco manum de tabula, ne te ad tacendum rurſus invitem. vale, &, ſi me amas, libros hoſce tibi curae eſſe permitte, quaeſo. 15. Septemb. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

INexpiabili noxa me alligavi, cum tam diu in tuo ſum aere, & tanto intervallo nihil litterarum mitto. Occupatiorem quidem me habuerunt hi dies negotioſi, cum poſt elapſas ferias ſcholae recaleſcunt. Sed meum tamen

officium tibi, cui tot tantiſque nominibus devinctus ſum, deeſſe non debebat. Nullam, ad quam decurram, aliam aram invenio, quam quae toties mihi indignationem tuam merito patuit, tuae lenitatis, cui pro magno peccato paullulum ſupplicii ſatisfacit. Ut hanc quoque labem procraſtinatione eluam ſtudebo. In auctione nuperrima plerique libri, quos deſiderabas, nobis ceſſerunt. Sed *Diegi Payvae* Explicationes Orthodoxae truncatae ſunt fronte, & foede maculatae. *Nonnum* Medicum male habuerunt tineae. Quibus libris, tanquam dehoneſtamentis tuae cultiſſimae bibliothecae, cum haut aegre careas, facile patior meis ſcrutis eos accenſeri. Si tamen cum videris illos, tibi placuerint, tui erunt. Ceteros redemi ab emtoribus. Complures enim junctim vendebantur. *Picus Mirandula* de ludificatione Daemonum, cum tuae mihi redderentur, erat venditus praeſente pecunia, ut reſciſcere non potuerim, quem ille libellus emtorem invenerit. Nec Dionyſius Carthuſianus contra Alcoranum, nec vita Dominici potuerunt ex illorum manibus, in quos inciderant, reglutinari. *Marſilii Cognati* obſervationes, & *Lectium* de judiciis publicis collegae mei ſibi vindicarunt, ſed majore pretio, quam quod tu illis conſtitueras. *Lectium*, etſi vilius veniiſſet, contemſiſſem. Non pauca enimin illo folia deſiderabantur. Leonis Africa prodierat Antverpiae. Volumen de Re Medica, quo continentur Sorani Epheſii in artem medendi Iſagoge, Oribaſii fragmentum de victus ratione, Plinii ſecundi de Re Medica libri v. (de quibus *Barthius* in Adverſariis, & *Reineſius* in variis lectionibus contendunt) Apulejus de herbarum virtutibus, & Antonii Muſae de betonica liber, tibi emi, quod in auctione nupera ignoti emtoris cupiditas tibi invidebat. Doleo Apicium de re culinaria Torini mihi inſanum licitatorem nunc praeripuiſſe. Nam illam editionem Hummelbergiana, quam habeo, longe meliorem eſſe *Daumius* olim mihi teſtatus eſt. Si recte memini, puto te olim mihi narraſſe, hunc libellum cum vetuſtis membranis, quae longe diſcrepent ab editionibus, a te compoſitum eſſe in Italia. Has lectiones varias pervelim aliquando videre. Sacchari cannas, ac ex illis expreſſum nectareum ſuccum veteribus cognitum fuiſſe non negat noſter *Monachius*, ſed illum ſuccum fuiſſe coctum & in maſſas arte, qua nunc utuntur, redactum, ullius veteris ſcriptoris auctoritate poſſe declarari negabat. Itaque locum Papinii ſibi ait ſuſpectum eſſe, nec poſſe de ſaccharo explicari, non ſolum propter hanc, quam oſtendi, rationem, ſed & quia in iſtis inſulis nullae ſacchari cannae naſcantur, nec credibile ſit ex ultima Aſia perlatas illuc eas eſſe. *Cauneas* vero in metiendo verſu cur non poteſt locum habere, ut *aureo*, *alveus* apud Virgilium? Apud Martialem lib. IV. ep. 28. videturne tibi Latine dici, *Nudam te ſtatuet tuus Lupercus*. Mihi ſane ſuſpectus eſt hic locus. Reſcripſerim, ſi per te liceat,

Vae glabraria, vae tibi miſella!
Nudam deſtituet tuus lupercus, ſcilicet te.

Panciaticum Florentiae miſerabili nece ſublatum e vivis eſſe ad me perſcribitur: nec tamen mortis genus narrant. Tu ſi quid explorati habes, ſignifica quaeſo. Vale, grande & unicum decus meum, & brevi his, quibus teneris, tricis de fun-

fungere. Trajecti ad Rhenum a. d. x. Sept. CIƆIƆCLXXVI. Οὔγωνος παῖς num caput incolume auferet? De illius judicii exitu ubi explorati quid habueris, velim quamprimum reſcire.

EPISTOLA CCCLXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NIſi valetudo me teneret exercitum jampridem, lectoque adfigeret languentem, haberes nunc longae ambagis epiſtolam, mi Graevi, ſed paucis agam, ne tuo etiam malo videri poſſim aegrotare. In auctione nupera parum feliciter rem ceſſiſſe nobis video. *Picum Mirandulam* de ludificatione daemonum meum fuiſſe vellem: de caeteris procraſtinationem levius fero, dum aliunde eruantur. *Payvam* & *Nonnum* medicum tuo jure tibi vindicaſti, a quo & memet ipſum, ſi tanti eſſem, cuperem vindicatum. Apicium Torini compertum non habeo. certe in bibliotheca mea praeter Hummelbergianam Gryphianamque editionem non exſtant. Apiciana vetuſti codicis *Langermannus* Romae deſcripſerat e Gryphiana editione, collata cum membranis a *Mureto*, ſed excerpta illa naufragium nobis abſtulit. De *Caunis* ſive *Cauneis Ebuſianis*, ſit, ut voles. dummodo pro *Ebuſo* ne *Ebuſicam* faciamus, quod licere non puto. *percoquit Ebuſita* igitur ſcribendum, vel *percoquis Ebuſita*, ut quinti caſus ſit, ab *Ebuſites* Graeco. Erant alia, de quibus tecum egeram in ſuperioribus. de Martialis loco quod dicam non habeo, cum ſcriptor ille jam non ſit ad manum. Grotiana cauſſa a patronis jam perorata eſt, quam ſequetur propediem judicum ſententia. *Panciatichi* caſum indigne fero. Genus mortis, quo periit, doceri velim. 4. Octob. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

ACcepiſſe reor, quas ante hoc biduum exarabam. Nec eſt ſane, quod nunc iis ſuperaddam, niſi hoc unum, e catalogo a te proxime miſſo, nihil a me deſiderari, praeter Natales ſanctorum Belgii. Hunc librum tua opera, mi Graevi, me conſecuturum ſpero. de Heſychio parentis negotium, quaeſo, tibi curae eſſe ſinas. Nihil obſtabit, quominus is, qui deſcribendi commentarii illius laborem non gravabitur, ſuo etiam nomine lucubrationem det in publicum. *Cuperum* noſtrum in nido meo Vianenſi vehementer amplecti tecum geſto. Sed quid poſſum polliceri de me, toties ludificatus a triconibus. Valetudo nunc ſatis commode ſe habet. Vale, & ſi non habes quod ſcribas, ſaltem de amicis communibus ut valeant nonnihil perſcribe. Hagae Comitum CIƆIƆCLXXVI.

CIↃIↃCLXXVI. prid. nonas Octob. Gregor. de Vicquefortianis & Bornianis libris publice diſtrahendis dies nondum eſt conſtitutus.

EPISTOLA CCCLXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EXanimatus ſum litteris tuis binis, quibus denuo valetudine mala, ex qua vix emerſeras, te conflictari ſignificas. Ecquando tandem nobis licebit animo eſſe ſoluto & libero? Quamdiu tu non valebis, nos non poterimus eſſe ſine ſollicitudine ſumma, & maximis angoribus, a quibus nulla res nos abducere poteſt, niſi laetior de tua confirmatione nuncius, cujus ſpem nonnullam poſteriores tuae faciunt: quae ſi fixa fuerit, ſummam votorum me conſecutum eſſe putabo. Nam ab anima tua omnis vitae meae pendet delectatio & voluptas. Te per quicquid tibi dulciſſimum eſt rogo, ut abjectis aliis omnibus curis & moleſtiis valetudini ſervias: quam ubi recuperaveris, facile & cetera, quae nunc te non ſinunt animo otioſo in Vianenſi ſeceſſu tibi & Muſis vacare, explicabuntur ſpero. In auctione nupera Mirandulam nobis praeripuiſſe neſcio quem, cum paullo ſerius tuae mihi litterae traderentur, ipſe quoque indignor. Scis in noſtris ſubhaſtationibus venditores ſemper in calce catalogi poſitos ſolere primo loco vendere, & ſic procedere ad primos. Epiſtola tua mihi reddebatur paullo ante undecimam. Illico me conferebam in auctionem, ſed is liber jam venditus erat praeſente pecunia, ut nec reſcire & indagare potuerim, in cujus poſſeſſionem tranſierit. a quo, ſi potuiſſem illum expiſcari, non difficulter credo deſideratum hunc tibi libellum redemiſſem. Nam cum plures ſimul proponerentur, forte hunc librum is, qui emit, tanquam ſatis ignotum, non magni facit. Reliquos omnes, quos in illa nactus ſum auctione, ab aliis emtoribus eadem ratione tibi vindicavi. Sed hic inveniri non potuit. De *Nonno* & *Payva* in ſuperioribus, ſi recte memini, ſcripſi tuos fore, ſi, cum eos videris, tuae bibliothecae illos volueris adſcribi. Sed ſi recte tuum novi palatum, vix eos ferent elegantiſſimi tui oculi. *Payva* enim caret titulo, & foede eſt maculatus (videtur autem idem eſſe liber, qui ille, quem olim apud te minore forma Ingolſtadii editum vidi,) & *Nonnum* tineae male habuerunt. Non hi tantum libri, ſed quicquid meum eſt, tuum eſſe ducito. Tanta eſt enim tuorum erga me meritorum magnitudo, ut niſi omnibus tuis deſideriis pro mea facultate velificer, crimine me alligarem inexpiabili. Apicii editio Gryphiana Lugdunenſis eſt Torini. Plura volebam, ſed interpellabar ab amico. Cras reliqua. Ampliſſimum *Steenbergium*, quem pridem magni facio, ut ſalutes perquam officioſe verbis amantiſſimis meo nomine rogo. Si ejus complexu hîc frui mihi dabitur, triumphabo. Tu, ſi quid apud te valeo, in tam eximii viri gratiam me pones. Vale, Princeps amicorum & ingeniorum, & cura valetudinem, ſi me vis valere. Trajecti a. d. XXIV. Sept. CIↃIↃCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

OBſtrepebat heri amicus, ne, quam ad te daturus eram, epiſtolam poſſem detexere. Malui autem paucis tum defungi, quam in ſuſpicionem neglígentiae denuo incidere. Accedebat aegritudo, quam ex tuo morbo contraxi, quae me ſtimulabat ad ſcribendum. Eam nihil poterit lenire, niſi auſpicatiores de valetudine tibi reddita litterae, quas expecto cupidiſſime. *Molani* natales ſanctorum Belgii nobis ceſſerunt. Pretium fuit duodecim oboli. *Ebuſiam* apud Statium ferri non poſſe recte vidiſti. *Ebuſus* enim ab omnibus appellatur. Nec accedit quicquam ad veterum librorum veſtigia propius, quam *Ebuſita*, quod tu reponis. Sed *cauneas* Salmaſii non puto repudiandas eſſe, quas in Plinianis aſſeruit rationibus nec paucis, nec levibus. In litteris, quas menſe ſuperiore miſiſti, pulchre doces *nubem* poëtis ſaepe volatum ſignificare avium. quod qui exempla, quae collegiſti, legerit, nemo poterit in dubium vocare. *Aea* quoque, quod pro *Aeta* reſtituis in duobus locis Valerii, certiſſimum eſt & extra omnis controverſiae aleam. *Gronovius*, quem eadem loca in prima Obſervationum editione tentaſſe me fugerat, a te meliora doctus in editione nova damnavit has infelices conjecturas & recidit. Apud eundem poëtam lib. 1. verſ 816.

haec noſter de rege piacula ſanguis
Sumat, & heu cunctae, quas miſit in aequora, gentes,

non intelligo quae ſint *illae cunctae gentes*, quas in aequora miſit. Cogitabam:

& heu cuncti, quos miſit in aequora, reges.

Poſt verſ. 829. ubi deſcribitur chaos inferorum, verſum deſiderari editores cenſent. Sed ſi ſcribas:

non illa ruenti
Acceſſura polo; invicta eſt vulnere moles,

ſententia integra erit. Vulgatae prae ſe ferunt:

non illa ruenti
Acceſſura polo, victam ſi volvere molem,

ſine ſenſu. Tuam mentem ſi mihi de his locis aperueris, magnam a me inibis gratiam. Heſychium parentis tui luce digniſſimum & tamdiu deſideratum commmiſi fidei *Joannis Verwey*, alumni meae diſciplinae non indocti, qui nunc ludi Delphenſis magiſtrum agit. Fidem dedit ſe periculum facturum, num vires ejus huic commentario deſcribendo & publicando ſint pares. Propediem expecto reſponſum. *Bynaeus* noſter nunc totus eſt in Theologicis. Saepiſſime verba facit ad populum, invitus & indignans ſe iniquitate ſortis ſuae ab his noſtris ſacris, quibus ſe devoverat, colendis avocari. De Ampliſſimo *Steenbergio*, & *Antonino Gevartii* propediemme ſpero auditurum ex te, quae maxime cupio. Utinam virum tam ſingularem mihi liceat videre, & ei coram meum

meum ſtudium & obſervantiam probare. Exitum Grotianae cauſſae, ubi in conſilium fuerint miſſi judices, expecto cupide. Opto ut magni parentis memoriae donetur ſi quid peccavit. Oratores, qui pro eo ſteterunt, dicuntur rem praeclare geſſiſſe. Gorickemiano praetori etiam merita patris in rem publicam & fama debent adeſſe. Hodie novi conſules hic ſunt deſignati. Certus habetur *Strickius*, qui aliquot annos vobiſcum egit, conſilio foederatorum Ordinum adſcriptus. Gener eſt *Plooſii*, qui Senator fuit noſtrae ſupremae curiae, cum eſſet in vivis. Si valeres, & quaedam cum illo intercederet tibi cognitio & familiaritas, te rogarem, ut meam illi cauſſam commendares, ut ejus ſuffragatione annui ſtipendii non levis ſumma, qua jam tertium annum defraudor, reſarciatur. Scis enim quingentos annuos florenos pro horum temporum miſeriis mihi noſtros Senatores recidiſſe. Jacturam priorum annorum aequo animo fero: modo in poſterum integro frui liceat. Spem pacis ajunt affulgere, & Gallos ad quaſvis conditiones deſcenſuros, ne Caeſar nimis convaleſcat. Vale, Vir ſumme, & cura valetudinem diligenter. Trajecti ὡς τάχιςα. a. d. xxv. Septemb. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

JAm diſceſſerat a nobis *Steenbergius*, quando tuae ſunt allatae, ut te viro praeſtantiſſimo, ſic ut volebas, conciliare non potuerim. Debeo valetudini, quod conſuetudine ejus, in horas complures protracta, nec ſemel frui eſt datum. Tuam amicitiam ultro videbatur ambire, ſed non tulerunt res ejus, ut ad vos excurreret. Leidam obiter vidit, atque illic *Monachium Ryckiumque*. De Antonino *Gevartii* res tota pendet a Typographo, qui poſt fractas res Blavianas inveniri non poteſt, & a difficultate temporum. Per valetudinem vires ſatis dejectas erigo paulatim, ſed lentius tamen quam velim, non ſine praeſentiſſimo rei familiaris detrimento. Si *Strickius* conſulatu civitatis veſtrae eſt auctus, fac quaeſo, id quamprimum ex te cognoſcam, compellaturus ac prenſaturus virum a teneris notum, ſuper fortunis tuis, quibus nihil minus a me alienum duco, ubi licebit primum domo efferre pedem. Tot enim & tam luculentae amoris tui teſtificationes me circumſtant, ut non poſſim non tua commoda anteferre. Ipſe *Strickius* uxorem habet, non filiam *Ploſii* Senatoris, ut tu rebare, ſed ſororem, quanquam id nihil ad rem. In Grotiana cauſa nihil dum eſt actum. Patronos habuit diſertos & ad dicendum paratiſſimos, cum Patronus Fiſci ſit orator, ut ferunt, frigidus & parum vehemens. Interim non placet mihi ſenatus conſultum, per quod nuper, Ordinum Hollandiae monitu, Fiſci patronus jubetur ſuper lite Hugeniana, aliiſque cauſis ſimilibus provocare non ſolum ad judices ſupremae, quam vocant, curiae, ſed ad ipſos Ordines. *Fagelius* tamen, adverſus quem contumelioſe atque inclementer multa dici perhiben-

hibentur in litteris Grotianis ad *Vicquefortium* exaratis, quae vel ſola hominem poſſent evertere, ſi non premerent alia, laudabili exemplo vetuit Patrono Fiſci, ne quid immiſceret publicis privatas haſce ſimultates, quod adverſario libens donaret. Nunc ad ſtudia noſtra. De *nube avium* & *Aeeta* ſatisfactum a me tuis deſideriis laetor. Torſit me locus ille Valerii Flacci lib. I. 816. *& heu cunctae, quas miſit in aequora, gentes.* Johannes Columbus volebat, *& haec cunctae*, vel *huc.* habe paucis quid ſentiam. opus hoc videtur a Valerio morte praevento ſupremam manum non accepiſſe, multoſque verſus hîc illic inconſummatos relictos eſſe, quos temerario poſt auſu ſciolus nonnemo ſit ſupplere aggreſſus, quod & ipſum Maroni evenit, in cujus codicibus etiam pervetuſtis ſimiles lacunae frigidiſſimum in modum ſuppletae occurrunt. in Valerio noſtro locis plurimis id ipſum deprehendi, de quibus annotata in illum mea agent copioſe. Verſ. 829. optime Carrionis liber praeſtantiſſimus verſum addebat, quem in editione mea expreſſi. Nam *Aldus* aliique hiatum de ſuo audacter nimis ſuppleverunt. Codices a me inſpecti hac etiam parte erant mutuli. Sed in prioribus haeret mendum leve, quo ſublato ſcribendum,

Non illa ruenti
Acceſſura polo, victam ſi ſolvere molem
Juppiter, & primae velit omnia reddere maſſae

maſſam chaos etiam appellavit Naſo initio ipſo lib. I. Faſtor. 108.

Inque novas abiit maſſa ſoluta domos.

Unde liquet cur *ſolvendi* verbum in Valerio ſit revocandum. Maro lib. XII. verſ. 204.

non ſi tellurem effundat in undas
Diluvio miſcens, caelumque in tartara ſolvat,

Silius lib. XVII. 607.

Coelum licet omne ſoluta
In caput hoc compage ruat.

Prudentius Cathemer. Hymmo XI.

Cum vaſta ſignum lacuna
Terris cremandis miſerit,
Et ſciſſus axis cardinem
Mundi ruentis ſolverit.

Pluribus conjecturam meam fulcire poteram, ſed nihil eſt neceſſe. fruſtra *Barthius* in Adverſ. XXVI. 3. *victam niſi volvere molem.* Vale VIII. Octobr. CIϽIϽCLXXVI. Nummos, qui debebantur *Perizonio* & tibi, hîc habes. Si quid erravi in ſubducendis ratiunculis, erroris ſum admonendus. De morte *Pantiatichi*, ſi quid habes explorati, doce. Ego quidem cum ad *Guaſconium*, agentem res Magni Etruriae ducis apud Amſtelaedamios, ea propter ſcripſeram, nullum, quod mireris, reſponſum fero. Caput Eccleſia Romana nacta eſt *Benedictum Odeſchalchiun*, virum, ut ajunt, bonum. Vale cum amicis omnibus.

EPISTOLA CCCLXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

REvixi, ubi tuas deſideratiſſimas vidi, & animum ab ingenti metu de te recollegi. Nam cum omnis officii nemo te ſit diligentior, vehementer verebar, cum intervallum tuarum litterarum ſolito longius eſſet, ne afflictior valetudo te impediret. Hunc curarum aeſtum nunc tua ſedavit epiſtola, qua nihil mihi afferri potuit optatius. Chriſto Servatori vota, quae pro tua fecimus ſalute, reddemus: eundemque venerabimur, ut fractas vires inſtauret, teque incolumem praeſtet, ac diu ſervet. *Steenbergium*, qui nunc in illo tractu, tot ingeniis olim florente, οἷος πέπνυται, me non vidiſſe doleo. Antonino *Gevartii* typographum, ſi vivimus, inveniemus, aut hîc, aut Amſterodami, ſimul ac tempeſtas iſta detonuerit. *Strickius* non ſolum a Senatu conſul eſt deſignatus, ſed & a Principe renunciatus. Cui ſi me de nota meliore commendaveris, novo cumulo immortalia tua in me merita augebis. Non difficilem ſe ſpero mihi praebebit vir Ampliſſimus, non ſolum hoc nomine, quod diploma Sereniſſimi Principis ſalvum & integrum juſſerit eſſe meum ſtipendium, ſed & quod quatuor Senatores ad me ante biennium allegati, fidem mihi dederint poſt anni decurſum quingentos hos florenos, quos propter aerarii anguſtias, & temporum difficultatem reciderent in hunc annum, ſequentibus annis, ut ante, proceſſuros. Nunc fere triennium eſt, quo hoc non poenitendo vectigali careo. Quam inique vero mecum agatur vel hinc poteſt intelligi, quod cum ante hos octo annos ab Amſterodamenſibus invitarer annua ter mille florenorum mercede, paſſus ſim mihi a noſtris proceribus perſuaderi, ut repudiatis luculentis illis conditionibus, bis mille florenis operam meam noſtris addicerem, quibus nunc quingentos contra pactam fidem detraxerunt. Si inpoſterum tamen mihi pendetur, quod olim convenit, honorarium, quodque ſartum tectum ut mihi eſſet ſanxit ſapientiſſimus Princeps, non longe poſtquam rempublicam noſtram conſtituerat, triennii hujus jacturam ex omni memoria delebo. De *Payva* Luſitano jus omne meum, ſi quod eſt, tibi tranſcribo. Cum ad nos redieris, & hunc librum videris, ut & *Nonum* Medicum, a tua voluntate mea non diſcrepabit. *Mirandulae* libellus cum denuo proſtabit, nobis non elabetur. Si emptorem potuiſſem expiſcari, procul dubio vili pretio fuiſſet a nobis redemtus. In auctione nupera nactus ſum Logiſticam Arithmeticam *Micylli*, cujus calci adjecta eſt verſio Iſaaci Monachi Scholiorum in Euclidem a Daſypodio concinnata & publicata, quam neſcio an videris. Nummos heri accepi mihi & *Perizonio* deſtinatos. Ratio recte ſubducta eſt. Catalogum, quem die Veneris mittebam cum litterulis, ſpero tibi redditum eſſe. De Grotianae quaeſtionis exitu propediem certiores reddemur. Ajunt enim judices brevi pronuntiaturos. Ampliſſimi *Fagelii* aequitatem & excelſum animum omnes in coe-

lum:

lum ferunt. *Grotium* putant non habere, quo fiſcus poſſit unctior fieri, cui in uxoris poſſeſſiones nihil ſit juris. Ordinum Hollandiae SC. eſſe videtur e republica. Si judices enim nimis lenti ſunt in vindicandis criminibus, recte provocatur ad Ordines, ne reis impune ſit peccare. De *Panciatichi* morte nihil explorati ab illo tempore ad me perlatum eſt. Nondum enim reſpondi *Gronovio*, qui haec mihi nunciaverat paucis, tanquam dudum mihi cognita. Quamprimum accepero certiora, tu quoque intelliges. *Odeſcalcium* ad Pontificiam dignitatem evectum eſſe, plaudentibus diis hominibuſque in Italia, Gallia, Hiſpania & Germania, qui ſunt illorum ſymbolorum conſortes, omnium fertur ſermonibus. Apud Valerium Flaccum lib. I. verſu 816. interpretationem tuam valde probo, ſi ita Flaccus ſcripſit. Nihil vero certius eſt emendatione verſus 829. *Solvere coelum*, *mundum*, *hanc mundi machinam* non ſoli poëtae dixerunt, ſed & Cicero, Seneca, aliique. Nemo in poſterum de hujus loci vera ſcriptura dubitabit, cum tuas legerit animadverſiones, quae utinam in lucem prodeant. Florum *Annae* hiſce diebus, dum meus editur, evolvi, & miratus ſum tot hallucinationes in rebus protritis. Iſte ſcriptor nunc hîc quoque ſub praelis ſudat. Prodibit nonnullis in locis emendatior ex codicibus Palatinis, quos *Salmaſius* & *Gruterus* inſpexerunt, quibus frequenter adſtipulatur *Ryckii* noſtri liber non malus, etſi recens ſit. Si vetuſtiorum codicum mihi eſſet copia, luculentior mea poſſet opera, quam ei navo, eſſe. In bibliopolio nuper inſpexi *Bartholini* junioris de inauribus & puerperio diatribas, & in praefationibus riſi laudes immenſas, quibus pater & filius ſe mutuo extollunt impudentiſſime. Epithalamium pulcherrimum, & quod oſtendit nec morbos, nec alias moleſtias, quibus premeris, de vi tui ingenii quicquam delibaſſe, ac detriviſſe, remitto, teque amo, quod mecum id volueris communicare. In hoc verſu mihi haeret aqua

Nunc ſtipendia luculenta dotem
Sollers ponere.

Nam non memini *ponere* ſine adjectione in hac notione accipi. Novi *ponere in foenore nummos*, *in agris*, *in nominibus*: ſed non novi hoc ſenſu dici *ponere nummos.* Si exempla hujus locutionis in promtu habes, quaeſo ut ea mihi mittas. Ampliſſimum *Zeelhemium* vires recolligere gaudeo. Faxit deus ut propediem ſanum videamus. Si apud Principem nunc ageret, compellaretur a me rogareturque num epiſtolas Ciceronis, quod ante plurimos annos promiſi, Delphino mihi liceret dedicare. Nam non annuente Principe non auſim hoc tempore fidem datam liberare. Vale, grande decus noſtrum, noſtrique ſeculi. Trajecti poſtrid. Kal. Octob. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NUdius tertius te certiorem feci litteras tuas omnes, quas ad me dediſti, cum nummis mihi redditas eſſe. Cras quod *Perizonio* debetur curabo. Ampliſſimum *Stryckium* a Principe Conſulem creatum praeterito die ſolis acceperam, ſed heri domum diploma huc perlatum eſt. In auctione nuperrima Leo Africanus erat Antwerpiae, Celſus vero Haganoae ante hos centum annos editus. Bornianum catalogum cupide quidem videbo, ſed in illo propter tricones noſtros non licebit nobis eſſe emacibus. expectanda ſunt feliciora tempora. *Salmaſius* Exercitat. Plin. p. 658. contendit legendum eſſe

Et quas percoquit Eboſea Caunas.

Ebuſeam dici, quaſi 'Ηβοῦσειαν νῆσὸν *Caunas* autem aeque uſurpari ac *cauneas* ex Columella docet. Sed ſive *Ebuſea*, ſive *Ebuſita* ſcribamus, nondum tamen video ut legi metricae ſatisfiat. Nam tertia ante ultimam brevis eſſe debet, quae tamen longa eſt. Graecis enim "Ηβουσος. Ait quidem *Salmaſius* non laborandum eſſe de quantitate, quam pro nomine barbaricae inſulae pro lubitu obſervare non putaverit illicitum poëta. Quod mihi perſuadere non poſſum. Sin ferenda haec eſſe cenſes, ſane malim *Ebuſea*, quam *Ebuſita*. Nam *quas praecoquit Ebuſea caunas* eſt, quas illa inſula maturat. Non coquebantur cauneae ab Ebuſitis; ſed ſol illas coquebat in Ebuſo. Praeſtantiſſimas autem ex ea cauneas Romam perlatas auctor eſt Plinius. Vale, vir illuſtris. *Servaeſius* Ampliſſimus, qui me haec exarantem ſalutatum venerat, tibi ſalutem verbis amantiſſimis impertit. Trajecti ad Rhenum a. d. IV. Octob. CIↃIↃCLXXVI. Julian. Rem meam apud novum conſulem tibi, ſi per valetudinem, quod ſpero voveoque, licuerit, curae futuram nullus dubito.

EPISTOLA CCCLXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

L*Aurentius Panciatichus*, de cujus exitu e vita id tantum compertum habebamus, fuiſſe miſerabilem plane, is fato Barlaeano functus eſt, nimirum mentis motae praecipitem ſe dedit in ciſternam, atque ita periit. En quantis calamitatibus homines ſubjacent, mi Graevi. Quantae infirmitati magna etiam ingenia exponuntur? ſed haec Philoſophia non eſt hujus loci. Habui proxime denuo literas a *Stephano Gradio*, viro praeſtantiſſimo, quibus comitatus eſt orationem ſuam funebrem, datam, exequiis *Caeſaris Raſponi* Cardinalis,

lis, politam atque elegantem: nam carmen ejus, laudibus datum Reipb. Venetae, quod *Roberto Goeſio* ad me perferendum dederat, nondum accepi: Epithalamii mei cenſorem egiſſes vellem minus benignum; ſunt enim complura in eo culpanda. Illud quoque mutatum a me oportuit: *ſaeclo nunc ſeret arbores futuro.* cum rectius utique ſit, *ſaecli futuri arbores.* Τὸ *ponere* pro in foenere ponere quando tibi ſubobſcurum videtur, mihi quoque jam diſplicet, cogitabam tamen, cum iſta ſcriberem, Horatianum illud Epod. 11. de Alphio. *Omnem relegit Idibus pecuniam, Quaerens Kalendis ponere.* Tum Quinctiliani illa ex Declam IX. ni fallor, *nuſquam melius ponitur pecunia, quam ubi foenus bonitatis expenditur.* apud Senec. in tragoediis, & ſi memini Herculis Furentis in choro quodam etiam occurrit, *Alter ponit opes*, ubi videor olim nonnihil legiſſe a *Gronovio* hanc in rem annotatum. Conſule, quaeſo, indicem illius editionis, ſi locus indagetur, quod apertius aliquanto pro me facit. *Quas percoquit Ebuſita cauneas*, aliter omnino capiebam, nimirum de ficubus, quae ſiccandae exponuntur ſoli. Nam & Columella, qui nunc ad manum non eſt, puto uſum eſſe *percoquendi* verbo in eadem ſignificatione. Et ſane *cauneae* Romam non niſi aridae perferri potuere. Apud Silium prima & ſecunda in *Ebuſus* corripiuntur. Super Valerii Flacci duobus locis perplexis non modice laetor ſententiam meam abs te non improbari. Geſtiebat animus ad alia majoris rei loca judicio tuo permittenda ſe convertere, ſed obſtat valetudo nondum ſatis confirmata. Siſyphi ſaxum me volvere olim querebar apud te, indignatus in privata re parum a me promoveri apud proceres noſtros; nunc quam vere illud dixerim praeſagium vide. Caeteris enim malis calculus acceſſit hoſpes ingratiſſimus. Cum *Zeelemio* noſtro agebam hodie de tuo negotio. exploraturum ſe Principis ſententiam promiſit, ſimul is in aulam e ſeceſſu rediiſſet; agam & cum conſule veſtro, ubi per valetudinem licebit. Vale 18. Octob. CIƆIƆCLXXVI.

P. S. Locus Silii eſt, *Jamque Ebuſus Phoeniſſa movet, movet Artabrus arma:* At Avienus deſcriptione orbis terrarum, *Hac delecta vago pecori contingit Ebuſus*; quando ſecundam corripit, ut apud Papinium Siliumque, malo ſcribi *Eboſus* & *Eboſita.* Nam Graeci ȣ dipthongum mutant quandoque in *o*. Sic *curalium*, & *coralium:* alterum prima producta, alterum correpta, apud Latinos aeque ac Graecos occurrit nonnumquam.

EPISTOLA CCCLXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NOndum explicare te poſſe negotium iſtud moleſtiſſimum, quod magno cum valetudinis & litterarum detrimento te tot annos exercitum habet, doleo ſane vehementer, & non abeſt, quin devoveam lentiſſimorum triconum capita, qui tot calumniis & procraſtinationibus tua & noſtra morantur commoda. Cohorrui autem cum aliis moleſtiis acceſſiſſe, tanquam cumulum quendam,

dam, carnificem calculum intellexi. Deum optimum maximum veneror, ut hanc peſtem avertat, & quamprimum his te doloribus, qui graviſſimi perhibentur eſſe, levet. Funeſtiſſimus *Panciatichi* exitus me quoque perculit, & miſerrimae noſtrae ſortis, quae tot inopinis caſibus, tot miſeriis patet, admonuit. Deus te ſervet, & faxit, ut hac hyeme frui poſſimus tuis ſuavitatibus. *Abbatis Gradii* orationem in exequiis *Raſponi* Cardinalis habitam, cujus videndae ſpem facis, libenter legam. *Voetium* noſtrum longa ſenectute feſſum, annos enim ſeptem & octoginta natus eſt, gravis morbus infeſtavit, ut defectus viribus videatur animam agere, patrum Dordracenorum ultimus. Reliqui enim omnes dudum vixerunt. Ampliſſimus *Strickius*, qui nunc faſces hîc gerit, aut remeavit jam ad vos, aut propediem remeaturus eſt, ut ſedem & ſarcinas huc transferat. Tuam commendationem magnum pondus apud eum habituram nullus dubito. Princeps quoque in paucis diebus ex agro Soeſdiciano revertetur Hagam. Si tum per Nobiliſſimum *Zeelhemium* licuerit cognoſcere, num probet meum inſtitutum epiſtolas Ciceronis dedicandi Delphino, plurimas & tibi & *Seelhemio* debebo gratias. Haec una res moratur editionem. *Ponere* accipi etiam pro *in foenore ponere* luculentus locus Horatii & Quintiliani oſtendit, ut in illo verſu Epithalamii tui ſtylus non ſit vertendus. Sed apud Senecam in Hercule Furente ille, qui tuae obverſabatur memoriae, locus ſic legitur:

hic nullo fine beatus
Componit opes, gazis inhians,
Et congeſto pauper in auro eſt.

ut non videatur ad hanc ſententiam facere. In Papiniano vero hoc; *Et quas percoquit Eboſita caunas* multa me docuiſti pulcherrime, quae ignorabam. Nam & primam & ſecundam ſyllabam in *Ebuſus* modo corripi: modo produci didici, & eleganter dici fructus *percoqui* qui maturantur, hinc & *coctae fici* apud Plinium & Hyginum pro bene maturis. Sed haec ſignificatio ad iſtum locum non pertinet. ſol enim & annus percoquunt poma: ſed homines non poſſunt dici illa percoquere, cum ea ſiccant in ſole. Nam *coquere* pro ſiccare vix puto inveniri. Sed crediderim potius alluſiſſe Statium ad illam rationem condiendi ficus, quam Columella prodidit lib. XII. cap. 15. *Nonnulli hanc formam fici orcis ſine pice includunt, & oblita vaſa clibano vel furno torrefaciunt, quo celerius omnis humor excoquatur.* Hoc ſi ſecuti fuerunt in ſiccandis ficis Ebuſitae, recte ſcripſit Statius: *Et quas percoquit Ebuſita caunas.* Sin illas in ſole ſiccarunt, non poſſum probare hanc locutionem, nec ſic ſcripſiſſe Statium exiſtimo. Si *Ebuſea* pro *Ebuſus*, ut *Salmaſius* vult, legeretur, emendationi ejus omnino ſubſcriberem. Nam recte loca etiam dicuntur *percoquere fructus*, qui in illis coquuntur, ut dicuntur *proſpicere maria*, ex quibus patet proſpectus in maria. Sed cum nec apud Latinos *Ebuſea*, nec apud Graecos Ἡβυσεῖα νῆσος reperiatur, tibi ſuffragor, & ex Columella hunc Papinianum verſum interpretor. Vianam tuas illico curavi. Vale, decus noſtrum. Trajecti Batavorum a. d. XVI. Octob. CIↃIↃCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

EN tibi orationem *Gradii*, quam videre deſiderabas. Citius jam ad te perveniſſet, ſi per *Wallium* noſtrum licuiſſet, qui eam ſui juris factam detinuit aliquandiu. *Voetium*, quem tuae ultimae aegrotare nuntiabant, audio ſupremum diem obiiſſe. Et hîc quidem ſenio confectus abiit ad plures, Roterodami *Meerium* amiſimus, virum litterarum amantiſſimum, & mihi peramicum, qui in ipſo aetatis flore exſtinctus eſt. Cum conſule *Strickio* nondum licuit mihi de rebus tuis agere, hodierno tamen die aut craſtino eum compellabo, ſi a vobis ad nos rediit. *Zeelhemium* compellavi jam bis, ac verbis ſeriis rogavi, ne gravetur explorare Principis ſententiam ſuper epiſtolis Tullianis Delphino Gallico dedicandis. Locus e Tragoediis Senecae, in quo *ponendi* verbum occurrit, quem deſignabam, ſignificatione alius eſt ab illo, quem praetuliſti, aut valde mihi imponit memoria, aut locum ipſum aliquando tibi exhibebo, reverſus domum. In furnis torreri, atque ita ſiccari ficus quandoque non neſciebam, qui viderim in agro Leodicenſi, & in Galliis eodem modo arefieri mala non ſolum ac pira, ſed ceraſa quoque & uvas. Sed cum Baleares inſulae, atque adeo in hiſce Ebuſitani, ſolis acerrimi caloribus immodicis ſunt expoſiti, vix videtur adhibitus fuiſſe uſus furnorum ea in re apud illos. *coquere* pro torrere apud antiquos de ſole non minus, quam de igne poni jam vidimus, quidquid autem torretur etiam ſiccetur neceſſe eſt. *Cura* etiam *coquit* apud Ennium. *Amor* apud Naſonem Epiſtola Sapphûs, *Me calor Atnaeo non minor igne coquit.* volebam nonnulla ſubtexere ad Petronium, ſed in proximum ea differemus. Metamorphoſes Antonini Liberalis ex ſecunda *Berckelii* editione vidi tandem. Interſeruntur ejus notis nonnulla ex epiſtolis *Jacobi* noſtri, in quibus peracerbe procaciterque omnino excipitur *Munckerus*. Vale, Hagae Comitum 3. Novemb. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ORationem *Stephani Gradii*, quam cum magna voluptate perlegi, tibi remitto. Non puto quenquam nunc in Italia degere, ſi diſceſſerimus ab *Octavio Ferrario*, qui ingenii elegantia, & diligenter ſcribendi laude ſit par *Gradio*, etſi ſubinde occurrant in hac oratione, quae *Muretus*, *Manutius*, *Corradus*, aliique Latine docti viri non ferrent. *Giſbertus Voetius* noſter etiamnunc

veſ-

veſcitur aura
Aetheria, nec adhuc crudelibus occubat umbris,

morbo tamen nondum eſt defunctus, ut verear ne tandem confectum febribus vires deſtituant, & Academiae, quam ille poſtem tenens dedicavit, & docendo & multa ingenii monumenta prodendo illuſtravit, lugubria ſint induenda. Mortem *Vander Merii* Rotterodamenſis doleo. Non quidem ipſum unquam vidi, ſed a multis audivi ſaepius laudari ejus integritatem, ac noſtrarum artium ſtudium. Ampliſſimus *Strickius* praeterita hebdomade fuit Hagae, ſed per unum tantum alterumque diem, ut vix putem tibi fuiſſe facultatem eum adeundi. Ad Nobiliſſimum *Zeelhemium* has, quas in iſtas conjeci, dedi littteras, ſed eas velim a te legi ante, & ſi quid in iis deſideres ad me remitti, ſin tibi non improbentur, *Seelhemio* tradi. Locum Senecae, ubi *ponere* legitur pro *in foenore ponere*, videre cupio, cum aliquando tibi fueris redditus. Sed quando illuceſcet illa dierum deſideratiſſima, quae te curis moleſtiiſque, quibus nunc premeris, expeditum dimittet in tuum receſſum, in quo & valetudini ſervire, & Muſis operam, quam a te expectant, navare poſſis? Meminiſtine te ſaepius mihi carmen promiſiſſe? Si nunc, cum Ciceronis epiſtolae prodeunt, hanc fidem olim datam liberare volueris, tua in me merita immortalia maximo augebis cumulo. In Statiana ſylva nondum concoquere poſſum iſtas ab Ebuſitis in ſole coctas, aut toſtas. Quamvis *coqui* dicuntur etiam quae aſſantur, & torrentur igne, homines tamen coquere in ſole ficus pro ſiccare & torrere non videtur quiſquam dixiſſe, ſed a veteri Latio valde abhorrere. ſol, & annus coquit ficus, uvas, poma, quando ad maturitatem illa perducit. Homines illa coquunt, quando in furnis torrent: quamvis autem Baleares inſulae, & vicina Ebuſus, ſolis acerrimi ferveant ardore, celerius tamen poterant ficus areſcere in fornacibus, quam in ſole. Nondum repudiare poſſum ſententiam, quam nuper ad te perſcripſi, de hoc loco. Quae non ita pridem ad Tragurianum fragmentum emendandum obſervaſti, audire aveo, teque rogo ſummopere, ut propediem mecum illa communices. Dionyſii Areopagitae verſio non fuit antiqua. Secunda Liberalis editio *Berkelii* nondum ad nos eſt perlata. *Jacobum* credo te vidiſſe. Multa in Livium haut protrita mihi recitavit, quae novam editionem Elzevirianam, quam adornant, inſigniter ſunt illuſtratura. Libros tuos, quos nuper emi, jubeſne Hagam an Vianam deportari? Apud me nunc quoque haerent. De faſciculo, qui ex Italia tibi mittitur, nihilne audis? Vale, vir ſumme, & me voti de carmine Ciceroni praefigendo damna. Trajecti Batavorum a. d. III. Kal. Novemb. CIƆIƆCLXXVI. De *Grotio* quando ibitur in conſilium?

EPI.

EPISTOLA CCCLXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NIhil equidem moleſtius fero, negata mihi hactenus facultate compellandi conſulem veſtrum, eique res tuas commendandi, quod feciſſem utique pridem, niſi is frequentem pedem efferret ex hac urbe, meque foeda anni tempeſtas ac valetudo rarius in publicum prodire paterentur. Non committam tamen diutius officium abs te meum deſiderari, ut primum compellare dabitur reducem ad nos virum Ampliſſ. Nam illuſtrem *Zeelhemium* non ſemel jam rogavi, ne gravaretur ad ſereniſſimum Principem negotii abs te mihi crediti meminiſſe, idque facturum recepit; iterata pollicitatione, cum tuas illi litteras proxime traderem, ut ex ipſo potuiſti coram cognoſcere. Sin minus, hortari ceſſantem non deſinam, quod una cum hero cis biduum nobis ſit affuturus denuo. *Gisberto Voetio*, magni nominis Theologo orbatam eſſe veſtram Academiam, ut falſo nuper ferebat rumor, ita nunc verax ſatis agnoſcitur. Bibliothecam ejus omnem auctione publica diſtrahendam fore vix eſt ut dubitetur. *Petrus Grotius* poſt multam cunctationem, novem calculis a judice eſt abſolutus, ſenis adverſus illum ſtantibus. Qua re intellecta Princeps Arauſionenſis per totum triduum cauſſae cognoſcendae vacavit. Sed novena illa judicum ſuffragia ſibi conſtiterunt, necdum tamen formula ſententiae in publico eſt recitata. Accepi die heſterno epiſtolam ſatis luculentam, ac typis publicis deſcriptam a *Friderico Spanhemio*, quam ego non ſine ſumma voluptate perlegi, Coccejaniſmi ac Carteſianiſmi fatum omne comprehendentem, eamque tibi perlegendam commendo, quod & pacis eccleſiaſticae ſtudio videatur haud modico ferri, & plus elegantiae ac nitoris prae ſe ferat, quam a Theologo exſpectes: ſalveant amici communes, & in his praecipuo loco elegantiſſimus *Trelſchius* Hagae. 15. Novemb. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MIrum, ni ſubiratum te experior, qui tanto tempore non ſcribam. Quanquam quod attinet conſulem *Strickium* ſuper rebus tuis non conventum, fore auguror, qua es aequitate, ut valetudini meae & infirmitati nonnihil indulgeas. Pedes enim, quibus Achillem olim ſuperabam, perniciſſimi ita debiles ac tardigradi ſunt, ut Peripateticae ſectae nuntium miſerint, etſi militiae Carteſianae nondum adſcripti. Ampl. *Zeelhemium* certe tua cauſa bis terve compellavi, & recepit is acturum ſe de re tota cum Principe, jamque

voti compos evaſiſſes, credo, niſi noſter ille compertum ſibi eſſe aſſeveraret, cognitumque ex ore ipſius *Elzevirii*, adhuc complura in Tullianis epiſtolis ſupereſſe typis deſcribenda, nec feſtinatione opus eſſe. De carmine, ſi periculum non eſt in mora, etiam cogitabitur, ſin minus, alteri tomo Tullianarum epiſtolarum, quae Attico ſunt inſcriptae, poterit praefigi. Sed de re tota commodius agetur coram. Sub feſtos enim dies Vianae me fore opinor. Ecce denuo funeſtos nuntios. Roma enim ad me perſcribitur *Joh. Pricaeum*, e Germania *Joh. Vorſtium* Berolini obiiſſe, non ſine levi artium bonarum detrimento. Vale, Clariſſime & amiciſſime virorum. Hagae Comitum xxx. Nov. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litteras tuas illico curavi Vianam. Meas, quas ante hoc quatriduum exarabam, tibi redditas eſſe ſpero. De ſtipendio inter ſpem & metum etiamnunc anxius pendeo. In Tullianis epiſtolis omnia nunc typis ſunt deſcripta, ut diutius morari non liceat typographum. Suſtinebimus tamen donec ex Zelandia redeat Nobiliſſimus *Zeelhemius*, etſi de dedicatione illa, quam meditabamur, nunc vix cogitandum putem, quia ſpes pacis videtur decolare. Sed veſtra tamen praeſtolabimur reſponſa, ſi patietur *Elzevirius* negotium hoc tamdiu differri. Carmine tuo nihil mihi offerri poterit deſideratius & acceptius. Duorum inſignium virorum obitus mihi flebilis & litteris funeſtus accidit, praecipue *Vorſtii*, qui in aetatis flore diem obiit. Nam *Pricaeum* effoetae privilegium aetatis rude donaverat. Hos nunc rebus humanis exemit fatalis dies, ego e contrario cive terrarum orbem auxi. Hoc enim mane tertiam decimam prolem ſuſtuli ex uxore, eamque melioris ſexus, cui precatus ſum ſanam mentem in corpore ſano. *Voſſii* τοῦ μακαρίτου bibliotheca proximis ſex ſeptemve menſibus non vendetur. Habes hîc alium catalogum. Te brevi hîc expectamus. Vale, grande decus meum. Trajecti a. d. XXIII. Novemb. Jul. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Invitus & dolens tam diu in aere tuo ſum, ut malum nomen tibi merito videri poſſim. Horas omnes diurnas conſumo in ſcholis, quas habeo, veſpertinas, quas ſcriptioni litterarum dicavi, exemerunt ſalutationes noſtrorum Procerum, apud quos urgeo reſtitutionem mercedis olim pactae, qua trien-

nium nunc cardo. Nec nulla ſpes affulget nonnihil obtinendi, utroque Conſule non obſcuras ſtudii erga me ſui ſignificationes dante: ſed nec pauca ſunt, quae hanc ſpem extenuant. Verum nolo male augurari. Ampliſſimo *Strickio* tuo nomine gratulatus ſum de dignitate nuperius ei delatâ. Perquam comiter me accepit, & tibi juſſit ſalutem dici. Multum ponderis ad id, quod volumus, conſequendum attuliſſet procul dubio tua commendatio, ſi per valetudinem tibi licuiſſet virum tui ſtudioſiſſimum, cum vobiſcum ageret, compellare. Sed fata viam invenient. Conſilium dedicationis epiſtolarum Tullianarum abjiciendum mihi eſſe ſatis ex illuſtris *Seelhemii* ſilentio videor intelligere, ſive quia Herus improbat, ſive quia non ducit e re noſtra eſſe & pro temporis hujus ratione Herum de hoc conſulere negotio. Tranſeuntem hîc videre nunquam potui. Praeterea nec licebit mihi diutius morari operas typographicas. Tu ſi quid ab illo accepiſti, quodcunque ſit, fac quaeſo ne ignorem. Spurcam tempeſtatem in vicinis inſulis cis paucos dies compoſitam eſſe audiemus. Faxit Deus ut ubique his inteſtinis motibus remedium inveniatur. Salutare ſane oſtendit in illa elegantiſſima epiſtola, quam & mihi dono miſit, quamque, cum tuae mihi redderentur, perlegeram, & devoraram, ut ita dicam, totam, eximius *Spanhemius*. Sed cum omnium temporum memoriam & in primis noſtrae reipublicae mecum repeto, vix poſſum in animum inducere noſtris votis eventum reſponſurum. Quae enim unquam diſcordia ſacrorum cauſſa inter Chriſtianos orta, quae latius ſerpſit, fuit compoſita ſine partium adverſarum excidio? Nulla ſecta hominum tenacior eſt propoſiti, ac opinionis, quam pro vera imbibit, retinentior, nulla, quae interneciva magis odia ſuſcipiat, quam quae caerimoniis praeeſt. Sed hanc curam deo committamus, & οἷς ταῦτα μέμηλε. Non eſt ut in poſterum noſtrorum judicum tarditatem in ferenda ſententia crimineris, cum veſtri longe ſint lentiores in quam tulerunt ſententia pronuntianda. Noſtri diu deliberant, antequam decernant, ſed, quae decreverunt, exequuntur ſtatim, veſtri diu exequuntur, quae pridem habent deliberata. Inter libros ex Germania tibi miſſos a *Carpzovio*, nec Dialogum *Mariangali Accurſii* de Antiquato & obſoleto ſermone fugiendo, nec Paulli Apoſtoli vitam a *Majore* & *Euthalio* ſcriptam vidi unquam: ſed hos non puto recenter editos eſſe. Reliquos partim habeo, partim cognovi ex indicibus Francofurtenſibus. Si & ceteros, quos accepiſti, mihi ſignificare volueris, multum te amabo. Ab optimo *Daumio* nihil habui ad te curandum, quam *Olearii* orationes ex Graecis Hiſtoricis excerptas, quas illico tibi reddi juſſi. Pudet me tamdiu nihil litterarum ad virum amiciſſimum dediſſe: ſed propediem hoc crimen expiabo. Libri, quos ex Italia navis Anglicana fert, utinam ſalvi tibi ſint, nec in piratarum incidant manus, aut naufragio pereant. Fatorum meorum acerbitatem deploro, quae mihi adhuc invident, quo nihil mihi fuit a plurimis annis deſideratius, carmen tuum. Laudes nec mereor, nec cupio, ſed id optavi pridem ardentiſſime, ut benevolentiae tuae in me monumentum aliquod in immortalibus tuis carminum libris ad poſteritatis memoriam prodatur. Vel trium quatuorve diſtichorum, aut decem phaleucorum

 epi-

epigrammate cupiditati meae ſatisfactum eſſe putabo. Quod ſi infeſta mihi ſemper fortuna hac quoque tam diu expectata voluptate me defraudarit, licebit mihi id tanquam cumulum quendam illius iniquitatibus, quae ſpes deſideriaque mea toties totieſque eluſerunt, adjicere. Locus fragmenti Traguriani, in quo *collocare pecuniam* pro in foenore ponere accipitur, pulcherrimus eſt & elegantiſſimus, qui vel ſolus vincat non eſſe hoc ἀποσπασμάτιον ſubditum ab hujus aut ſuperioris ſeculi eruditis. Plane prae ſe fert illius, qua vixit Petronius, felicem genium & indolem, ut mihi nunc nihil ſit exploratius. Utinam defunctus tandem eſſes his moleſtiis, quae te nunc ab exornandis noſtris artibus avocant, ut tua ingenii ſuavitate & doctrina in emendando & illuſtrando hoc ſcripto perquam obſcuro perfrui poſſemus. Interea in anteceſſum expecto quae de aliis hujus fragmenti locis examinandis promittis. Vale, vir ſumme. Trajecti a. d. IV. Kalend. Decemb. Gregor. CIↃIↃCLXXVI. Noſter *Trelſchius* valet, ac triumphat, quoties ei ſalutem tuo nomine nuntio. Nihil enim rerum humanarum tuae praefert amicitiae. Noſtine *Julium Serenum* de fato? Vidi eum librum ſemel iterumque laudari a viris eruditis, ſed cujus aetatis ille ſcriptor ſit, & quando aut a quo ſit editus nondum potui reſcire.

EPISTOLA CCCLXXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

RES meas magis tibi eſſe curae, quam tuas multis magniſque documentis mihi eſt teſtatum. Nunc te mihi poſſe nullo negotio commodare perſuaſum habeo, ſi litteris trium quatuorve verſuum Ampliſſimo *Strickio* fueris gratulatus de dignitate conſulari, & tanquam in tranſcurſu ſubjeceris, me tui cauſſa ut foveat & complectatur. Exploratiſſimum mihi eſt tuas litteras pondus habituras. Rogo ut quamprimum hanc mihi des veniam. Negotium enim iſtud, de quo ſemel iterumque tecum egi, nunc fervet. Votorum compos fieri cupio in primis, ut nomen meum apud te expungam. Aliud quod narrem non habeo, niſi hoc, filiolum meum fata tantum terris oſtendiſſe. Nam hodie rebus humanis eſt exemtus. Mater valet, & tibi jubet ſalutem dici verbis amantiſſimis. Vale, meum praeſidium. Trajecti a. d. XXV. Novemb. Jul. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

E Catalogo, quem proxime mittebas, nihil eſt quod addictum uſibus meis cupiam, praeter vitam *Rod. Agricolae* a *Nic. Friſchlino* conſcriptam. Hoc igitur per tuorum nonneminem agendum, quaeſo, cura. Apud Ampl. *Strickium* utinam tempeſtive tibi profuiſſem. Eſt tamen, quo te meque ſoler, quod eadem pedum contumacia res meas, in quibus de ſumma fortunarum agitur, hactenus moratur; quo abſque incommodo foret jampridem tranquillus & meus viverem: ad vos tamen ſi dabitur ſub feſtos dies excurrere, videbo, ut quod ceſſatione peccatum eſt, praeſens reſarciam, *Strickioque* res tuas praeſens commendem. Ampl. *Seelhemius* e Zelandia nondum ad nos reverſus eſt, revertentem denuo compellabo ſuper dedicationis negotio. *Frid. Spanhemii* epiſtola ſatis mihi placuit non ſemel lecta. Audio tamen eſſe e Theologis, qui magnum illi pro conſilio minentur malum. Eſt enim hoc hominum genus valde ſcribax, & ſive calamum flagitat, ſive linguam, in utrumque paratiſſimi. Grotiana cauſſa quod pendere pergit, & fortaſſe in aeternum pendebit, illi rei ſubeſt arcanum horribile politicum, quales gemmas floſculoſque nec quaerebant nuper judices veſtri in ſtercore pullorum, nec quaerentes, ſat ſcio, inveniſſent. Multa hunc noſtrum incaute & maligne perpetraſſe certum eſt, ſed an notam laeſae majeſtatis mereatur, aliis diſceptandum relinquo. *Mariangeli Accurſii* diatriba Helmaeſtadii nuper eſt edita. *Majoris* libellus, jam ſeculum eſt, quod prodiit in lucem. Sed *Euthalium* poſtea auctiorem Daumiana manu conſcriptum nactus ſum. Nactus etiam catalogum Paulinae apud Lipſienſes Bibliothecae, cum aliis libellis, quos apud me videbis aliquando. Mitto interim verſiculos *Carpzovii*, ſatis elegantes profecto, qui ad me licet revertantur quamprimum. *Julius Syrenius*, non *Serenus* vocatur ille, qui de fato ſcripſit, a *Paulo* editus *Manutio*, & penes me exſtat. Elegias ſcio me debere tibi, & plus nimio memini. Sed & ſcio ad carminum genus animum requirere defaecatum cum maxime, & omni vacuum moleſtia, ſi nunc non datur tibi gratificari, faciam cum minime expectabis. Solus enim tu & *Naaldvicius* ſuperſunt e creditoribus antiquis, quorum adhuc ſum in aere. Prolem tertiam decimam tibi natam gratulor, quam & vitalem auguror fore, & plus daturum orbi litterato, quam in *Vorſtio* & *Pricaeo* amiſimus. Suſcipiendam e fonte ſacro per me fore quo minus audacter offeram, facit infelix ut plurimum ſucceſſus ejus operae, ut in tuis jam ante ac Elzevirianis, aliiſque parum vitalibus ſum expertus. Egimus aliquando de Traguriani fragmenti loco, *pulcherrimum bacciballum*, ubi corrigebam *Bacchi Cymbalium*. nec correctionis poenitet: nam praeter rationes tum allatas, in comperto eſt Romanos nomina faeminarum ὑποκοριστικῶς, ut plurimum extuliſſe, ſic *Quartilla*, *Sulpicilla*, *Domitilla*, *Tul-*

liola, & mille talia. Illud autem *Cymbalium* ut probarem ὑποκοριστικῶς dictum, adducebam alterum locum, *inde duo crotalia protulit*, *& Fortunatae invicem conſideranda dedit*. Mirabaris uniones *crotalia* dici: ne mireris ecce Plinii locum Nat. Hiſt. IX. 35. de unionibus. *Hos digitis ſuſpendere*, *& binos ac ternos auribus faeminarum gloria eſt*; *cum id fecere*, *crotalia appellant*. in l. XXXII. ff. de Aur. Arg Legat. *ornamenta mamillarum ex cylindris triginta quatuor*, *& tympaniis margaritas* XXXIV. Vides & *tympania*. *Elenchos* Juvenalis dixit. Vale. VI. Decemb. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NOn exſpectas a me, ſat ſcio, verboſam nunc epiſtolam, qualem nuper ad te dabam: ne obſequii tamen tibi debiti gloriam in me ſinerem torpere, literas manu properata ad Conſulem veſtrum ocius paravi, utcumque debilis ac infirmus. Eae ſi cui uſui ſint futurae, tibi gratulabor immane quantum fortunam mihi ſpe majorem. Filiolum tuum non fore vitalem, vides me eſſe ominatum ex proximis litteris, etſi maluiſſem illas profecto augurii falſas fuiſſe. *Petrus Grotius* ſententiam a judicibus tulit hodie, cauſſamque tenuit perquam difficilem ac dubiam. Cum Vianam hinc ut proficiſcar, opinor fore die craſtino, ne quid negligentem me officii coarguas, praemonendus videbaris de Illuſtri *Seelhemio*, quotidianis flagitationibus a me ſuper rebus tuis idemtidem compellato; heſterno die, quando valere ipſi dicebam, promiſſi iterum admonitus bonum ſe nomen fore perlaute eſt pollicitus, ac occaſione prima de re omni cum hero agendum in ſe recepit, deque ſucceſſu dandas ad te propediem litteras. Culpam dilati tanto tempore officii oblivioni ſuae ingenue adſcribit, qua propter auctor ſim tibi, ut praeſtoleris quicquid ille molietur tandem. Vianae literas tuas fac, quaeſo, inveniam, ni mavis ipſe te illic ſiſtere omni epiſtola futurus acceptior. Habui a *Bigotio* litteras, ſed nihil majoris rei complexus. Claudianum narrat prodiiſſe neſcio cujus Cadomenſis Profeſſoris Paraphraſi in uſum Delphini illuſtratum. prodiiſſe & capitularia Regum Francorum duobus voluminibus, editore *Baluſio*, qui & praelo adornet tres tomos conciliorum, hactenus in publicum non editos, ac loco appendicis futuros ultimae collectioni *Philippi Labbaei*. ſudare & ſub praelo Lexicon Latino Barbarum *Cangaei*. Vale 19. Decemb. CIƆIƆCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

INfinita ſunt tua erga me merita, quae ne cogitando quidem poſſum aſſequi. Priſtina novis ſemper cumulas, ut tanta quotidie fiat acceſſio, quae nullis unquam meritis, nullo obſequio, etſi me tibi ſolduriorum lege devoveam, poſſit minui. Vel hae ipſae noviſſimae litterae, quibus me Ampliſſimo *Strickio* tradidiſti, quam oportunae venerunt, quam ſine ulla mora, omiſſis rerum omnium tuarum curis, a te ſunt expeditae. Nam quamvis de negotio hoc nihil etiam nunc quicquam ſit decretum, in tantam tamen gratiam me poſuerunt apud virum hunc praeſtantiſſimum, ut de felici ſucceſſu me juſſerit bene ſperare, quamprimum de rebus acturi ſint Academicis. De iis autem ad Senatum brevi referet. Quid nunc animi mihi eſſe putas, qui cum tantum tibi debeam, in re levi non potuerim tuae cupiditati ſatisfacere. Nam vita *Rudolphi Agricolae* illius hominis, cui eam emendam mandaveram, ſive oſcitantia ſive nequitia nobis intercepta eſt, ſic ut emtor non poſſit inveniri. Nam praeſente pecunia libellus iſte fuit venditus, ut in cujus manus pervenerit inveſtigari non poſſit. Inſpexi ipſe librum, qui erat pertenuis trium quatuorve foliorum, & ſatis grande pretium ei ſtatueram, ne a quoquam corriperetur. Mihi enim obcunda erat ſollemnis recitationis hora. Sed is, cui hoc negotium commiſeram, ac commendaveram diligentiſſime, praetexebat alii hunc librum, cum plures ſimul proponerentur, nec ſuſpicaretur eum tum praeconis voci ſubjici, addictum eſſe. Sed vereor ne ipſe, perſuaſus ingentem eſſe theſaurum, quem tot verbis ei commendaveram, ſibi illum ſumſerit, malaque fide nos deludat hiantes. Catalogum Lipſienſis bibliothecae Paulinae ſummo videndi deſiderio teneor. Verſiculi Carpzoviani, quos te nobis mittere ſcribis, nullus vidi. Simul ac legero illos recipies. Quae de *crotaliis* docuiſti placent mirifice, & videntur unice facere ad fundandam tuam conjecturam loci corruptiſſimi in Petronii fragmento. Nec improbo *filicio*, quamvis de hoc ampliandum ducem. Hodie vidimus Ampliſſimum *Terburchium*, qui diem unum atque alterum nobiſcum aget. Vidi etiam hodie, quae rem tuam familiarem curat Vianae, reducem Neomagb: in quod iter non pede fauſto ſe contulit. Nam negotium, cujus cauſſa illud ſuſcepit, ajebat improſpere cecidiſſe, & in reditu dextrum brachium verſo curru laeſit, ut manus eſſet debilis, & litteris ad te dandis inhabilis. Sperat tamen ſe brevi doloribus, quibus urgetur, ſedatis, ejus uſum recuperaturam. Nobiliſſimo *Seleemio*, ſi forte videris, ſalutem quaeſo dicas meo nomine, non quod de dedicatione illa, de qua cogitabam, quicquam auſim movere: nam omnino videor ſubodorari τῷ ποιμένι λαῶν hoc negotium ingratum futurum, ſed ut mei ſtudii obſervantiaeque illum certiorem fieri per te velim. Te propediem hîc expectamus. Vale, vir ſumme, decus & praeſidium meum.

Tra-

Trajecti a. d. xi. Decemb. Julian. cIↄIↄcLxxvI. Sereniſſimum Principem ex ſententia iter confeciſſe Selandicum hodie ad nos perlatum eſt.

EPISTOLA CCCLXXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SAlvum & incolumem te Vianam perveniſſe, & hyberno hoc ſydere moleſtiſſimi itineris taediis ex ſententia defunctum eſſe ſpero, cupioque quamprimum certior fieri de tuo adventu. Novi enim ψύχος λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον εἶναι. Negotium hoc de dedicatione Tullianis epiſtolis praefigenda cum denuo commendaſti illuſtri *Zeelemio*, novo me vinculo denuo devinxiſti tibi. Antiquum obtines in me demerendo quibuſcunque potes modis. Nec ego quod gratiarum genus reponam invenio. Dudum conſumſi quicquid verborum gratam voluntatem declarantium in meis lecythis conditum habui. Tu tamen non ceſſas novis indies beneficiis priſtina cumulare, ut ego ante, laudando tua in merita & gratias agendo, feſſus quaſi fatiſcam, quam tu benefaciendo langueſcas. Tanta tua eſt liberalitas, ut nullum ejus fructum te capere putes, niſi tanta beneficiorum mole, quem complectendum ornandumque ſuſcepiſti, obrueris, ut omnem referendae gratiae ſpem ei praecidas. Mihi certe ingrato moriendum erit, ſi ingratus dici poteſt, quem non voluntas, quae perquam egregia eſt, ſed facultas gratiam debitam perſolvendi deficiat. In tuum complexum ruere quidem geſtio, ſed nondum hîc res proferuntur. Noctes quidem in frigido & viduo lecto quietas habeo, ſed dies plenos occupationum, quae tamen hac hebdomade componentur. Tum ad vos excurram quamprimum potero. Sed tu interea in tanta vicinitate & otio quin ad nos inviſis? Si noſſes quo deſiderio tuo videndi flagrent amici *Trelſchius*, *Servaeſius*, alii, nihil te moraretur: advolares illico. Habes hîc litteras a *Cupero*, & Medicos veteres, quos olim tibi emi, nec non Petronii fragmentum Reineſianum. Quae de *Bigotio* narras habeo gratiſſima. Prae aliis videre cupio *Cangaei* Lexicon Latino barbarum. Cum haec ſcribo litteras a *Maliabekio* accipio. Narrat *Jacobo Gronovio* deſtinari cathedram Patavinam Ferrarii, qui annis & ſenecta debilis rude donabitur; eumque ad illam capeſſendam ſollicitari reipublicae Venetae nomine a Reverendo Patre *Stephano Coſmio* viro magnae apud Senatores Venetas auctoritatis. Quid conſilii capturus ſit brevi cognoſcemus. *Gronovius* quid ei auctor ſim me conſuluit. Romae *Latini Latinii* Viterbienſis bibliotheca, ſive obſervationes, correctiones, conjecturae & variae lectiones in Sacros & Profanos ſcriptores e marginibus librorum ejus collectae editae ſunt a *Dominico Mario* in folio. Plura vellem, ſed feſtinare jubet & abrumpere, quae has fert. Libros accipies proxime. Vale, decus meum unicum. Trajecti Batav. a. d. xiv. Decemb. Julian. cIↄIↄcLxxvI.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

GRates tibi dignas agere & referre nec meae eſt opis, nec tu, qui nulla re magis delectaris, quam bene de aliis merendi ſtudio, beneque te poſuiſſe beneficia tua putas, ſi in non immemores ſunt collocata, exigis, nec etiam, etſi maxime verborum gratiis vellem defungi, hae temporis anguſtiae patiuntur. De exitu proelii ſeptentrionales inter Reges commiſſi quae hîc circumferantur, hîc accipis. Quos ego heri vidi exiſtimant ex iis, quae vulgo jactantur (certas enim litteras ad Ordines ſcriptas nemo legit) ſatis conſtare res Danorum eſſe nonnihil afflictiores, nec tamen Suecos etiam de victoria inſigni poſſe gloriari, quamvis plenis buccis illam decantent, qui Suecorum partibus favent. Aliud nunc quod ſciberem non erat, niſi nos omnes tui deſiderio fere emori. Fac ut cras ad nos advoles, ne forſan, ſi longius fueris moratus, haec tempeſtas iter ad nos tibi occludat. Vale, & ſi nos valere vis, veni quamprimum, mea lux & praeſidium unicum. Trajecti ὡς τάχιςα. a. d. XXIII. Decemb. Jul. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

VAletudo tua me dies noctesque ſollicitum habet. Non ante potero vultum animumque diffundere, quam te hîc fuero complexus, quod ſimul ac per infirmitatem te viae committere poteris quin futurum ſit, nullus dubito. Faxit Deus, ut quamprimum fiat. Novi nihil: quae vulgata ſunt, hîc habes. Vale: ſi nondum vales, cura valetudinem diligentiſſime, ut quamprimum te hic firmum valentemque videamus. Trajecti a. d. XXV. Decemb CIƆIƆCLXXVI. ipſo Natali Servatoris noſtri. Has litteras heri exaraveram, ſed nulla curandi facultas fuit. Te nondum attritas vires valetudinemque recuperaſſe doleo ſane quam vehementer. Sed ſpero tamen magis propitia hac diva te uſurum propediem, ut, ſiquidem hîc tibi non licuerit deſidere, vel in tranſcurſu tuo fruamur complexu deſideratiſſimo. Hodie prandebo apud *Trelſchium* noſtrum, qui ſibi perſuaſerat te futurum una, & dulciſſimis tuis fabulis epulas has conditurum. Hac blanda ſpe heri paſcebatur, & mirifice ſe oblectabat. Nunc ea ubi ſe audierit excidiſſe, multum decedet illi hilaritati, illiſque jocis, in quos effundere nos certum eſt. Laetitiae enim datore caremus. Tuae tamen ſanitati quin libaturi ſimus noli dubitare. Nobiſcum erit comes *Broecdorfius*, & Baro *Cnipbuſius*, qui te colit. Huic cuſtodia Lirae in agro Embdano & praeſidii in

illo poſiti modo fuit ab Ordinibus commiſſa. Cis paucos dies proficiſcetur Neomagum ad compellandum legatum Suecicum affinitate ſibi junctum. Litterae tuae Delphos perferentur hac veſpera. Is tabellarius enim, qui Hagam litteras quotidie portat, in alias omnes quoque Hollandiae civitates noſtras curat epiſtolas. Certum eſt Malmoedium obſidione liberatum, Danoſque fuſos eſſe, licet ſummo ſtudio hoc vulnus diſſimulent. Sed nec Suecis haec victoria fuit incruenta. Maxima pars exercitus conciſa, multa quoque ſigna ceperunt Dani, ut aequo fere Marte fuerit pugnatum. Vale, decus meum. Deus te ſervet & propediem nobis incolumem donet. Si forte, quod nolim, Hagam cito excurrendi vobis eſſet occaſio, quaeſo te ut memineris dedicationis. Typographi differri diutius non poſſunt.

EPISTOLA CCCLXXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

MErito meas litteras requiris, qui poſt tantam comitatem, qua me nuperius habebas, poſt tanta promiſſa tanto intervallo nihil ad te. Sed profecto impedior inopia rerum, & nullam novam ſcribendi ſententiam reperio. De pace enim paciſque interpretibus Britannis omnia pergunt incerta eſſe & dubia. Quin qui noviſſime Haga ad nos veniunt, ſpem pacis plane decolaſſe ajunt. Bellum hîc & in Britannia terra marique inſtrui: quia perſuaſum habeant, Regem Galliarum conditiones oblatas gravari & abnuere. Ornari a noſtris praefectis rei maritimae claſſem octoginta roſtratarum, a Britanno triginta, cujus imperium futurum ſit penes *Oſſerejum* Anglum. Litterae, quae Inſulis & Pariſiis ante hos tres dies allatae ſunt, de pace nos jubebant certos eſſe. Pariſiis neminem eſſe, qui non pro explorato credat paucis in diebus pacem futuram. Cum has exaro, litteras accipio Neomago, quae narrant Anglorum Oratores abitum adornare, & ſe accingere reditui in patriam, ut vix quiſquam dubitet in belli ſocietatem propediem Anglorum Regem venturum: pacem vero eſſe conclamatam. Vides quam variis diverſiſque nunciis ſuſpendamur, dubiique & anxii inter ſpem & metum verſemur. Metus fere ſpem ſuperat. Sed ordinum Angliae conventus exitum hujus rei nos docebit. Juſſu Regis decem diebus ſerius convenient, quam ante conſtitutum erat. Valetudinem tuam tam tarde recuperari incredibiliter doleo. Innumerabilia ſunt tua in me merita. Omnia viceris, ſi te, ut ſpero, valentiorem videro. Vini medicati en tibi metretas quatuor Trajectinas. Vale vir ſumme, ὡς τάχιςα. a. d. XVIII. Jannuar. CIↃIↃCLXXVII.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Valetudo tua me non ſinit animo defaecato frontem porrigere. Sollicitum enim me habet mirum in modum, quamvis ſperem te indies magis magiſque viribus recollectis convaleſcere. Pacis ſpem denuo revireſcere ſunt qui nobis perſuaſum velint. Sane qui noviſſime Haga & Amſterodamo venerunt, litteras Anglicanas nuperrimas ajunt narrare, nondum conclamatam eſſe pacificationem. Sed omnia tamen dubia & incerta pergunt eſſe, conjecturiſque ſibi plerique ancipitibus blandiuntur. Proxime tamen cum ordines Angliae convenerint, quod futuro die Lunae fiet, niſi denuo illorum conſeſſus rejicietur in longius tempus, eventum hujus pacificationis cognoſcemus. Catalogus Eſſenianae bibliothecae nondum eſt totus typis deſcriptus, alioquin illum habuiſſes. Vendetur, ut audio, Martio menſe demum. Prodiit in Batavis liber ſacerrimus, *Spinoſae* doctrina moralis & de anima, cum aliis ejus opuſculis poſtumis, plenis impietatis & ἀθεότητος, quae digna ſane ſunt, quae ad orci tenebras, ex quibus cum magno humani generis damno & pudore emerſerunt in lucem, rejiciantur. Nihil enim peſtilentius orbis terrarum vidit a multis ſeculis. Palam omnem de deo & animae immortalitate opinionem ſtudet argumentis acutiſſimis convellere & ex animis hominum eradicare. Dii terris talem avertite peſtem! Vale, vir ſumme. Proximo die Saturni me, credo, cum *Servaeſio* videbis, niſi aut tempeſtas aut nec opinum quid nos retinuerit. Trajecti a. d. XXIV. Januar. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCC.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Vix relicta vicinia veſtra nuper in hunc nidum retuleram pedem, cum Ill. *Zeelhemium* per literas compellavi ſuper promiſſis: praeſens enim ne poſſem, per valetudinem fiebat, quae me cubiculo hactenus adfigit. Ille vero, cum & tacere pergat, nec viſat ad me, quod ſolebat frequenter facere, minimum abeſt, quin ſententiae tuae accedam, perſuadearque, ut credam aut Principis conſenſum obtineri non poſſe, aut amicum noſtrum, neſcio qua de cauſſa, nolle Principi rem commendare. Haec monenda duxi, ne forſan opineris me tui oblitum, de re mihi commiſſa promovenda haud cogitare. a *Langermanno* habui proxime, ſed nihil tuis auribus dignum complectentes. Pluribus tecum agam, ubi cum valetudine rediero in gra-

gratiam. Carpzovianum Epigramma ad me revertatur velim. Vale cum familia, & amicis omnibus. Hagae CIↃIↃCLXXVII. XXIX. Januar.

EPISTOLA CCCCI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EX noviſſimis tuis, quas a. d. XXIX. Januarii exaraveras, non potui cognoſcere, num meae, quas biduo ante dederam ad te, fuerint tibi redditae. In iis egeram de loco Petronii, in quo nuper emendabas *catomis objurgare*, nec non de Principe Saxoniae Iſenacenſi, adoleſcente ſummae ſpei, qui creſcit in decus Germaniae. Nobiſcum agit nunc aliquot menſes & in litterarum ſtudiis pro aetatis captu verſatur non ſine profectu. Cis unam alteramve hebdomadem ad vos ſe conferet, & ibi temporis non nihil impendet aulicis quidem officiis praecipue, ſed tamen ne Muſarum uſum dimittat. Geographicis in primis litteris vacare decrevit, ſi magiſtrum poterit apud vos invenire, qui eas recte poſſit tradere. Tu ſi quem noſti, qui hanc operam Principi Juventutis queat navare, aut per alium poteris inveſtigare, magnam & ab illo & a me inibis gratiam, ſi mihi ſignificaveris. Conſilium illud, de quo toties cum Illuſtri *Zeelhemio* egiſti, nunc abjeci, ex ſilentio hoc ſuſpicans τῆς ἐν τέλει id ab horum temporum ratione alienum ducere. Num *Zeelhemius* Principem conſuluerit vide, quaeſo, ſi poſſis aliquando expiſcari, licet quid reſponſi tulerit, nos velit ignorare. Ex morbo, quo tamdiu conflictatus es, ſpero nunc te recreatum eſſe, & illis, quibus obſideris, moleſtiis brevi relevatum iri. O dî repraeſentate mihi hoc votum, ut te mihi liceat frui ſalvo incolumi & omnibus ſollicitudinibus vacuo! Epigramma *Carpzovii* recipis hîc. Catalogum bibliothecae Paulinae videre deſidero, ut & Petronium, cujus nuper ſpem faciebas, & Virgilium. Si quid novi habes communica quaeſo. Apud nos omnia frigent. Vale, Princeps ingeniorum & amicorum. Trajecti a. d. XX. Januar. CIↃIↃCLXXVI. Julian. Hyginum *Berckelii* audio prodiiſſe: ſed nec noviſſimam ejus Antonini editionem vidi.

EPISTOLA CCCCII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

LItteras, in quibus egiſſe te ſcribis de Petroniano loco, deque ſtudiis Celſiſſimi Principis Saxoniae promovendis nullas equidem accepi. Si accepiſſem haudquaquam defuturus officio. Vide igitur, mi Graevi, per quem eas curaveris ad me perferri: nec gravare, quaeſo, proximis tuis repetere, ſi quid in amiſſis iſtis perſcripſiſti, ad quod reſponderi velis. Principem quidem gree-

egregium qui in geographicis erudiendum ſuſcipiant, plures apud nos inveniuntur, credo, quam qui id ipſum praeſtent laudabiliter, praeſertim ſi cognitio Geographiae veteris cum recenti ſit conjungenda, quod velle exiſtimo. a *Bigotio* habui proxime, qui plurima te ſalute impertit. Narrat praeterea Baluſiana Regum Gallorum Capitularia jam prodiiſſe, & Theodori Cantuarienſis poenitentiale, & *Dacheriani* ſpicilegii tomum XIII. & ultimum. Tum *Vaillantii* numiſmata, & alium neſcio cujus libellum de diis incognitis, cui inſcriptiones plurimae hactenus in publico haud viſae inſeruntur. Praeterea Menagianas juris amoenitates curis ſecundis auctiores eſſe ſub praelo, poſt ſecutura ejuſdem obſervata in Cujacianas obſervationes. Denique nonneminem ex amicis tuis, hominem pereruditum & parem huic operi, de Vitruvio animadverſionibus ſuis illuſtrando cogitare, ac ſubſidia ſibi circumſpicere membranarum veterum, iſti neceſſaria pertexendae telae. Id quod ignorare te nolui, ut, ſi Vitruvii codicem, quem poſſides, precibus Bigotianis indulgere non gravaris, de tuo apud illum poſſim eſſe liberalis, ni mavis araneas iſtas tibi ſoli relinqui. *Huetium* narrat idem Eccleſiaſtico adſumtum ordini, ad Epiſcopatum aſpirare. De Hygino *Berckelii* nihil inaudivi eſſe eum ſub praelo. Vide igitur ne falſus ille ſit nuntius. *Munckerus* certe curas ſecundas locis infinitis auctas paratas habet editioni. Sed typographum nequicquam quaerit. Vale III. Februar. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCCIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litterae, quas ad te dederam tres ante hebdomades, quorum culpa interciderint, nondum potui reſcire. Mei domeſtici, quibus illas curandas mandaveram, ajunt ſe tabellariis noſtris ad vos euntibus perferendas tradidiſſe. Horumne culpa, an meorum negligentia commiſſum ſit, ne ad te pervenerint, ſuſpicari non queo. Jacturam quidem tu feciſti nullam, ſed Celſiſſimi Principis Saxonici cauſſa illas periiſſe nollem. Cis paucos dies is Hagam contendet, & coram tecum de magiſtro, cujus diſciplinae ſe committat in Geographicis imbibendis litteris, aget. De Petronii loco, in quo, cum nuperius eſſemus una, cenſebas emendandum eſſe[1] *catomis objurgare*, ſcripſeram, iſtam caſtigationem tuam, cum ſaepius de ea cogitaſſem; mihi nondum probari, quia videatur iſta locutio a pure ſcribentium uſu abhorrere. Recte quidem dicitur *objurgare ferula*, *ſolea*, *flagellis*, ut *admonere fuſte*, *ſtimulo:* haec enim inſtrumenta ſunt, quibus objurgabantur. Sed *catoma*, τὰ κάτωμα, pars erat corporis ſub collo inter ſcapulas, quae caedebatur. Legitur quidem *catomis caedi*, *catomis verberari*, ſed hae ſunt locutiones non integrae. Per ellipſin enim ſic-

1 Vide de hac locutione *Scaligeri* ad *Velſerum* Epiſtolam CXLVI. & ad Manil. V. 403.

ſic loquebantur pro *in catomis caedere*, *in catomis verberari*, ut apud Juſtin. lib. I. *lacerari toto corpore*, pro *in toto corpore*, *plecti capite*, pro *plecti in capite*, *tergo vapulare*, pro *in tergo vapulare*. Sicut autem nemo dixerit *objurgare capite*, *tergo*, ſic nec quenquam exiſtimo dixiſſe *catomis objurgare*. Nam *objurgare* ſimpliciter pro caedere, non addita re, qua objurgabantur, admonebanturve, nuſquam legitur. Haec mihi hanc Petronianam περικοπὴν mecum verſanti in mentem veniebant. Tibi, ſi hunc ſcrupulum mihi exemeris, laetus aſſentiar. Scis enim nihil mihi eſſe ſuavius, quam ſi meam ſententiam ad tuam opinionem poſſum aggregare. Praeſtantiſſimum *Bigotium* ut peramanter meo nomine ſalutes rogo, certioremque facias, me uſum offerre vetuſti mei Vitruviani codicis ejus amico, qui in hoc ſcriptore perpoliendo elaborat, eumque in Galliam miſſurum, ſimul ac fuerit, aut ab illis mihi oſtendatur, cujus fidei poſſim eum committere, ut tuto perferatur. Nunquam enim patiar in me deſiderari, quod pro mea facultate poſſum ad rem litterariam augendam & ornandam conferre. Inter libellos, quos in Galliis exiiſſe narras, videre in primis geſtio *Vaillantii* numiſmata, & diſſertationem de diis ignotis. Ad *Menagium* brevi litteras dabo. Nam in amoenitatibus ejus eſt locus, in quo non poſſum eruditiſſimi viri ſententiae ſubſcribere. *Gerhardo Voſſio*, quaeſo, ut ſalutem quoque dicas meis verbis, eumque obteſteris, ut ſecum ferat ineditum antiquum interpretem Ciceronis, quem ejus avunculus olim mihi promiſit inſerendum huic, quam molior, editioni. Homerum Oxoniae publicatum, ut & Rhetores ſelectos apud noſtros bibliopolas ſpero me proximo vere viſurum. Si tamen *Voſſius* non gravabitur nobis ſignificare, num nova Latina verſione, aut prioribus emendatiore ſit Homerus ornatus, plurimum ei debebo. Quando remigrabit in patriam ad capeſſendum munus ei creditum? Hyginum Berkelianum publici juris eſſe, aut propediem futurum non ita pridem affirmabat *Emmeneſſius*. *Thomae Munckeri* animadverſiones in illum ſcriptorem curis ſecundis auctae lucem ut videant ſive hîc, ſive Amſterodami operam dabo. *Sebaſtianus Cruſius*, praeco verbi divini apud Sicambros, frater *Cruſii* τοῦ μακαρίτου, mihi ſcripſit, ſe commentarium de ſervis & libertis veterum edere, ex moribus omnium gentium, praecipue Hebraeorum, Graecorum & Romanorum: & *Mercurialis* ac *Fabri* libros de re gymnaſtica & athletica inſigni ſpicilegio auxiſſe, quae brevi ſit emiſſurus in lucem. Epiſtola, qua haec mihi ſignificat, non eſt indocta, ut videatur nihil protriti promittere. Illuſtrem *Zeelhemium* audio hodie, cum ſacris operaremur, cum hero hanc urbem tranſiiſſe. Ubi eum videbis, obſecro ne mea ſalute illum impertire oblivifcaris. De negotio illo, quod noſti, quicquid ex illo cognoveris amabo te ut quamprimum ex te intelligam. Vale, vir ſumme & me ama. Trajecti Batavorum a. d. IV. Kal. Febr. Julian. CIↃIↃCLXXVII.

EPI-

EPISTOLA CCCCIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

TAndem *Zeelhemius* ampliſſimus teſtatus eſt mihi, egiſſe ſe cum Hero de tuis rebus, atque ipſa verba expoſuit, quibus negotium illud ad optatos exitus conatus eſt perducere. Caeterum nihil ſe reſponſi tuliſſe adfirmat, praeter unam objectionem, cur hoc tempore Delphinum compellandum tibi proponeres? cum reſponderet ille, promiſſi fidem ita flagitare, multis ſuper haec additis, quae pro cauſſa tua militare rebatur, tacuit Princeps. Nec ille conſultum arbitratus eſt, reſponſum tunc inſtantius urgere, quod tamen ſe facturum obtulit, ſi vellem. Ego vero id e re tua fore non ſum opinatus, niſi ſi quid tute diſſentis. Plura aliquando coram de negotio hoc omni. *Elzevirius* interim graviter videtur ferre (nuper enim nobis adfuit) ſe tanto tempore differri, nec comparere, quae typis deſcribenda reſtant in Epiſtolis Tullianis. *Octavii Ferrarii* proluſionum Academicarum partem tertiam vidi, in quibus obtulerunt ſe mihi excerpta ipſa e tuis epiſtolis bina ad *Capellanum* τὴν μακαρίτην exaratis, quae in laudibus *Ferrarii* occupantur. *Catoma* aut *Catomia* niſi pro flagris accipiuntur, quibus humeri caedebantur, periclitatur, fateor, reſtitutio Petroniani loci, quam tibi venditabam pro vera. Quamquam non video, cur *catomis objurgari* pro *in catomis* aeque dici non poſſit, ac *caedi catomis*, *catomis dedolari*, *defricari*, & ſimilia. Sed quia a veterum ſcriptorum uſu nunc omni, ut ſcis, ſum imparatus, hunc contentionis finem tecum duxerim intempeſtivus omnino. Si inſpexiſti litteras, quas ad Cl. *Cuperum* dabam proxime, rogo, quid videatur tibi de iis, quae ad Arbitrum illic obſervabam: Vianae nuper Tragoedias Senecae cum inveſtigarem, ut de *opibus poſitis* locum exhiberem tibi, non comparuit exemplar, quo ſolebam uti. Vocabulum τὸ *honorum* bis mendoſum occurrere apud Vellejum ſignificabam. Loca nunc ecce. lib. II. cap. 116. *horum virorum mentione* &c. quaere locum. *mentioni* Latinum eſt, non *mentione*. Deinde Vellejus non meminit horum tantum, ſed honorifice quoque meminit & multa cum laude. Certe vetuſtus codex habebat, *Honorum virorum mentione*. Scribe, *Honorae horum virorum mentioni*. cap. 131. *& quidquid numinis Romani imperii molem in ampliſſimum terrarum orbis faſtigium extulit*. MS. denuo. *& quicquid nominum honororum*: puto, *honoram Romani imperii molem*. deinde & malo, *extuliſtis*. Deos enim alloquitur. *Oratio honora*, *honora & magnifica funeris pompa* apud Tacitum. Sed frequentius apud Poëtas id vocabulum occurrit. Vale, Hagae Com. XIII. Februar. CIƆIƆCLXXVII.

EPI-

EPISTOLA CCCCV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

HEu! quis mutavit mihi te deus? adeone te oblitum priſtinae neceſſitudinis, ut toto menſe nihil ſcribas! Ultimis meis addidi catalogum Bibliothecae Paulinae apud Lipſienſes veſtros. Eaedem agebant de ſententia ſereniſſimi Principis ſuper dedicatione Epiſtolarum Tullianarum. Cujus rei ſucceſſus quanquam fruſtratur exſpectationem noſtram, nihil tamen aut ſtudii ego aut diligentiae deſiderari in me ſum paſſus, qua negotium illud promoverem. Poſtea & Principem Saxoniae ſalutavi, erectae ſane indolis illum, & tua commendatione digniſſimum. Sed de his aliiſque rebus complura, niſi tu Sigalione quovis taciturnior talionis legem mihi praeſcriberes. Si tuae aut intercipiuntur, aut alio quovis modo pereunt in via, auctor ſum tibi, ut nomen meum in fronte literarum diſſimules poſthac, ac ſolum nomen Hoſpitae illic exhibeas. Vale. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXVII. 7. Mart. Gregor.

EPISTOLA CCCCVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NEſcio quis deus infeſtus, aut quae mens me abſtulerit, qui tamdiu reſponſum tot tuis ſuaviſſimis epiſtolis debitum trahendo me ipſe privarim fructu maximae voluptatis & unicae, quam ex tuis capio litteris. Fui quidem diſtentus occupatione magna variaque, ſed nihil tanti mihi eſſe debet, ut tibi meum deſiderandum ſit officium. Tardandi & procraſtinandi longius anſam quoque praebuit, quae rem tuam familiarem curat Vianae, ſpem certam nobis faciens, cum ſuperiore hebdomade huc viſeret, propinqui tui adventus per Amſterodamum & hanc urbem ad tuos lares adornati. Sed praeſtat culpam fateri, quam frigidis excuſationibus eam augere. Nulla enim juſta illius ad patrocinium poteſt adferri. Nec expiari poteſt, niſi aſſiduitate ſcriptionis, qua tibi me ſpero ſatisfacturum. De ſucceſſu minus proſpero inſtituti mei de Tullianarum epiſtolarum dedicatione ſcis me olim male auguratum eſſe. Nec hoc multum refert mea veniam hanc mihi non datam eſſe, ſi modo hoc conſilium, quod ceperam, non in ſiniſtram opinionem de me τὸ κράτιϛον adduxit. Non enim deeſſe novi jejunos quoſdam homines, qui frigidam ſuffundunt ubique mihi. Verum me conſolatur optimae mentis conſcientia. *Catoma* ſcriptoribus meliorum temporum non niſi pro ſcapulis accipi certa res eſt; ſed apud poſteriorum ſeculorum homines, Chriſtianos in primis, pro ipſis verberibus poni non inficior. Sed Petronium ſic locutum eſſe non poſſum animum inducere ut credam.

Cato-

Catomis quidem *caedi*, *dedolari*, *defricari*, pro *in catomis*, ferri poteſt, ſed *catomis objurgari* eadem ratione non videtur dici poſſe, quia *objurgare* nunquam ſolum ſine addito inſtrumento, quo objurgabantur & admonebantur, uſurpatur; ſed *colapho*, *ferula*, *ſtimulo objurgare* frequens eſt. Si nudum *objurgare*, ut *defricare*, *dedolare* reperitur pro caedere, herbam porrigo. In Velleji Paterculi libri II. cap. CXVI. non poſſum non tuae applaudere correctioni, *honororum virorum mentione* reſtituenti ex veſtigiis vetuſti codicis. Blanditur quoque, quam reponendam cenſes, lectio in cap. CXXII. *honoram Romani imperii ſedem*, ſed haec tamen ambigua eſt & minus certa. Aurigatur quidem eo libri veteris ſcriptura, non nego, ſed in hoc loco videtur hoc verbum humilius eſſe, quam rei, de qua loquitur, majeſtas poſtulat. *extuliſtis* ibidem pro explorato habeo. In Petronio propitiis Muſis & Gratiis emendaſti, *Trimalchio hoc ſuum genium propitiaſſe dicebat.* Eſt hoc extra omnem dubitationis aleam. In altero Petronii loco repurgando, cum legendum cenſes, *in tantum repente riſum effuſa eſt, ut Thymelen crederemus*, tuum quidem cognoſco ingenium: nihil enim potuit fingi ingenioſius, ſed hanc ipſam ſcripturam eſſe Petronii nondum potui a me impetrare ut crederem. Nam *Thymele* fuit quidem nomen ſaltatricis, uti conſtat ex Martiali & Catalectis veterum poëtarum, ſed omnes mulieres, quae ludicras artes exercebant, *Thymelas* dictas non exiſtimo. Sed demus *Thymeles* nomen tam celebre fuiſſe, quam alicujus Roſcii, illae tamen, quae hiſtrioniam exercebant, mulieres ſaltando magis, quam effuſo riſu ſpectatores tenebant. Nec firmandae huic correctioni quicquam adfert adjumenti *mimicus riſus*, qui ſignificat quemvis riſum fictum & compoſitum, ſive is ſit effuſus, ſive levis. Aliud itaque vitium puto latere in τῷ *timeremus*, quod nunc non eruo. Illa vero ſententia tua, quae reſcribendum ſuadet apud eundem Arbitrum in fragmento Traguriano, *thymelica diverbia adjicere*, mihi arridet. Nam *thymelici* dicebantur hiſtriones, Graecis praeſertim. In ἐπιμυθίῳ fabulae XXII. apud Phaedrum quid modo mihi in mentem venerit tibi exiſtimandum committo.

Hoc in ſe dictum debent illi agnoſcere,
Quorum privata ſervit utilitas ſibi,
Et meritum inane jactant imprudentibus.

Haec ſuppurata ſunt, quamvis ſanitatem mentiantur. Nam ſi fabulam hanc inſpexeris, non ad illos pertinet, qui imprudentibus venditant ſe & inania imputant beneficia, qui horum jactatorum artes non intelligunt, & ab iis decipiuntur: nam muſtelae vanam oſtentationem ſtatim deprehendebat ille, qui eam ceperat, hinc & poenas dabat morte; ſed in homines illos effrontes, qui audent merita ſua magnifice praedicare, quibus tamen non tam aliis commodant, quam ſuae utilitati ſerviunt, deprehenſi autem ſpe ſua fruſtrantur & ludibrio ſunt. Plane igitur perſuaſum habeo legendum eſſe:

Et meritum inane jactant impudentius.

Hinc & *muſtelam* vocat *improbam*, hoc eſt impudentem. Nam hanc vocem in iſta notione ſaepe legi non ignoras. Sic *improba ſpes*, *Pompeji vultus probus*, *animus improbus*. Cogitabam de eodem oleo litteras quoque dare ad Saxoniae Celſiſſi-

ſiſſimum Principem, uti & praeſtantiſſimum *Boſchium*, ſed interpellabar. Propediem tamen officio fungar. Litteras accepi a *Maliabeckio*, quae ſignificant 1 *Oligerum Jacobeum*, Danum eruditum, in bibliotheca Medicea deſcripſiſſe Hiſtoriam *Bartholomei Scalae*, qui aequalis fuit *Politiano* & ei obtrectabat, & nunc in ea edenda Romae occupari. Illum *Jacobeum* edidiſſe quoque obſervationes de Ranis Pariſiis. *Gaſparem Bartholinum* ibidem publici juris facere diſſertationem de veterum tibiis. Ex bibliotheca Barberina publicari *Raphaëlis Volaterrani* librum de ſua familia, qui inſcribatur στρώματα. & tomos duos poſtumos continuationis annalium Baronii uſque ad obitum Pii V. a Patre *Reinaldo* concinnatos. *Carolo Patino* in lyceo Patavino mandaram eſſe provinciam Medicinam practicam docendi, & jam inauguralem orationem ab eo habitam. Nunc a te expecto quid novi ex Germania & aliis terris de re litteraria mihi ſis narraturus. *Rappoltum* diem obiiſſe ſuum ex fratre meo intellexeram. Vale, decus noſtrum & praeſidium unicum, & ſaluta peramanter meo nomine Illuſtrem *Scleemium*, ſi quando videris. Trajecti Batavorum poſtrid. Kal. Mart. CIƆIƆCLXXVII.

1 edidit quoque hoc Anno, & *Magliabechio* dedicavit. ex qua editione tranſlata in tomum VIII. Theſauri Antiq. Ital. ubi de *Scala* nos in praefatione egimus.

EPISTOLA CCCCVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MAligne nimis invideque profecto faciunt amici illi tui, qui te praeſente ſic fruuntur toto, ut nobis abſentibus aut nihil, aut parum e conſuetudine tua longe jucundiſſima relinquatur. Iis ſane iraſcor, non tibi, mi Graevi, cujus facilitatem habeo perſpectam, cum illi contra te dividi non ſinant, & unicas delicias minus clementer avellant nobis. Non diſplicuiſſe tibi horum pleraque, quae in Paterculo Petronioque proxime caſtigabam, id ſane gaudio me totum perfundit: quanquam pro veris nec venditabam ipſe, quae chartis nuper illevi. Meretur tamen laudem nonnullos locos male adfectos in priſcis ſcriptoribus indagare, & aliis felicioribus ingeniis curandos permittere. Τὸ *honorum* memini & Tacito non ſemel a me reſtitutum, quae loca nunc quidem non ſunt in promtu. In Petronio corrigebam aliquando; *in tantum repente riſum effuſa eſt, ut intime mirarentur. Thymele* etſi nomen ſit proprium ſcenicae mulieris, tamen & pro ſcenica qualicumque, & pro ſcena ipſa, puto, ſumitur nonnumquam; qua de re alias. In Phaedro divinus omnino, ſi quid video, fuiſti. Vianam ſub feſtum Paſchale excurſurum ſpero, ut *Mureti* annotationes in Ciceronem ex Italia eo perlatas tibi tradam. *Daumius* noſter codicem Palponiſtae nactus in Ubiis olim editum ſatis emendate, his carbonibus inventis tamquam ingenti theſauro mirifice exſultat. idem narrabat *Joh. Chriſtophorum Becmannum*, *Chriſtiani* filium, e ſcripto exemplari efferre in lucem

Johan-

Johannem Malalam Hiſtoricum Graecum. *Martinus Hanckius* de ſcriptoribus Hiſtoriae Byzantinae commentarios parat. Vale. Hagae 22. Martii CIƆIƆCLXXVII.

EPISTOLA CCCCVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litteras, quas Vianam perferri volebas, illius urbis tabellario, ſimul ac mihi reddebantur, curandas commiſi. Amici communes, ſi quid tibi ſuffurati ſunt, penſabitur in poſterum aſſiduitate. Sperabam me te viſurum eſſe Amſterodami hebdomade ſuperiore. Eo enim excurrebam, ut officium praeſtarem *Francio* noſtro, laudes decantaturo magni imperatoris. Perſonam, quam ſuſcepit, pulchre ſuſtinuit, auditusque eſt magno cum applauſu. Nullus dubito, quin & tibi ſe ſit probaturus. Nam ad te ſe recta proficiſci, cum mihi valere diceret, ajebat, ut carmen iſtud, antequam lucem adſpiceret, tua lima poliretur, ſi quid in illo ſcabri occurreret. In Petroniano loco, quem corruptum eſſe recte vidiſti, emendando confeſtim accedam tuae ſententiae, ſi loquendi hoc genus *intime mirari* auctoritate ſcriptoris idonei firmatum cognovero. Ut nunc eſt, non memini ſic quemquam loqui. Sed forte me decipit memoria. Merces Italicas allatas eſſe gaudeo, eaſque videre geſtio, in primis vitam *Fulvii*. *Ezechiel Spanhemius* tibi ſalutem dicit amantiſſimam, quem cum navem, Germaniam repetiturus, conſcendiſſet, compellavi. Ex Germania quos muſteos libellos acceperis, nuper te ſignificaturum promittebas. In his vero noviſſimis quid moliantur noſtri populares, cognovi, quod & ipſum gratiſſimum mihi accidit. Joannis Malalae hiſtoriam olim promiſerunt Angli. Non paucas ex illo ſcriptore περικοπὰς legi in *Seldeni* ſcriptis: non videtur eſſe magni pretii, dignus tamen qui edatur. *Martini Hanckii*, libri, quos vidi, meri centones ſunt. Spira litteras habui. Nemo poteſt ibi reperiri, qui unum verſum membranacei codicis poſſit componere cum edito. *Mauritius*, qui te ſalutari juſſit, manibus pedibuſque captus eſt. Vianam ubi excurres, quaeſo ut per noſtram urbem tranſeas, ut tuo deſideratiſſimo complexu fruamur. Vale, decus noſtrum unicum. Trajecti Batavorum a. d. XXIII. Mart. CIƆIƆCLXXVII. Gregor.

EPISTOLA CCCCIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

LIbrorum, quos e Germania ſuperiore nuper accepi, potiores jam me recenſuiſſe tibi opinor. Erat praeterea inter eos *Johannis Schilteri* manuductio Philoſophica ad veram jurisprudentiam, cum diſſertationibus de jure hoſpitii, & Philoſophica Pythagorica ejuſdem. E Galliis Italiaque pridem nihil ad me perlatum eſt de ſtudiis communibus. Adfuit mihi ante hoc triduum noſter *Francius*, ac Epicedion manibus Reuterianis datum recitavit, in ejus multa ſane egregia occurrunt. De Petroniano loco, vix habeo quod dicam, niſi mirum videri, de ejus naevo nihil tot interpretibus ſuboluiſſe. Non tantum locis plurimis mendoſus ſcriptor elegantiſſimus, ſed mutilatus quoque librariorum incuria. Quod ſi mihi credis, cum ſit veriſſimum, facile accedes aſſeveranti id ipſum quoque hîc loci contigiſſe. Quid ſi dederit igitur Arbiter, *in tantum repente riſum effuſa eſt, ut timeremus ne rumperetur*, vel *dirumperetur*. *Ilia riſu diſtendere* habes apud Naſonem. poſſis etiam, *ut item rideremus*. Sed hoc in loco plus ſatis ſine ſucceſſu jam deſudavimus. Nunc quaero habeaſne pro ſano, quod occurrit apud Paterculum lib. II. cap. 126. *aut incuſſa voluntas, aut impoſita neceſſitas*. *Incutere dolorem, metum* & ſimilia dicimus. *incutere voluntatem* dure & parum proprie videtur dictum, cum verbum illud violenti quiddam ſecum trahat. Quid ſi legimus igitur, *injuſſa voluntas?* videlicet ſe ultro, & ſine legum metu componentium ad exemplum principis. Quod ex ſequentibus liquido colligas. Sequenti capite locus a me varie tentatus nunc ita videtur conſtituendus. *Neque impar favor proavita miniſteria defecit*. Eodem cap: 126. *Revocata in forum fides, ſummota e foro ſeditio*. Vides inconcinne repeti *e foro*. Sed quaenam eſt iſta fides in forum revocata. Nam mihi quidem id non liquet. Forte, *revocata caſtrorum fides, ſummota ſeditio*. Certe in nummis antiquis millies occurrit FIDES EXERCITUUM. De ſeditione militis poſt divi Auguſti exceſſum copioſe Tacitus, & noſter nonnihil ſupra. poſt hanc ſeditionem poſſit inconcinnum videri theatralem ſeditionem repeti paulo poſt: pro qua forte reſtituenda, *theatralis editio*. certe ut nimium hac in re culpabat Druſum filium Tiberius, & hiſtriones exigebat Italia. *Daumius* luci parat dialogum S. Hieronymi de Trinitate a *Fred. Morello* olim editum, cujus ſpecimen ad me miſit. Leidae proximis diebus exhibitus mihi eſt a Typographo *Tollii* guſtus ad Longinum, cum ejuſdem obſervatis in orationem Ciceronis pro Archia, libellus ipſe lucem propediem videbit. *Ezechielem Spanhemium*, ſi is hac tranſivit, doleo a me non eſſe conventum. *Mauricium* Spiranum meo viciſſim ſalutabis nomine, quem tu manibus pedibuſque captum cum ſcribas, ego in Daniam profectum opinabar, ut fratri reo in judicio adeſſet. Hagae Comitum XXVI. Mart. CIↃIↃCLXXVII.

EPI-

EPISTOLA CCCCX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUam inter libros Germanicos ad te perlatam eſſe narras *Joannis Schilteri* doctrinam moralem dudum habeo ex auctoris dono, qui non ſolum proxima cognatione, ſed & a teneris annis longo uſu & litterarum commercio mihi eſt conjunctiſſimus. S. Hieronymi dialogum Graecum, quem *Daumius* luci publicae parat, videre geſtio. *Tollii* guſtus ad Longinum, quem modo accepi, non eſt ad meum guſtum, nec in orationem pro Archia quae notavit, reſpondent expectationi meae. Orationem inauguralem ſuam ad me heri miſit noſter *Lemonius*, ex cujus litteris videor colligere brevi illum ad nos excurſurum. Utinam tecum hoc iter ſuſciperet, ut proximis feriis paſchalibus utriuſque ſuavitatibus ingenii frui liceret, quo nihil mihi deſideratius poterit accidere. *Mauritium* pedem efferre Nemetum ex urbe morbus articularis non ſinit. Sed fratris temporibus litteris commendatitiis Imperatoris eſt praeſto, & afflictam ejus fortunam abſens levare ſtudet. Epicedium *Francii* indies expectamus. De quingentis florenis annuis, quos meis vectigalibus detraxerant, trecenti in poſterum mihi ſunt reſtituti, quam acceſſionem tibi acceptam in primis fero, tibique gratias ingentes, quod cauſſam meam egeris apud primarium Conſulem, debeo. nec ſpes nulla eſt fore, ut proximis annis ducentos quoque illos mihi reddant. In Petronio non videtur a vero alienum eſſe vocem unam ac alteram in illo loco, de quo ſaepius egimus, excidiſſe, nec inepte cogitas legi poſſe: *in tantum repente effuſa eſt riſum, ut timeremus, ne rumperetur.* potuit ſcripſiſſe Arbiter, *ut timeremus ne moreretur*, ut *riſu emori* apud Terentium. In vulgatis verbis naevum haerere nemo ſanioris mentis dubitare poteſt. Apud Vellejum lib. II. cap. CXXVI. plane tibi aſſentior ſcribendum, *aut injuſſa voluntas. incuſſa* ferri non poteſt. *incutere voluntatem* n. mo dixit Latine ſciens. Apud Horatium quidem *deſiderium incutere* legitur, ſed hoc loquendi genus nihil facit ad iſtud tuendum, *incutere voluntatem*. Qui enim illa poteſt *incuti?* In Plinii aut Pacati Panegyrico memini Germanum plane huic Vellejano locum haberi, qui tuam firmat ſententiam, ſed quem in hac feſtinatione non poteram reperire. Nec videris a vero diſcedere, cum reponendum cenſes in eodem capite, *revocata caſtrorum fides, ſummota ſeditio.* Quando enim fori fides ſub Auguſto fuit labefactata? aut quae conſtituta poſt bella civilia republica in foro fuit ſeditio? Num ſanitatem prae ſe ferre tibi videntur ſequentia: *ambitio campo, diſcordia curia, ſepultaeque ac ſitu obſitae?* Saltem dicendum eſſet *ambitio in campo ſepultae.* Mihi in praecedentibus *ſeditio* quoque ſuſpectum eſt, & forſan irrepſit ex magiſtri annotatione ad marginem. Nam *ſummovere ſeditionem* non occurrit apud idoneum ſcriptorem legi: nec veroſimile eſt *ſeditio, ambitio* proxime juncta eſſe, alterutrum certe corrup-

tum. Non hunc ingratiſſimum ſonum tuliſſent aures Romanae. praeterea deſideratur aliquod vocabulum pertinens ad *ſepultaeque ac ſitu obſitae.* copula *que* hic inepte & inſulſe inculcatur. Quid ſi ita reſcribas: *ſummota ambitio campo, diſcordia curia, ſepultae calumniae ac ſitu obſitae,* Sueton. Tib. c. XXXIII. *Magiſtratibus pro tribunali cognoſcentibus, plerumque ſe offerebat conſiliarium, aſſidebatque miſtim, vel ex adverſo in parte primori: & ſi quem reorum elabi gratia rumor eſſet, ſubitus aderat, judiceſque aut e plano, aut e quaeſitoris tribunali legum, religionis, & noxae, de qua cognoſcerent, admonebant.* Tacitus eadem de re videndus cap. LXXVII. Ann. I. Sed *compreſſa theatralis ſeditio* non eſt loco movenda. Tacitus I. Ann. 77. *At theatri licentia proximo priore anno coepta gravius tum erupit, occiſis non modo e plebe, ſed militibus & centurione, vulnerato tribuno praetoriae cohortis, dum probra in magiſtratus, & diſſenſionem vulgi prohibent. Actum de ea ſeditione apud patres.* vide quoque Sueton. in ejus vita cap. XXXVI. Sed nec ſollicitandum videtur *revocata in forum fides*, ut modo exiſtimabamus, quia in magna pecuniae difficultate propoſuit Imperator millies HS. gratuitum in triennii tempus, teſtante Tranquillo cap. XLIX. ejuſdem vitae. Locum conclamatum cap. CXXVII. nulla vi ingenii ſine veteris codicis praeſidio reſtitui poſſe perſuaſiſſimum habeo. Quae tu in illo inſtaurando cogitaſti digna quidem tua ſunt ſollertia, ſed tamen non videntur mihi convenire aut dictioni Velleji, aut etiam ſententiae hujus loci, quae videtur acumen aliquod deſiderare, quorum captator eſt inſignis Vellejus, ne dicam *proavita miniſteria* pro miniſtris priorum temporum vix poſſe probari Latinis hominibus. *miniſteria* quidem pro miniſtris ſaepius reperiri non ignoro. Cap. CXIV. poteſt ferri *reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus.* Nam bellum in Pannonia & Dalmatia eodem tempore gerebatur. Sed in Pannonia extinctum erat, in Dalmatia igitur ſolae ejus manebant reliquiae. Ibidem *a ſuis deditum* recte a te, ſiquid video, emendatum. In Voſſiana omittitur *a ſe*, quia nullius ſenſus erat: ſed tu propius veteris libri veſtigiis inſiſtis. In eodem capite mallem: *Hiems emolumentum patrandi belli contulit; ſic inſequenti aeſtate* &c. hoc eſt, ad patrandum bellum plurimum momenti contulit. Habes hîc litteras a *Cupero*. Vale, vir ſumme & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XXVII. Mart. CIƆIƆCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas nuperius ad te litteras dedi, quamque cum meis conjunxeram *Cuperi* epiſtolam, nullus dubito quin acceperis. Mitto nunc aliam *Perizonii.* Te quando hîc videbimus? Nam hoc juſtitium te, ſpero, relaxabit iſtis, quibus diſtineris, occupationibus moleſtiſſimis, teque nobis poſt tantam intercapedinem redonabit. Ampliſſimus *Strickius* etiam tui complexus eſt cupidiſſimus. A *Magliabechio* denuo litteras habui, quae narrant *Ciacconium* de vitis Pon-

Pontificum & Cardinalium infinitis partibus auctum jam jam Romae lucem viſurum, ſub proelis vero ſudare Patris *Reinaldi* duo tomos poſtumos, quibus perſequitur hiſtoriam Eccleſiaſticam illorum temporum, quae Baronius non attigit. *Cavinam* quoque Hiſtoriam edere Faventiae. Aliud quod ſcriberem nunc non erat. Vale, meum decus, & veni, ſed in hanc urbem, ſi nos amas. Trajecti proſtrid. Kal. April Julian. CIↃIↃCLXXVII. *Caſparem Bartholinum Thomae* filium Romae de tibiis veterum, & earum antiquo uſu tres libros publicare, nuperius credo me tibi ſignificaſſe.

EPISTOLA CCCCXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Adeone ſordet tibi urbs noſtra, in qua tot homines tui cupidiſſimi degunt, ut ejus nomen quaſi ejuraris, & pedem in illam ferre magis fugias, quam in hoſticum. Spem adventus tui non ſolum communibus amicis, ſed & ipſi Ampliſſimo Conſuli *Strickio* feceram, qui magnum tui complexus deſiderium prae ſe ferebat. Fac igitur, cum jam liceat tibi abs re tua domo abeſſe, ut quamprimum ad nos advoles. Nemo, mihi crede, nobis optatior ac deſideratior poterit venire. Recipio me proximo die Saturni, ſi diutius non poteris nobiſcum eſſe, aut proximo Solis te Vianam comitaturum. Nam propter domeſticos noſtrorum adoleſcentum coetus non ante potero hinc contendere. De loco Ciceronis coram agemus. Cauſſae nihil video, cur vulgata ſit ſollicitanda lectio. Rumor hîc circumfertur Principem Arauſionenſem tria caſtra Gallorum, fanum ſancti Audomari obſidentium, expugnaſſe, & illam urbem trium millium praeſidio firmaſſe, ac omni liberaſſe periculo. Sed rumor eſt ἀδέσποτος ſine certo auctore. Faxit Deus ne gaudium, quod animo praecipimus, triſtioribus nunciis offuſcetur, ut ſaepe factum. Si non fallit fama, ſpero noſtras res faciliores futuras, & pacis conditiones citius oratores expedituros. Vale, & ſi nos amas, veni quamprimum. Trajecti Batavorum a. d. IV. April. CIↃIↃCLXXVII. Litteras tuas hodie curabo Amſterodamum. Quas pridie Hagam ad te dedi, cum quibus junxeram alias *Perizonii* ad te exaratas, ſervabunt, credo, tui familiares in tuum reditum. Iterum iterumque vale, mea lux. *Servaeſius* & *Trelſchius*, qui iter meditatur in Cimbriam brevi ſuſcipiendum, & *Velthuſius* tibi ſalutem dicunt.

EPI-

EPISTOLA CCCCXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NEſcio quomodo mihi exciderit poſtremas meas ad te exaranti, ut monerem de loco veteris Poëtae apud Ciceronem per *Daumium* tentato, quem ille judicio noſtro ſubmiſit. Exſtat is libr. VII. Epiſt. 6. atque ita ab illo caſtigatur, ut verſum Trochaicum conficiat. *Multi qui domi aetatem agerent, propterea ſunt improbi, non improbati* quod nunc circumfertur. de Paterculi locis coram videbimus. Promitto enim mihi fore, ut ante feſtos dies ad me viſas Vianae. ubi Lunae proximo futurum me vix dubito, niſi propoſitum meum fruſtratur, quod nolim, Deus, cum itineri jam nunc ſim accinctus, ac Roterodamum mox cogitem. *Loto corpore*, quod conjiciebam apud Tacitum, ubi agit de Nerone natante in aqua Marcia, jam a *Lipſio* occupatum ſerus agnovi. Sed hanc culpam aliis in eodem ſcriptore conjecturis expiabo, cum vacabit. 7. April. CIƆIƆCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

BEnigniſſima illa hoſpitii nuperi ſacra, quibus domi tuae ſum initiatus, longam equidem gratiarum actionem merebantur, ſed quod in procinctu ſum jam jam Boreales aditurus Hollandos, unde tamen reditum mihi promitto intra quatriduum proximum, paucis tecum agere nunc cogor. Cauſa ſcriptionis hujus potiſſima eſt Celſus Roberti Conſtantini, multum, ut potes meminiſſe, abs te deſideratus, quem cum catalogus Bibliothecae *Joh. Rulaei* exhibeat Harlemi diſtrahendus, facile ea in civitate invenies puto, qui hîc tibi gratificetur, modo ne cuncteris aut differas exigere officium. Nam craſtinum diem totum facile occupabunt libri Theologi, ſi ab iis initium fiat auctionis, aut Galli & vernaculi, ſi Amſtelaedamenſium more & Sotadico auctio procedat. Ego quidem illic neminem familiarius notum habeo, a quo hoc officium aut ſperare poſſum, aut ullo jure flagitare. Ad *Magliabechium* cum ſcribes, ſciſcitare, quaeſo, ecquid ab haeredibus *Caroli Dati* acceperit ſeptem Illuſtrium virorum poëmata. Quorum exemplaria ſex cum miſerim aliis adjuncta libris, unum ex iis ut illi, quem modo deſignabam, traderetur, memini petiiſſe. Libros quidem haeredes τοῦ μακαρίτου ſe accepiſſe jam non diffitentur. Habui a *Carpzovio* & *Daumio*, ſed quae nihil fere rerum majorum complectantur. Uterque neſcio quid libellorum ad me mittunt, ſed quod nondum acceperim. *Daumius* exemplar Hieronymi ſui de Trinitate, qui nondum prodiit, tibi polli-

licetur & *Bigotio*. Lipſienſes *Tanaquilli Fabri* epiſtolas edunt. Habui & a *Frederico Fabricio*, *Vincentii* filio, qui editionem epiſtolarum paternarum promittit. Plura nuntiare nunc quidem non habebam. Vale, amicorum jucundiſſime. Hagae Comitum XXVI. April. CIƆIƆCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SUaviſſimae tuae & *Schefferi* litterae magna me perfuderunt voluptate. Viri inſignes, quos adflixerunt haec tempora, fortunam ſuam excelſo ferunt animo. Nunc ajunt fulmen conflari in Academiam, ſed meum praecipue, *Burmanni* & *de Bruin* caput ejaculandum propediem. Alii ajunt functionem, quae nobis fuerat mandata, in alios eſſe conferendam, alii ſtipendia noſtra acciſum iri. Contra omnem injuriam fortunae me pulchre armavit conſcientia recte factorum, qui nihil unquam docui, nihil ſcripſi, quod poſſit mihi vitio verti. Carteſianae diſciplinae doctrinam tantum abeſt ut coluerim unquam, ut ne habeam quidem ejus Philoſophi libros, nec perlegerim unquam. Priſcos ſapientiae magiſtros ſemper feci plurimi, & meis commendavi auditoribus cum in ſcholis publicis, tum domeſticis, id quod omnibus iis, qui mihi dederunt operam, eſt exploratiſſimum. Maximam invidiam mihi conflavit amicitia, quae mihi interceſſit cum plurimis illorum, quorum fortunae ſunt everſae. In invidiam quoque adducitur oratio, quam olim habui de Cometis, & coetus amicorum, qui conveniebat, per annos aliquot ſingulis hebdomadibus, confabulatum de vario ſtudiorum genere, in quo & Juvenalis aliquot Satyras, & Suetonium, & Grotii de Jure belli & Pacis libros expoſui his grandibus praetextatis. Anatome quoque praeſtantiorum membrorum, ut cordis, oculi, aurium, lienis aliorumque aliquando a nobis fuit ſpectata, quam operam nobis navabat *de Bruin*, optimus ſecandi & peritiſſimus magiſter. Novi libelli, ſi qui forte prodierant, aut de cauſſis rerum naturalium, aut de aliis diſciplinis, a nobis evolvebantur, & de iis diſputabatur. Unius hyemis horae nonnullae ſubſecivae datae ſunt examinandis argumentis, quae *Carteſius* in Meditationibus ſuis Scepticis oppoſuit. Pleraque a pleriſque gravius ſunt impugnata, quam ab ullo adverſario. Huic conventui ſemel iterumque interfuerunt ὁ μακαρίτης *Gronovius*, *Gudius*, *Swammerdammius*, qui ſuaviſſimam hanc voluptatem & innoxiam maxime, quam capiebamus ex his ſermonibus de variis ſtudiis, in coelum extollebant. Hoc enim fuit unicum noſtrarum fabularum argumentum, niſi quod nonnunquam, ut fit in omnibus circulis, aliquid adſpergeretur de rebus, quae aut hîc locorum, aut alibi gentium gerebantur. De propagandis Carteſianis placitis nemo ſomniavit unquam. Libellus nullus ſcriptus eſt unquam ab hoc *Collegio doctorum*: ſic enim invidioſe in probroſis, quibus exagitatur, libellis *College de Scavants* Gallico vocabulo appel-

lant, nec illo volente, jubente, ſcienteque ullus prodiit. Si qui tum temporis editi ſunt libelli Carteſianam doctrinam tuentes, aut hujus urbis presbyterii rationem reprehendentes, ii, a quocunque ſint concinnati, procul dubio vidiſſent lucem, etſi nullus talis coetus fuiſſet unquam inſtitutus. Saltem a collegio hoc nullum fuiſſe mandatum litteris poſſum juratus conceptis verbis affirmare liquido. Haec tamen in primis exprobrantur ſociis, ut & quod Wittianae factioni fuerint addicti. Res ad rempublicam pertinentes nunquam attigimus, ſed quae ad Muſas noſtras, ſive iſtas humaniores, ſive illas graviores & ſerias ſpectabant. Quam quiſque ſectabatur ſectam ex illis, qui reipublicae praeerant, noſtra nihil referebat. Aliis vere, qui ad rempublicam nunquam acceſſerant, quid hanc rem curatio erat? Aut ſi fuiſſent, quid poterant illi, quam inanibus fabulis, nulli aut profuturis aut nocituris, ſe ipſos ludificare? Haec ſunt accuſationis capita, niſi quod invidioſum, quo fruor, ſtipendium eſſe clament. Nemo vero ignorat majora commoda ab Amſterodamenſibus & Lugdunenſibus mihi oblata me amore hujus Urbis & Academiae contemſiſſe. Itaque

Muſis amicus triſtitiam & metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.

Nihil poſſum praeſtare praeter culpam, a qua me abeſſe longe exulto. Haec ad te duxi ſcribenda, ut cauſſa mea tibi eſſet perſpecta, utque ſi quos forte male de nobis exiſtimantes audieris, illam poſſes agere. Utinam in aula poſſet inveniri, qui ſiniſtras opiniones, quas forte de me in Sereniſſimi Principis animo ſeverunt, qui mihi male volunt, evellat. Sed de his plus ſatis. A *Bullialdo* litteras habui, qui *Menagium* narrat in edendis vitis clarorum virorum Provinciae Andium elaborare. Alia, quae narrant, cum de teſtamento optimi *Capellani*, cui non ſatis amicus videtur, tum de aliis, proxime plura. Haec enim deproperavi perquam feſtinanter, dum exequias filiolae, quae pridie diem ſuum obiit longiſſimo defuncta morbo, & tabe confecta, curo. Vale, Princeps ingeniorum & amicorum. Trajecti a. d. XXIX. April. CIƆIƆCLXXVII. Nobiliſſimum *Selgemium* ſaluta, quaeſo, ſicubi videris.

EPISTOLA CCCCXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

TOtus pene jam effluxit menſis, quando de Roberti Conſtantini Celſo apud Harlemios venali tecum agebam. Ex illo nihil omnino de te ad nos eſt perlatum, tabellariorum, ut ſuſpicari licet, culpa: intermiſſas enim ſcribendi abs te partes cur rear, cum religioſe nuper ſis pollicitus fore, ut multo frequentiores, quam hactenus exaraſſes, ad me dares in poſterum litteras. Haec tu. Nam quantum ad me, ſatis equidem intelligo non licere tibi per continuas occupationes litteris exarandis, ut libitum, vacare. De Celſo interim

tui

tui juris facto, ut & de Procli Analectis, quod ſalubri illa pretio veniiſſe cognoſcam, votis te potitum augurari audeo. Inter libros, quos e nundinis Francofurtenſibus librarii noſtri proxime advexerunt, Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores ab *Ulrico Obrechto* illuſtratos vidi, brevibus ſed eruditis animadverſionibus. tum *Latini Latinii* Bibliothecam ſacram & profanam Romae nuper editam, hoc eſt, annotationes viri illius Celeberrimi in varios ſcriptores antiquos qua ſacros, qua profanos complectentem, quas ille marginibus codicis alleverat. Ex hiſce nonnulla percurri, praeſertim quae ad Naſonem, Silium, Martialem ac Manilium annotarat, quod perpauca eſſent, & horum quidem pleraque in mendis Typographicis caſtigandis occupata. Unde liquido apparet ab homine indocto ea e ſchedis *Latinii* congeſta. Erunt tamen puto alia majoris momenti. Stomachum fateor haud leviter mihi concitavit guſtus ille nuperus ad Longinum, quam indigne illic habetur Naſo & Horatius? Minus indignarer, ſi judicis hujus ſuperciliosi verſus putidiſſimos vidiſſem nunquam. Horatii quidem hoc fatum videtur eſſe, ut in plagoſorum Orbiliorum manus incidat aeque mortuus ac vivus. Naſonis carmina, ut inepta & puerilia traduci quis ferat, & divinam Medeae orationem, quae Metamorphoſeon ſeptimo exſtat? Nam cum palmam aliis Tragoediarum ſcriptoribus praeripuiſſe judicetur a Quintiliano & auctore dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae, edita tragoedia Medea, quis, niſi inſanus, cenſeat in argumento, quod tam feliciter illi ceſſerat, tractando ineptire & puerilia proferre potuiſſe. Hiſce videlicet artibus profeſſiones bonarum artium captamus. en dementiam capitalem! Vale, Hagae Comit. 20. Mai. CIƆIƆCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

CEſſavi in litterarum officio, Heinſi Nobiliſſime, ſed invitus, incommoda valetudine impeditus, quae me unam alteramve hebdomadem tenuit. Nunc nonnihil levatus antiquiſſimum habui cunctationem iſtam aſſiduitate ſcriptionis expiare. Huic curae incumbenti ſuperveniunt alterae tuae gratiſſimae, quae me plane recrearunt. Cum priores tuae mihi redderentur, videram catalogum Harlemenſem, & ad *Rulaeum* natu minorem mei ſtudioſiſſimum litteras dederam de Celſo Conſtantini, quem mihi cupiebam addici, niſi veniret immani pretio; ſed nihil dum reſponſi tuli, ut verear ne ſpes deluſerit hiantem. Nec in Rotterodamenſi auctione votis noſtris reſpondit fortuna. Non videtur amicus noſter commodis meis invigilaſſe. Praetexit is quidem inſaniam emtorum Anglorum, ſed, quod ex tuis intelligo, negligentia ejus me eſt fruſtrata, quod aegerrime fero. Bibliothecae Matthiſianae indices, cum propter invaletudinem non prodirem in publicum, ad me non delati ſunt ante, quam illo die, quo venales proponebantur.

tur. Nec tamen jactura iſta tanti eſt. Nam vix alii libri, quam qui cauſſidicis inſerviunt, ibi habebantur, praeter Novellas *Haloandri*, quas *Diemerbroeckius* ſibi vindicavit. Quamprimum alii libri vendeantur, faxo ne meum deſideres officium. Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores *Ulrici Obrechti* & *Latini Latinii* bibliohecam ut quamprimum videam curae mihi erit, vel Ciceronis cauſſa, quem infinitis in locis *Latinium* emendaſſe ſignificavit olim mihi *Falconerius*, data fide, ſe correctiones has curaturum deſcribi & ad me mitti: illas ſpero non praetermiſiſſe hujus operis editorem. Ubi librum verſavero nova forte ſcribendi ὑπόθεσις naſcetur. Guſtum ad Longinum non eſſe ad tuum palatum facile tibi aſſentior. Novi os hominis & incredibilem audaciam ac δοκησισοφίαν. Ante complures annos, cum mecum de his rebus ageret, multis rationibus eum deterrui ab hac praeſtantiſſimos ſcriptores carpendi libidine, praefatus omnibus nequiter expetiiſſe, ac ab eruditis vindicibus antiquitatis illorum inſcitiam ac temeritatem multo ſale merito fuiſſe defricatam, ut pueris ludibrium debuerint, quicunque in hoc muſtaceo laureolam quaeſiverint, nec ipſum *Julium Scaligerum* hoc impune tuliſſe. Videbatur commoveri, & conſilium hoc inſultandi Poëtarum ingenioſiſſimo abjicere, ſed, ut audio, ad ingenium rediit. Ipſe nondum hac guſtatione ſum initiatus; quamvis dudum ad illam fuerim invitatus. Credo ſtomachum praeſenſiſſe ſe his deliciis concoquendis non eſſe. Obfirmandus tamen erit. Ab Epiſcopo Oxonienſi, *Joanne*, Oxonio litteras nuperius habui, & pulchrum munus, marmora Arundelliana ac Archimedis ψαμμίτην & κύκλȣ μέτρησιν cum Eutocii Aſcalonitae Commentario, & verſione & notis *Joannis Walliſii*. Hunc libellum ait ſpeciminis loco eſſe editum hoc conſilio, ut reliqui omnes veteres mathematici publicarentur, ſed haec ſtudia ſic frigere, ut has curas cogantur deponere, quod ſummo mihi dolori fuit. Nam antiqui Mathematici rariſſimi ſunt, multi praeterea in bibliothecis Anglicis latent inediti, quos omnes protracturi erant in lucem, niſi illorum ſtudium refrigeraſſet hominum ab his artibus alienorum faſtidium. *Merici Caſauboni* bibliothecam narrat Londinenſi bibliopolae venditam eſſe, & paſſim diſtractam. Multos haberi codices Ciceronis in Anglia vetuſtos, qui cum editis ut componerentur ſe curaturum recepit, ſi in rem noſtram futurum id ſtudii genus ſignificarem. Sed vix credo in illa inſula reperiri, qui hanc provinciam recte gerere poterint. Apud Tacitum I. Hiſt. 64. ſanane tibi ſunt haec verba? *Nec militum animus, in gaudium ac formidinem permotus, bellum volvebat.* Mihi videtur Tacitus ſcripſiſſe: *Nec militum animus in gaudium ac formidinem permotus. Bellum volebant.* Probasne emendationem *Tanaquilli* in Metamorphoſeon primo: *in his quaedam modo coepta per ipſum vertendi ſpatium?* Mihi perquam inſulſa videtur. Ineptior longe, quam libro ſecundo illius operis infercit, cum pro *pro lucos urbeſque deorum* in fabula Phaëtontis legit, *urbeſque domoſque*. Sed cum eodem libro legit verſ. 371. *omnemque querelis Eridanum implerat* perplacet pro vulgato, *amnemque querelis Eridanum implerat*. Vale Heinſi, decus meum unicum, & praeſidium certiſſimum. Trajecti Batavorum prid. Eid. Majas CIϽIϽCLXXVII. *Maerſebroeckius* in Selandiam eſt profectus. *Trelſchius*

ſchius ante hos octo dies itineri Germanico ſe dedit, ſed Amſterodami etiam nunc haeret, cum Baronis *Kniphuſii* ſorore in Embdanum agrum cras conceſſurus, inde recta contendet Hamburgum. Si ad *Langermannum* litterarum non nihil dederis, poterit eo curari per curſores celeres. Antevertes *Trelſchii* adventum. *Servaeſius* & *Velthuſius* tibi ſalutem plurimam dicunt. Iterum, vale mea lux.

EPISTOLA CCCCXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

DUm inſtante hac feſtivitate praecipio gaudium ac voluptatem, quam ex tua conſuetudine percepturus eram, ejus enim ſpem mihi tui fecerant, triſtis mihi nuncius affertur de valetudine, qua denuo tentaris. Is tantopere me perculit, ut omnium rerum jucundarum memoriam ex animo meo deleverit; nec ante reſipiſcam, animumque recolligam, quam te vires firmitatemque recollegiſſe cognovero. Nec nunc quod narrem, animumque tuum vi morbi fractum erigam ac recreem, habeo. *Latini Latinii* bibliothecam nondum mihi videre licuit. Ejus potiundae nullam facultatem eſſe ſibi, antequam ſarcinae Francofurto advehantur, ſcribit *Elzevirius*. Celſus Conſtantini in auctione Harlemenſi meis ceſſit uſibus. Pridie in meis aedibus vidi Perilluſtrem *Zulichemium*. Is *Thuani* carmen ineditum, neſcio cujus Galli notis illuſtratum tibi tradidiſſe narrabat, quod multa complectatur digna luce. Sed quam diu tu non valebis, omnia mihi ſordent. Servi valetudini, abjectis omnium aliarum rerum curis. Nolim te vexes, litteris ſcribendis. Tuis modo domeſticis impera, ut tribus verbis ſignificent, quo loco nunc ſit tua valetudo. Omnia me conſecutum putabo, ſi te his malis defunctum eſſe audiero. Hodie collegam noſtrum, *Andream Eſſenium*, Theologiae doctorem extulimus. Cras ejus laudes decantabit *Voetii* nepos. Avi libri poſt ferias aeſtivas proponentur. Vale, decus meum & praeſidium unicum. Trajecti Batavorum poſtrid. Kal. Jun. Greg. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

INdulgentius aliquanto, quam nuper, me nunc habet valetudo, ſic ut litteris ad amicos, quorum tu mihi caput ac ſumma, exarandis vacare denuo nunc queam. Male ſit amico illi tuo, qui ne Proclo aut tu aut ego potiremur ſupinitate ſua effecit. Veniit enim is liber florenis duobus & ſex aſſibus. Cum prodibo in publicum, *Latini Latinii* bibliothecam diligenter excutiam,

& ſi ejus in Ciceronem animadverſa illic occurrant, ut reſciſcas, operam dabo. Habui a *Paulo Falconerio* nudius tertius, qui reliqua *Mureti* in Ciceronem ſe curante deſcripta, & quidem multo plura iis, quae jam nactus es, nuntiat, ac ſciſcitatur, qua via ſchedas illas ad me mitti cupiam. Guſtator ille Longinianus cum profeſſionem aut lecturam, ut vocant, in Academia Leidenſi nuper ambiret, hac oſtentatione ſe curatoribus Academiae fucum facere, atque os ſublinere eſt arbitratus. Sed illi rationem ejus, ut audio, non habuerunt. Hoc autem imprudenter ille in primis, qui cum ſciret Coccejanos ac Carteſianos prae nimio illo novandi ſtudio jacere ac contemni, in Poëtis ſibi ſucceſſurum ſit ratus, quod in Theologicis Philoſophicisque illi parum proſpere tentarunt. *Gerardus Voſſius* ad nos e Britannia reverſus eſt, attulitque meis uſibus libros nonnullos, quos tamen nondum videre contigit. In loco Taciti Hiſt. I. 64. omnino approbo diſtinctionem, dummodo legimus *bellum volvebant*, ſic enim ſolet Tacitus, ut Annal. III. 38. & alibi. Nunc me juva in altero ejuſdem loco Ann. II. 2. *Ignotae Parthis virtutes, nova vitia*, e quibus me non expedio. Omnino enim ſubobſcure dictum. *Tanaquillus Faber* non in his modo, quae deſignas, Naſonem male excepit, ſed in aliis pleriſque. Illud tamen *omnem Eridanum* mihi quoque blanditur, quamquam habes apud Maronem *Amnis & Hadriacas retro fugit Aufidus undas*. De *Trelſchio*, ſi quid habes, quaeſo communica, debebam illi litteras commendatitias ad *Langermannum*; ſed nemo illum melius commendaverit, quam ſemet ipſe. Praeterea totus adhuc marceo ex morbo. Vale, decus noſtrum. XI. Jun. CIƆIƆCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

REvixi plane, cum ex tuis intellexi meliuſcule tibi eſſe. Fac quaeſo, ſi me vis vivere & valere, ut ita ſervias valetudini, ut propediem te firmum valentemque habeamus. *Latini Latinii* bibliothecam nondum mihi videre licuit. Sum ejus videndae cupidiſſimus. Nullus dubito, quin propediem ad nos eam ſit curaturus *Elzevirius*. Indies expectat ſarcinas Francofurtenſes. *Octavii* & *Paulli Falconerii* merita in me & Tullium jam pridem in praefatione, quam Tullianis praemiſi, pro mea facultate celebravi. Jam tres ſunt hebdomades, cum omnia, quae ad haec ſedecim epiſtolarum volumina pertinent, praefationes nimirum & indices, ſunt typis deſcripta & conſummata. Cur tamen nondum ex lentis bibliopolarum manibus poſſint eluctari, & in publico conſpici mihi reſcire necdum licuit, quamvis *Elzevirium* ſemel iterumque ſollicitaverim, ut & exemplaria quaedam ad me mitteret, & cetera pateretur lucem adſpicere. Quamprimum illorum copia mihi fiet, ut & ad *Falconerium* exemplum perferatur, operam ſane dabo. Cum *Elzevirio* quoque propediem agam de via tuta, qua poſſint ad nos mitti reliquae *Mureti* annotationes, quas tam

pro-

prolixe nobiliſſimus *Falconerius* promittit. Ille praeſtantiſſimorum poëtarum Ariſtarchus, ſi luit ſuae temeritatis ac petulantiae poenas, merito plectitur. *Gerhardus Voſſius* quos novos tibi libros advexerit, aveo cognoſcere. Quaeſo te, ut eum meo nomine ſalutes verbis amantiſſimis, ſi quando videris, & expiſceris, ubi lateat vetus ille Tullianus interpres ineditus, quem olim publicandum ſuſceperat ampliſſimus *Junius* Groeninganus ſenator. Ἁρποκρατιακοὺς apud Ptolemaeum & ejus Paraphraſten exiſtimo eſſe ante juſtum tempus natos & mancos, & aliquo membro defectos, qualis fingebatur Harpocrates apud Aegyptios. Ii enim tradebant Iſin ex Oſiride, qui poſt fata cum illa conſueſſet, τεκεῖν ἠλιτόμηνον καὶ ἀσθενῆ τοῖς κάτωθεν γυίοις τὸν Ἁρποκράτην, infantem ante legitimum tempus editum, & inferioribus membris captum, teſte Plutarcho in libello de Iſide & Oſiride, p. 366. edit. Francofurt. & p. 377. ubi loquitur de eodem concubitu: τίκτεσθαι δὲ τὸν Ἁρποκράτην περὶ τροπὰς χειμερινὰς ἀτελῆ καὶ νεαρόν. nec non p. 378. ejuſdem libri, ubi hujus fabulae rationem exponit: τὸν δὲ Ἁρποκράτην οὔτε θεῶν ἀτελῆ καὶ νήπιον, οὔτε χεδροπῶν τινα νομιστέον, ἀλλὰ τοῦ περὶ θεῶν ἐν ἀνθρώποις λόγου νεαροῦ καὶ ἀτελοῦς καὶ ἀδιαθρώτου προστάτην καὶ σωφρονιστήν. Harpocratiaci igitur meo judicio ſunt ἠλιτόμηνοι, ἀτελεῖς, ἀσθενεῖς τοῖς γυίοις. In alio Ptolemaei loco ἄτρητοι recte a Proclo exponuntur, hos Ciceronis verbis ſic circumſcribere poſſumus, *quorum natura eſt obſignata.* In Taciti Hiſt. 1. c. 64. non diutius ambigo de locutione *bellum volvebant.*, & plane tibi ſubſcribo illam non eſſe ſollicitandam. Sed tamen interpunctio eſt immutanda, & pro vulgato *volvebat*, legendum *volvebant.* In Annalis ſecundi capite ſecundo, *ignotae Parthis virtutes* ſunt promti aditus, obvia comitas, *nova* vero *vitia* deliciae & mollicies Romana, geſtatio in lectica, comitatus Graeculorum, cupediae & lautitiae Italicae: paullo poſt vocat *prava* & *honeſta: quia ipſorum moribus aliena, perinde odium pravis & honeſtis.* Sic hunc locum ſemper intellexi. Si quid melius & rectius habes, ſuaviter imperti. A *Joanne Verwayo* Delphenſi, cui deſcribendas commiſeram maximi Parentis tui animadverſiones in Heſychium, litteras habui. Se jam bonam earum partem in ordinem redegiſſe, & deſcripſiſſe ſignificat, & maxime in reliquis deſudare, per valetudinem ſibi non licuiſſe omnia expedire. Stimulum & faces currenti admovebo. Ex Gallia litteras habui, quae narrant Themiſtii orationes, curante *Coſſarto* Jeſuita, brevi prodituras, ut & volumen variorum Hiſtoriae Byzantinae ſcriptorum ineditorum, quos collegerit *Combefiſius. Cangii* Gloſſarium Latino barbarum hoc anno lucem non viſurum, ſudare tamen ſub proelo. *Natalem Alexandrum* ſelecta Hiſtoriae Eccleſiaſticae capita, & in loca ejuſdem inſignia diſſertationes Chronologicas, Criticas, & Dogmaticas edere, prodiiſſe jam quatuor tomos, quibus duo prima ſecula illuſtrarit: Zonarae novam editionem Anglos adornare, ibi quoque Jamblichi ἀνέκδοτα de myſteriis Aegyptiacis & aliis nonnullis opuſculis propediem publicabantur. Hygino qui hîc manus admovere velit, inveniri non poteſt. *Berkelius* hiſce diebus me inviſit, teſtatus ſe ex codice vetuſto multas foediſſimas mendas ex hoc ſcriptore deleviſſe, quae nullius ingenii, quamvis ſagaciſſimi & perſpicaciſſimi, vi poſſint eximi. Vale, decus ſeculi. Trajecti

Bata-

Batavorum a. d. XIV. Jun. CIƆIƆCLXXVII. Julian. Accepi hiſce diebus ab amico ex Gallia & Anglia reduce Pariſiis eſſe, qui *Holſtenii* notas in Stephani ἐθνικὰ ſit emiſſurus in lucem. Nolim hanc lauream noſtro *Ryckio* praeripi.

EPISTOLA CCCCXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

LItteras tuas, uti ſoleo, habui acceptiſſimas ſane, praeſertim quod complura eae complecterentur hactenus mihi incomperta E Galliis habui proxime a *Menagio*, ſed vix quicquam rei majoris nuntiantes, niſi prodiiſſe ſecundam Euſebii Valeſiani editionem. de Harpocratiacis arridet mihi ſententia tua. Nunc & a *Cupero* exſpecto, quid ille de iis ſtatuat, quando utriuſque veſtrum opinionem optimo *Bigotio* ignotam eſſe haud patiar. de *Latini Latinii* Bibliotheca omitte curam. Nihil enim omnino, quod mireris, Ciceroni illuſtrando illic datur. hodie enim librum, etſi adhuc invalidus, apud *Leerſium* bibliopolam inſpexi. in Taciti loco minus laborabam de ſenſu verborum, qui liquido ſatis patet, quam quidem de ſtructura orationis, neque enim Tacitum illic agnoſcebam, ſed hominis ſemibarbari acumen horridum ac incomptum, qui locum in membranis mendoſum a ſe caſtigatum ſic interpolaſſet, quem ego ab ipſius Cornelii manu eſſe puto. *Sed promti aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes, novitate inviſae, & quia ipſorum a moribus* (nam MSS *majoribus*) *alienae, perinde odio* (ſc. erant) *pravis & honeſtis.* Sed haec hominis aegroti ſomnia. Vellem de pluribus agere, ſi valetudo ferret. Illud interim miror, lib. III. Ann. cap. 46. *& fugientibus conſilite* patienter ferri ab hominibus tot eruditis; cum id Latinum non ſit. & ſane Cod. Med. etiam aliis locis *conſilere* pro *conſulere* ſcriptum exhibet. quid apertius, quam *fugientibus conſulite*, hoc eſt parcite fugientibus? Vale. Hagae Comitum XXV. Jun. CIƆIƆCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NUnquam majore gaudio perfundor, quam cum tuae mihi redduntur litterae, plenae ſuavitatis & eruditionis. In his poſtremis id unum me male habet, valetudinem etiamnunc dubiam eſſe, & nondum plane confirmatam. Deum O. M. veneror, ut quamprimum vires attritas reficiat, ut tu poſſis ſine moleſtia in praeclararum artium ſtudiis verſari, & nos ſolide gaudere. Ptolemaeum de Harpocratiaticis mihi non licuit inſpicere. Nam ejus Geographica ſola habeo: ſed ejus Paraphraſten Proclum inſpexi. Cujus verba ſunt pag. 177. Ἐὰν δὲ προσμαρτυρήσει ὁ ☿ ♃, ἢ ὁ τῆς ♀, εὐσχήμονα τὴν ἰδιότητα ἕξει τὸ τέρας, ὥσπερ

ὥσπερ οἱ ἑρμαφρόδιτοι, καὶ οἱ καλούμενοι ἀρποκρατικοὶ καὶ οἱ τοιοῦτοι. *Cuperi* ſententiam, ubi ad te pervenerit, quaeſo ut mecum communices. Caput illud, in quo Ἀρποκρατικῶν meminit Proclus, eſt περὶ τεράτων. de monſtris. In *Latini Latinii* bibliotheca nihil reperiri, quo Tullius melior & emendatior reddi poſſit, miror hercule, cum huic ſcriptori plus operae oleique impendiſſe mihi narraverit olim *Falconerius*, quam ulli alii, cujus omnes margines impleverit emendationibus & explicationibus: quas deſcriptas ad me ſe curaturum fidem dederat. Cum ad *Gradium* litteras dederis, vide, quaeſo, num poſſis explorare, quid illo *Latinii* Tullio ſit factum. Memini quoque te olim mihi ſignificare, Romae neſcio in cujus bibliotheca *Achillis Statii* ἀνέκδοτα in Propertium latitare; illorum poſſeſſor ex mea effluxit memoria. Taciti locum in II. Ann. ſcabrum eſſe & ulceroſum non diutius repugno. Particula enim *ſed* omnino verbum aliud requirit; non poſſunt ſequentia cum praecedentibus connecti. Emendatio tua eſt quidem perpulchra, ſed & a veſtigiis ſcripti codicis longius recedit, & ab aſperitate illa, quam Cornelius amat, quamvis ego lenitatem hanc longe praetulerim iſti abruptae dictioni. Vide num haec propius abſint a ſcriptura librorum: *ſed promti aditus, obvia comitas, ignotae Parthis virtutes nova vitia viſa*, (ſcilicet ſunt Parthis) *& quia ipſorum a moribus aliena, perinde odium pravis & honeſtis:* perinde oderant prava, quae intulerat Vonones, geſtamen lecticae, neglectum equorum, delicias & luxuriam Romanorum, ac honeſta, nimirum obviam comitatem, promtos aditus, comitatum virorum doctorum. *viſa* videtur abſorptum eſſe a *vitia*. Tuae res eſt exiſtimationis. Tuo calculo ſtabit, cadetve haec conjectura. In Annali III. cap. XLVI in tuam diſcedo ſententiam. Nihil poterat accommodatius huic loco corrupto dici. Sunt alia loca in mundo, quibus iſta correctio & expoſitio poteſt firmari. Ex Gallia perfertur ad me Hiſtoriae Eccleſiaſticae *Godovii* Tomum tertium, qui illam perſequitur ad ſeculum nonum, nunc typis deſcribi, ut & *Thomaſini* diſciplinam Eccleſiaſticam antiquam & novam, quam lingua Gallica tribus tomis eſt complexus. Primus jam operas exercet. Vale, vir ſumme & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XIX. Jun. CIƆIƆCLXXVII. Inviſit hiſce diebus nos *Irmanni*, qui Principi Neoburgico fuit a conſiliis, & legati perſonam geſſit apud Suecos, filia, puella non tam forma, quam animi dotibus inſignis, cum fratre, & meam uxorem ſecum abduxit in Hollandiam, quae ſi Hagam quoque contendet, coram videbit, quo loco tua ſit valetudo. Iterum vale.

EPISTOLA CCCCXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DE *Latino Latinio* ita eſt, ut dixeram. Bibliothecam is ſuam legaverat Canonicis Viterbienſibus, & probe memini; in cujus urbis Eccleſia Cathedrali ea etiam nunc aſſervari dicitur. At hîc de Viterbiana bibliotheca nihil.

Laudatur tantummodo *Branccianus* Cardinalis, qui ſchedas haſce conquiri curarit, quem proinde morte opinor praeventum ſupremam manum operi non admoviſſe. Erat enim litterarum amantiſſimus. *Achilles Statius* bibliothecam ſuam legaverat Theatinis, aut patribus Oratorii Romae, ubi illa etiamnum aſſervatur, a me inſpecta olim, atque utinam Propertii majorem tum curam habuiſſem. Ex Anglia per *Voſſium* accepi tres tantum libellos, neſcio an tibi viſos, quorum primus opuſcula Mythologica Ethica & Phyſica complectitur, jam ante hos ſex annos edita; ſecundus Hiſtoriae Poëticae ſcriptores, Apollodorum, Cononem, Ptolemaeum, Parthenium. Tertius Rhetores, Demetrium Phalerium, Tiberium Rhetorem, Anonymum Sophiſtam, Severum Alexandrum: nam Aratum & Eratoſthenem jam vidiſti. De Harpocratianis locum Ptolemaei nondum mihi licuit excutere, quod liber is non ſit ad manum. Praeterea ſuper hac re a *Cupero* reſponſum hactenus non ſum nactus: de Taciti loco laetor, quod mendoſum eſſe mihi aſſentiris, quales ſunt adhuc in illo ſcriptore plurimi, ſed quibus mederi non ſit opis meae. Miror virum ſummum *Juſtum Lipſium* de locis mendoſis tam raro admonuiſſe ſuo in commentario. Sed plerique eo ſunt ingenio, ut nolint videri moleſtiam ſibi exhiberi, niſi & medelam ſimul ferant. *Nova illa vitia* non poſſum probare. Nam ſi Taciti genium habeo perſpectum, dixiſſet potius, *ignotae virtutes pro vitiis.* Deinde, *odio pravis juxta & honeſtis*, ſic capiebam, quaſi mores iſti hominibus pravis juxta ac honeſtis odioſi fuiſſent apud Parthos. *Odia* breviter, & more ſuo dixit noſter, ſc. *erant.* Apud Nalonem, *Non ſumus huic odio, nec ſcilicet eſſe meremur.* Caeterum, quod dixi foede interpolatum eſſe locis infinitis, alibi pluribus evincam. Brevem ac ſuccinctum eſſe utique fateor. Fateor & ſcabrum eſſe quandoque, non tamen ſuo vitio, ſed librariorum. Videtur enim exemplar, unde Medicaeus codex transfluxit, valde mendoſum fuiſſe, ſed quem homo ſemieruditus poſtea interpolavit. Ejus rei ſpecimen ecce. lib. XIII. Annal. cap. 56. *Deeſſe nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur, non poteſt.* vertunt ſe in omnes formas homines eruditi, ut hanc ſcriptionem tueantur. At omnia erunt perſpicua, ſi poſt *vivamus* inſerimus τὸ *poteſt.* quod geminare librarius neglexit, qui error ſollemnis. At, inquiunt, brevitati ſtudet ubique Tacitus: ſed ita ſtudet, ut elegantiam non negligat. Sic *eſſe* repetit lib. I. Hiſt. 3. Alter locus eſt, quo ſe tuentur, Ann. XII. cap. 64. ubi lego, *quae filio daret imperium, tolerare Imperantem nequiret.* Vel, *quae cum filio daret imperium, tolerare imperitantem nequibat.* Alter locus eſt Hiſtor. I. 8. *& pacis artibus, belli inexpertum*, ubi inſerenda una ſyllaba cognata, *& pacis par artibus.* Sic alibi *par rebus gerendis.* & haec quidem hactenus: plura etiam aliquanto quam neceſſe erat, cum ſaepenumero ſim expertus loquacitate hac mea ſilentium tibi imponi. Quod tamen omen abſit. Vale, ſuaviſſime & jucundiſſime rerum. Hagae Comit. VI. Quinctil. Gregor. CIƆIƆCLXXVII. Amicos communes plurimum jubeo ſalvere. Quid amaeniſſimi ingenii *Trelſchius* noſter? ubinam terrarum degit?

EPI-

EPISTOLA CCCCXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PLane mihi perſuaſeram, me hîc tuo complexu fruiturum, & praeſenti gratias acturum pro ſumma, qua nos nuperius accepiſti, comitate & liberalitate. Nihil potuit fieri a te, tam adfectae valetudinis viro, benignius & ſuavius, ut cumulum ingentem aggeſſeris tot tuis erga nos beneficiis, quibus nos tibi ſic obſtrinxiſti, ut nunquam poſſimus gratiis defungi, quas tibi debemus. Hoſpitibus tuis, fateor, carendum tibi fuit aliquot dies, ſed poterunt hanc jacturam longiore mora ſarcire. Hîc cum aequalibus has dieculas non injucunde, ut puto, combuſſerunt, a quibus aegerrime dimittentur. Novi quod hîc circumfertur, non eſt magnae rei, niſi quod Dux Lotharingiae capta Muſſomio ex Leucorum agro, trajecto Moſa, Rhemos infeſtaſſe credatur. Noſtri Carolinum Regium oppugnant. Sed cum tabellarius ex caſtris diſcederet, noviſſimas litteras ferens, jubebantur omnes in armis eſſe, & deſcendere, quoniam hoſtile agmen non longe a noſtris abeſſe nuntiabatur. Num manus conſeruerint, audiemus proxime. Mihi ſane non fit veroſimile, Gallos fortunam proelii ancipitis experturos: ſed circumſeſſis ſubſidii nonnihil ut mittatur tentaturos, ſi quae fama pertulit, vera fuerint. Noſtri omnes te ſalutant, & hîc cupidiſſime videbunt. Deum precamur, ut confirmata valetudine te per noſtram urbem Borealem Hollandiam petentem videamus incolumem. Fac quaeſo ex te cognoſcam, qua die & hora nobis ſis adfuturus, ut currus ad ſcapham ſit praeſto. Vale, grande decus meum & praeſidium unicum. Trajecti poſtrid. Kal. Sextiles Julias CIↃIↃCLXXVII. Tua ex ſorore neptis cum fratre tibi quoque ſalutem adſcribunt.

EPISTOLA CCCCXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUſquam mihi melius eſſe poteſt, quam apud te, qui non ſolum lautis epulis, ſed & ſermonibus plenis doctrinae, leporis, ac venuſtatis nos invites, ut, ſi illis frui mihi licet, ſordeant mihi non ſolum omnium Regum ac Dynaſtarum, ſed ipſius Jovis coenae. Abſentiam longiorem non ferebant res meae, ut ipſi tibi narrabunt tui neceſſarii, quos hodie aut cras videbis. Non detinebo invitos, ſed aequalium blanda precum vi hactenus retinentur; videntur noſtrarum puellarum conſuetudine & ambulationibus delectari. Novi hîc de republica nihil fuit allatum. Simul quid accepero, habebis. Proximo die lunae hora nona currus faxo ad ſcapham te praeſtoletur, & ad nos ferat.

 Voe-

Voetium heri ipſe compellavi. Ultimum folium nondum ait typis eſſe deſcriptum, nec deſcribi poſſe, antequam dies auctioni ſit dicta. Magiſtrum vero propediem eſſe diem dicturum, tum illico mecum duo ſe communicaturum exemplaria. Rogabam, ut editas jam paginas mihi liceret inſpicere. Reſpondebat cis paucos dies omnes me viſurum. Ferenda itaque nobis haec non longi temporis prolatio. Vale, vir ſumme & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XII. Aug. CIↃIↃCLXXVII. Noſtri & tui te ſalutant.

EPISTOLA CCCCXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Nihil ſororis tuae filia eſt amabilius. Ita omnes, qui illam viderunt, cepit ſingulari quadam elegantia, multiſque aliis dotibus, quibus inprimis floret. Suavitas quoque fratris omnibus fuit jucundiſſima. Magnum ſui deſiderium nobis relinquunt. Speramus fore, ut brevi te cum illis hîc videamus. De adventu tuo ubi certior fuero factus, ad ſcapham ero praeſto. Haec ſcripſeram praeterito die Saturni, cum *Goeſii* ad vos redirent. Sed interpellabar a viro illuſtri, ut reliqua tum non poſſem attexere. Interea tuae ad me afferuntur acceptiſſimae, ex quibus tamen invitus intellexi, te hanc urbem nobis non viſis tranſiturum, quod dii magni averruncent. Litterae tuae prae ſe ferebant XIV. Auguſti, ſed calami credo lapſum eſſe. Nam ſi pridie illas exaraſti, heri jam noſtram urbem tranſiiſti: ſin vero heri datae ſunt, non videris a me velle, quod facis, petere, ut Daumianam epiſtolam hodie remittam; non enim illa in tuas niſi reducis manus poſſet pervenire: ſub veſperam enim ad vos demum perfertur, cum, ſi tuis litteris credendum, hac meridie hîc ſis conſcenſurus ſcapham Amſterodamenſem. Itaque credo XVI. Auguſti fuiſſe, cum hoc epiſtolium ſcriberes. Cras itaque ad undecimam tibi cum curru ad ſcapham occurram, ut mecum cum tuis prandeas, & poſſis hora prima Amſterodamum te conferre, ſi tanta properandi libido eſt, *Goeſii* vero hora duodecima Lugdunenſi viae ſe dare. Epiſtolam utramque remitto, & cum illas mecum communicaſti, tibi plurimum debeo. Vix quicquam in utraque dignum lectu. Nam quos laudet ille libros *Martini Kempii* & *Pufendorfii*, tu nunquam miraberis. Vidi utrumque. *Lambecii* ad *Boſium* epiſtolam videre pervelim. Reliqua vix tanti ſunt. Bina Hieronymiani dialogi exempla perlata ſunt ad me. Pro quibus tibi & *Daumio* laudes dico. Hîc vidi *Chriſtofori Sandii* animadverſiones in *Voſſium* de Latinis Hiſtoricis, quae modo prodierunt Amſterodami. Epiſtolas Tullianas praeſenti hîc tradam. Novi, praeter ea, quae ex litteris publicis ad Ordines noſtros datis typis ſunt mandata, nihil audimus. Haec nunc accipis. Jupiter iſte pluvius noſtrorum coeptis parum favet. Vale, vir ſumme, & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XVI. Aug. Gregor. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SPero te feliciter hoc itinere defunctum eſſe, & gravem aere dextram retuliſſe. Illuſtriſſimus *Paderbonenſis* Epiſcopus tantum quod diſceſſerat, cum ad illum ſalutandum a te recurriſſem. Mitto nunc binos catalogos librorum, qui proxima hebdomade hîc venum ibunt. Scis minores, & qui ultimo loco poſiti ſunt, hîc locorum ante alios vendi. In auctione, quae cras apud vos habebitur, quoſdam libros, ſi bene vendantur, mihi velim addici. Nam per iſtas publicas domeſticaſque anguſtias nobis nunc non licet eſſe animoſis. Cujus opera tu uteris in libris emendis, ille & mihi poterit commodare. Ego viciſſim tuis ut commodis hîc invigiletur, providebo. Certum mihi erat de illis Taciti locis, de quibus tuas conjecturas ante aliquot hebdomades ad me miſeras, & de nonnullis Flori locis, quae male etiamnunc ſe habent, tecum agere cum maxime, ſed triſtis intervenit nuncius, qui animum meum ab his amoenioribus avocavit, & ad ſollicitudinem non parvam traduxit. Hodie hora nona, cum caeremoniis publicis fungeremur, domi meae fuit ancilla veſtra Vianenſis, quae rogavit, ut tibi ſignificarem quantocyus, foeminam, quae rem tuam familiarem curabat, praeteritae noctis hora prima obiiſſe. Novi ejus mortem tibi moleſtiam & curam non levem allaturam, cum certi homines, quorum fidei recte poſſimus noſtra credere, rari inveniantur. Sed fata viam invenient, qua hoc quoque vitae incommodum poſſit leniri. Vide ne te nimis afflictes, & majus malum nimia ſollicitudine tibi arceſſas. Moderate ferenda nobis ſunt omnia humana. Si forte quid moratur, ne ſtatim poſſis advolare, manda nobis, quod abſens curatum velis, & omnia ſumma ſtudia & officia in te a nobis expecta. Cura tuam valetudinem, & nos ama. Trajecti a. d. XII. Septemb. Gregor. CIƆIƆCLXXVII. die ſolis.

EPISTOLA CCCCXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NUmmos pro libris in auctione Voetiana tibi addictis *Pelſius* mihi tradidit, cum Vellejo. Libros mittam, cumprimum fuerit, cui recte illos dare potero, & recepero Caroli magni libellum de imaginum cultu, quem in uſum aliquot dierum, cum nonnullis aliis ex mea ſuppellectile mutuum petiit Panno, qui in Romanenſium opinionibus explodendis ex ſubterranea Roma *Boſii* praecipuis argumentis petitis, quae firmat auctoritate veterum ſcriptorum, verſatur. In Ploſiana bibliotheca inſanierunt licitatores, pretium in primis intendente

dente *Bootio*, Conſule noſtrae Urbis, & bibliothecae cuſtode, cui pleroſque omnes, quos tu & ego deſiderabamus, vindicavit. Nactus ſum ſolam Exegeſin Hiſtoricam de cauſſis, quibus ordines Sueciae compulſi Sigiſmundum tertium exuerint diademate: pretio octodecim obolorum. *Prataei* Regulae Juris vilius venierunt, ſed per errorem. Me enim auctorem pretii eſſe, quo vendebantur, exiſtimabam, ſed praeco *Bootium* illas licitatum eſſe ajebat, cui fruſtra me opponebam. Ipſe plerumque interſui venditioni. *Ploſii* nomen & Conſulis animoſitas, quo minus bene deſideratos libros emeremus, nobis obſtiterunt. Pro Draconis de Patriciorum origine libello non magnae rei obtuli fruſtra duos florenos. Magis propitio Mercurio nos uſuros ſpero in aliis auctionibus. Viquefortiani catalogi fac, quaeſo, cum prodierit, mihi copiam facias. Gloſſarii ſpecimen nimium quantum arridet mihi. Auctor illius vir eſt infinitae lectionis, & eruditionis diffuſae. Utinam brevi lucem adſpiciat. Nam ejus deſiderio teneor. Ad Illuſtrem *Seleemium* miſi praeterita die Jovis exemplar epiſtolarum Tullianarum, quod hîc ei tradere decreram. Sed cum per praecipitem ejus tranſitum mihi non licuerit eſſe tam beato, nautae id perferendum commiſi, cui & aliud adjunxeram Illuſtriſſimo Parenti ejus deſtinatum. Recte curata eſſe nullus dubito. Novi in re litteraria quod nunciem, nunc non habeo: te vero expecto. *Jacobus Gronovius* Bremam excurrit, rei domeſticae cauſſa. Vale, meum decus unicum, & me ama. Trajecti Batavorum a. d. VII. Octobris. CIƆIƆCLXXVII. Jul.

EPISTOLA CCCCXXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

AD *Hugenios* patrem filiumque, quae miſiſti Ciceronis exemplaria, ne recte curata eſſe dubitare poſſis, ipſe ego in illorum manibus vidi. Habes hîc faſciculum a *Pelſio*, & *Copoferrei* in Naſonem annotationes. A *Scheffero* tandem habui, cum duobus libellis, altero de tribus orbibus aureis in Suecia nuper repertis, altero polemico adverſus *Olaum Verelium* de Etymo Upſaliae. Ipſe ſcorbuto diris modis ſe exagitari ſcribit, diu vitalis fore non videatur. Interim ſocerum ſuum *Loccenium* ad plures abiiſſe. Habui & litteras a *Johanne Columbo*, Eloquentiae apud Upſalienſes profeſſore, *Schefferi* genero, quae de variis Valerii Flacci locis agunt. Vale, cum tuis omnibus. Hagae Comit. XXIII. Octob. CIƆIƆCLXXVII.

EPI-

EPISTOLA CCCCXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EN tibi litteras a noſtro *Francio*, quae, ut narrant, tibi ferent elegidion *Broeckhuſii*, quem utinam ex caſtris in Muſarum colles poſſemus reducere, & alicubi collocare, ubi in litterarum ſtudiis, ad quae natus eſt & factus, poſſit conſeneſcere. Elegantia ſane hominis digna eſt pacatiore provincia, ad quam votis omnibus adſpirat. De *Jacobo Perizonio* dies quoque noctesque cogito. Nam ejus ingenium & eruditio, cujus inſignia vidi ſpecimina & in annotationibus Livii, quae recenti accedent editioni, & in multis epiſtolis ad me datis bonae frugis plenis, virum praeclarum promittunt, modo queat ex his tenebris, & rebus anguſtis, quibus conflictatur, emergere. Audio Franeckerae litterarum Hebraearum doctorem publicum obiiſſe. Hanc provinciam *Perizonius* ornaret egregie, ſi ei crederetur. Nam non tantum in Graeca & Latina, ſed & Hebraea lingua eſt verſatiſſimus. Conſtitui *Huberum* Juris Doctorem eruditum hoc nomine compellare. Tu, ſi quem procerum Friſiae noſti, velim ejus quoque cauſſam agas. Apud *Simonem Gabbemam*, ſi ſupereſt, tua commendatio magnum pondus habebit. Quaeſo ut praeſtantiſſimi tuique obſervantiſſimi juvenis commoda curae tibi ſint. Nihil ipſe de hac ſtatione vacua novit. Nam heri demum nuncii de illius viri deceſſu ad me perlati ſunt. Ex Anglia narrant Oxoniae *Spelmanni* librum de Alfrido magno, hoc eſt, Ideam boni Principis prodiiſſe, & Commentarium *Pocokii* in Micheam & Malachiam Prophetas, Joſephum vero nunc typis deſcribi. Hiſce diebus incidi in Chronicon Vindeſinenſe a *Buſchio* editum, quod emi viginti aſſibus. Si id tuae bibliothecae adſcribi deſideras, mea voluntas a tua, ſicut in aliis rebus omnibus, ſic nec hîc diſcrepabit. Quod in auctione Voetiana proponebatur, *Matthaeus* Leidenſis quovis pretio ſibi redemtum cupiebat, & votorum compos eſt factus. Catalogum Vicefortianum, quem promittebas, nondum vidi. Proſcribitur tamen in nunciis rerum novarum, qui paſſim publicantur. Te quando hîc videbimus? ἴξεχ᾽ ὦ φίλε ἦλιε. Fac valeas, & brevi venias Μυσῶν κλέος. Trajecti Batavorum a. d. VIII. Kal. Novemb. CIƆIƆCLXXVII. Jul.

EPISTOLA CCCCXXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Perizonium ac *Brouckhuſium*, juvenes praeſtantiſſimos commendas mihi, poteras & me ipſum eodem jure. Cave enim credas res illorum minus mihi commendatas eſſe, quam ſunt meae. Laudo interim officium tuum exoſculorque, id-

idque fulcire, ſi quid in me virium eſt, ac confirmare pro virili enitor. Apud Friſios e Procerum numero notum nunc habeo neminem: nam *Hairius* Noviomagum jam hinc, puto, eſt profectus. Cum *Simone Gabbema* commercium litterarum non interceſſit mihi a multis annis. Nec ſatis habeo compertum, ſuperetne, & veſcatur etiamnum aura aetheria. Tu facile illic terrarum invenies, cui tradas juvenem ſuis meritis commendatiſſimum. A *Brouckhuſio* verſus habui elegos, molles profecto, terſos ac perelegantes. Non eſt pro dignitate reipublicae tale ingenium inter caligatos ſordere. Eo igitur cura a nobis convertenda unice, ut ſi non Muſis, certe inſtituto cuicumque liberaliori hunc juvenem vindicemus. Aderit ipſe fortaſſe nobis ſub hibernam tempeſtatem. Quod ſi ſit, licebit doceri, quo cogitationes ejus potiſſimum adſpirent. de libris Oxoniae recens editis nuntium habeo acceptiſſimum. Nam Londinenſis Catalogus, proxime e Britanniis ad me perlatus, vix quicquam praefert, praeter miras quiſquilias, uti videbis. Pro Chronico Vindeſinenſi gratias habeo ingentes. Valetudo me foco adfigit, Vale. Hagae Comitum x. Novemb. CIϽIϽCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litteras tuas, quas noviſſimis inſerueras, illico Vianam curavi. In auctione nupera non reſpondiſſe fortunam noſtris votis moderate ferimus, & ſecundiorem horam expectamus. Pro *Voſſio* de rythmis Chronicon Vindeſinenſe habebis, ſi communis amicus noſter minus impatienter illum librum deſiderarit, qui facilius apud Lugdunenſes eum inveniet, quam hîc nos eum reperiemus, apud quos libri melioris notae, iique nuperius vulgati, raro proponuntur. Si tamen eo diutius carere gravabitur, abſit ut ex illius incommodis mea comparem commoda, qui malo amicorum utilitati ſervire, quam meae. *Broeckhuſio* & *Perizonio* factum ſane velim. Utriuſque ingenium indignum eſt hac fortuna, & quod tam ſollicitam ducat aetatem. Merentur in luce hominum & litterarum vivere. *Broeckhuſius* nullam contemnet functionem, qua ſe poterit tueri. *Huddenius* Amſterodamenſis Conſul ejus eſt neceſſarius, ſed is poëtis iniquior eſſe videtur. *Perizonii* cauſſam egimus apud *Huberum* Franeckerae. Reſponſum indies expecto. Valetudinem tuam afflictam, quae magnum mihi luctum, pro meo in te ſtudio & obſervantia, importavit, nunc ſpero refectam eſſe, ut ad Principem Optimum & Sapientiſſimum poſſis excurrere, & ejus ſuaviſſima conſuetudine moleſtias has, quae tot annos indignis modis te exercitum habent, abſtergere. Tuo tamen complexu, antequam viae te committas, ſpero nos hîc fruituros. *Cuperus* ſpem facit libri IV. obſervationum brevi in publica luce comparituri. Ex Germania perlatus eſt ad me *Joanni Stefleri* Pilatus defenſus; ſed liber eſt plenus ruris & inficetiarum. Sed refu-

refutatio illius a *Daniele Mapanaſo* concinnata videtur eſſe melioris frugis. Fugitivo tamen oculo iſtam delibavi nondum compactam, & hoc die demum mihi redditam. Jamblichum Anglicanum cupide videbimus. Luciani de calumnia diatriben a *Jacobo Tollio* publicatam puto te habere. Magni Antiſtitis Paderbornenſium epiſtolam cum mecum communicaſti, multum te amo. Qui de pace nuncii ex Anglia perferuntur, utinam eventus comprobet. Exſpiraſſe Regem Sueciae, qui Neomago veniunt, affirmant. Quae ſi vera ſunt, tot tantiſque difficultatibus illud regnum afficietur, ut ex illis emergere vix potuerit. Pro Sereniſſimi Principis Arauſionenſis reditu & auſpicato matrimonio vota nunc facimus. Sed a Regibus & Principibus revocemus nos ad noſtras Muſas. Ad *Schefferum* litteras exarabo, cum primum facultas mittendi dabitur. Ejus generi emendationes in Valerio Flacco num tibi arrident? Excerpta veteris codicis, quem cum Floro edito commiſiſti, utinam praeſto ſint. Nam notae meae cis unum alterumve diem proela ſubibunt. Callimachum *Annae, Tanaquilli* filiae, Amſterodami typis denuo deſcribi accepiſti credo. Taciti loca, de quibus mecum agebas, vel nunc tandem excutere fert animus. Praeſtat enim ſero, quam nunquam. In Ann. v. cap. 4. editores impudenter graſſati ſunt, & primus quidem hujus facinoris auctor, puto, fuit *Beatus Rhenanus.* Nam vetuſtiores editiones retinent lectionem membranarum, aut non longe ab iis recedunt. *Alciati* ſane ab Oporino vulgata Baſileae anno undeviceſimo ſuperioris ſeculi clare: *quandoque Germanicis Titium poenitentiae ſenis.* Conjectura tua proxime a veſtigiis hujus ſcripturae abeſt: *dandumque domui Germanici interſtitium poenitentiae ſenilis*, nec dubito, quin aequis eam cenſoribus ſis probaturus. *ſenis*, quoniam hoc omnes membranae prae ſe ferunt, non rejecerim. Nam & hoc loquendi genus Cornelio non eſt infrequens. In Annali VI. cap. XXVIII. in Phoenicis deſcriptione certiſſimam habeo, quam ſollertiſſime excogitaſti, lectionem *ſurculis e thuris*, pro vulgato ἀπροσδιονύσῳ *ſuis in terris.* ex *ſurculis* cum una atque altera littera excidiſſet, refinxerunt aut librarii aut imperiti correctores *in ſuis*, hinc & *turis* in *terris* fuit mutandum. Non eſt ut *e* interponas contra librorum fidem. Nam XIV. Ann. ſic quoque loquitur: *templa ſtructa vetuſto ſaxo.* Rogo ut & reliqua, quae in Phoenicis deſcriptione caſtiganda habes, mecum communices. Ex Sibyllae foliis promſiſti, quod reponis I. Hiſt. 67. *proximum quemque culpae. Culpa* enim non *poenitet*, quam ſententiam vulgati libri oſtentant. Nec repugno in Ann. XIII. c. 56. tibi reſcribenti cum Mureto & Lipſio: *Deeſſe nobis terra, in qua vivamus, poteſt, in qua moriamur, non poteſt.* Sed in XII. Ann c. 64. *quae filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat*, nihil muto perſuaſus rationibus, quas *Gronovius* IV. Obſerv. 2. huic loco tuendo & explicando adfert. Sed in correctione illius loci verbo defecti, qui eſt Hiſt. I. c. 8. & *pacis par artibus* non ego, ſed totus tibi Parnaſſus applaudit. Nunc expecto brevi novarum obſervationum cumulum. Vale, Princeps ingeniorum & amicorum. Trajecti Batav. a. d. IX. Novemb. CIƆIƆCLXXVII. Jul.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

QUanquam in omnes formas me verto, non poſſum, quod velim maxime, abigere, & in morboniam ablegare avem peſſimam, quae me contubernio ſuo prorſus enecat, mi Graevi, adfectam valetudinem ſpondet quidem nunc meliora, ſed neſcio an bona fide. Quod ni ſui diſſimilem ſe praeſtat, Vianam viribus confirmatis mox contendam, ſubducturus invalidum corpus maximis turbis, quas adventus Principis e Britannia nobis minatur. Quippe cum pridem ego deſtitutus ſomno omni, unam ſolitudinem ac quietem praecipue adverſus hoc malum mihi eſſe invocandam intelligo. In negotio *Perizonii* apud Franequeranos, non eſt quod exſpectemus ſucceſſus, cum alter in Hebraicam profeſſionem jam dicatur eſſe ſubrogatus. De Profectione Paderbornenſi omnem cogitationem neceſſe eſt abjiciam in Martium aut Februarium menſem: vix eſt enim, ut ante id tempus vires dejectas inſtaurem. Habui a *Daumio* & *Carpzovio* litteras, quibus & libri a praelo recentes nonulli adduntur, ſed vix mei ſaporis, praeter unum *Rittershuſii* Corippum. Juſtinum ſuum propediem me jubet ſperare *Schefferus*, jam typis Hamburgenſibus fere deſcriptum. Mea ad Tacitum annotata cur tantis laudibus tollas, nihil omnino rationis erat. Plura id genus alia memini proponere ad orationem Senecae magnam partem ſpectantia, quibus abs te examinatis Phoenicem excutiemus. Sed tu, qui Hymenaeum paras Arauſionis Principi, alia nunc habes, & quidem longe nobiliora, in quibus ingenium exerceas. De Floro nihil poſſum, niſi excuſſis ſcriniis meis. *Voſſii* libellum de Rythmis hactenus quidem apud me reliquit *Ryckius* noſter. Vicquefortiani libri immenſo pretio diſtrahuntur, & tamen ex iis nactus ſum *Foljetae* Hiſtoriam Genuenſem, qui liber ipſa in Italia ſedulo venantem me ſemper eſt fruſtratus. Vale. Hagae Comitum 25. Novemb. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

DII Deaeque perdant iſtam moleſtiſſimam contubernalem, & praecipitem illam agant εἰς πύλας ἀΐδαο, unde negant quenquam redire, quae morbo odioque te enecat. Nae illa nihil eſt impudentius, quae inviſa tibi obrepſit invito, & nec mihi, nec blanditiis ac delinimentis ullis adhuc potuit abigi, quamvis diſceſſu ſuo magnam tibi laetitiam objicere ſe non ignoret. Sed quoniam abitum eam nunc adornare narras, valere ſpero

tibi

tibi jam dixit. Si tam multa mala ei ingeſſiſti, ut repudiato hoc contubernio in poſterum te jubeat res tuas tibi habere, non ſolum Aeſculapio Gallum proſecabimus, ſed hecatomben Divae Hygejae, ſi bona fide tecum in gratiam rediit. Te ſat ſcio nervos omnes animi & corporis intenſurum, ut illa placata diutiſſime utaris. Interea, donec certiores fuerimus facti, num votorum rei ſimus; *ſaepe tener noſtris ab ovilibus imbuet aram Illius.* In Vianenſem ſeceſſum cum te contuleris, noli, quaeſo, hybernae te navigationi committere, ſed hanc urbem tranſi, cujus blandi ſoles, & molle coelum ad confectas vires recolligendas plurimum conferent. Noſtram & *Perizonii* de loco Franeckerano ſpem eluſiſſe Friſiorum praepoſteram feſtinationem doleo. Vereor ne ſuo ſibi jumento malum arceſſant. Reverendum *Spanhemium* de illa vocatione male augurari ex ejus litteris cognovi. Iter Paderbornenſe, quod meditabaris, in proximum ver rejici invitus audio. Nam tanti Principis conſuetudo & ſolitudinis brumalis taedium & tot moleſtias, quibus tam diu circumſeſſus fuiſti, potuiſſent abſtergere. Sed cum non licet nobis noſtro animo morem gerere per duram neceſſitatis legem, in praeſentibus eſt conquieſcendum, donec noſtro dies eant omine. A *Carpzovio* & ipſe litteras habui cum nonnullis libellis, nec magnae rei, nec noſtri palati, praeter quaſdam diſſertationes Academicas non plane contemnendas. Vidi hiſce diebus *Hermanni Conringii* de nummis Hebraeorum Paradoxa, quae mirum in modum me ceperunt. Inter alia firmis vincit argumentis, omnes Siclos Hebraeos alioſque nummos, litteris Aſſyriis aut ulla imagine ſignatos, adulterinos eſſe & recentes: antiquos vero nonnullos inveniri litteris Samaritanis inſcriptos, ſed nec ipſos excedere Haſmonaeorum tempeſtatem. Hymenaeumne pangam ego, qui nunquam in bicipiti Parnaſſo ſomniavi? Te *Franciumque* cantantem nos ſperamus audituros. Orationes ſolutae ſemper viſae mihi ſunt frigere in nuptialibus feſtivitatibus. Florus Hero deſtinatur. Ad orationem Senecae non memini te quicquam mihi unquam proponere, quamvis ſcrinia omnia, in quibus tuas litteras nigris diligentius uvis cuſtodio, excuſſerim. Epiſtolam illam intercidiſſe credo, ſi te non fallit memoria. Si repetere dignaberis illa, magni mihi muneris inſtar erunt. In *Voſſii* libello de rythmis non difficilem ſe praebebit *Ryckius* noſter, ſi per te cauſſam noſtram cognoverit. Vicquefortianis libris emendis inſaniiſſe licitatores facile credo, & id praevidebam Hiſtoriam Genuenſem *Folietae* tibi ceſſiſſe gaudeo, quem librum jam diu, ut ſaepe ex me audiviſti, quaero vehementerque deſidero. Sed num & hiſtoriam ſui temporis, quae in eodem catalogo habebatur, mihi antehac ignota, tibi aſſeruiſti? In auctione Amſterodamenſi, quae propediem inſtituetur, rogone meis commodis obſtes in *Paiva* pro Concilio Tridentino, amico tuo emendo: nam mihi illum vindicari cupio. Non haec a te peterem, ſi in tua deſiderari bibliotheca noſſem. Sed in illa hunc librum olim vidi, & ejus pretium didici. Pro effigie magni *Rutgerſii* plurimas tibi ago gratias. Nam tanti ingenii, quod ſemper maximi feci, hoſpitium exſcriptum pulchre non poteſt non magnae mihi voluptati eſſe. Qui in deſcribendis paren-

rentis tui lucubrationibus Heſychianis operam ſuam Delphis locavit, dicitur *Joannes Verweyus*. Vale, maxime Heinſi, & me ama. Trajecti Batav. a. d. XXVIII. Novemb. CIƆIƆCLXXVII. *Jacobus Gronovius* Hamburgo redux *Gudium* in tranſcurſu tantum vidit, & tribus verbis ſalutavit. Edit aliquot epiſtolas, in quibus de variis locis Livianis corruptis diſputat, quae ipſis notis, editionis novae, quia nimis longae ſunt hae diſſertationes, non poterant inſeri. Iterum vale. Generoſiſſimi *Henrici Friſii* filius Geneva ſe ad nos recepit. Propediem in hanc urbem veniet, iſtam hyemem nobiſcum tranſacturus bonis, artibus excolendi ingenii cauſſa.

EPISTOLA CCCCXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NIhil iter Vianenſe nunc moratur, praeter adfectas vires, quae ut agitationem corporis non ferunt hactenus, ita paulatim tamen in vigorem priſtinum erigunt ſeſe, ac convaleſcunt. Gallum tu quidem Aeſculapio voves pro ſalute mea. Sed ſi ſerium in modum cupis me valere, omnes, quotquot ſunt, Gallos oportuit jampridem mactatos, qui me pervigilem cantu enecant intempeſtivo, aves nimis matutinae, ac curis ingentibus conficiunt. Quod ſi diutius haec bella pergant tumere, eo a me perveniendum erit, ut omnes aerarii mei praefectos res ſuas jubeam habere. Quamdiu inter hos latrones verſamur, abſit ut cantem, niſi plane vacuus & inani crumena. Sed ex tuis videbar conjecturam ducere non vanam de demandata tibi provincia, publico nomine gratulandi nuptias Britannicas Principi, non ut Poëtae, ſed ut Oratori, qua in arte regnum poſſides latiſſime. *Carpzovius* muneris tui & ipſe apud me meminit. Sed *Daumius* de eo, hoc eſt de Ciceronis epiſtolis, quicquam ſe comperiſſe negat. *Conringii* libellum de nummis Hebraeorum nec vidi, & videre cupio. ne Luciani quidem dialogus Tollianus oculos meos ſubiit hactenus, ſed eo poſſumus carere. Ad orationem Senecae nihil hercule in meis ad te litteris annotatum memini, ſed cum Vianae una eſſemus, complura loca indicabam, quae in codicillos tuos referebas, tanquam de iis amplius deliberaturus. *Ryckio* jam miſi Suetonium ſuum; ſervato apud me *Voſſio* de Rythmis, quem cum & abs te peti ſignificaverim, nec reſcribat ille, tacitam indignationem videor ſubodorari. *Folietae* Hiſtoriam ſui temporis pridem teneo in meis. utinam Hiſtoria Eccleſiaſtica ejuſdem viri prodiiſſet! mihi certe is liber nunquam eſt inſpectus. *Payva*, quem deſiderare te ſcribis, facile tibi cedam, etſi *Bigotius* eum expetat vehementer. Tu tantum vide, ne quod alias frequenter factum eſt, cum ego tibi cederem, tu libros tamen illos ab aliis patereris tibi praeripi. De *Burſii* dialectica potes meminiſſe. Potes & de nuperis Procli analectis. Sed nolo nunc pudorem tuum onerare. Hoc interim in tranſcurſu. Illuſtriſſimi *Henrici Friſii* filium vobis hoſpitem contigiſſe laetor. vale. I. Dec. CIƆIƆCLXXVII.

EPI-

EPISTOLA CCCCXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ISti Poliorcetae per me quoque pereant, modo tu valeas. Sed vereor ne Galli, quos tu mactatos velis, brevi vicinos noſtros mactent, & in ipſis his brumalibus tenebris juſto maturius provolent in Iprenſem agrum, quin ipſos Inſubres, quibus minantur, mox infeſtent, niſi pacis aequas leges, quas ſecum Principem Arauſionenſem perlaturum omnes augurantur, convenerint. Quae ad orationem Senecae nuperius ex ore tuo excerpſi, neſcio in quem ſeſe angulum abdiderint bibliothecae meae. Sane quaerenti ſe ſubducunt, ſimul ac retraxero in lucem fugitiva, perſcribam, quid de illis obſervationibus ſentiam, quamvis tum, ſi recte memini, valde mihi probarentur. Poſſet interea Phoenix male habitus comi & ornari. Faſcis ille, in quem epiſtolae Tullianae ad *Friſium*, *Daumium*, *Carpzovium* erant conjectae, nondum Lipſiam a mercatore Amſterodamenſi, cui eum commiſerat *Elzevirius*, erat curatus. Neſcio quid ceſſet homo lentiſſimus. Sed ſpero tandem officio functurum. *Ryckii* noſtri bilem nolim moveri. Nullus liber tanti mihi eſt, ut ejus gratia velim amicum exaſperare, nedum iſte, qui in omnibus officinis veſtris proponitur. *Folietae* hiſtoriam ſui temporis, ſi noviſſem te jam tenere, nemo mihi eripuiſſet. *Paivae* ſpero me potiturum, niſi inſano pretio veneat. In *Burſii* dialectica & Analectis Proclianis emendis me hiantem eluſerunt, quibus mandaveram hoc negotium. Haereo ſane, cui Amſterodami hoc onus meis commodis invigilandi imponere ſuſtineam. *Plumeri* fides mihi eſt ſuſpecta. Ipſum *Gasbeckium* conſtitui compellare, & id pretium huic *Payvae* & *Vicecomiti* de Baptiſmo apponere, ut non ſperem illos mihi elapſuros. Proximo die ſolis ſcribam. Tu ſi quid rectius noſti, imperti. De Scioppiano libello, quem non noram, multum te amo. Nihil illo homine fuit aſperius maledicentius & impudentius. Non mirum eum ubique gentium gratia, quam ingenii & eruditionis fama, ac acerrimo ſtudio, quod prae ſe ferebat, religionis, quam amplexus erat, propagandae collegerat, excidiſſe. Os effraene nulli mortalium parcebat. Libellum ipſum aliquando apud te videre geſtio, cum in Vianenſi ſeceſſu cum Illuſtriſſimi *Friſii* filio, qui tibi plurimam ſalutem dicit, te ſalutatum venero, aut tu per noſtram urbem eo te contuleris. Utinam excerpta libri veteris tui Annaei Flori mihi poſſes praeſtare. Dum nunc in notulis litteris conſignandis ſum, plura ſe offerunt corrigenda, quam antea cogitaveram. In ipſa praefatione legitur in editis: *Cum praecipue hoc quoque, ſicut cetera, operae pretium ſit cognoſcere, tamen quia ipſa ſibi obſtat magnitudo*, & quae ſequuntur. *Sicut cetera* in ſuis codicibus non invenit *Vinetus*, nec *Salmaſius* in Nazariano, qui & recte cenſent delendas eſſe iſtas voces. nec ſic locus eſt ſanatus. Vide quam ſcabra ſint *praecipue hoc quoque*. Praeterea in Ryckiano legitur, *operae*

pretium ſit cognoſcere : ſigillatim tamen. Hanc vocem *ſigillatim* olim quoque Antwerpiae in codice pervetuſto Chriſtinae Reginae, quem utendum mihi dabat *Voſſius*, ſed cujus excerpta perierunt, pauca memoriae inhaeſerunt, deprehendi. Itaque hunc locum ſic conſtituendum reor : *Quare cum praecipua quaeque operae pretium ſit cognoſcere ſigillatim, tamen quia ipſa ſibi obſtat magnitudo.* In ead. praefat. *Hic jam ipſa juventa imperii.* Barbare. legendum ex Ryckiano, quamvis ſine libris jam dudum ſic legendum eſſe videro, & meos diſcipulos monuerim : *Haec jam ipſa juventus imperii.* Plura vellem, ſed hora auditur. Vale, vir ſumme & me ama. Trajecti Batav. a. d. XXIII. Novemb. CIƆIƆCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NAE tu me inter aves inauſpicatas tuo jure collocas, qui hoc anno funeſta quaevis tibi nuntiem. Heſterno die *D'Alonii*, qui ſereniſſimae Principi Arauſionenſi ab actis & epiſtolis nunc cluit, mater, Beuningianas ad me litteras mittebat, addito nuntio de exceſſu *Iſaaci Voſſii*, eo majore cum admiratione mea, quod in ipſis litteris nec de morbo, nec de morte amici communis quicquam occurreret. Certiora fortaſſe ſignificare potero ante tabellarii diſceſſum: nam neque mihi in publicum prodire propter valetudinem minus confirmatam licet, nec conventus ſum hodie a quoquam, qui rem hanc, uti ſe habet, me doceret. Si non fallit nuntius, magnam haud dubie jacturam fecit hoc in capite res litteraria: erat enim ὁ μακαρίτης eximiis, ut noſti, dotibus animi perquam inſtructus. Si quid naevi interlucebat tantis virtutibus, id aut neſciamus, aut certe diſſimulemus in mortuo. Hodie literas accepi a *Sulichemio*, (nam ne nos interviſamus aliquando, uterque laboramus pedibus) quibus filii ſui e Britanniis reditum nuntiat: ipſum enim *Zeelhemium* nondum vidi. cum bruma nonnihil remiſerit, auguror fore, ut propediem Vianam ſim diſceſſurus, quam in rem jam ſarcinas meas convaſavi. Arauſionis Princeps cum uxore occultus heſterno hodiernoque die aulam ſuam averſa parte, ut ſpectatores falleret, eſt ingreſſus. De pace Illuſtris *Beuningius* etiamnum bene ominari pergit, ipſoſque, ſi contumaces obnitantur Galli, in partibus noſtris fore Britannos. Sed ad iſta jam aures callum duxere. Gallos ego quidem cantantes audire malo, vel intempeſta nocte, quam ſpectare pugnantes de die. *Voſſii* libellum de Rythmo feram mecum Vianam. de *Ryckio* nihil, de Phoenice Taciti, ubi Vianam pervenero, videbimus. Florum quoque *Lipſii* tunc inveſtigabo; quae in eo annotaſti, plurimum mihi placuerunt. 6. Dec. CIƆIƆCLXXVII. *Franciſcum Junium* obiiſſe nunc intelligo.

EPI-

EPISTOLA CCCCXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

LItteris, quas noviſſimas exaraveras Hagae, nondum reſpondi, quia te jam vaſis collectis accinctum itineri eſſe nunciabant. Expectabam indies de adventu tuo Vianam nuncios, quos nunc demum accepi laetus, laetitiam tamen hanc ſtatim offuſcabat dolor, quem cepi ex valetudine tua nondum plane confirmata, cui fac ſervias, ut te incolumem proximo die Saturni complectar. Tum enim ad vos, ſi ipſe valeo, iter adorno. Vehementer me perculerat mors *Iſaaci Voſſii*, quam mihi narrabas, ſed utrumque fefelliſſe famam nunc gaudeo. *Franciſci Junii* aetas tam provecta erat, ut aliud, quod deſideraret, non eſſet, quam ut placide finiretur. Nam & ſibi jam gravis erat & aliis: quamvis jam decrepitus aetatem ſatis diu belle tulerit, & a litterarum ſtudiis nunquam potuerit avocari. Vereor ut nunc aeternis tenebris obruta jaceant viri excellentis lucubrationes, in quibus expoliendis tot annos conſumſit. Et ſane intererat rei litterariae, ut in lucem protraherentur, quae ad illuſtrandam linguam patriam tanto ſtudio & ſudore congeſſit ex lingua vetere Francica, Saxonica, Gothica, Cimbrica, Friſia, quas omnes norat exactiſſime. Praeterea Commentarium ſuum de pictura veterum infinitis modis auxerat, obſecutus monitis illius Apellis noſtrae aetatis *Rubenii*? Aliud quoque plurimis ab annis apud illum vidi volumen praeclarum de pictoribus & artificibus antiquis, illorumque operibus, digniſſimum, quod in doctorum manibus verſetur. Nunc vereor, ne blattis & tineis pabulum praebeat. *D'Alonnium* gaudeo ſane dignum ſua virtute & ingenio locum inveniſſe. De pace hi laeti nuncii hîc quoque paſſim circumferuntur. Sed cum Gallis indies fines prolatantibus ſedeant Angli, pauci ſunt, qui faciles iis aures praebeant. Ipſe tamen Princeps Arauſionenſis in nupero conſeſſu Ordinum id quoque conceptis verbis confirmavit fore, ut, niſi Gallus conditiones aequas pacis amplectatur, ſocietatem belli nobiſcum ineant. Hodie perfertur ad nos, Regem Britanniae Senatum regni hoc ipſo menſe coacturum. Ampliſſimus *Terburchius* graviſſimo morbo jam ſex ſeptemve hebdomades conflictatur, qui uxorem & omnes amicos valde ſollicitos habet. Deum precor, ut convaleſcat. De Amſterodamenſi auctione nihil etiamnunc ad me *Gaesbeeckius* perſcripſit, ut verear, ne votorum irritus ſim. Mitto hîc libellos tibi emtos. Inter coëmtionales reperies laceros & mutilatos, quales fuerunt in illa auctione plurimi. Phoenicem Cornelianum quando es deplumaturus, & ſuppoſititiis pennis liberaturus, ut ſuus ei decor & nitor reddatur? Florum Lipſianum utinam eruas. Nam fervet nunc opus. Si incideris quoque in ſecundum *Latini Latinii* epiſtolarum tomum, velim eum quoque, quem nunquam oculis mihi uſurpare licuit, ſeponas. Vale, & me ama. Trajecti Batavorum a. d. x. Decemb. CIƆIƆCLXXVII. Jul. Generoſiſſimus *Friſius* mag-

magnis paſſibus ad paternum decus contendit. Te jubet ſalvere. Recipis etiam Thucydidem *Turnebi* manu illuſtratum. Adjeci epiſtolam Clementis & Chronicon Vidoſinenſe. Tullianarum epiſtolarum editionis pervetuſtae uſum rogo ut mihi indulgeas efflictius. Sartae tectae tibi reddentur. Habui a *Magliabeckio* litteras, ſed nihil novi ferentes, niſi *Baluſium* edere IV. tomos Conciliorum ineditorum.

EPISTOLA CCCCXL.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

IN Phoenice Corneliano expoliendo mirificum plane te praebuiſti. Sollertia tui ingenii & in detegendis, quae latuerant, mendis, & in iis eluendis incredibilem in modum in his quoque litteris eluxit. Certiſſima ſunt *confecto annorum M. numero*, *ſurculis tureis*, *tentato per longum itinere*. Praeclare vindicaſti *ſubire corpus*, & *atque adolere*. quibus perperam litem moverat *Salmaſius*. Sed τὸ *ore ac diſtinctu pinnarum* recte mihi videtur aſſerere *Lipſius*, quia os quoque ſingulare Phoenici & eximium tribuunt veteres, nec temere ſollicitarim *murrae pondere*, quia id ipſum tradit Herodotus in Euterpe, unde pleraque hauſit Tacitus. πρῶτον τῆς σμύρνης ὠὸν πλάσσειν, ὅσον δυνατός ἐστι φέρειν, μετὰ δὲ πειρᾶσθαι αὐτὸ φορέοντα & quae ſequuntur. Abſque hoc loco eſſet, tibi ſuffragarer. Mire enim mihi blanditur tuum *ſaburrae*. Novi interea nihil accepimus. Fidem invenit apud pleroſque, Regem Britanniae juſſiſſe Senatum Ordineſque populi ſui Londini praeſto eſſe a. d. XV. Januar. inſtantis anni, ut ibi de ſumma rerum agatur, & Gallo, ſi ſe alieniorem oſtenderet ab aequis pacis legibus, bellum indicatur. A *Carpzovio* litteras habui, ſed nullarum rerum novarum nuncias. Si gravedine, quae me nunc infeſtat, non retardor, deo dante, te videbo. Vale, Phoenix ingeniorum. a. d. XIII. Decemb. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DOctior quidem a te ſemper diſcedo, ſed nunquam laetior. Nam comitas illa miraeque, quibus me ſoles excipere, ſuavitates, ſermoniſque juxta ac victus deliciae tantum ſui ſemper deſiderium meo inurunt animo, ut aegerrime a tuo avellar latere, nihilque me beatius fieri poſſe exiſtimem, quam ſi tua conſuetudine mihi frui nunquam non liceret, & ad te in omnibus dubiis rebus tanquam ad oraculum decurrere. Gratias interea tibi pro ſumma hac comitate maximas ago. Neminem hodie conveni, nec puto quicquam rerum novarum haberi. *Pinedo* nomen *Thomae* eſt. Hodie me inviſit *Plumerus*, qui

litteras *Cuperi* ante hos quinque dies Hagam ad te miſiſſe ſe ajebat. Rogat, ut praefationem in Valerium Flaccum, quam illi promiſeras, mittas. *Terburchii* valetudo in melius ire coepit. Faxit deus, ut brevi plane confirmatum accipiamus. De *crate doloſa*, quorum ſpem faciebas, expecto. De *Creſcentibus arundinibus* agam proxime pluribus. Nunc temporis anguſtiis praepediebar. Nondum enim tuam, quam heri mihi exponebas, ſententiam poſſum probare. De Phoenice en tibi locum Pomponii Melae ex libro III. cap. 8. *Cum adolevit, oſſa priſtini corporis incluſa myrrha Aegyptum exportat, atque in urbem, quam Solis appellant, fragrantibus nardo buſtis inferens, memorando funere conſecrat.* Vale, mea lux. Si inveneris Florum Nanſianum aut excerpta Rutgerſiana ex marginibus Scaligerianis, fac quaeſo, te mei memorem praeſtes. Litteras Rutgerſianas de morte *Scaligeri* oblitus ſum mecum ferre. Iterum vale. Trajecti XVII. Decemb. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXLII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

REditum tibi ad tuos ceſſiſſe feliciter, ut plurimum laetor. Nam quae narras, aut commendas officia tibi a me exhibita, ea tuae ſunt humanitatis, non mei meriti, ita incredibiliter doleo Rutgerſianam Epiſtolam nobis periiſſe, quod ea ad ornamentum familiae noſtrae conferre multum videretur. Cave enim exiſtimes hîc a te relictam, quam cum ſemel iterumque inſtitiſſes, ut tibi liceret domum auferre, atque ego annuiſſem huic poſtulato, quamquam, ut, quod res eſt dicam, ſi non invitus, certe praeſagus futurorum, quod ejus nullum ſupereſſet exemplar, tu eam in marſupio, ut potes meminiſſe, confeſtim recondidiſti, pollicitus illuc tuto ſervandam fore, quod ejus curam ſemel iterumque tibi anxium commendaſſem in modum. Reliquum eſt, ut excutias diligenter, quicquid chartarum tecum tuliſti hinc diſcedens, ſi in iis deliteſcat fortaſſis epiſtola: hîc quidem in ſcriniis meis ſemel iterumque a me pervolutis non comparet. Accepi hodie Menagianas juris amoenitates, & epiſtolam V. Cl. *Gisberti Cuperi*, quae non melius de valetudine Terborghiana nos jubet ſperare. Pomponii Melae meam de *ſaburra* conjecturam non prorſus refellit, cum Tacitus agat de iis, quae a Phoenice ante iter ſuſceptum, quo patrio funeri portando fiat habilis, Melae locus ſit referendus ad ipſum Phoenicis iter. Cras adibo Herodotum, qui liquidius aliquanto pro te ſtare mihi viſus eſt. *Thomam Pinedo* Luſitanum vult eſſe *Elzevirius*, tu negabas: cui credendum? Vale. XXVII. Decemb. CIↃIↃCLXXVII. Vianae.

EPISTOLA CCCCXLIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUllus dubito, quin interea loci Rutgerſianam epiſtolam inveneris. Exploratiſſimum mihi eſt, apud vos eam ſubſediſſe. Cum valere tibi dicerem, illius non memineram. Cum vero mihi petenti, ut mecum perferre liceret, annuiſſes, non recondebam in marſupium, ſed reponebam in librum jacentem in menſa vicina, non illi, cui accumbebamus. Ab illo tempore non tetigi hanc epiſtolam. Ipſe eventus docebit me verum dicere, cum fugitiva ex latibulis ſuis retrahetur in lucem. In ipſo itinere dolebam a me non eſſe deportatam, ut certa ſpe nitar, illam nunc a te reprehenſam eſſe. De aliis cras agam. Nunc reprimebar. Heri novus Conſul *Dintherus* fuit hîc creatus, affinis *Emmeneſſii*. *Petrus Elzevirus* albo ſenatorum eſt adſcriptus. Vale, virorum ſumme. Trajecti Batavorum a. d. XVIII. Decembris. CIƆIƆCLXXVII.

EPISTOLA CCCCLXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NE nunc quidem litteris, quas ad te dare conſtitueram, exarandis vacare poſſum mirifice diſtrictus. Epiſtolam Rutgerſianam a me in ſinum abditam non memini: non negarem, ſi meminiſſem. Si memoria me fallit, doleo intercidiſſe mea culpa tam inſigne familiae tuae monumentum, quod tamen, ut reficiatur, operam dabo. Sequente hebdomade mihi negotii domeſtici cauſa Hagam erit excurrendum. Heri tranſiit Princeps Arauſionenſis hanc urbem, repetens aulam. Fertur accelerafſe reditum propter litteras recens ex Britannia perlatas. Quid illae nunciaturae ſint, avide omnes ſcire deſiderant. *Dyckfeldius* nos de pace propediem ineunda certos eſſe jubet. Sacramento heri ille cum primario viro contendit pignoribus poſitis, ante Kalendas Martias pacem nos habituros. Faxit deus, ut piorum vota vincant. Vale, decus noſtrum unicum & praeſidium certiſſimum. Trajecti Batavorum a. d. XIX. Decembris. CIƆIƆCLXXVII. Epiſtola Rutgerſiana non in librum, ſed ſuper librum grandiorem repoſita erat. A quo tempore non memini illam utrumque noſtrum tetigiſſe.

EPI-

EPISTOLA CCCCXLV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SI tanta mihi eſſet dicendi copia, quanta tui in nobis excipiendis comiterque habendis fuit humanitas & liberalitas, pares tuis meritis gratias reciperes. Sed cum infantia mea nullam partem tuae benignitatis aſſequi poſſit, nihil habeo, quod tibi reponam, quam memorem, gratum tibique devotiſſimum animum. Utinam de tua valetudine laetiora nobis liceat audire propediem! Haec enim ſollicitudo me non ſinit placidam ſine curis vitam agere. Quamprimum virium nonnihil recuperaſti, vide an in ſinu noſtro hîc poſſis convaleſcere. Te enim cupidiſſime videbimus omnes, &, quantum poterimus, fovebimus. Novi hîc parum. Fertur conſpiratio gravis contra Caeſarem detecta eſſe, quae conflata ſit in aula Polonica. Quomodo diſcuſſa ſit proxime audiemus. Certiores quoque de pace nuncii ex Anglia expectantur. Turmae Gallicanae, quae obſederant aditus Montium, receſſerunt, ſed nunc in Iprenſi agro vagantur, ut videantur illam urbem obſeſſuri. Rumuſculi etiam ſparguntur de foedere Electoris Bavarici & Regis Poloniae adverſus Caeſarem initi, in cujus ſocietatem ſollicitari Brandeburgicum, promiſſis reliquis urbibus & locis Pomeraniae, quae etiamnunc Sueci teneant. Verum hi ſunt rumuſculi ſine capite & certo auctore. Apud Tacitum XIII. Ann. 14. certum eſt elegantius legi, *in Pallantem ut ejurarent*. Vulgata tamen defendi poteſt, ſi ſubintelligas *multitudinem*, quae vox praeceſſit. Vale, decus noſtrum unicum. Salutat te Uxor, *Servaeſius* aliique amici. Trajecti a. d. XXXI. Decemb. CIƆIƆCLXXVII.

EPISTOLA CCCCXLVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

CUm tibi firmiori Kalendae hae Januarii illuxerunt, Deo immortali laudes grateſque dico, eumque veneror, ut exhauſta omni debilitate, viribus refectis, cum ſanitate redeas bona fide in gratiam, & hunc annum in Muſico otio tam ſuaviter tranſigas, tantoque cum fructu rei litterariae, cujus tu unicum es columen, ut omnes cogantur fateri, Heinſium ſolum ſcire vivere. Compoſita bibliotheca, nullus dubito, quin tuo complexu, quem nobis deſideratiſſimum eſſe non ignoras, ſis beaturus, idque, ut propediem fiat, vehementer te obteſtamur. Vidi hodie litteras ab illuſtriſſimo *Friſio* ad filium datas perelegantes, in quibus & tibi ſalutem juſſit nunciari, & de publicis ſignificat, expugnationem Stetini belli hujus rationem nonnihil immutaturam, ſed in melius res num verſura ſit, non audet affirmare. Forſan & machinationes Princi-

pum domui Auſtriacae infeſtorum diſcutiet. De pace, qui heri Haga venerunt, homines nobiliſſimi & praecipuae dignationis apud nos & auctoritatis, jubent nos optime ſperare. Nuntiis, qui proxime ex Anglia ad aulam venerunt, haec ſpes dicitur augeri firmarique. Interea bellum inſtruitur, apparatuque omnia fervent undique. Princeps Arauſionenſis heri denuo per hanc urbem ſe recepit in praetorium Soesdyckianum. Quam diu ibi ſit ſeſſurus, pro explorato ſcribi non poteſt. In re litteraria nihil omnino, quod narrem, habeo. Apud Tacitum non nego elegantius ſcribi & magis perſpicue, *ejurarent*, quin & Tacitus hoc loquendi genere frequentius utitur, quam illo pervulgato, ut, quod tibi regeram, nihil occurrat, niſi vulgatam poſſe defendi. Apud Virgilium ſcriptorum codicum venuſtatem longe praeferendam eſſe faeci noſtrarum editionum vulgarium tibi lubens aſſentior. In Floro quotidie nonnnihil profligo. In libro I. cap. IX. optime in Ryckiano ſcribitur, *ad augendum populi majeſtatem*, quod imperiti antiquarum elegantiarum refinxerunt in communem illam & tritam dicendi rationem: *ad augendam populi majeſtatem.* forte rejecerunt hanc ſcripturam interpolatores, tanquam emendatae ſcriptioni adverſam, quia a trivialium Grammaticorum canonibus abhorret. In cap. VII. pro vulgato, *Cui Gabiis, ut voluerat, recepto*, ſcribitur in Ryckiano: *Cui agabiis, ut voluerat, recepto.* lego *a Gabinis*. Ampliſſimus *Terburchius* vires valetudinemque recolligit. Sed nondum tamen ſpes metum ſuperat. Deus faxit, ut virorum optimus convaleſcat. Sed aqua intercus noſti quam difficilis curatu ſit. Recipis hîc Gloſſarii *Cangiani* prima folia. Florus Nanſianus utinam in tuas incurrat manus. Cum ad nos perveneris, ſcis tibi praeſto futuram diatribam *Freheri*, & ſupplementum indicum *Payvae*. Sed non poſſum etiam, quin aurem tibi vellam, de nonnullis libris *Balduini*, in primis de hiſtoria univerſali, quos olim promittebas. Vale, vir ſumme & me ama. Scripſi praecipiti calamo poſtrid. Kalend. Januar. Jul. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCXLVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NOn habebam, quod reſcriberem, niſi argumentum ſcriptioni abunde praeberet tua incredibilis ſollicitudo de valetudine mea. Rarae quippe litterae hoc brumali ſidere, aut Hagae aut aliunde ad me perferuntur. Habui quidem proxime ab *Hugenio* patre, & ab *Elzevirio*, ſed quae nihil complectebantur rei nobis ignotae. Niſi quod in Germania ſuperiore Principes nonnulli neſcio quid adverſus Caeſarem occultae machinationis moliri dicantur. Occulto nimirum fati inſtinctu conſilia domus Auſtriacae in pejus quotidie vergunt. De pace interim lentum eſſe negotium, ut nihil deliberati, ac certi de tanto bono nobis expectandum videatur ante hirundinum adventum. Utinam haec tam fauſta avis tunc una nobis adſit. Valetudo mea nunc ſpondet de ſe meliora,

ſi

ſi tamen rei tam inſidae tuto creditur. Itaque ordinandae bibliothecae initium feci. Auſpicatus a libris Italicis, quos majori ex parte in ordinem redegi. Ut Ampl. *Servaſius*, cum hîc denuo venerit, ſit habiturus nonnihil, quo ſe oblectet, Quod utinam quam primum fiat: nunc litteratores diſpono. *Ut Pallantem ejurarent* malebam apud Tacitum, non vitandae tantum obſcuritatis, ſed elegantiae cauſſa. Sic *ſenatus*, *plebs*, *eques*, *miles*, quae vocabula cum multitudinem comprehendant, elegantius conjunguntur cum plurali, quam ſingulari numero. Cujus notae complura reſtituebam ad Naſonem, nec pauca congeſſi ad Maronis illa lib. VI. 209. de aureo ramo Sibyllae, *ſimili crepitabant bractea vento.* ita enim meliores ſcripti illic magno numero, non *crepitabat.* quod miror *Pierium Valerianum* alioſque, qui ſcriptorem divinum ad veteres membranas caſtigavere, aut non vidiſſe, aut ejus certe non admonuiſſe lectorem. Ramus enim ille aureus ex pluribus conſtabat bracteis, hoc eſt foliis: nam bractea in illo erant foliorum vice. Haec nunc. Vale, meum decus cum amicis omnibus, & hunc, quem auſpicamur nunc, annum fortunatum decurre. I. Januar. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCXLVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Diſtuli, fateor, ſcribendi partes aequo longius, mi Graevi, quod ſpem de die in diem foverem mox fore, ut meus in armariis alicubi ſe offerret Florus, cum Lipſianis membranis collatus a *Nanſio*, quem tibi non ſemel ſum pollicitus. Sed nondum is comparet, etſi proximos dies non paucos dedi excutiendae bibliothecae. Quo tamen in opere minus ſum aſſiduus, quod vires parum validae intentionem laboris gravantur, & rebus meis componendis identidem invigilantem deficiunt parum opportune. Litteras hodie complures Haga, atque Amſtelaedamo accepi, binas etiam a magno Etruriae Duce, ſed nihil in iis, quod tua ſcire interſit. Ampl. *Beuningius* negat quicquam foederis occulti, quale diſperſit jam pridem rumor, Galliae Britanniaeque inter Reges initum, nihilque non propitium rebus noſtris ex illa aula pergit ominari. *Francius* Elegiam ſuam miſit, non piam minus quam elegantem, miſit & elegiam *Brouckhuſius* perpolitam de laudibus Principis Paderbornii: *Vollenhovius* Epithalamium carmen nuptiis Principis Arauſii dicatum. Sed tu vernaculis iſtis luſibus minus videris delectari. 16. Januar. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCXLIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOn carerem tam diu meis litteris, ſi ullum ſcribendi argumentum ſuppeteret. Neque enim de re litteraria, neque de publica quod narrem habeo, nec ullam novam ſcribendi ſententiam reperio. Spem pacis indies augeri in omnibus circulis circumfertur. Nec tamen perſpecti & explorati quicquam de illa a quoquam accepi. Omnia nituntur incertis & ambiguis conjecturis. Si Gallus ſibi poterit perſuadere, Britannos arma ſibi infeſta correpturos pro foederatis, nullus dubito, quin magna rerum mutatio brevi ſit futura. Captum Stetinum creditur quoque coitioni nonnullorum Principum Germaniae moram objeciſſe. Sed de his viderint, qui ad clavum ſedent. Me magis anxium habet tua valetudo. Prioribus litteris tuis recreabar, his vero noviſſimis denuo vehementer percellor, quibus ſignificas & inſomnia te confici, & vires afflictas nondum a te poſſe recolligi. Quaeſo te per quicquid tibi cariſſimum eſt, ne infirmitatem hanc vexes, neve in ordinanda bibliotheca te delaſſes. Da otium corpori, donec ſe confirmaverit. Ubi valentior fueris, facilius & breviore tempore hac moleſtia defungeris. Nunc nihil aliud cura, ſi te amas, & nos ſalvos eſſe cupis, quam ut valeas. Omnia mihi data exiſtimabo, ſi te firmiorem eſſe accepero. *Francii* eclogam & *Broekhuſii* elegiam legam, ubi te videro. Spero autem me te hîc viſurum ante iſtarum feriarum, quae ad Kalendas Februarii extenduntur, exitum. Hinc vota indies pro tua valetudine nuncupo, ut brevi viribus inſtauratis convaleſcas. Tu modo indulge valetudini, depoſita armariorum inſtruendorum cura, donec firmior poteris huic negotio incumbere. Generoſus *Friſius* verba tua ipſe deſcripſit ad parentem illa miſſurus. Tradam ei hodie quoque Rutgerſianam imaginem. Ubi nubes iſta, quam ſpurca tempeſtas obduxerat animo tuo, fuerit diſcuſſa, & validior fueris, expecto quae ad Tacitum, aut ad Paterculum, aut alium ſcriptorem promittis, ne deſit nobis res, de qua ſcribamus. Pridie tranſiit hanc urbem Princeps Arauſionenſis, Hagam remigrans. Vale, mea lux decuſque tui ſeculi. Trajecti a. d. VIII. Januar. CIƆIƆCLXXVII. quem tibi volo laetum fortunatumque, & otioſum, ut tot praeclara, quae parata habes, ſi ultima modo manu perpoliantur, lucem tandem videant.

EPISTOLA CCCCL.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic: Heinſio.

Vianam.

HEri a prandio cum tantum quod meas ad te tabellario tradidiſſem, certi homines ad me pertulerunt, & ab *Odyckio*, & a *Reinſwoudio* nunciatum eſſe nonnullis noſtrorum Procerum, leges pacis, quas Britanniae Rex dixerat, Gallum accepiſſe, iiſque pacem convenire inter Hiſpanos, Gallos & hanc Rempublicam. Conditiones, quas tulit primo per oratorem ſuum Britannus, hae feruntur fuiſſe, quas mitto. Verum perſuadere mihi non poſſum, tot tamque firma ac florentia oppida Regem Galliae hoſtibus ſuis reſtituturum. Itaque creditur, per interpretes hinc inde miſſos in primis capitibus multa refixiſſe Reges, de quibus certiora propediem. Foedus quoque arctiſſimum initum eſt a noſtris cum Anglis, quo omnis fortunae ſocietas & conſortium ſancitur, & hoſtis habetur ab utriſque, qui adverſus alterutram gentem hoſtile quid fuerit molitus. Pacem itaque nos habebimus brevi: ſed miſerrimae Germaniae fata deploro, quae patebit Gallorum furori, & rapinis. Nam per has conditiones Gallo licebit Lotharingiam occupatam retinere, & infeſta ſigna per Germaniam circumferre, quae tot cum ſociis quum par non potuerit eſſe Gallis, qui ſola poterit illorum vim ſuſtinere. Sed hanc curam deo committamus. Vale, vir maxime, & cura valetudinem diligentiſſime. Non ante ipſe recte valebo, quam te valere melius intellexero. Trajecti Batavorum a. d. IX. Januar. CIƆIƆCLXXVIII. Jul.

EPISTOLA CCCCLI.

NIC. HEINSIUS

Joh: Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NON habeo equidem, quod reponam pro nuntiis tam laetis, mi Graevi, quibus per ſe longe longeque acceptiſſimis immane quantum pretii addit facundia narrantis, praeter nudam gratiarum actionem, cum certari inter nos mutuis officiis par ac aequum foret. Id quod perſuaderi tibi haud difficulter patieris, ut credas, ſi cogitabis illam ſolitudinem, in qua nunc vitam traho, nemini hoc in oppidulo familiaris: auguror tandem fore, ut deus calamitatem noſtram miſeratus frangat animos Regum tam ambitioſe in bella generi humano funeſta prorumpentium. Id ſi fit, ad intermiſſa illa Muſarum ſacra audebo fortaſſe denuo adſpirare. Certe primam, quam chartae mandabo, Elegiam ob haec euangelia, tibi Muſarum corculo voveri a me ſcito. Nunc Paterculi locum habe, de quo cum alias inter nos eſt actum, tum hodie denuo is idem cogitationes meas coepit exercere. Eſt autem lib. II. cap. 52. *Neque prius, ne-*

que

que antiquius quicquam habuit, *quam in omnes partes*, *ut militari & verbo & conſuetudine utar*, *dimitteret.* Duplex difficultas hîc aperitur. Nam quid ſibi volunt, *in omnes partes dimittere?* Deinde *dimittere partes* ſi fuit e militari conſuetudine, cur id in Caeſare tantopere nunc commendat? ſed contrarium evincunt Cinnana, Mariana ac Syllana bella, paullo ante geſta, quibus nihil crudelius. Solus divus Julius Caeſar clementer uſus eſt victoria. Totum locum ſic conſtitui: *Neque prius*, *neque antiquius quicquam habuit*, *quam indemnes partes*, *ut militari verbo*, *nec conſuetudine utar*, *dimitteret.* Militare verbum eſt *indemnis*, quo qui uſus ſit ante Senecam filium, apud quem bis terve occurrit, e ſcriptoribus Romanis, haud temere invenias. Poſt Velleji aetatem, qui timide eo uſus, & foro & civitate Romana videtur donatum. Hinc *indemnitas*, quod in Pandectis occurrit. *Militari verbo nec conſuetudine* hoc voluit, eſſe quidem militarem locutionem, ſed non conſuetudinem dimittere *indemnes.* Fac, mi ocelle, te quamprimum videam. Jan. 8. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

RES lactae noſtrae non quidem delicuerunt, ſed tamen litteris recentiſſimis *Beuningii* non confirmantur. Narrant illae Regem Galliarum nondum rejeciſſe pacis leges, ſed necdum ratas habuiſſe. expectare conſeſſum Ordinum Angliae, in quo experturus ſit, num a foedere cum Hiſpanis & noſtris incundo, & a ſententia Regis poſſint deduci. Sed cum tanto Gallorum omnes flagrent odio, magnaque ſit omnium ordinum concordia, non dubitandum eſſe, quin ſummus ille conſenſus aut pacem Gallis ſit extorturus, aut in ſocietatem noſtrarum partium pertracturus arma Anglicana. Μυϛεριῶδες etiam quid, reipublicae tamen ſalutare fertur in illis litteris haberi, quod revelare τοῖς ἐν τέλει piaculum ſit. Sed dies non longa omnia deteget, & ex his tenebris in apertam lucem producet, quae nunc plebs ignoramus. Litteras *Reinſwoudii*, de quibus nuper egi, ipſe legi heri. Sed quicquid narrat, fide narrat *Mareſii*, cui Pariſiis fuerit ſignificatum, Regem conditiones accepiſſe, hujuſque rei nuntios indies ex Anglia expectari. Multi conjiciunt vera narraſſe Pariſienſes litteras ad *Mareſium*, ſed ab ipſo Anglo rem duci, hoc nomine, ut grandis ſumma a Populo Anglicano in belli ſumtus decernatur. Sed quicquid ſit de pace, pauci ſunt, qui non in animum inducant brevi illam nos habituram. quod deus faxit. De loco Velleji propediem coram. Cras enim, niſi quae remora mihi objicietur, te videbo; valentiorem ſpero, quam ante has duas hebdomades. Generoſus *Friſius* tibi ſalutem dicit, & ſcribet ipſe propediem. Vale decus, temporis hujus unicum. Trajecti raptiſſime a. d. x. Januar. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOndum te valetudine & languore hoc levari cum ex tuis intelligo, exanimor, & acerbiſſimo crucior dolore, cui nullus etiam ſuaviſſimarum rerum ſenſus poterit mederi, antequam in melius vertere hanc imbecillitatem tuam cognovero. Vinum medicatum volo & gratum palato, & ſtomacho eſſe ſalutare. Calculos ponemus, ubi ad nos excurrendi tibi dabitur facultas. Te tamen propediem videbo, ſummum, niſi ſpurca haec tempeſtas me remorabitur, proximo die ſolis, utinam valentem & firmiorem quam nuperius. Nihil mihi tuis colloquiis eſt acceptius. Unius horae apud te poſitae ſermones praefero multis Regum & Dynaſtarum noſtrorum coenis. Pacis ſpem fere plane exſpiraſſe noviſſimae *Beuningii* litterae nuntiant. Orator Anglus Lutetiam miſſus re infecta domum itionem molitur. Anglia jam tum, in primis Londinum, fervet bellico apparatu, quem undique Rex ſummo ſtudio congerit: pulveris in primis ex nitro confecti magnam vim coëmit, delectus quoque habentur, ut nullus fere in Anglia dubitet, quin brevi rupto foedere ſit illaturus Gallis ſigna Britannus. Interea nos exhauſtis facultatibus conficimur lento hoc bello. Sed tamen ante proximum Ordinum Angliae conſeſſum, qui a. d. XXVIII. hujus menſis erit, liquidius nobis, pacemne an bellum ſimus habituri, conſtabit. Oſtendae Gallos inſidias ſtruxiſſe litteris Anglorum iiſdem ad nos perfertur, ſed quae irritae fuerunt, quippe detectae. A *Broeckhuſio* heri elegiam habui & ipſe venuſtiſſimam, quam, cum tui complexus mihi copia fiet, tibi recitabo. *Cuperi* obſervationes nondum vidi. Proximus forte auriga illas nobis feret. Danos in Inſula Ruga fuſos funditusque deletos eſſe, ut jam totam inſulam rurſas teneant Sueci, certiſſimum eſt. Rumor, qui Danicarum copiarum dux erat, glande ante proelium trajectus occubuit, tantamque conſternationem & pavorem ſuis offudit, ut mox terga verterent, & aut caederentur, aut caperentur omnes praeter paucos, qui navibus captivitatem necemve effugerunt. Trajecti ad Rhen. a. d. XXI. Januar. CIƆIƆCLXXVII. Jul.

EPISTOLA CCCCLIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PAx a pleriſque habetur deſperatiſſima, poſtquam nunciatum eſt Lutetia Regem Galliae viae ſe dediſſe Metenſi tertio Februarii Gregoriani: fratrem vero Regis cum filio itineri ſe accingere Belgico, quorum tamen poteſtas certis finibus ſit circumſcripta, quos tranſilire illis nefas ſit. Montes Hannoniae obſidebuntur ab his. Interea multi verentur, ne nobis immineat aucto-

ratus a Gallo vicinus Tenčterorum antiſtes, & occaſionem captans diſſidiorum inter Principem & Ordines Friſiae Orientalis ortorum noſtras terras infeſtet, quippe qui in conſcribendo numeroſo exercitu totus ſit & cum Bavaro & Hannoverenſi principe feratur arcanum foedus pepigiſſe. Rex Galliarum dimiſit *Duglaſſium*, & omnes Anglicanos milites ſacramento ſolvit, praefatus ſe illorum opera aequo animo poſſe carere. Vides ergo pacis ſpem conclamatam eſſe, niſi quid ἀπὸ μηχανῆς. In Floro II. 3. in omnibus editis legitur: *Ligures imis Alpium jugis adhaerentes. Ima juga* Latine num dici poſſe credis? Ryck. *inviis jugis* prae ſe fert, quod ego verum eſſe puto. Sequentia fidem faciunt. Te indies volo firmiorem fieri, idque ex te cognoſcere aveo, Vale, meum praeſidium & decus. *Servaeſius* & *Wolzogius* tibi ſalutem dicunt. Trajecti Bat. a. d. xxx. Januar. CIƆIƆCLXXVIII. Jul.

EPISTOLA CCCCLV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

AN' vero de Pace, quam omni jam ſpe amplectebar conclamatum eſſe. Enecaſti me medius fidius tam infauſto nuntio. Jam deſpero fore, ut extendam hoc quidquid eſt lucis in tranquilliora tempora. Sed obfirmemus animum adverſus haec decreta divinae voluntatis, & fortiter feramus, quod amoliri non eſt in nobis. Florum Nanſianum nondum erui e latebris bibliothecae meae; nec poteſt tamen diutius me fruſtrari haud comparendo is liber, niſi periit fortaſſe, quod nolim. Hodie cum Juriſconſultis & Medicis mihi res fuit, quos jam majori ex parte per armaria diſpoſui. Cras Mathematicos & Politicos, & Naturalis Hiſtoriae ſcriptores recenſebo, ſi licebit per valetudinem, quae frequenter interpellabat propoſitum. In Floro, quem tentabas locum, e codice Ryckiano mihi minime ſollicitandus videtur. Ligures enim pars Italiae ſunt, nec in inviis Alpium ſiti, ſed ubi Alpes incipiunt. Recte igitur *in imis Alpium jugis* collocantur a Floro. Nec *ima* iſta *juga* te magis deberent offendere, quam *imus Olympus* apud Valer. Flaccum, non longe ab initio operis,

Atque imum felix verſabat vomere Olympum.

Ubi vides Peliae regnum in imo poni Olympo. Apud Naſon. Epiſt. Acontii corrigebam olim ex optimis membranis

Mille doli reſtant, clivo ſudamus in imo.

Vini medicati copiam majorem ad me mitti velim, & quidem in cupa, ſi tuto poteſt: nam metus eſt a ſiticuloſis iſtis nebulonibus, nautas dico, quibus id cum Tantalo commune eſt, ut mediis in undis areant ſaepe. Si quid mittendum cenſes, (reſtat enim parum ex eo, quod mittebas proxime, & ſtomacho meo potum hunc haud inimicum experior) rationes expenſarum addantur, velim. Vianae. CIƆIƆCLXXVIII. IX. Februar.

EPI-

EPISTOLA CCCCLVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NIhil certius, quam de pace bellove incerta nunc eſſe omnia, & dubii eventus. Litterae, quae proxime Bruxella, Inſulis, Ipris aliiſque Belgii Gallici Hiſpanique juris allatae ſunt, nos fere de pace jubent certos eſſe. Regem enim Galliae, cum ſtaret in procinctu Germanias ſecuturus, ſubito iter diſtuliſſe in diem incertum, nec non fratrem ejus & filium; copias, quae infeſtaſſent Montanum & Iprenſem agrum, in Urbes, quibus praeſidio ſint, dilapſas, ipſasque operas, quas coëgerant ad opus faciendum in obſidendis his urbibus, praefectorum juſſu remeaſſe in ſuos vicos ac lares, denique aulicos Pariſienſes ſcribere nunquam certiorem habitam ſpem pacis, quam cum maxime. Sed cum toties totiesque laetis his nunciis fuerimus eluſi, praeſtat, ut exploratiora expectemus, quam brevi falſi gaudii uſura nobis ipſi imponamus, & gravioris doloris ſenſu non longe poſt fruſtrati cruciemur. Non tamen de nihilo eſt Regem Galliarum etiam nunc moras nectere, nihilque hoſtile tentare, cum omnia ſint expedita ad obſidionem firmiſſimarum urbium. Spem quoque pacis accendit procraſtinatio iſta Regis in itinere Metenſi ſuſcipiendo. Illuſtris *Beuningius* mira narrat de Anglorum ardore, qui omnes fere contendant non conditionibus, ſed armis pacem eſſe quaerendam. In paucis hebdomadis ſe daturos operam, ut exercitus quadraginta millium virorum infeſta ſigna Galliae inferat aut Belgio Gallico. Pacem non ſolum communis rei cauſſa ſummis votis expeto, ſed & ut tandem illam elegiam, qua me beaturum te praedicaſti, videam, cujus deſiderio prope enecor. Valetudinem tuam nunc meliore loco eſſe videor mihi ex tuis litteris colligere, quippe quae docent te Juriſconſultis & Medicis ordinandis in forulis totos inſudaſſe dies, quod argumento eſt te indies firmiorem fieri. Faxit deus, ut brevi plane convaleſcas; quo nihil mihi optatius accidere poterit. Florum Nanſianum doleo nondum in tuas incidiſſe manus. *Ima juga* me alio loco poſita non offenderent. facile tibi aſſentior ea opponi ſummis jugis, ſed cum MS. & alius quoque vetuſti libri excerpta me doceant in illis legi *inviis*, cujus ſcripturae veſtigia quoque deprehenduntur in pleriſque editionibus, in quibus legitur *in imis*, quod cum adverſaretur linguae Latinae, expunxerunt editores poſteriores τὸ *in*, iſtud vero *in* remanſit ex veteri lectione *inviis:* & cum praeterea in ſequentibus Florus doceat illos Ligures, inviis jugis adhaerentes inter Varum & Macram, implicitos dumis ſylveſtribus fuiſſe, ut major labor fuerit illos invenire (vide & ſequentia) quam vincere, facile mihi perſuaſi membranarum lectionem praeferendam eſſe vulgatae, nec poſſum etiam nunc ab hac ſententia deflectere. Vide in cap. ſequente 4. lib. II. *Corpora pluſquam humana: ſed experimento deprehenſum eſt. quippe ſicut primus impetus eis major quam virorum eſt, ita ſequens*

minor quam foeminarum. Alpina corpora &c. Haec verba plane non cohaerent. Quod & *Salmaſius* vidit. Nihil hîc praeſidii in libris. Credo autem duas voculas eſſe trajectas, quas ſi ſuo lecto reſtitueris, & interpunxeris recte, omnia erunt plana & integra, niſi fallor. *Corpora plusquam humana. Sed (experimento deprehenſum eſt) ſicut primus impetus eis major quam virorum eſt, ita ſequens minor quam foeminarum. Quippe alpina corpora humenti coelo educata habent quiddam ſimile nivibus ſuis.* Nunc nihil eſt, quod lectorem poſſit morari. Haec tamen omnia tibi decidenda committo. a tuo dependebunt calculo, ſtarene poſſint, an abjicienda ſint. Vinum medicatum proximo die Lunae curabitur. Nunc per temporis anguſtias & vinarii occupationes non poterat expediri. Vale, ingeniorum Princeps & me ama, ſed, ſi me amas, tuae ſervi valetudini. Trajecti ὡς τάχιςα. cum tantum quod tuae mihi eſſent traditae. Kal. Februar. Julian. CIƆIƆCLXXVIII. Litteras hac veſpera tuas Amſterodamum & Hagam mittam.

EPISTOLA CCCCLVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri a prandio vicinus faber argentarius mihi obtulit emenda ſeptem antiqua numiſmata aurea & aliquot argentea Graeca pleraque majora, ut Lyſimachi, Alexandri, & aliorum, praefatus domi longe majorem illorum ſibi copiam eſſe. Incenſus pulchritudine & elegantia horum nummorum, relictis rebus, illico me in domum ejus recipiebam. Inveniebam centum & ſeptem Romanos omnes pulcerrimos, quorum plerique Julium Caeſarem & Auguſtum referebant, praeter aliquot conſulares, & duos Nerones, unumque atque alterum Veſpaſianum & plures Graecos, quam mihi domi meae oſtenderat. Mirabar tantam copiam & tantum theſaurum mihi offerri, & undenam is in ejus perveniſſet manus quaerebam. Regerebat a puella Batava ignota paullo ante quam ad me veniſſet, haec numiſmata mundo muliebri eſſe permutata, annulo, inauribus, aliiſque hujus generis; pecuniae quoque nonnihil ὑπερμέτρε loco acceſſit, cum ornamenta illa non aequarent numiſmatum pretium. Illico percuſſit animum ex tua pinacotheca eſſe illa ſubducta. Perſuaſi itaque fabro argentario, ut cum uxore mea ad vos excurreret, ut ipſe nummos hos inſpiceres, & ſi tui ſint, curares illi refundi pretium & itineris ſumtus, ſin, ipſe hos ſuſtinebo. Sed ſi ſuſpicio mea me non fefellerit, tuis rebus tibi providendum eſt. Habui heri litteras a Generoſiſſimo *Friſio* Dreſda miſſas, in quibus multa prolixe de te. Sed nunc temporis anguſtiis excludor. Vale, & valetudinem tuam cura. Trajecti a. d. XI. Februar. CIƆIƆCLXXVIII. Faber argentarius detrectat nunc iter. Tres tamen quatuorve nummos uxoris meae fidei commiſit, quos illa feret ad te. Vide ut prudenter & caute rem agas, ſi deprehenderis tuas arcas eſſe compilatas.

EPI-

EPISTOLA CCCCLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS
Nic. Heinſio.

Vianam.

MEcum pranſurus eſt vetus collega meus Dusburgenſis *Cranenus*, ut per ipſum mihi non liceat nunc eſſe prolixo. Recipis hîc tuos nummos. Gaudeo ſingulari fatorum providentia in vicini mei manus eos incidiſſe, & mihi ſtatim ſuboleviſſe furtum. Si alteri argentario fuiſſent venditi, periiſſent tibi. Puella bona fide ſe culpam emendaturam promittit, & rogat, ut hujus criminis graviſſimi in ſe admiſſi veniam apud te impetret, me interprete & deprecatore. Spero illam cum bona mente in gratiam rediiſſe, & tu ut cum illa in gratiam redeas, nec ante juſtum tempus ſe dimittas petit ſupplex. Quaerenda tamen tibi erit diligens & frugi faemina, quae res tuas procuret. Audivi hîc duas commendari, viduam unam, alteram virginem grandem natu, quadraginta annorum, quarum & fides & probitas, & prudentia rei familiaris curandae ſit ſpectatiſſima. De quibus alias pluribus, ſi e re tua futurum id exiſtimas. Vale, meum praeſidium. Trajecti a. d. XIII. Februar. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLIX.

NIC. HEINSIUS
Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PErplexum illud negotium a Laverna domeſtica mihi exhibitum, quod tu & uxor tua feliciter expediviſtis, magnum hoc ipſo cumulum prioribus veſtris in me meritis adjeciſſe credatis velim. Quanquam hoc beneficium pro ſua magnitudine velle commendare, nec hujus loci eſt, nec orationis tralatitiae. Deprehenſam in noxa poenitere facti, ſi quid lacrimis continuis eſt credendum, ſatis apparet. Sed quis ſpondebit non redituram illico ad ingenium ſuum, ſi invitet rurſus occaſio? Verum tota hac de re proximo congreſſu noſtro ut coram inter nos agamus, omnino praeſtat. Heſterno die e Germania ſuperiore litterae a *Carpzovio* & *Daumio* cum libellis nonnullis ad me perlatae ſunt, in quibus quae ad te pertinebant hîc mitto. Addidi & *Fornerii* partem alteram rerum quotidianarum, hodie mihi oblatam forte in armariis, inter rejectitios libellos, tenebris pridem damnatos: quam tibi partem ejus operis tibi deeſſe, ni fallor, e temet non ita pridem cognovi. Ubi interquievero nonnihil ac reſpiravero a cura excutiendae bibliothecae, primi laboris erit perſcrutari ciſtas duas ingentes, quas ſpero Florum Nanſianum, ſi tamen ſalvus eſt, eſſe nobis promturas. Apud Florum lib. II. cap. 4. Τὸ *inviis jugis* velim meliorum membranarum auctoritate fulciretur. Ponit illos inter duo flumina Florus, quo ipſo oſtendit *ima* illos Alpium *juga* inſediſſe. In ſummis

mis enim Alpibus nulli fluvii. *invia* tamen *juga* pro vepre ac ſentibus obſitis interpretari poſſis. Alteram conjecturam in ſubſequenti capite magis indubitatam puto. Plura his addenda nunc quidem non habebam. Vale, flos rerum bonarum, cum tuis omnibus. Vianae ad Leccam. a. d. XXIII. Februar. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NON eſt ut in accepti tabulas referas, quam tibi navavimus, operam in recuperandis nummis antiquis pinacothecae tuae ſubductis. Nec laudem nec gratiam meretur, qui fungitur officio, quod ſine nefario ſcelere praetermittere non poteſt. Secundae debes fortunae, quae vicino noſtro hoc argentum objecit, qui ſpe lucri uberioris id illico mihi emendum offerebat. *Daumius* in litteris, quas mihi miſiſti, queritur furto ſibi quoque ciſtulam plenam antiquorum numiſmatum eſſe ablatam. Lavernam domeſticam, cum tot dierum ejulatu noxam expiet, ad bonam frugem ſe recepiſſe ſpero. Si quibus olim ſerviit, hujus criminis comperta fuiſſet aut ſuſpecta, difficilius fidem emendationis inveniret. Nunc vero videtur illam abſtuliſſe ſpes impunitatis, quam illi promittebat ſuſpicio furti, in quam venerat puella nuperius exacta domo tua. Sed de his cras pluribus, ſi deus volet, agemus coram. Pro *Fornerii* rebus quotidianis mihi donatis, quae mihi longe fuerunt acceptiores iis libellis omnibus, quos amici noſtri miſerunt, plurimum tibi debeo. Spero Florum tandem Nanſianum ex latebris te protracturum, ubi cupas releveris, quas nondum excuſſiſti. Generoſiſſimus *Friſius* in litteris, quas nuper habui, haec de te: *Nobiliſſimo Heinſio, cujus incomparabilem parentem Lugduni olim adoleſcens colui, ipſum vero tot raris atque eminentibus animi ingeniique dotibus conſpicuum, orbique jam notum, amo aeſtimoque ex merito, plurimum a me affectum officioſe deferri data occaſione pervelim. Ei firmiorem valetudinem opto ex animo. Viri Illuſtris Rutgerſii effigiem, elogio Heinſiano inſignem, plane exoſculor, varias illius lectiones jam olim in mea hac quantulacunque bibliotheca ſervans, quanquam per temporum horum pluſquam ferreorum calamitates, Bellonaeque furores omnium bonarum artium exitio natos, perraro admodum nobis tam beatis eſſe liceat, ut ad Muſarum amoenitates, priſtinos amores noſtros, vix etiam vel limis reſpicere audeamus. Quare felicem praedico illuſtrem Heinſiadem noſtrum, cui relictis publicis curis ſecure jam frui otio contigit, quo nos anxie, ſed fruſtra adhuc anhelamus. Trelſchius* quoque te ſalutat, ex cujus noviſſimis intellexi *Marquardum* noſtrum gratia Principis excidiſſe, & curis ac moerore confici. Ex Daumiana tamen epiſtola vidi illum cum *Arnoldo* Norimbergenſi aliiſque meis civibus litterarum exercere commercium. Nos omnes ex ejus videmur effluxiſſe memoria. Egit mecum *Daumius* de loco Propertii

Om-

Omphale in tantum formae proceſſit honorem.

Ut de altero *Ite rates curvae & leti texite cauſſam*, in quibus cenſet hiatum eſſe, & male in utroque verſu fulciendo laborare viros doctos, male quoque ſecundum ab ultima corripi in *Omphale* a *Lipſio* & aliis. In Catullo quoque contendit *pulvis* eſſe ſecundi caſus in iſto verſu: *Ille pulvis Erythraei*, quem [1] locum heri reperire non poteram. Sed malo de his tecum fabulas ſerere in noſtro congreſſu. De pace & bello nondum res ad liquidum eſt deducta. Videntur Galli diſcordias ſeviſſe inter ordines & Regem, & nuncii publici ad nos perferunt, & Regis reſponſum ordinum deſideriis repoſitum videtur prae ſe ferre. Niſi haec animorum diſſenſio ſopiatur tempori, non eſt ut pacis ſpe nos lactemus. Sed omen deſpuo, & laetiora indies expecto. Vale, vir ſumme. Trajecti a. d. XVI. Februar. CIƆIƆCLXXVIII.

1 eſt Carm. LXI. 106.

EPISTOLA CCCCLXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

NE tu & uxor tua, quorum cauſſa nihil non volo, forſan arbitremini eſſe mihi ingenium atrox & inexorabile, ignovi hodie Lavernae noſtrae crimen admiſſum, ſed ea lege, ut ſi quid tale peccet in poſterum, vel minimis in rebus, nullam ſibi ultra ſpem veniae relinqui ſit certum. Si parum lauto convictu excepti eſtis heſterno die, ut profecto eſtis, ne tamen omne itineris ſuſcepti inſtitutum perperam ceſſiſſe jure conqueramini, veſtris precibus meam hanc, ſi qua eſt, clementiam referri acceptam ſcitote. Florum Nanſianum hîc mitto, utinam meliorem, & qualem tibi eram pollicitus. In nonnullis tamen fore tibi haud inutilem ſperari poteſt: addidi & alterum, qui nomen *Chriſtiani Puteani* praefert, & *Kycquium* de Capitolio, diu promiſſum. Vale, decus grande, & columen artium bonarum: Vianae, pridie Kal. Mart. Gregor. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

BEnignitatem tuam, cui inſtar patris indulgentis pro magno peccato paullulum ſupplicii ſatis eſt; laudo ac magni facio, eamque ſpero tibi non futuram fraudi. Nam viſa mihi eſt tua Laverna bona fide reſipiſcere, & culpam in ſe admiſſam ſeria poenitentia ejurare, & id nunc meditari, ut in poſterum frugi ſit, & fide, obſequio, ac cura memoriam etiam hujus criminis aboleat. Faxit deus, ne nos deprecationis, te veniae datae ſupplici poeniteat. Cum

Cum nos tam opipare nuper exceperis, miror te tenuem apparatum excuſare. Quid enim illo gallo Penthiaco, ne de aliis dicam, potuit eſſe lautius. Epulas ſane tuas Sybariticis menſis longe antepono, quippe quas condis mirifica ſuavitate, lepore, doctiſſimisque fabulis, & tam laeta fronte, quibus ſi ſaepe mihi frui liceret, Jovi ſuum nectar & ambroſiam non inviderem. Generoſiſſimus *Friſius*, qui iter adornat in Angliam, & Italiam, proximo die ſolis te inviſere conſtituit. Comitem ſecum adducet *Maerſebroeckium*, & rogat ut ipſe ſimul excurram, & aditum ei ad tuum congreſſum & benevolentiam patefaciam. Patri ejus ſi quid volueris renunciari, cras, ſi reſcivero, litteris, quas ad ipſum dabo, intexam. Pro *Ryckii* Capitolio quasnam grates tibi rependam, tot antea donis & muneribus, quibus meam locupletaſti bibliothecam, auctus? Vide quo impudentiae progrediar. Audeo enim fiducia tuae in me tam prolixae voluntatis a te petere, ut ſi inter libellos, quos emiſti Coloniae, nonnullorum duo habeantur exemplaria, unum mihi vendas hac lege, ut pretium, quod pro illis dediſti, tibi renumeretur. Vidi, niſi fallor, in tuo Muſaeo ejuſdem *Ryckii* de anno Jubilaeo duos codices, quem dudum fruſtra quaeſivi. Si unum mihi volueris vendere, alia conditione non accipiam, & haec nova erit tuorum in me meritorum acceſſio. Holſteiniarum annotationum ſpecimen videre quoque cupio. Redibit ad te brevi. Floros nondum mihi per occupationes licuit excutere. Multa tamen jam in recentioribus editionibus occupata video, dum fugientibus oculis, ut ajunt, illum Nanſianum delibo. Cras videbis reducem ex Anglia *Grundeſteinium*, qui tibi narrabit ſecundum *Voſſium* eſſe pronunciatum in Anglia. Propediem eo ſe rediturum ait captum deliciis Anglicanis. Vale, vir Nobiliſſime & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XIX. Febr. CIƆIƆCLXXVIII. Jul. De pace & bello nihil etiamnunc explorati habemus, quod ſcribamus. Namurcum obſideri alii ajunt, alii negant. Pacis tamen multi adhuc ſpem fovent.

EPISTOLA CCCCLXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PRoximis literis meis reſtabat agi de Tibullianis locis, quos metuo ne amicus noſter fruſtra tueatur. Quod tunc intermiſi, faciam propediem: nam nunc per anguſtias temporis ab incepto revocari me nolim & invitus. Quod cis triduum proximum te nobis adfore ſpondes, cum amicis nonnullis, eritis profecto hoſpites gratiſſimi, modo ne faſtidiatis vilem plebejae menſae apparatum. Itaque amplector ambabus ulnis promiſſi reum, teneoque, nec elabi te nobis ſino, niſi pollicito fidem addideris. Ad virum Illuſtriſſimum *Henricum Friſium* cum ſcribes, vide, quaeſo, ne quid obliviſcaris illi me commendare, & quidem de meliori nota. Hoc enim quin & cum facundia pari adfatim ſis facturus, haud dubito, modo cogites inter ſcribendum, id me uti faceres obnixiſſimum in modum a te contendiſſe. Erit id ipſum mei officii pro-

propediem, ne ſuperbius feciſſe videar, quod te vicario nunc utar: colo enim aeſtimoque hunc virum, ut qui maxime. Idque non tam paterno judicio a me datur, quam ſingularibus viri meritis, cum ſenex noſter ex omni nobilitate externa, quos ſtudiorum cauſſa confluxiſſe Leidam eo vivo recordor & valente, nullos aeſtimarit aeque, ut hunc ipſum, de quo mihi ſermo eſt, & *Bogeſlaum* Comitem de *Leſna*. Ante hoc quinquennium cum in Germaniam ſuperiorem, ut potes meminiſſe, me contuliſſem, arcanis Procerum noſtrorum mandatis inſtructus, bis per litteras occaſione tum opportuna arrepta, virum omni veneratione mihi proſequendum ſum veneratus. Sed epiſtolam poſteriorem non perlatam fuiſſe, quo deſtinabatur, eſt cur rear. Utinam complures, tanta bonarum artium cognitione praeſtantes, viri per Europam in aulis principum pari auctoritate ac gratia nunc viverent, multo utique melius ageretur cum re litteraria. Sed haec non ſunt hujus loci. III. Mart. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ETſi reipublicae tempora dubia & difficilia rerum omnium jucundarum hilaritatem deleant & extingant, mirifice tamen etiamnunc ſuaviſſimarum tuarum epularum, quibus nos nuper excipiebas, memoria nos oblectamus, & rerum triſtium, quae narrantur, acerbitatem lenimus. Pro quibus quas gratias tibi debemus, facile perſpicimus, ſed quo eas exolvere poſſimus, nullam invenimus viam, nullam plane. Gratos tamen & memores ut nos cognoſcas, rogamus ut propediem nos inviſas. Gandavum a Gallis captam nemo prudentiorum dubitat, etſi tegatur publice. Agrum Clivenſem infeſtaſſe ſatis magnam Gallorum manum ad extorquendam imperatam pecuniam, multorum litteris ad nos perfertur. Hinc tres viri nobiles, inter quos *Amerongius*, ab Ordinibus & Principe miſſi ſunt ad Sicambros, qui in tutelam noſtrorum finium arment cives & ruſticos. Sed nec domi laetius res proveniunt. ὁ ποιμὴν λαῶν fremens & indignans fertur nuperius domo profectus eſſe, quia οἱ ἐν τέλει Batavi noluerunt accipere leges foederis Anglicani & probare, quod inſcriptio earum praeferat non ſolum nomina Regis & Ordinum, ſed & Principis, quod non rite, ſed contra mores legeſque patriae reliquis adtexi primi in Ordinum conſeſſu Amſterodamenſes dixerunt. Hanc quaſi mappam cum illi miſiſſent, novem urbes in illorum iverunt ſententiam, pluriumque ſuffragia narrant viciſſe, nomen ultimum eſſe expungendum, idque tuliſſe quidem τὸ παμμέγαν, ſed aegerrime. Potes hinc exiſtimare, quantum iſta diſcordia malorum, niſi Deus providerit, ſit nobis importatura. Tuas neceſſitudines ſpero jam haerere in tuo complexu. Rogo ut ſalutem iis meo meaeque uxoris nomine dicas, ac quamprimum Amſterodamo reverterimus, quo proximo die Veneris nos conferemus, redituri, ſi deus dedit, futuro die lunae, ut ad nos excurratis rogamus. Amſterodami ſi quid curari velis fac cras, aut ſumme perendie, reſ-

ciſcam. Ante primam pomeridianam non conſcendam. In Floro lib. II. cap. 12. num probas *nomenque epiſtolae notaret ſuum*, pro adſcriberet epiſtolae nomen ſuum? Mallem *epiſtolae* deleri. In ejuſdem capitis fine legitur: *cujus ſpectaculo triduum impleverit*. Sed quid eſt *ſpectaculo*, *aut aliqua re*, *diem implere?* Num Latinorum quiſquam ſic locutus eſt? Cogitabam: *cujus ſpectaculo triduum impenderit*. Sed tu videbis. De locis Propertianis, de quibus amicus noſter ſcripſit nuper, tuam quoque ſententiam expecto, & *Ryckii* annum Jubilaeum, nec non Juriſconſultum illum de jure multorum librorum, quo me non poſſe carere nuper ajebas, ſed hos nulla alia lege mihi volo mitti, niſi ut pretium, quod pro illis expendiſti, recipias. Rutgerſianas quoque Venuſinas lectiones, ejuſdemque excerpta ex marginibus librorum Scaligerianorum olim te mecum communicaturum fidem dediſti, ſi in illa incideris, quaeſo ut eam liberes. Mea ſupellex tenuis, cum ad nos veneris, tibi viciſſim patebit. Mitto nunc Topica Theologica Perionii, & ſpecimen notarum Holſtenianarum. Alterum folium, cum eodem ſit exemplo, retinui, te, credo, non invito. Vale, ingeniorum & amicorum ocelle, & me ama. Trajecti Batavorum a. d. III. Kal. Mart. Julias CIↃIↃCLXXVIII. Rogatus hiſce diebus ſum, ut apud te inquirerem, num quaedam Cypriani habeas opuſcula manu exarata, aut editiones cum codicibus antiquis compoſitas.

EPISTOLA CCCCLXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EN tibi faſciculum a *Cupero* deſtinatum, quem modo accepi. Habes hic etiam excerpta ex litteris *Magliabechii* & *Aproſii Vintimigliae* ad *Jacobum Gronovium* exaratis, ſed quae ad te pertinent, quaeque is mihi ad te curanda miſit, quibus ſi quid reponi velis, ubi mihi mandaveris, recte curabitur. Utinam, antequam viae me craſtino die dem, ex te cognoſcerem aliquid tuo nomine Amſterodami procurandum. Nova num quae circumferantur ignoro. Pedem enim ex Muſaeo nec hodie extuli. Vale, & Nobiliſſimam & elegantiſſimam *Goeſiam* ac ejus fratres, ſi tecum ſunt, noſtro nomine ſaluta. Trajecti prid. Kal. Mart. CIↃIↃCLXXVIII. Jul. *Cuperi* obſervationes procul dubio hic faſcis feret, quas fere totas perlegi. *Jac. Gronovii* epiſtolas, in quibus de variis locis Livii diſputat, propediem videbis.

Circa alle Poeſie di Monſig. Veſcovo e Principe di Paderbona, *la prego con ſuo comodo, a far ſapere al ſig.* Einſio, *ch' io in niuna maniera non ſono per chiederle al ſig.* Dati. *Stimo come ricevuto il favore, e gliene rendo grazzie appunto nell' iſteſſa maniera, come ſe aveſſi avuto il detto libro, ma certo, come ho dette, ch' io non ſono per chiederlo al detto* Dati. *Ne per un libro, ne per mille, voglio mettermi a riſchio di ricevere una grandiſſima mortificazzione, e che l' detto ſig.* Dati, *come facilmento mi riuſcirebbe, mi riſpondeſſe, è che il Libro non ui è, ò che non me lo vuol dare, o coſa ſimile. Sò che non ne hà*

vo-

voluti rendere alcuni, che erano del Ser. e Rev. Sig. Principe Cardinal Leopoldo *di glorioſa memoria. Si che non hà voluto pagare il ſig.* Aniſſon *de Lione, che avera ad avere di Libri molti danari, ed era venuta quà quaſi appoſta per tale effetto. Sò che hà negato dimandare a Roma i libri mandati dal medişimo ſig.* Einſio, *onde conſideri V.S. ſe ſia bene, che io mi impegni a chiedergli quel Libro. Come ho detto, la ſupplico con ſuo comodo a far ſapere al ſig.* Einſio, *che ſtimo l' onore ad ogni modo, come che ſe l' aveſſi ricevuto, e gliene reſto con le medeſime obbligationi.*

Ex litteris Angelici Aproſii Vintimigliae ad Jacobum Gronovium 12. Januar. CIↃIↃCLXXVIII.

Non ſará difficile, che vegga il ſig. Nicolò Heinſi: onde la ſupplico a parteciparle mei hum. oſſequii qui con ſupplicarla dell' honore de ſuoi da me ſtimatiſſimi comandi la riveriſco, e per fine rimango.

EPISTOLA CCCCLXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

REdux Amſterodamo vehementer aveo non ſolum cognoſcere, ut nunc valeas, ſed & te videre & in hac urbe complecti. Rogo ut cum tuis neceſſariis quamprimum advoles. Venietis ſane gratiſſimi & deſideratiſſimi. Animos Amſterodamenſium ita fregerunt Gandavum & Brugae captae, ut fere conclamatam patriae ſalutem habeant, & proditionis neſcio quos ſuſpectos. Vereor ne civiles motus, quod omnium malorum graviſſimum, oriantur, & inteſtinis diſcordiis pereamus. Sed Deus ἀπὸ μηχανῆς nos explicabit. *Francius* & *Wolzogius* tibi ſalutem dicunt plurimam, & proximis Paſchalibus tibi condicent. Vidi Amſterodami *Pinedi* Stephanum jam conſummatum. Soli indices reſtabant edendi, qui tamen ſatis ponderoſi erant. Epiſtolas *Jacobi Gronovii*, in qua nonnulla Livii emendat loca, hac, credo, videbis hebdomade, ut & patris orationem de lege Regia, quae Lugduni editur. Propertii loca, de quibus nuperis in epiſtolis agebas, mirifica dexteritate reſtituiſti. De primo certe nulli dubitare licet. Sententia iſtius verſus, ut nunc editur, eſt fatua. Aſſentior etiam tibi *Omphales* nomen eſſe corruptum, & e gloſſa natum. Quae pro illa voce ſubſtituis, ferri poſſunt. Num ipſa verba ſint Propertii, nemo affirmarit. Sed quid dicis de illo Catulli: *Ille pulvis Erythraei?* Plura vellem, ſed differo in noſtrum congreſſum. *Servaeſius* morbo correptus eſt ſatis gravi, ad quem heri *Broeckhuſius* miſit eclogam perquam venuſtam. Vale, ingeniorum Phoenix. Trajecti Batavorum a. d. VIII. Mart. CIↃIↃCLXXVIII. Jul.

EPISTOLA CCCCLXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

GAndavum nobis periiſſe jam ex publicis nuntiis edocti, de Brugis meliora ſperabamus. Sed ſi vera ſunt, quae tu Amſtelodami audita ad me perſcribis, etiam illae in perditis numerandae ſunt. De patria parentis mei, & tot neceſſitudinibus, quae hoſti in praedam nunc ceſſere, caſum indigne fero. O domus Anci! Sed valeant haec funeſta: & ſi ruina fortunarum omnium nos manet, ne nimium & intempeſtive adfligamur ante diem, potius occupentur curae ac cogitationes in complexu Muſarum cum Eumolpo Petroniano, ut dolor nil profuturus fallatur hoc ſolatio. *Omphales* nomen in hexametro Propertiano ſupervacuum eſſe, idque ex proxime ſubſequenti pentametro ſatis liquere, gaudeo tibi perſuaſum. Saepe hoc modo peccatum ab indocta manu in optimo quoque veterum ſcriptorum. Habeo & illud valde ſuſpectum in eadem Propertii Elegia.

Perſarum ſtatuit Babylona Semiramis urbem.

Cum Aſſyriae potius urbs ſit, quam Perſica Babylon, etſi in jus Perſarum ceſſerit. Deinde *ſtatuit* odioſe hîc inculcatur, cum idem verbum praeceſſerit paulo ante. Malim & mox,

Ne poſſent tacto ſtringier axe latus.

Tum, *Duxit & Euphraten medium, quam condidit, arci.*

Tum denique quae eſt iſta ratio Latinitatis, *opprobria vexerat?* Sed haec majori otio curatius diſcutiemus. Vale, flos hominum elegantiorum. Vianae XVIII. Martii CIↃIↃCLXXVIII. P. S. Robertus noſter cum febri tertiana jam laboret, vix eſt, ut ad vos excurramus. Tu potius vide, ſi res tuae ferant, ut nobis adſis quamprimum.

EPISTOLA CCCCLXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PUblici Amſterodamenſium nuntii modo ad nos perlati rumores, qui & hîc & Amſterodami de Brugarum deditione fuerunt jactati, & ab omnibus crediti, refellunt: Ypram ſerio narrant obſideri. Noſtris tamen hominibus perſuaderi non poteſt Brugas nondum in Gallorum ditione haberi. Certiora mox dies docebit, & forte laetiora. Praeſtat tecum μουσουργεῖν, ut animus ab harum calamitatum, quae vicinos premunt, & nobis videntur impendere, cogitatione abducatur. Exitus enim harum rerum ἐν θεοῦ γούνασι κεῖται. Forte καὶ τρώσας ἰάσεται, modo nos de ejus pace impetranda ſerio cogitemus. In Pro-

per-

pertii verſu perplacet venuſta illa ἐπεξήγησις, quam nonnullos tam manu exaratos quam editos libros prae ſe ferre ais. Utraque manu hanc ſcripturam amplector.

Ite, rates curvae, lëti contexite cauſſam.

De locis aliis in eadem elegia, quae ſuſpecta tibi merito videntur, agam alias. Nunc enim quae has feret, inſtat & itineri accincta nullam fert moram. Nobiliſſimi *Goeſii* valetudo mirum in modum me affecit. Deum precor, ut propediem confirmetur. Mihi cras non licet abeſſe domo. Scis te dudum fidem dediſſe te propediem nos inviſurum. Nunc rogamus te & obteſtamur, ut cum tuis neceſſariis quamprimum advoles, & fidem datam liberes. Nihil nobis poterit optatius accidere. Vale & veni. Noſtri omnes vos ſalutant. *Servaeſius* hodie paullo meliuſcule habet. Iterum vale. Tra. a. d. IX. Mart. CIƆIƆCLXXVIII. Perfertur libellus iſte mihi ad te curandus Auctoris nomine, cum plurima ſalute, quem non auſus ſum diutius retinere.

EPISTOLA CCCCLXIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

GRonovianum libellum tua opera modo accepi, in quo ſane non pauca eruditionis reconditae argumenta continentur. De loco Phoenicis Lactantiani alias agemus illic tentato, ut opinor, non ſatis feliciter. Auctorem ipſum quiſquiliis meis non ejuſdem monetae remunerabor, ubi prodierit Vellejus, quem metuo, ne praeter exſpectationem meam ac votum moretur *Elzevirii* ſubitanea in Britannos profectio. Generoſum *Friſium* carceri apud vos mancipatum famulus ejus hîc profugus ex urbe veſtra hodie nobis ſignificavit, cujus rei nullam omnino tuae faciunt mentionem. Cras liberi Goeſiani abitum hinc auſpicabuntur, ſed qua via nondum ſatis deliberatum. Ego ne illos ad vos perducam, per valetudinem fit dubium nec ſatis confirmatum: quo ardentius te apud nos complecti geſtio quam primum. De *Pulvere Erythraeo* apud Catullum non habeo quod dicam: nam *pulvis* ſecundo caſu enuntiandum illic non perſuadeor, ut credam. Inſpiciam codices meos, ſi quid inde auxilii adfulgeat. Nam *Scaliger* & *Statius Achilles* e ſuis nihil proferunt, quo multum juvemur. Interim alium Catulli locum habe e nuptiis Pelei & Thetidos,

Soſpitem & ereptum ſe oſtendit viſere portum.

Peſſimus profecto verſus optimi Poëtae. Sed quis credat tale quid ab illo ingenio tam polito profectum, quod ne quidem ſit Latinum: *ereptum* enim, pro periculis ereptum, quis dixit veterum? nec illud *portum* ſatis exprimit mentem Auctoris. *portum patrium* vel *Piraeum* debuit dixiſſe, vel quid ſimile. Deinde *Soſpitem & ereptum portum* obſcuram verſas ambiguitatem indicant: quid, quod potiores ſcripti *erectum*. Scribo,

Soſpitem Erechthaeos ſe oſtendit viſere portus

Vale. Vianae 24. Mart. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri tuos ex ſorore nepotes vidi, ſed quos expugnare non potui, ut hunc diem & craſtinum nobis darent. Sed accelerato diſceſſu hodie hora octava ſcapham Lugdunenſem conſcenderunt. Fuerunt ſane mihi gratiſſimi, ut omnes tui, & qui tuo nomine me ſalutatum veniunt. Sed laetiorem illorum adventum mihi tuus reddidiſſet congreſſus, cujus ſpe ſuſtentabar. Doleo vero incredibiliter per tuam valetudinem lubricam & fluctuantem mihi non licuiſſe tam beato eſſe, ut voti hujus damnarer. Si a gravedine & tuſſi, quae me infeſtat, potero impetrare, ut cras domo pedem efferam, in tuos deſideratiſſimos complexus ruam. Hodie litteras habui a *Trelſchio*, qui te juſſit verbis amantiſſimis ſalvere. Quae de *Gudio* narrat, ex me praeſente cognoſces. Videntur ei omnes viae ad reditum in gratiam cum Principe, cui ſe manciparat, eſſe occluſae. Quae de carcere generoſi Juvenis ſparſerat ſervus, vana ſunt. Tres horas ejus aſſederunt cubiculo duo apparitores urbani, qui, ſimul ac ſe vadimonium obiturum dato vade promiſit, ſubmoti ſunt. Praetor ei & *Scheelio* Dano diem dixit de multa pendenda, quia dicuntur in ſphaeriſterio male mulcaſſe moleſtum aliquem & laſcivum adoleſcentem Trajectinum. Sed de his coram, ut ſpero. Collapſa pacis ſpes coepit ab aliquot diebus hominum plurimorum ſermonibus redintegrari. Filius *Zulichemii* natu maximus Lutetiam remigraturus litteras commeatus petiit ab oratore Gallorum *Colberto*, qui reſpondit, ſi menſem unum iter differret, forte non opus habiturum hac auctoritate Ypram tamen obſideri certum eſt, & Regem cum Regina in Galliam revertiſſe, parte copiarum miſſa in Germaniam. Angliae ordines ſanxerunt proximo triennio nullas merces Gallicas in ſuae ditionis terras importandas eſſe. Plura vellem, in primis de tuis emendationibus Catullianis certiſſimis & pulcherrimis, ſed avocabar, & inſtat quoque hora diſceſſus veſtri tabellarii. Differo itaque in noſtrum congreſſum, aut litteras proximas. Vale, Phoenix eruditorum. Trajecti a. d. XVI. Mart. CIƆIƆCLXXVIII. ὡς τάχιςα. Meminiſtin' proximo die Lunae *Eſſenii* libros vendi?

EPISTOLA CCCCLXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NEc ventus acrior heri me retinuit, nec valetudo, ſed amici Trevirenſis nec opinus adventus, qui diem heſternum nobiſcum exegit. Tranſiit hic quoque hiſce diebus Baro *Kniphuſius*, & a me petiit, ut tibi ſalutem dicerem ejus

ejus nomine, & quidem amantiſſime, ſeque jam olim tui complexus fuiſſe cupidiſſimum, & ſemel iterumque te Vianae fruſtra quaeſiviſſe. Nunc valetudine conflictatur gravi ſatis & diuturna, quae vires ejus omnes exhauſit. A Sereniſſimo Principe litteris non unis contendit, ut ſibi propter afflictam valetudinem liceat ab inſtantis expeditionis muneribus immuni eſſe, ſed commeatum non potuit impetrare. Hinc nuperrime flagitavit, ut ſacramento ſolveretur. Expectat nunc reſponſum. Dimiſſus & ſanitati reſtitutus iter faciet ad matrem in Sueciam. Ipram expugnatam eſſe nemo dubitat. Pacis ſpem etiam nunc fovent plurimi, iique primarii hujus rei publicae viri. Sunt tamen, qui quovis pignore contendere parati ſunt, tribus quatuorve diebus famam belli ab Anglis indicti Gallis ad nos perventuram: id ſane ex ore legati Anglici Bruxellis agentis ſe accepiſſe mihi affirmabat Trevirenſis ille, qui heri me inviſit, & Bruxella, quo publice miſſus erat, revertebat Treviros contendens. Sed tune falles ſemper noſtra vota; nec patieris permoveri, ut ad nos excurras aliquando? Si diem dixiſti itineri huic & horam, praeſto erimus cum curru, quo perferaris in noſtram domum. Emendatione tua in Catullum

Soſpitem Erecthaeos ſe oſtendit viſere portus

nihil divinius potuit excogitari. De altera emendatione, de qua in litteris, quas hodie accepi, egiſti, quamvis valde blandiatur, ampliandum duco; nam haec depropero, cum domum ex auctione rediiſſem, & vix tantum temporis ſupereſſet ad hos paucos verſus exarandos. *Gualteri* Alexandreida tibi vindicaram, antequam tuas videram. Nam nuper hujus libri mentionem faciebas. Ceteris, quos tibi parari velis, appone quaeſo pretium. Satis care nunc libri veneunt. Vegetius erat antiqua Colonienſis editio non magnae rei. Vale, vir Excellentiſſime & me ama. Trajecti a. d. XVIII. Mart. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DUm tu me demereris aſſiduus, nuntiando ea, quae in re qua literaria, qua politica geruntur & militari, non habeo ego, quod reponam hîc tibi, mancipatus, ut ſcis, ſolitudini. Ne tamen videar gratiam corrumpere, mearum nonnunquam quiſquiliarum copiam tibi facio, quod propoſitum nunc quoque tenendum mihi videor, accepto per te nuper libello Geographicarum obſervationum, pereruditо ſane. Nam quod ibi viros litteratura praeſtantes nonnullos ſibi proponit exagitandos, ſolitum facit. In *Meibomio* maledicentiam dum non ferre ſe profitetur, hoc tanto conatu agit, ut *Meibomio* hîc ſit ſimillimus. Sed iſta non ſunt noſtri fori. Lactantii carmen de Phoenice fruſtra ab illo tentatum quod promittebam nuper oſtenſurum me, id nunc tui facio judicii. Verſus ſunt hi,

Protinus inſtrato corpus mutabile nido,
Vitalique toro membra quieta locat.

Pri-

Primo antequam refellam nuperum caſtigatorem, quid curis ſecundis nuper hoc loco ſim commentatus audi. Poſteriore verſu *membra* illa *quieta* parum ad rem faciunt: legebam igitur una litterula detrita *membra vieta*, quae & apud Horatium occurrunt. Deinde Voſſianus codex longe antiquiſſimus, qui ſolus hîc audiri meretur, cum caeteri ſunt notae recentis, *Protinus inſtractis corpus mobile nido*, pro *inſtratis*. ubi inſtrata nido, ſunt, quae paullo ante recenſentur, aromata. pro *corpus mobile* videtur ſcribendum, *corpus male mobile*, vel *jam debile*. Sed prius praeſtat, quod *vietis membris* reſpondet. Nimirum jam ſupra dixerat,

Ac ſe reddiderint ſaecula longa gravem.

Eleganter autem *vitalem torum*, quomodo *mortualem torum* veteres ominis cauſſa dixiſſe liquet, e Seneca & fragmento Petronii Traguriano, quo hîc alluditur, ſed ita ut revera torum vitalem deſignet, in quo moriatur Phoenix, ut reviviſcat. primo deſcribit nidum Phoenicis, quem cum alii e turis virgis conſtruant, non addit noſter, e qua fiat materia. Dein varia recenſet aromata, quibus nido inſtratis, tanquam toro mortuali, membra ſuperponit. *Nidus ſtactes* ineptus eſt. Nam ſive vult nidum ipſum Phoenicis e ſtacte conſtructum fuiſſe, id ſupra, ubi nidum deſcribit, debuerat dixiſſe. Sive refert ad aromata nido inſtrata, bis idem dixerit Lactantius. Stacte enim nihil aliud, quam lacryma. Myrrhae autem mentio jam facta, quam cum panacea conjungit. Quid? quod e lacryma myrrhae nidus conſtrui non magis potuerit, quam e lacryma turis. Omitto *corpus dotabile* vix Latine dici, nedum ut dictum ſit a Lactantio, quem inter patres Eccleſiae antiquos nemo ſermonis nitore ſuperavit ac elegantia. Nam Lactantio id carmen Voſſianus quoque codex vindicabat, ut mirer *Sirmondum* Theodulo id velle adſcriptum. certe gemmae occurrunt in illo carmine plurimae e vetuſtis petitae ſcriptoribus, de quibus *Theodulum* nunquam cogitaſſe ſum certus. Tale illud ipſo carminis initio. *Maxima porta poli.* Amicus tamen tuus, ne qua in re mihi aſſenſum daret, Lactantii foetum eſſe fateri noluit, cum tamen ſub Lactantii nomine circumferatur in vetuſtis quoque editionibus. Nec audio reponentem *muneribus* pro *funeribus* in Naſone, ex paterna conjectura: nam *funus* pro exequiali pompa frequenter apud veteres ponitur, quomodo Donatus ad Terentium, ad Maronem Servius interpretantur. Hinc *facere* & *conficere funus*, *amplum funus facere* in Epiſtolis Ciceronis. Idem pro Cluentio, *fecit de integro funus jam ſepulto filio mater.* Unde liquet *Lindenbrogium* alioſque perperam illa quoque Naſonis tentaſſe, Metam. III.

Dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Vale, Vianae Kal April. CIↃIↃCLXXVIII.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NAE tu nugas & fabulas vulgi, quas ad te perſcripſi, praeclaris muneribus ex interioribus illis & reconditis Muſarum penetralibus petitis penſas, ut nemo te ſit liberalior & benignior, nec me quiſquam felicior, qui officio tantillo tam pulchram & eruditam diſſertationem de Elegia Lactantii de Phoenice meruerim, ex qua tam multa didici ante mihi incognita. Non licet nunc mihi quidem excutere accurate, quae de loco illo inſigni obſervaſti, & prioribus curis adjeciſti, per temporis anguſtias, prima tamen fronte plurimum eruditionis & veriſimilitudinis videntur prae ſe ferre. Cras ſpero, me pluribus tecum agere poſſe de hoc aliiſque locis. Amici noſtri aſperitas vix poterit leniri; nam ne tot hominum inimicitias ſuſcipiat rerum tenuium cauſſa, ne tam acerbe in quoſvis incurrat, ſaepius a me monitus eſt & ſermonibus & litteris. Sed antiquum obtinet. Clementis catalogus num poſſit haberi, inquiram ſedulo, &, ſi poterit haberi, ejus tibi copiam faciam. Abbas Cluniacenſis & Innocentius III. pridie venditi ſunt, ſed emtor nondum potuit inveniri, quia ejus nomen a ſectore non eſt inſertum tabulis, praeſente enim pecunia hos libros emit. Ex Germania perlatum eſt ad Ordines litteris publicis miſſis a *Falconerio*, qui Francofurti res Ordinum procurat, Bavarum tandem partibus Auſtriacis ſuam operam addixiſſe & ſubſidium: in Anglia inſtrui bellum acerrime, & nunciis, qui viderunt, & litteris ſignificatur Anglorum. Multi hinc ſpem pacis brevi conventurae concipiunt. Sane Conſul Amſterodamenſis *Huddenius* cognatae ſuae hîc agenti nuper ſignificavit, & *Patius* Rotterodamenſis id ipſum quoque ad filium ſuum hîc litteris deditum ſcripſit, pacem ſatis exploratam eſſe. Regem tamen Galliarum ajunt montes Hannonicos aut obſediſſe, aut ad eos obſidendos Ipra expugnata cum copiis proficiſci. Doleo mirum in modum, valetudinem tuo itineri ad nos moram neſcio quam objicere. Vide num ab ea impetrare poſſis, ut cras ad nos excurras. Habeo nunc munere amicorum, quibus te paullo lautius accipiam, quam ferunt anguſtiae meae. Quaeſo te, fac me & uxorem hujus voti compotem. Vale, grande decus noſtrum. Trajecti Batavorum a. d. XXI. Mart. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

IN elegia de Phoenice non poſſum non tibi adſtipulari *ſtactes nidum* non poſſe ferri, nec *corpus dotabile*. Sed *membra vieta* mirum in modum placent. nec

inſtratis improbo propter vetuſtiſſimi codicis auctoritatem. Poſſum etiam tolerare *male debile*, donec certius quid eruatur ex meliore libro. Vix alioquin mihi perſuadere poſſum tam tritam vocem *debile* tam prodigioſe poſſe corrumpi a librariis. In Naſone invitis Muſis *muneribus* ſuppoſuerunt τῷ *funeribus*, quod omnes libri tam exarati manu, quam editi prae ſe ferunt. Papinii Statii loca VI. Thebaidis multum me torſerunt, fateor, & nondum quicquam extrico. Nam nec quae *Gronovius*, nec quae alii ad illa notarunt, videntur quicquam ad rem facere. Tuum igitur oraculum expecto. Hodie te praeſtolamur. Heri tempeſtas horrida te remorabatur. Quod ſi craſtino in prandio nobis adfuturus ſis, nihil poteris nobis gratius praeſtare. Te hîc videndi incredibili flagramus deſiderio. Vale, &, ſi nos amas, veni. Trajecti a. d. XXVIII. Mart. CIƆIƆCLXXVIII. De pace jubent amici omnem dubitationem deponere. Propediem eam conventuram eſſe ajunt. Tu nunc te para ad pangendam elegiam. Cras te, ſi Deus dederit, videbimus. Nunc tantum narro triſtes hodie perferri ad nos nuncios de Gandavi expugnatione. Hanc urbem enim Galli ſubita incurſione omni fere nudatam praeſidio ceperunt, maximoque pavore Selandiam & omnes vicinas gentes compleverunt. Sunt &, qui narrant Noveſii furnos coquendis panibus reparari a Gallis, ſed quod in tanta Neoburgici Principis vicinitate ut auſint facere, non poſſum in animum inducere, ut credam. Pluribus cras, ſpero, agemus. Vale, meum decus & praeſidium. Trajecti Batavorum.

EPISTOLA CCCCLXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PArabam litteras, quibus & gratias tibi acturus eram pro nupera comitate, qua me excipiebas amantiſſime, & nonnihil ſcripturus de illis locis Papinianis, quae noviſſime a te examinanda mihi fuerunt poſita: ſed interpellabar a Generoſiſſimo *Friſio*, qui me convenit, & ſecum pranſum ducit. Non poſſum tamen, quin tibi narrem tribus verbis, Meſſanam totamque Siciliam deſeruiſſe Gallos, & hos patrios fines repetiiſſe cum aliquot mille Siculis. Hiſpanos arces tenere Meſſanenſes: id argumentum mihi eſt belli, non pacis, quamvis plurimi de hac non deſinant bene augurari. Reverendus *Spanhemius* in hac urbe nunc agit. Iter Neomagenſe diſtuli in tempus laetius & amoenius. Nunc te rogo, ut cras nos inviſas. Expectat te quoque Generoſiſſimus *Friſius*, & tibi ſalutem plurimam dicit. Cis paucos dies, niſi adverſa valetudo comitis obſtiterit, & retardaverit eum, iter ſuſcipiet. Vale, & ſi me amas, veni. Trajecti a. d. XXIX. Mart. CIƆIƆCLXXVIII.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PUdet me toties a te tam amanter invitari, nec obſequi poſſe poſtulatis tuis, quibus ut cum maxime morem gerere cupiam, valetudine quamvis invita, non poſſum tamen nunc domo abeſſe, quod anus illa, quae rem familiarem adminiſtrat in meis aedibus, ad Friſios ſuos pridem profecta, nec redux inde huc exſpectetur ante dies feſtos proximos. Spero, mi Graevi, fore, ut hanc cauſam non injuſtam arbitreris. In loco Papiniano, τὸ *in nomen* breviter dictum videtur pro in ſolum nomen, in inane ac vacuum, in nomen ſine re, ut Naſo loquitur. Tacitus de moribus Germ. cap. 36. *ubi manu agitur, modeſtia ac probitas nomina ſuperiori ſunt.* Sic locus vexatiſſimus videtur conſtituendus. Unum diſplicet τὸ *in nomen* paucis interjectis verſibus iterari apud Papinium, apud quem ſcribo,

Spes avido quas non in nomen credula veſtes
Urgebat ſtudio?

Spes patris, in nomen (in vanum) credula, quas non veſtes urgebat avido ſtudio? urgebat, non quod ipſe veſtes has filio properabat, ſed urgebat properari a ſuis, quibus id demandarat. Placet enim haec ad patrem referri, de quo & in ſequentibus agitur, & in ſuperioribus. *Gronovius*, puto, *ſpes avidi.* Sed emphaſin dat τῷ *ſtudio* τὸ *avidum*: nam *ſtudium* ſine adjectivo poni frigidum eſt. *Credula ſpes* etiam apud Tibullum occurrit. Haec ſi tibi non improbantur, inſerenda forſan erunt eis, quae de *nominis*, *ſpeciei* & *imaginis* ſignificatione, cui *vis* & *res* opponuntur, ad Vellejum jam annotavi. *funera* pro pompa funebri ab antiquis uſitata vel Enniana illa evincunt, *nemo mi lacrimis decoret, nec funera fletu Faxit.* Sic enim rectius puto legas, quam *me decoret*. Vale XI. April. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TOties totieſque a te cumulatus omni comitatis & humanitatis genere, quid dicam non invenio.

Dignas perſolvere grates
Non opis eſt noſtrae.

De hoſpitum Amſterodamenſium excurſu ad nos, ſi hodie hic eos non viderimus, omnem ſpem abjicio. Novi quod narrem non erat. Brugis multi Angli furore ple-

plebis ſunt inſontes jugulati, plures vero graviſſime vulnerati. Maximae enim exarſerunt turbae plebis, cum in ſolemni pompa praetervehentem thenſam aut ferculum potius minus reverenter haberet quidam ex noſtris militibus, quem illico jugularunt, & Anglum rati, omnes Anglos obvios obtruncarunt, quin & nonnullos in aedibus interfecerunt. Parum abfuit, quin omne praeſidium crudeliſſimum in modum necaretur. Vix tandem interventu Hiſpanorum potuit ſopiri hic tumultus. Quin ipſe Hiſpanorum dux in magnum vitae diſcrimen incurrit. De pace Batavorum litterae cis paucos dies ineunda pergunt bene augurari. Alii ἀπιςȣ̃ντες, & ſaepius lactati, cum videant tanta vi bellum Gallos inſtruere, verentur, ne hi diſſeminentur rumores, ut in vectigali novo imperando faciliores ſe praebeant Ordines, qui & jam conſenſere in ducenteſimam denuo deſcribendam. In loco Papinii etiamnunc mihi haeret aqua, nec ſatis me expedio. Nam *in nomen paſcere equos*, quid ſit, non exputo. Nam ut in oſtentationem explicem, non videtur loci ſententia ferre. Scio apud Senecam haberi Ep. XLXV. *Vel pecunia eſt hoc, ſi venditurus fabricavit: vel gloria, ſi laboravit in nomen*, hoc eſt ſi id unice egit, ob hanc cauſſam, ut celebretur nomen ejus. Sicut apud eundem eſt *laborare in ſpeciem*. Novi *nomen* ſaepe poni pro inane nomen. Sic apud Liv. III. 65. *Jamque plebs ita in tribunatu ponere aliquid ſpei, ſi ſimiles Icilio tribunos haberet: nomina tantum ſe biennio habuiſſe*. Sic enim legendum ex antiquis membranis & editis, vulgati recentiores omnes male: *nomine tantum ſe biennio habuiſſe*. Sic apud Tacitum: *nomen magis exercitus, quam robur*. Sed apud Statium pater non tam in oſtentationem paſcebat equos, quam ut iis filius paullo grandior uteretur, ut & armis, quae commemorat. Si filius ipſe paviſſet equos in oſtentationem tantum, poſſem ferre. Latet itaque in his vocibus *in nomen* menda quaedam, quam nunc non eluo. In ſequentibus verſibus, lubens tibi ſubſcribo corrigenti *ſpes avido*, & eos referenti ad patrem. Sed ſcrupulum tamen injicit, quod veſtium cura olim tota pertinebat ad matres. Scis quid Suetonius de Auguſto, Curtius & Plutarchus commemorent de Alexandro, nullis eos veſtibus uſos, niſi quas matres uxoreſque eorum ipſae texuerint. Veteres non habebant ſartores (nec hoc vocabulum occurrit apud ſcriptores meliorum temporum, niſi me fallit memoria, ſed tantum apud Grammaticos poſteriores,) quaelibet frugi materfamilias & texebat & parabat veſtes mariti & liberorum. Hunc ſcrupulum ut mihi eximas rogo. In Floro me hiſce diebus exercuit locus vexatiſſimus de Pompejo adytum templi Hieroſolymitani ingreſſo. In lib. III. c. 5. *Vidit*, inquit, *illud grande impiae gentis arcanum patens, ſub aureo uti coelo*. Lipſius emendavit *ſub aureo vitem coelo*, quod perperam recepit *Freinshemius*, & illum ſecuti editores. Nec probo *Salmaſii* conjecturam, *ſub aureo vitis coelo*. Nam nulla vitis aurea in illo templo fuit, quod intravit Pompejus, ne dum in adyto. Ne dicam *coelum* pro ȣ̓ρανίσκῳ Graecorum poni, ut contendunt, nullo Latini ſcriptoris exemplo ac auctoritate probari. Mihi itaque videbatur ſcripſiſſe Florum: *Vidit illud grande impium gentis arcanum patens, ſub aureo utique velo*. hoc eſt, in adyto vidit, quod tantopere celant Hebraei; quod nihil aliud erat, quam patens ſpatium, ſeu *arcanum inane*, ut Tacitus

tus vocat v. Hiſt. 9. quod latebat ſub aureo velo, ſeu cui obtendebatur aureum velum. Intelligit illud velum, quo penetrale hoc ſejungebatur ab aliis templi partibus, quod &, cum ὁ Σωτὴρ ἡμῶν cruci ſuffigeretur, rumpebatur. Cum aliud non haberem, hoc ſomnium ad te ſcribendum putavi, dum puella veſtra prodit ad emendum, quod juſſiſti. In eodem capite ſudavi quoque in quaerendis ſex illis muris, quibus Piraeeum munitum tum fuiſſe tradit, cum mihi tantum duo, aut ſummum tres eſſent noti. Sed de his alias. Vale, decus noſtrum, & me ama. Trajecti Batavorum poſtrid. Kal. April. CIƆIƆCLXXVIII. Jul. En tibi Innocentii Papae opuſculum, quod deſiderabas. Venuſinarum lectionum, ut & excerptorum Rutgerſianorum ex marginibus Scaligerianis, ſi in illa incideris, rogo memineris. Polemoni & Hanſenio de jurejurando, & libello juridico de multorum librorum jure ſpero me reperturum, cum ad nos veneris, quod reponam. Iterum vale. Gualterus hiſce diebus cum ceteris libris petetur. Generoſiſſimus *Friſius* abitum hebdomade proxima adornat.

EPISTOLA CCCCLXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

IN Papinii loco, de quo jam non ſemel inter nos eſt actum, nihil magis me offendit, quam bis repetitum *in nomen*. Caeterum *in nomen* non ita capi oportet, quaſi praeſcierit pater in vanum ac fruſtra paſcere equas filio, & urgere veſtes, ſed quod revera paverit in vanum, urſeritque, cum meliora ſperaret, ſed votorum ac ſpei falſus. Facit huic nonnihil Senecae locus ante productus. Nam *in nomen laborare* videtur poſuiſſe, pro laborare in vanam gloriam, in nomen ſine re ac uſu. Sic apud Naſonem

Aut ſine re nomen deus eſt, fruſtraque timetur.

quaſi dicat non eſſe deum. Urgebat enim nequicquam pater veſtes, ſive apud matrem, ſive apud ancillas, quas veſtes non tam ſarciebant, quam acu pingebant. Nam & illa ancillarum cura. Quamquam illarum penſum, fila praeparare ad veſtes faciendas. Lucretia apud Naſonem ad ancillas Faſt. II. *Lumen ad exiguum data penſa trahentes.*

Mittenda eſt domino (nunc nunc properate puellae)
Quamprimum noſtra facta lacerna manu.

Hinc corrigendus Valerius Flaccus, & duplici mendo liberandus lib. VI. verſ. 223.

Semidea genetrice Tages, cui plurima ſilvis
Pervigilat materna ſoror, cultuſque laborat.

de ſorore materna nugae ſunt, & cur ſilvis laborabat? Scribo

Cui plurima fili Pervigilat nocturna ſoror.

plurima fili, ut apud Silium, *& plurimus idem Ludentis per colla jubae.* ab hoc nocturno opere *Lucubratio* dicta, ut pluribus dicam ad illa Valerii, quo ſpectat Homericum illud παννύχιον. Vale. XV. April. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUi has tibi litteras reddet, *Hieronymus Wilhelmus Schnabelius* Bremenſis juvenis eſt in primis eruditus, & ad ſumma natus. Theologiae quidem attendit, ſed interioribus litteris ac elegantiori eruditioni tantum ſtudii operaeque impendit, & longe in ea proceſſit, ut aequalium ſuperiorem habeat neminem, ne parem quidem in his, quos ego novi. Vellem vidiſſes ejus elegias, & ejus epiſtolas, vix quicquam cultius poſſe fieri ipſe fatereris. Praeterea eſt φιλόκαλος, in antiquis numiſmatis, & libris rarioribus conquirendis totus. Nunc cum abitum meditetur, religioni ſibi duxit hinc diſcedere, antequam te, litterarum, quas tantopere colit, praeſidem unicum, viderit, quem pridem admiratur & obſervat, tuamque bibliothecam. Nullus dubito, quin pro tua erga omnes, in primis noſtrorum ſtudiorum amatores, comitate illum ſis benigne & amanter accepturus. Tuis litteris proxime reſpondebo. Vale, decus ſeculi noſtri. Trajecti a. d. VI. April. CIↃIↃCLXXVIII. En tibi Gualteri Alexandreidem.

EPISTOLA CCCCLXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

OCcupatio varia ſuperiorem mihi exemit hebdomadem, per quam tuis ſuaviſſimis nihil potui reponere. Acceſſit ex alvi profluvio languor, qui dies aliquot me tenuit. Nunc cum eſſet meliuſcule, redeo ad officium. Conjecturam meam de Flori loco πολυθρυλλήτῳ tibi non diſplicuiſſe laetor. Nec improbatur *Lemoynio*, qui tamen mallet, *ſub aureo uti cillo.* quia gentiles crediderint aſinum eſſe Numen Judaeorum: Hinc & apud Juvenalem legit, *& cilli numen adorant*, & apud Petronium, & *cilli ſummas advocat auriculas.* Sed mihi non perſuadet, nec tibi, credo. Emendationem Papinianam tuam loci obſcuriſſimi erudite tu quidem & docte tueris, ſed nondum video, quî cura veſtium filio texendarum, ſive ut illis utatur, ſive in vanam oſtentationem, pertineat ad patrem, cum videas apud antiquos ſcriptores negotium hoc veſtium conficiendarum mulieribus tribui, quod vel ex his ipſis liquet, quae in hac epiſtola produxiſti. Quî ergo pater poteſt dici *urgere veſtes*, cum hae eſſent mulierum partes, plane alienae a virorum cura, & praecipue Regum, & Principum, aut Ducum bellicorum? *In nomen laborare*, &c. *in nomen aliquid facere* recte dicitur is, qui vanae tantum oſtentationis cauſſa aliquid aggreditur, ſicut de Caeſare in Britanniam trajiciente Florus loquitur, *illum non provinciae, ſed nomi-*

nomini ſtuduiſſe; Verum quî in nomen urſerit is, qui filio parabat veſtes, ut iis utatur, ſed cujus labor & ſtudium fuerit vanum, ſpem ejus acerbis fatis intercipientibus, non video, quî ferat Latinae linguae genius. Non enim nomini ſtudebat, cum veſtes illas pararet pater; quamvis poſtea praeter ejus expectationem & vota nudum nomen fuerint. Haec mihi hunc locum conſideranti, cui tamen non medeor, ſuccurrebant. In Valerio Flacco lib. VI. verſ. 223. perplacet *nocturna ſoror*; ſed *plurima fili* videtur eſſe duriuſculum. nec tamen, ut nunc eſt, repudio hanc lectionem; In Propertio quoque non poſſum non tuam εὐστοχίαν mirari, cum pulchre emendas, *Et Tyria in calathos vellera lecta ſuos.* εὖγε, σοφῶς. In Vellejo Paterculo nihil mutandum eſſe olim cenſui, & ſemper mihi arriſit *Gillotii* interpretatio. Satis invidioſe in Pompejum hoc dictum eſſe a Vellejo exiſtimo: ſententia haec mihi videtur eſſe iſtius περικοπῆς. Senatus non Pompejo, quia magnus erat Imperator, ſummam belli deferebant, quippe quem oderant, tanquam nimium libertati, ſed cauſſae id deferebant, hoc eſt Pompejo, quia jam cauſſam reipublicae tuendam ſuſceperat contra Julium, & neminem haberent inter ſuos, qui & dux eſſet melior, & populo gratior, ſummum imperium decernebant, tanquam ſuae cauſſae acerrimo defenſori. Si non cauſſam in conſilio habuiſſent, nunquam Pompejo hanc perſonam impoſuiſſent. Non igitur Pompejo belli ſummam decreverint, ſed cauſſae, hoc eſt propter cauſſam, cauſſae commodo & felici tutelae. Si tibi haec explicatio non arridet, per me licet cum *Gronovio* ſcribatur, *cauſſae nomine*. *Gronovii* orationem perquam elegantem & eruditam de lege Regia accepi. Eam mihi *Theodoricus* miſit. Nullus dubito, quin & tibi eam dono dederit. De pace cras ab Ordinibus Batavicis deliberabitur in illorum conſeſſu. Has, quas mitto, conditiones Pacis obtulit Rex Galliarum. Putant noſtros & Hiſpanos illas accepturos. Non fictas eſſe conditiones iſtas, ſed veras, velim tibi perſuadeas: mihi ſane exploratum eſt. Spero tibi brevi pangendos eſſe elegos promiſſos: ſed ſpem metus premit. Quid *Goeſius* optimus rerum gerit? Num etiamnunc vobiſcum degit. Si nondum diſceſſit, quaeſo, ut illum meo nomine ſalutes amantiſſime. Doleo illum nuper elapſum eſſe, antequam valere illi dicerem. Noſtri omnes te illumque ſalutant, & vos hîc expectant. Trajecti ad Rhenum a. d. XVI. April. Julian. CIↃIↃCLXXVIII. Cum has exaraſſem, tuae mihi traduntur. Exoſculor tuam de nobis ſollicitudinem. Sed cogor abrumpere, & togam capere, inſtat enim recitationis hora.

EPISTOLA CCCCLXXXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

MUltum ſollicitudinis mihi demtum eſt, qui valere te, & domi tuae ſalva eſſe omnia ex tuis, heſterno die ad me perlatis, cognoſcam. Amici noſtri

ſtri conjectura in Floro non mihi magis probatur, quam tibi. Nam in adytis templi Hieroſolymitani auream aſini effigiem fuiſſe ſervatam nemo veterum, ne Ethnicorum quidem, quod ſciam, aſſeveravit, utcumque falſo. Apud Juvenalem ſcribendum eſſe, *cilli numen adorant* mihi quoque venerat in mentem, nam de Petroniano loco jam alii monuerunt: *Urgere filio veſtes* apud Papinium dicitur pater Archemori, ut proxime monebam, non quas ipſe faciebat, ſed quas ex aliis curabat fieri filio, utcumque fruſtra: ita capiendum τὸ *urgere*, nec aliter. Ita ſolere patres indulgentiores hodiernis exemplis comprobari poſſet. Sed ut omnis tibi ſcrupulus dematur, vindicem Papinio & aſſertorem ipſum dem Papinium praeſtat. Is Silvarum ſecundo, primo carmine, quod Epicedium Glauciae complectitur, verſ. 128.

Cum tibi quas veſtes, quae non geſtamina mitis
Feſtinabat Herus

Ubi plura ad rem. vides *urgere* & *feſtinare*, pari ſignificatu dici. Caeterum a verſu 67. uſque ad verſ. 85. in nonnullis codicibus non comparere teſtis eſto *Bebotius*. Abſunt & ab uno meo; nam alterum non vacavit conſulere; ſunt tamen Papiniani. Τὸ *in nomen* capi debere pro in vanum ſpero fore aliquando, ut paribus exemplis confirmem. Actum aliquando eſt inter nos de loco Petroniano, ubi reſcribebam, *Mittat habenas liber*, quod Latine non dici rebaris. Nunc exemplum ecce ex Propertio. de Velleji loco cogitandum amplius. *cauſſa* illa *Senatus* etiam apud Lucanum occurrit. Sed hîc nimis frequenter iterata offendit aures. Venerunt mihi complura proxime in mentem, quae primis ad ſcriptorem illum curis potiora duco. Ea tamen immutari nunc ſerum eſt, cum annotata noſtra typis jam ſint deſcripta: ſola praefatio reditum *Elzevirii* e Britannia operitur, quem exſpectandum neſcio qua de cauſa ſe operae praetexunt: ut me jam poeniteat quodammodo feſtinationis. In Valerio Flacco quid reponi poſſit, quod ad ſcripturam accedit, *quam plurima fili*, haud video. venit aliquando in mentem, *plurima telae*, aut *fuſi*. ſed longius illa abeunt. ſi τὸ *ſilvis* congruum ſenſum efficeret, tamen oporteret, aut *plurima ſilvae* reſcribi, aut certe, *plurima ſilvis invigilat*, non *pervigilat*. *plurima filis*, aut *telis invigilat*. In Propertii loco calculum tuum tuliſſe duco mihi perhonorificum. Nunc garrienda complura ſe ſimul ingerunt mihi, argumentum ingens confabulationi praebitura. Τὶ πρωτὸν? Sed melius haec coram. Inter alia de Arnobii loco agemus, quem *Salmaſius* a ſe reſtitutum feliciter toties jactat, ego perperam olim a me tentatum nunc agnoſco, *in penetralibus coliginis:* ſed locus ille non caſtigationis ſolum, ſed interpretationis quoque eget, quam nobis *Salmaſius* invidit. Agemus & de loco uno alteroque Naſonis, de quibus cogitabam proxime. Triduum hoc Plinii epiſtolis perlegendis dedi. Deus bone? quam multa ibi adhuc mendoſa! Aldinum codicem a *Cataneo* non conſultum miror & indignor. Sed de his jam ſatis. De negotiis publicis, quae typis deſcripta miſiſti, libens percurri. De Elegia dubitare non debes tibi a me praeſtanda, ſi pacem nobis procuraveris. En jam nunc ejus initium. Reliqua exſpectant majorem temporis opportunitatem. *Goeſius* jam pridem regreſ-

greſſus eſt ad ſuos. Sed quid de generoſo *Friſio*. Spero eum abitum differre, ut poſſim ipſe ad vos excurrere dicturus illi valere. Ad *Perizonium* ſcripſiſtine? excuſabo me illi proxime, ejuſque epiſtolas ad te mittam. Gronovianam Orationem nullus vidi. Vale XXVI. April. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianum.

ETſi tuus in me amor jam olim plurimis maximiſque argumentis mihi plane perſpectus ſit & tam exploratus, ut decrerim neminem me tibi cariorem eſſe, in binis tamen tuis noviſſimis tantum curae ſollicitudiniſque pro mea meorumque ſalute prae te fers, ut paternam in me amando pietatem te tibi conſtituiſſe oſtendas. Mihi viciſſim nulla eſt antiquior cura, quam ut tibi probem ſtudium & obſervantiam, quae parenti debetur. Tanta enim eſt tuorum in me meritorum magnitudo, ut, ni tibi omni officii munere perſolvam id quod ſanctiſſimum eſt, ſacer merito ſim, & inteſtabilis habear ab omnibus. Apud Florum *ſub aureo utique tholo* longe ſane praetulerim illi amici noſtri, aut *Juſti Lipſii* emendationi, idque, te, ut ſpero, non invito meis inſeram notis. Nam quamvis verum eſſet, quod Apion jactavit, Antiochum Epiphanem in Hieroſolymitani templi penetrali aſini aurei caput inveniſſe, quod Judaei coluerint & adorarint, teſte Joſepho II. contra Apion. quodque noſter amicus inde putat fluxiſſe, quod cherubini arcae inſidentes ac vitulos referentes, pingui craſſaque Minerva formati fuerint, ut aſinorum formam quandam geſſerint, aut ſaltem quod hoc praetextu aſinorum cultum Judaeis affiricuerint pagani: quamvis hoc verum eſſet, quamvis etiam in templo Zorobebelico fuiſſent Cherubini, qui tamen nulli fuerunt, Latinae tamen linguae ratio non ferret hanc locutionem, *arcanum patens ſub aureo veluti cillo*. Nam cillus ille, ſi qui fuiſſet, fuiſſet in arcano adyto, non adytum ſub cillo. Niſi per arcanum intelligas Arcam, ſed nec Arca nec Cherubinus ſecundum templum ornarunt. Adde *cillum* in poëtis tolerari, ſed quis ſcriptor ea voce uſus eſt, in oratione proſa? Nec tamen in Juvenali & Petronio probo hanc vocem reponi pro *coelo*. Saltem apud Juvenalem recte puto habere codicum ſcripturam, *qui coeli numen adorant*. Unde Judaei in Codice Theodoſiano & alibi vocantur *coelicolae*, quia credebantur gentilibus nudum coelum adorare, aut illorum Numen eſſe coelum, cum omnes Numinum effigies deteſtarentur. In loco Papiniano exponendo de veſtibus, quas filio pater urgebat, herbam porrigo victus, & in tuam ſententiam perductus inſigni loco ex Epicedio Glauciae a te allato. Debeo tibi quoque δίδακτρον, cum me docuiſti raram ſignificationem vocis *mittere*. Nam pro *immittere* aut *admittere* poni apud Propertium nunc nullus dubito. Annotationes tuas in Vellejum Paterculum jam typis deſcriptas eſſe mirifice gaudeo. Nihil mihi longius erit, quam ut eas videam & legam. Sed cum nondum in

publicum prodierint, cur non addis curas ſecundas, in quas conjicis, quicquid aut in tuis emendandum, aut expoliendum poſtea deprehendiſti? Pleroſque omnes viros inſignes ſuis libris addendorum & corrigendorum mantiſſam ſubnectere te non fugit. De Valerii Flacci loco ampliandum puto. De Arnobii, & de Ovidii locis obſcuris geſtio tuam audire ſententiam, & ni valetudo adverſa, quae me exercitum habuit diem unum atque alterum, meam retardaverit ad vos excurrendi voluntatem, aut proximo die Solis, aut Mercurii te videbo, & in Plinii epiſtolis evolvendis plures tecum horas ponam ſuaviſſime, ſi deus dederit. De elegia tua quid dicam? ejus principium, quamvis triſte, tantam mihi ſalivam movet, ut vel hoc etiam nomine pace nihil mihi ſit optatius & deſideratius. De ea nunc Hagae Comitia habentur. Hoc nomine ſane ex noſtra civitate ſex proceres miſſi ſunt, & hodie ſe retulerunt illuc, ut de pace ineunda cum reliquis ſociis deliberent. Fertur quoque Princeps Arauſiacus hodie ibi expectari. Hollandi urgent pacem, ſed Anglorum apparatus bellicus vereor ne ſpem noſtram eludat, & pacificationem longius opinione noſtra ducat. Non fruſtra enim nunc Angli toti ſunt in bello inſtruendo: non fruſtra obſecrationes decretae ſunt in illo regno. Generoſus *Friſius* nunc Batavicas perluſtrat urbes propediem reverſurus. Non hinc diſcedet te inſalutato. Ad *Perizonium* nihil etiamnunc litterarum dedi. Proximo nuncio ſcribam. Utinam eruditiſſimo juveni utilem poſſemus operam navare. Nam, ſi quiſquam, dignus eſt, qui provehatur in locum, ubi doctrinae ſuae opes poſſit explicare & proponere. Vale, vir Perilluſtris. Si, antequam ad vos contendo, mihi hîc licuerit praelibare Plinianas aliquot obſervationes aut Naſonianas, aut etiam explicationem illam loci Arnobiani, triumphabo. Iterum vale, grande decus meum. Trajecti a. d. XIX. April. CIƆIƆCLXXVIII. Julian.

EPISTOLA CCCCLXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

DEmſit quidem ex parte metum mihi epiſtola tua, ſed ego ſecurus non agam, niſi valetudinem tibi ſolide reſtitutam cognovero. Fervor ille ſanguinis, mihi quoque tantum moleſtiae exhibet, ut omnem ſomnum excutiat. Ad Florum video complura me annotaſſe jam olim, quae ſi tibi non diſplicebunt, exſultabo equidem prae gaudio: inſidere huic ſcriptori non tantum mendas inveteratas Nazarianus ille codex, omnium antiquiſſimus, fidem plenam facit, ſed etiam intermiſſa, idque frequenter ſatis, a feſtinante librario vocabula. Quamquam is liber non ea eſt bonitate, utcumque praeſtantiſſimus, ut mendis omnibus medeatur. Dixeram proxime in familiari colloquio, ubi de Pompejo agitur, legendum eſſe, *Pirata Mithridaticae provinciae factus eſt acceſſio.* cum τὸ *Pirata* deſideretur etiam in ſcriptis editiſque exemplaribus. Sic lib.

lib. IV. 8. de Sexto Pompejo. *O quam diverſus a patre? ille Cilicas extinxerat, hic ſecum piratas navales agitabat.* Nazarianus, *hic ſe pirata navalis agitare*; non probabit tibi ſat ſcio *Salmaſius* interpretationem ſuam, de *piratis navalibus.* mihi nec conjecturam ſuam. Excidit enim τὸ *praedas.* Quod ſi mihi concedas, omnia erunt plana. *Hicce pirata praedas navalis* (pro *navales*) *agitare.* *agitare praedas* Salluſtianum eſt. Reſpexit autem illa Florus Lucani, cui de hoc Sexto

Polluit aequoreos Siculus pirata Triumphos.

Sic lib. eod. cap. ult. Edit Salmas. τὸ *uſus* exciderat. totum locum. Veſtigiis Nazarieni libri ſic conſtituo [1]

[1] Caetera deerant, quae ex notis *Graevii* in Florum ſuppleri poſſunt.

EPISTOLA CCCCLXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Viennam.

EX incommoda valetudine indies magis magiſque emergo, cum tuis obtempero praeceptis & voluntati. Helluellis iſtis pubeſcentibus & fervorem ſanguinis reſtinguo, & ſtomachum foveo, &, quas medici miſcuerunt, potionibus, tanquam februis, corpus luſtro. Et jam belle res procedit, ut ſperem me brevi te viſurum, & hîc complexurum. quod propediem tibi faciendum eſt, ſi *Friſium* ante abitum volueris hîc ſalutare. Nam ſimul ac litterae perferentur a parente, quas indies expectat, avolabit in Angliam, & hinc in Gallias. Florum inveteratis maculis inquinatum eſſe foediſſime tibi ſane aſſentior. In libro III. cap. 6. excidiſſe vocem ſatis apparet ex inepta veterum codicum ſcriptura. Nec video quid magis appoſitum illi loco poſſit excogitari, quam quod tibi venit in mentem, *pirata Mithridaticae provinciae factus eſt acceſſio.* Sed certior mihi videtur hac ipſa eſſe conjectura, quam adfers ad locum illum, qui libro IV. cap. 8. habetur, *Hicce pirata praedas navalis agitare.* Nec renuo recte te vidiſſe in capite ultimo, cum veſtigiis veterrimi libri inhaerens ſcribis: *Ibi ingentis uſus eſſe conſilium illud obſervari. Caput conſilio natura regionis circa aurifera.* Sane Ryckianus quoque ignorat *coepit*, & *capud conſilio* prae ſe fert. *pacis artes* pro *partes* valde probo. Haec omnia meis interſeram notis, quae iis, tanquam clavis purpureis late ſplendentibus illuſtrabuntur. In lib. III. cap. 6. in verbis quae praecedunt illa, quae tam ingenioſe correxiſti, tranſpoſitum eſt *quoque* & *Pompejus*, ſcribendumque: *Sed ille ante felix, Pompejus dignus nunc quoque victoria viſus eſt.* Alioqui ſententia eſt abſurda. Sed hoc leve. Non corruperunt autem Florum tantum voces omiſſae, ſed & infartae a ſciolis & neſcio quibus maleferiatis correctoribus. In uno capite XVII. lib. III. quot occurrunt exempla? *In hoc ſtatu rerum, inquit, pares opibus, animis, dignitate (unde & nata Livio Druſo aemulatio acceſſerat) equitem Servilius Caepio, Senatum Livius Druſus aſſerere.* Credisne tu Florum ſcripſiſſe, *nata Livio Druſo acceſſerat aemulatio?*

 Sane-

Sane ipſe Florus, ſi rediret in dias luminis auras, haec non intelligeret. aut vocabulum *acceſſerat*, expungendum, aut id mutandum in *coeperat*, Nam *coeperat aſſerere*, eſt aſſeruit, ut ſaepe. Sequitur: *Signa, & vexilla aderant: ſic urbe in una quaſi in binis caſtris diſſidebatur.* Quid hic *ceterum?* quaſi aliam rem narrare coepiſſet. Non aliam ob cauſſam ſigna & aquilae aderant, quam, ut in urbe de Principatu pugnarent. Videtur haec vox furcillis huc detrudenda eſſe. Mox legiſtine *reos eligere?* malim, quod & alii viderunt, *reos egit*. Sed quod nunc ſequitur, mera eſt balbuties, mera infantia, non os Flori, *His motibus ut reſiſteret Druſus, plebem ad ſe Gracchanis legibus, eiſdem ſocios ad plebem ſpe civitatis erexit.* Quis Quiritium mihi dicere poterit quid ſit *plebem ad ſe, ſocios ad plebem erigere?* Non haec dicent Romae nata, ne in rure quidem Romano, ſed in angulo quodam barbaro, pleno inficetiae & ſtibiliginum. Palatinus & Ryck. *Plebem ad ſe Gracchanis legibus evocavit, ſocios ad plebem ſpe civitatis erexit.* Certe *evocavit* elegantius eſt, quam ut potuerit ab hominibus indoctis inſeri. Nam *evocari* proprie dicuntur, qui in tumultu ſine delectu ad arma ſollicitantur, ut notarunt Donatus ad Eunuchum, & Servius ad Virgilium. Hinc & *evocati* veterani, qui ex agris ſuis ad arma capienda alliciebantur, non conſcribebantur. Haec vox cum excidiſſet, crediderunt *erexit* pertinere ad *ad ſe*, nec aliud verbum occurrebat, ut poſteriora itaque verba reſponderent prioribus inculcandum fuit *plebem.* Totum autem locum ſic refingo: *His motibus ut reſiſteret Druſus, plebem ad ſe Gracchanis legibus evocavit, eiſdem ſocios ad ſpem civitatis erexit.* Sed te obtundo. Obteſtor te, ut ſi quae alia ad Florum emendandum notaſti, mecum illa communices. Magnum editioni meae accederet ornamentum, ſi epiſtolam, in qua tuae obſervationes & emendationes congeſtae legantur, tanquam oculiferium lectoribus poterit objicere. Sed hoc tui eſt conſilii. *Elzevirius* pridie hîc nos inviſit. Te plurimum ſalutat, & dolet ſibi per occupationes non licuiſſe ad tui complexum Vianam excurrere. *Voſſium* in Anglia non vidit, ſed vidit *Beuningium*, & *Pearſonum*, qui promiſit notas ſuas in Stephanum de Urbibus ei praeſtiturum, ut Holſteinianis ſubnectantur. Vidit & *Thomam Gale*, cujus Jamblichus jam fere ad exitum eſt perductus. Molitur quoque editionem etymologici Photii, ſed ſummo deſiderio flagrat exempli Gudiani. De publicis nihil. Expectatur reditus noſtrorum oratorum. Spem pacis credo delicuiſſe. Vale, vir Summe, & tandem nos inviſe blandiente hoc coelo & his Favoniis. Trajecti Batavorum prid. Kal. Maii. CIↃIↃCLXXVIII. Tuum Vellejum expecto cupidiſſime. Jube quaeſo, ut quamprimum ad me perferatur. Has exaraveram, cum tuae mihi traderentur omni melle ſuaviores. De loco Auguſtini jubeo te ſecurum eſſe. Tanti non eſt. In collectione Homiliarum Albini Flacci, quas *Surius* edidit, hîc numerus 157. ei eſt praefixus. Verba *Surii* in margine poſita ſunt: *eſt ſermo 157: de tempore.* De loco Petronii aveo audire ſententiam, & quae alia promittis. Spero Mureti in Ciceronem annotationes ad manus tuas perventuras. Eruditiſſimam & elegantiſſimam puellam *Schilteri* Senatoris filiam obiiſſe doleo ſane. Noſtine hodie Lugduni vendi bibliothecam *Rulaei* ȣ μακαρίτȣ?

EPI-

EPISTOLA CCCCLXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

IN omnibus tuis litteris mirificus tuus in me amor, & cura ac ſollicitudo pro mea valetudine pluſquam paterna ubique ſe exerit. Noviſſimae ſemper priores novis multiſque benevolentiae argumentis cumulant. Interea praeterito die Mercurii tertiana febris me corripuit, & heri tertium eculeo impoſuit. Acceſſio prima & ſecunda non fuit acris, tertia vero ſaevior & vehementior. Nunc inedia & purgationibus in Morboniam malam iſtam Divam rejicere ſtudeo. Pro tuis in Florum obſervationibus, quibus meae notae inſtar ſtellarum illuſtrabuntur, gratias ago tibi maximas. lib. IV. cap. 5. *veteranis caſtris* certiſſimum eſt: ut & *Antonii*. Ryckii etiam codex non agnoſcit: placet quoque in *arma ire*. Sed *aemula* cur interponatur, hîc non videtur mihi ſatis idonea cauſſa eſſe, ſed potius *uxor* ſuo loco motum, ac ſic ſcribendum: *Antonii peſſimum ingenium uxor Fulvia, gladio cincta virilis militiae, agitabat.* hoc eſt quae ipſa militiam ſequebatur, & quaſi ducatum ejus ſuſceperat, quas partes ſoli viri gerunt. Elegans tamen eſt tua conjectura; Non tacita praeteribitur. in cap. IV. non ſollicitaverim *tenerum*. Nam pueros quoque *teneros* dici bono ſenſu certum eſt. Suet. Aug. 64. *Cajum & Lucium adoptavit domi per aſſem & libram emtos a patre Agrippa, teneroſque adhuc ad curam reipublicae admovit.* Auguſtum vero *puerum* vocatum fuiſſe cum Apollonia rediret Romam, & bellum hoc gereret, notum eſt ex dicto Ciceronis, *puerum hunc ornandum tollendumque*, de quo Sueton. Aug. cap. 12. ubi plura in hanc ſententiam notavit *Caſaubonus*. & Servius in Virgilii Eclogam notat SC. vetitum fuiſſe, ut *puer* Auguſtus vocaretur. Florus itaque, ut oſtendat Antonium ſceleſte ſpe impunitatis Octavium ſtuduiſſe opprimere, & ejus intercipere hereditatem, dicit Auguſtum fuiſſe in tenera aetate conſtitutum, nondum octodecim annos natum, ideoque infirmum & invalidum, qui ſe non poſſet ulciſci. In ſequente capite probo tuam emendationem, niſi quod illud *viro* valde offendat aures. Nam quamvis Florus poëtica dicendi genera ſaepe tanquam floſculos quoſdam inſerat operi, *viro* tamen pro Auguſto, cum nulla ejus praeceſſerit mentio, hîc eum poſuiſſe, & quidem eo in loco, ubi duriſſime locatae erant, inter duas nimirum voces, quae non erant divellendae, vix crediderim. Mallem itaque: *Quo contra duos exercitus neceſſe fuit venire in cruentiſſimi foederis ſocietatem Caeſari. Diverſa omnium vota. Incendit Lepidum* &c. *Antonium ultionis.* Vides in una hac voce me a tua diſcrepare ſententia. *Societatem* cur refinxeris in *neceſſitatem* non video. Credo calami praecipitis eſſe lapſum. Capite ſequente recte deles *ſuum* & *regem*. optime quoque *prodidit libertatem* reponis. De illo in cap. 7. *pari in meliora praeſagio* vere dubitas. Diutius de hoc loco cogitandum. in cap. x. parum videtur referre legaturne *qui evaſerat*, an *quia evaſerat*. In cap. XII. quam-

 vis

vis editam tueri poſſimus, non tamen damnamus tuam emendationem. Hoc pulchrum *Validarum gentium*, ut & *adflictos humi*, *immane*, *in ora militum*. Ibid. non male: *pontem e cratibus*. dein optime: *ipſoſque praedam diviſit*, &: *rubigine obſitos enſes*. Nec non elegantiſſime: *inerteſque quererentur equos*. Plane perſuaſiſti: *Caeſar recreatus e vulnere*. De reliquis alias. Nunc mihi abrumpendum. Unum locum ex initio Ceiris addo:

Quatuor antiquis quae haeredibus eſt data conſors.

Scaliger ait quatuor haeredes eſſe quatuor ſectarum auctores, qui heredes Socratis dicantur. Sed nullus Socrates praeceſſit, nulla ejus mentio facta. Simpliciter autem heredes poni, non commemorato cujus heredes ſint, inſulſum puto. Itaque legendum mihi videbatur:

Quatuor haereſibus quae antiquis eſt data conſors.

Hoc vocabulum cum intelligerent Chriſtiani deſcriptores, & non noſſent optimo in ſenſu accipi apud veteres pro ſectis philoſophorum, locum interpolarunt. Vale, vir Summe & me ama. Trajecti Batavorum a. d. VI. Mai. CIϽIϽCLXXVII. Cum litteras dederis ad *Paullum Falconerium* gratias ei meo quoque nomine ages pro *Mureti* annotationibus in Ciceronem verbis ampliſſimis, ſalutemque ei dices, ac ſignificabis me in praefatione, quam praemiſi epiſtolis ad familiares, ejus meritum laudaſſe. Dudum quoque faſciculum, in quo nonnulla exemplaria in Italiam deſtinata, apud *Elzevirium* eſſe, qui commodam expectat occaſionem, qua recte poſſit perferri. In illo eſſe quoque exemplar Paullo tradendum. Utinam nomen nautae Anglicani nobis perſcriberet, aut navis, ne intercidat.

EPISTOLA CCCCLXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

Tempeſtivae omnino aderant heſterno die tuae litterae. Sine quibus fuiſſet, miſiſſem hodie ad vos ex meis, qui de valetudine explorata omnia referret. Ipſe enim ne poſſim, languor obſtat, & febricula ſubnata e nimio ſanguinis fervore, quem ſudando temperare nitor. Quod non ingrata habentur, quae ad Florum tuum proxime adnotabam, totum eſt benignitatis tuae, multa mihi id genus ad manum ſunt, & plura credo in ſcriniis meis deliteſcunt, quibus anquirendis neque tempus eſt, & metuo ne poſt te Roſcium in hac orcheſtra ſaltem. Omiſſa eſſe nonnumquam in Floro perperam a librariis, quae neceſſario requirebantur, nonnumquam & inculcata, quae praeter rem ſunt, certis argumentis habeo exploratum. praeter ea, quae ſubindicavi. Sic lib. IV. 5. opinor ſcribendum, *virilis cincta militiae uxor*, & *Antonii*, non *L. Antonii*, ſic alibi, *Aemulus Caeſarianae potentiae Antonius*. Vale, Maii. CIϽIϽCLXXVIII. [1]

[1] Nec haec epiſtola integra eſt. & ab hoc tempore neglexit *Heinſius* Epiſtolas ad Graevium duplici exemplari dare, & in codicem ſuum deſcribere. Quare abhinc ſolis Graevianis epiſtolis

ſtolis contenti eſſe cogimur, cùm Heinſianae ad *Graevium*, cum hujus Bibliotheca, abierint in Palatinatum, nec facile ex tenebris emerſurae videantur; magna quidem ex mutuis his Epiſtolis lectoribus gratia & voluptas decedet; multa etiam obſcuriora occurrent; non potui tamen a me impetrare, ut diſertiſſimas tot Epiſtolas ideo abjicerem.

EPISTOLA CCCCLXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUas pridie tuis repoſui, cum Vianenſis veſtra eſſet elapſa, commiſi nautis noſtris, recteque eas redditas eſſe ſpero. Nunc reliqua Flori loca paucis excutiam, quae tum anguſtiis temporis excluſus non poteram ad codicem noſtrum exigere. In libro IV. cap. 7. mirum quidem eſt loquendi genus: *Pari in meliora praeſagio*. Sed in Floro non paucae reperiuntur locutiones, ab aliorum ſcriptorum uſu, non tamen a Flori dictione & ingenio alienae. Sententia haec videtur eſt, in Caeſaris quoque caſtris paria ſigna ſeu praeſagia videbantur, ſed laetiora portendentia. Aves, victimae omnia promiſerant, quae ſcilicet eventura erant, pari praeſagio ac in Bruti caſtris, ſed hîc in meliora, ſicuti in Bruti caſtris multa erant omina cladem praeſagientia, ſic in Caeſaris caſtris erant quoque omina meliorem eventum praedicentia. Par praeſagium in hoc conſiſtit, quod in utroque exercitu viſa ſint, quae quod utrique exercitui immineret, ſignificarent ſatis liquide. Ego ſcripſiſſem: *Meliore praeſagio in Caeſaris caſtris omnia aves, victimaeque promiſerant.* Nonnulli libri *& meliori* pro *in meliora*. In IV. cap. 12. de illa tua emendatione: *adſtricto Caeſar recreatus vulnere ad tempus*, amplio. Alii libri & editio *Freinshemii* prae ſe fert: *ſtrictus ac recreatus ex vulnere in tempus.* Mallem, *ſtrinxit ferro. Caeſar recreatus ex vulnere in tempus.* aut *ſed recreatus eſt ex vulnere ad tempus.* Dein *Ipſe venit. Segiſamam caſtra poſuit.* Veteres editiones ſic diſtinguunt. *Ipſe venit. Segiſamam caſtra poſuit. venit* non excluderem, & quia veteres libri eam vocem agnoſcunt, & quia hic locus vim ejus deſiderat. Ipſe venit Auguſtus ad iſtos coërcendos & domandos. Sed omnino legendum *ad Segiſamam*, & *unde*, ac quod & *Freinshemius* vidit, *indidem*, poſtea probo *a captivitate quae praevidebatur.* Nec non arridet vehementer: *cunctis tam fortibus.* placet etiam: *capta ſigna*, ut &, quod certum habeo, *juncta atque continua.* Non haec ſunt puſilla, quae tot viros doctos fugerunt, & tam ſpurce Florum contaminant. In libro III. cap. 17. non poſſum iſtam diſtinctionem, quae tibi videbatur commodiſſima ad tollendam difficultatem illius πνευκοτῆς, probare, propter σύγχυσιν totius periodi, quae tum male ſe habebit, ſi illam admittemus. Crediderim potius Florum ſcripſiſſe: *In hoc ſtatu rerum pares opibus, animis, dignitate (unde nata Livio Druſo aemulatio) aſſerere equitem Servilius Caepio, Senatum Livius Druſus:* ut ultimum *aſſerere* perperam ex interpretatione magiſtri ſit repetitum. Lipſius, ut ex Nanſii excerptis cognovi, mallet conjungi *acceſſerat aſſerere*, eandem ſequens diſtin-

diſtinguendi rationem, quam tu iniiſti. Sed non fert hanc locutionem Latina Lingua. Non] nego *accedere aliquem* recte dici, ſed hîc, ſi totum locum expendimus, non poteſt tolerari. Vix dubito, quin & ipſe meae ſis ſubſcripturus ſententiae, ſi verba illa Flori perpenderis accuratius. Nunc reliqua, quorum ſpem facis, expecto, & in primis, quae de Petronii citreis menſis obſervaſti. Habui litteras ex Anglia a Bernardo, ſed nihil novi ſignificantes, quam quod promittat ſe miſſurum, quae Caſaubonus marginibus ſui Ciceronis & Livii adſcripſerit, quos codices Bodleiana ſervet bibliotheca. Addit ſe Joſephi editionem non ſuſcepturum, niſi Voſſianorum codicum, & ſchedarum Boſianarum ſibi fiat copia. Urget etiam, ut Photianum etymologicum, quod Gudius poſſidet, ei praeſtem. A *Magliabeckio* perlatae quoque ad me ſunt litterae, quae ſignificant, Florentiae in lucem dari Odeporicon Patris Ambroſii Generalis Camaldolenſis, qui fuerit inſtaurator Graecae & Latinae linguae tempore Coſmi Medicei, & alium adornare grande volumen epiſtolarum ejuſdem ſcriptoris, quas manu exaratas poſſideat *Magliabeckius*. Eſt is, qui vertit Princeps Diogenem Laërtium, multaque Chryſoſtomi, & aliorum patrum Graecorum: varia quoque opera Bartholomaei Scalae inedita luci parari. Patavii publicari & imprimi Sertorii Orſati primam partem Hiſtoriae Patavinae, & ſecundam antiquarum Inſcriptionum. *Patinum* quoque dediſſe epiſtolam de antiquo Numiſmate Horatii Coclitis per Trajanum reſtituto, & orationem de Febribus: Veronae vero vitam Conteſtae Matildis ex certiſſimis monumentis edi, quem librum magno deſiderio expectari a Florentinis, cum jam ante illius vitam Mellinus aliique memoriae prodiderint. Romae quaedam Alberti magni, ἀνεκδότους commentarios in ſacras litteras, in primis in Jobum, emitti, ut & epiſtolas *Antonii Auguſtini*, & *Bernardini Stefonii* Socii Jeſu, cujus alia opera purae cultaeque Latinae dictionis laudem meruerint. Vitam quoque Cardinalis Bellarmini a Patre *Bartolo* litteris mandatam ibi in publico conſpici. Faſciculus cum epiſtolis Ciceronis & antiquitatibus Paderbornenſibus nondum in Italiam eſt perlatus. Nullam horum librorum mentionem facit. Vale, Princeps ingeniorum a. d. IX. Maii. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EXilii gaudio, cum tuam manum vidi. Tantum enim terroris Generoſiſſimus *Friſius* mihi offuderat, de afflicta tua valetudine mihi narrans, quae audiebam maximo cum dolore, ut niſi haec aſpera tempeſtas me retinuiſſet, & quaedam imbecillitas, heri aut hoc die ad vos excurriſſem. Ego febre careo. Nondum tamen me plane confirmavi. Sed ſi te valere intellexi, ipſe quoque me colligam. *Friſii* negotium heri apud Conſulem, qui huc excurrerat, confecimus. Cras iter ſuſcipiet Rotterodamenſe. In Floro mirum in modum blanditur *exarſerat*.

Pro-

Probaſne tu in lib. III. 21. *in penatibus domorum ſuarum trucidantur?* In conſpectu penatium, ante lares occidi recte loquuntur, qui loquuntur emendate. Cenſeo Florum ſcripſiſſe: *in penetralibus domorum ſuarum.* In eodem capite eſt, *poſitis ſingulorum hominum poenis*, pro cum deſiiſſet in ſingulos homines animadvertere. Quod & mihi non videtur ferre lex pure ſcribentium. *Ponere metum, iram, bellum* non ignoro inveniri frequenter: ſed *ponere* aut *deponere poenas* nondum poſſum probare. Cogitabam, ſi Florus ſcripſiſſet, *deſitis ſingulorum hominum poenis*, ut deſinere artem, deſinere diſciplinam. Vale, vir Summe, & me ama. Trajecti Batavorum, a. d. XIV. Maii. CIƆIƆCLXXVIII. ὡς τάχιςα. Aeneator a Rege Galliarum litteras pertulit Hagam foedus & pacem offerentes, quam potentiſſimae urbes Batavicae, ut amplectamur, modis omnibus nituntur. Sed alii refragantur. Videntur proceres noſtri lupum auribus tenere.

EPISTOLA CCCCLXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

GAudeo tibi probari conjecturam meam *in penetralibus domorum ſuarum.* Velim etiam tuam ſententiam mihi ſignificaſſes de altero loco ejuſdem capitis, *poſitis ſingulorum poenis.* Suſpicionem meam non vendito pro reſponſo Delphici Apollinis: lubens ſequar meliora doctorum. Hoc tantum ex te reſcire pervelim, num *ponere poenas*, pro deſinere punire, putes Latine dici. Si addideris emendationem mea probabiliorem, beabis. In lib. IV. cap. I. *diſtringere incendiis urbem* occupavit jam Freinshemius. Merito rejicis Voſſianam opinionem de Fulvia *patricii ſanguinis.* Non diſplicet *patricii auſi innocens.* Animadverſionibus meis in id caput de loco illo, *ſeque palam profeſſo*, dixi mihi *palam* videri eſſe gloſſam, legendumque *ſeque ex profeſſo*, ſed nec tuam damno correctionem. In capite II. merito probas, *commune quoddam ex omnibus gentibus*, ſed & reliqua ſunt probanda: *& plus quam civile bellum. Civile* non fuit rejiciendum. Non enim hoc bellum ſaevitia & vaſtitate alia bella ſuperavit, ut plus, quam bellum ſit dicendum, ſed voluit oſtendere Florus, fuiſſe plus quam civile bellum, quia tot reges genteſque illud implicuerat. arridet quoque tuum, *ſed pro clade rerum*, & *dein Africae incubuit.* In Ryck. & aliis MSS. *inde* hîc non legitur. Blanditur quoque, *vellet tamen auctos honores & opes.* Sed *Siciliam & Sardiniam annonae pignora per legatos obit*, non poſſum laudare. Nemo poteſt per alium *obire provinciam*, ſed quilibet ipſe obit: ſicut nemo per alium poteſt obire vadimonium, nuptias. Recte & eleganter MSS. *habet*, hoc eſt, regit, tenet. Sic in octavo capite libri ejuſdem: *Siciliam Sardiniamque habebat.* Tacit. I. Anna. I. *Urbem Romam ab initio Reges habuere.* Poſt bene deles *per eam*, quamvis *per eam* poſſis intelligere Galliam, non Maſſiliam. Sed *praeter libertatem* non moveo. Quippeni poteſt ſe urbs dedere, & diripi, ac deinde deductis praeſidiis ſuis reddi legibus? Et id clare teſtatur de Maſſilia Strabo lib. IV. pag. 181.

181. καὶ ὁ Καῖσαρ δὲ καὶ οἱ μετ᾽ ἐκεῖνον ἡγεμόνες, πρὸς τὰς ἐν τῷ πολέμῳ γεννηθείσας ἁμαρτίας ἐμετρίασαν, μεμνημένοι τῆς φιλίας, καὶ τὴν αὐτονομίαν ἐφύλαξαν, ἣν ἐξ ἀρχῆς εἶχεν ἡ πόλις. Vides illis a Caeſare relictam libertatem, quam olim habuerunt. Dein eleganter tu, *ubi pax fluminis populationibus & pugnae campos aperuit*. Sed invitis omnibus codicibus non auſim rejicere vulgatam. Hodie litteras habui ab Epiſcopo Oxonienſi & donum, *Charletoni* exercitationes de differentiis & nominibus animalium, quae prodierunt Oxoniae, nec non *Gailielmi Oughtred* opuſcula mathematica, & Graecos Rhetores. Promittit etiam, ſe Tullianos codices cum MSS. quos plurimos habent, curaturum componi, & excerpta mihi miſſurum. Habui etiam a *Bernardo* epiſtolam, quae narrant *Sponium* Lugdunenſem Medicum inſcriptiones Graecas Latinaſque, quas collegerat in itineribus ſuis, publicare, ſed addit, non eſſe *Gruterum* aut *Reineſium*. Rumorem etiam in Anglia ſparſum, Geographos minores, & multos ineditos ab *Holſteinio* collectos Romae typis, ſeu potius ſumptibus, *Barberini* in lucem protrahi. De te quoque nonnulla adſperſit, quae coram videbis. Proximo enim die Lunae, ſi vivo valeoque, & uxor mea valuerit, quam ex abortu febris corripuit, ad te excurram, ut tua ſuaviſſima conſuetudine recreer. Pacis nunc certior ſpes quam unquam allucet. Nam meliores conditiones ferunt Galli, & noſtri ad Regem miſerunt *Beverningium*, ut in caſtris, ſi non ſtatim pax, ſaltem induciae conveniant. Tu nunc vide, ut reliquum elegiae, quam debes, detexas. Vale, grande & unicum decus litterarum, & meum praeſidium. Trajecti a. d. XVIII. Maii. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

JAm pridem tua comitas humanitasque in me ſuaviter lauteque habendo modum excedit omnem, & meam exhauſit paupertatem in gratiis tibi agendis. Quî enim verbis aſſequar tua in me merita, cum ne cogitando quidem ullam eorum partem aſſequi poſſim? Noſti olim me Soldurioꝛum lege tibi addictum eſſe & devotum. Hanc legem dies nulla ſolvet, aut antiquabit. De tua valetudine ſollicitus ſum vehementer. Egi de illa cum *Strateno*, qui aliquot dies hîc poſuit. Is cenſebat ſanguinem, quem per haemorroidas effundis, plurimum poſſe ad levandam aegritudinem. Se id olim uſu didiciſſe cum apud alios, tum apud viduam *Gerhardi Voſſii*. Auctorem tamen tibi eſſe, ut venam jubeas ſecari. Hac ratione ſanguinem averti poſſe ab illa via, quam iniit, ad fervorem ſuum temperandum. In Floro lib. IV. cap. 2. non valde longe ab initio: *Galliam Caeſar invadit, Craſſus Aſiam, Pompejus Hiſpaniam: tres maximos exercitus: & jam ſic orbis imperium*, & quae ſequuntur. Quaeſo te quid loci illis verbis, aut unde pendent *tres maximos exercitus*? Non arridet nec tollit ſcrupulum conjectura Freinshemii. Procul dubio excidit aliquid, *habuere tres maximos exercitus*, aut

ſimile, aut haec verba ſunt delenda. Tuam tamen ſententiam expectabo cupide. A *Carpzovio* litteras habui, & *Ziegleri* Profeſſoris Wittebergenſis librum de Diaconis & Diaconiſſis veteris Eccleſiae. De republica nihil novi, niſi quod nuncii publicati referunt. Vale, decus noſtrum unicum & dulciſſimum. Faxit Deus, ut brevi te incolumem hîc complecti poſſimus. Trajecti a. d. IX. Kal. Jun. CIƆIƆCLXXVIII. Julian. Vellejum nondum vidimus.

EPISTOLA CCCCLXXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOvae indies acceſſiones fiunt tuorum in me beneficiorum, novaque mirifici tui ac incredibilis amoris argumenta undique prorumpunt. Vel comitate illa, qua nuperius me complectebaris, vel cura iſta ſollicitudineque pro mea valetudine, quam in his, quas modo accepi, litteris oſtendis, poteſtne quicquam eſſe aut fieri amantius, ſi vel parentem te mihi dediſſet neceſſitas Valetudo vacillat etiamnunc. Fervet ſanguis, quamvis hoc die denuo non parva pars ei ſecta vena ſit ſubtracta, fervet caput, cave tamen, fervorem Flaccianum cogites. Nec ſtomachus reſpondet Servio itaque nunc valetudini, idque non tantum, quia me ipſe non odi, ſed praecipue, ut tibi praecipienti obtemperem, qui a tuo nutu & voluntate totus pendeo. Generoſus Baro *Friſius* rediit ad nos, vide itaque, antequam denuo diſcedat, ut ad nos inviſas quamprimum. Tuo complexu plane recreabor. Si in iſto otio tuas conjecturas in Florum in epiſtolam conjicere dignareris, quam meae insererem editioni, multum & ego & Flori lectores tibi deberent. De publicis propediem certiora. Hagae Comitis nunc comitia habentur de pace, quam urgent tua patria, Rotterodamum, Amſterodamumque cum nonnullis aliis. Reliquae τῷ ποιμένι λαῶν aſſentiuntur, qui negat, has pacis conditiones eſſe accipiendas propter ſocietatem Bavari & Angli. Hic fertur nobis pecuniam offerre mutuam ſub uſuris. Auguſtini locus, de quo nuper agebamus, eſt in ſermone 157. de tempore, cujus initium eſt: *Paſchalis ſolemnitas hodierna feſtivitate concluditur, & ideo hodie neophytorum habitus commutatur.* Non longe a fine in editione mea legitur. *Caſtigatio volentis, fiat ſuſtentatio habentis: copioſae voluntatis inopia, fiat neceſſaria inopis.* Sic liber meus ſine ſenſu. Scripſiſſe autem Auguſtinum credo: *copioſae voluptatis inopia, fiat neceſſaria inopis copia.* Sequens vocabulum *copioſa* abſorpſit praecedentem voculam. Non dubito, quin in poſterioribus editionibus hoc emendatum ſit. *voluntati* hîc nullus locus eſt. *Copioſae voluptatis inopia* Auguſtino eſt, cum dives ſe ipſe jejunans defraudat illa voluptate cibi & potus. Vale, meum praeſidium, & de tuis opibus Muſicis mecum aliquid communica, ſi me vis valere. Trajecti Batavorum a. d. XXIV. Maii. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri ex Batavia, in qua dies aliquot duxi, revertens tuas, ſimulque CL. *Ryckii*, litteras inveni perquam gratas & acceptas. Sed voluptatem, quam ex iis capiebam, offuſcabat tua valetudo afflicta, & nondum in ſolidum collocata. Non poſſunt non atterere vires, & exhaurire plane corporis attenuati illae crebrae ſanguinis effuſiones. Quod ſi nondum fontes illi, quibus emittitur, ſunt occluſi, noli quaeſo diutius ceſſare in adhibendo Medico. Eſt in hac urbe *Sypeſteinius*, & probitate & artis ſcientia nobilis, cum quo ad te contendam, ſimulac juſſeris, aut ſponte veniam cum illo; ſi etiamnum infeſtaris ab illis haemorroidibus. Praecidendae ſunt omnes morae, ſi non rectius vales. Cras itaque nuncios de tua valetudine expecto, aut perendie me cum Medico videbis. *Beverningius* benigniſſime eſt acceptus, & prolixe omnia ei pollicebatur Rex, ut nemo dubitet, quin pax inter nos, Hiſpanum & Gallum ſit brevi futura. Nobis datus menſis eſt ſpatium deliberandi, velimuſne leges pacis accipere, nec ne. Poſt elapſum menſem ſi pax inter nos convenerit, ſociis quoque & foederatis ſex hebdomadum induciae indulgebuntur, quibus & ipſis licebit conſultare, pacemne illam, quam Gallus offert, velint amplecti, nec ne. Nullus dubito, quin non ſolum res noſtras Belgicas, ſed totius Europae ſis viſurus pacatas. Utinam te tam cito valentem & firmum videam! Pro locis Flori a te emendatis ingenioſe plurimas tibi debeo gratias. Illos mihi ad publica domeſticave munia functionis meae properanti cum maxime non licet excutere, quod cras tamen me ſpero facturum. Sed nihil me juvabit, antequam te meliore uti valetudine intellexero. Vale, grande decus meum. Trajecti ὡς τάχιςα. prid. Kal. Jun. CIƆIƆCLXXVIII. Julian.

EPISTOLA CCCCLXXXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri ad vos contendebamus, & non longe aberamus a ſcapha ego, uxor & ejus ſoror, cum ſubito ſpurciſſima tempeſtas nos rejiceret, cogeretque pedem referre retro. Nihil jam pridem indignius tuli. Nam in tuos complexus properabam, &, ut de tua valetudine coram fierem certior, &, ut gravis multis praeclariſque rebus, quas ſemper ex tuo ore haurio, domum redirem. Videbo tamen num hanc, quam feci, jacturam hac poſſim hebdomade ſarcire. Interea quaeſo te, ut me doceas accurate, quo loco tua ſit valetudo, num ſanguis ſedetur, & haemorroides ſint ſanatae, ſomnuſque num ſit paratior & largior,

gior, quam ſolebat, numve reficiaris, & recreeris. Angor enim animi, nec in ulla, licet ſuaviſſima, re poſſum conquieſcere, niſi te melius valere cognovero, ſpeſque oſtendatur fore, ut brevi te hîc videam, & fauſtis ominibus ac votis proſequar tuum iter ad Epiſcopum Paderbornenſem. Heri litteras habui a *Broeckhuſio*, qui pertaeſus ſtrepitus militaris anhelat ad otium. Auctor ei fui, ut carmen aliquod pangat in laudem *Marſevenii*, cui jam olim ejus ingenium laudavimus. Favet ſane ingeniis ille Conſul urbis ampliſſimae. *Perizonio* quoque ſi commodare poteris, de praeſtantiſſimo juvene praeclara mereberis. Nunc ad Florum redeo. In lib. IV. cap. 2. non damno tuam conjecturam. *jam tres maximos exercitus, & ſic orbis imperium ſocietate trium principum occupatur:* ſed neſcio tamen, quid abruptum ſonent interpoſita haec verba, *jam tres maximos exercitus.* Pro *jam* mallem, *ac tres maximos exercitus, & ſic orbis imperium ſocietate trium principum occupatur.* Sed nec ſic quidem locum puto ſanatum, & plane mihi perſuaſi, aliquod verbum librariorum vitio intercidiſſe. *Jam tot laboribus* in prooemio occupavit Freinshemius. *circum ipſa in cunis auſpicia* ſollerter eruiſti ex veſtigiis Nazariani codicis. In eod. prooem. *tempus viris armiſque incitatiſſimum* eſt, quo viri fuerunt incitatiſſimi ad pugnandum, & arma quoque valde incitata erant, hoc eſt, bella acerrima, & viri fortiſſimi. Eſt tranſlatio ab equis petita, qui proprie dicuntur incitari, cum calcaribus ſubditis ad celeritatem incitantur. *Incitare poenas* apud Tacitum eſt graviores reddere. Tempori nimirum tribuitur, quod rebus, quae in tempore ſunt & fiunt, conveniebat. Sic δȣ́λιον ἦμαρ apud Graecos eſt ſervitus illius temporis, *Dorica nox* apud Valerium Flaccum, pro nocte, qua Graeci Trojam ceperunt. In cap. tertio: merito probas *ſubinclinare.* Cap. VIII. *ut acueret ratione virtutem.* non muto. Nam hic ſenſus eſt. Neceſſarius fuit Tullius, qui fuit conditor diſciplinae militaris. Fortes quidem viri erant Romani, ſed nondum diſciplina inſtructi, qua cum formarentur a Tullio, merito dixit, illum ratione, diſciplina & legibus militaribus acuiſſe virtutem. Cap. X. recte *in caſtris ipſis*: ibidem, *ne quis ſexus* non auſim ſollicitare. Cap. XII. *Satis ſuperque idonea clades, caeſi.* bene diſtinguis, ut lib. II. cap. II. Valde quoque placet in eod. capite: *ea denique diviſae praedae magnitudo, cujus decimae.* Hoc ultimum jam recepit Freinshemius, ut & in cap. ſeq. *ſedentes in curulibus ſuis.* Reliqua in illo capite vera mihi, quae corrigis, habentur. In libro II. cap. 6. *Cum exercitu novo, novis viribus, nova belli mole veniebat*, omnino Flori laſciviae & frigida ſaepe acumina captanti cacozeliae eſt adſignandum. In lib. IV. cap. 2. probaſne? quod in vulgatis legitur, *niſi quod amplior eoque acrior Caeſarianonum impetus fuit.* Quid eſt *amplus impetus?* dein cur *eoque acrior?* quid praeceſſit, ut hoc inferatur? Ryck. melius: *amplior eo acriorque.* ſed legerim: *ardentior eo acriorque. eo* ſcilicet, quo uſi ſunt in pugna Pharſalica. Inferius in eod. cap. *Velut furorem civicum caſtigaret Oceanus, utramque claſſem naufragio cecidit.* Claſſem naufragio punire dicerent ſcriptores caſtigatiores. Nunc haereo, num & hoc cacozeliae Flori ſit adſcribendum, an legendum: *utraque claſſis naufragio intercidit*, an ex Ryck. in quo ſcribitur, *utrumque claſſe naufragio cecidit*, eliciam, *utrumque claſſis naufragio cecidit.*

Utrumque nimirum legatum Caeſaris. Tuam ſententiam de his locis, & reliquas conjecturas tuas, ut mecum communices, rogo. *Trelchius* & *Servaeſius* te ſalutant. *Maerſebroeckius* ex Selandia redux febri tertiana vexatur. Pax certa habetur, & hoc Ordinum Batavicorum ſenatu, qui cum maxime habetur, firmabitur. Vale, Vir Perilluſtris & me ama. Trajecti Batavorum a. d. III. Jun. CIↃIↃCLXXVIII. *Elzevirius* pergit cunctari. Nos deſiderio marceſſimus, & poene emorimur.

EPISTOLA CCCCLXXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ET ceſſationis in officio litteris tuis debito perſolvendo, & immemoris tantae benignitatis, qua priſtinam tuam erga me comitatem nuperrime cumulaſti, animi notam quî poſſim deprecari, vix invenio. Repreſſit ſcripturum homo nobiliſſimus ex Germania nos inviſens, qui, quicquid horarum a noſtris ſcholis vacuarum mihi fuit, ſibi vindicavit. Nunc liber ſolutuſque ſtatim me his exarandis accinxi, quibus tibi gratias ago, quas poſſum, & pro hoſpitalitate illa, quam toties totieſque, & noviſſime tam prolixe mihi praeſtitiſti, & pro tuis in Florum egregiis annotationibus, quas mihi impertiiſti. In lib. IV. cap. II. non diſplicet *utramque claſſem naufragio accidit*. In lib. I. cap. I. magis arridet *ſaevientibus*, quod omnes Annaei codices prae ſe ferunt, quam Jornandis *funeribus*. Sed in cap. XIV illius libri vulgatam non ſollicito. Nam cum peterent partem magiſtratuum, petebant etiam conſulatum. Partem enim alteram omnium magiſtratuum ex ſuo volebant creari corpore, quamvis tuam conjecturam non repudiem, ſed digniſſimam habeam, quae publice legatur ab omnibus. In cap. XV. recte Gruterus ex veſtigiis veterum codicum reſcripſit: *qua Nar, Anio, onteſque Velini.* Nam hos eſſe Sabinorum fines docet Plin. III. Hiſt. 13. pulchre vero tu in eodem capite: *pactae ſub Tito Tatio affinitatis*. In cap. XVI. neſcio, quam bene *amiciri* inſeratur, poſſem *amictam* ferre. Nam & quae ſequuntur, & quae praecedunt, deſiderant participium, aut nomen. Nihil certius, quam quod in eodem capite legis, *ſtrictis enſibus furit*. Nec improbo *Lucta hactenus populo Romano.* Sed *nubibus* & *mitterentur* non auſim damnare. Nam & *mitti* dicuntur fulmina, & mittuntur e nubibus. Quamvis cum gigantomachia comparet hanc pugnam, non tamen eſt, ut omnia, quae gigantomachiae non reſpondent, ſine libris antiquis hîc rejiciantur, ſi modo huic loco congruant. Dein non inepte conjicis, *refert tuta. tum iter.* puto tamen verum eſſe: *refert tutum iter.* In cap. XVIII. *cum magnitudine* occupavit Freinshemiana editio. *Vela mittit* rectius dici tecum ſentio. *fluvium Sirin* Salmaſius ad Solinum praecepit: ut jam Freinshemius monuit. In libro IV. cap. 7. me aliquot exercuerunt loca. Primo inepte legitur in editis: *diſplicuit ultio cum conſulis abolitione decreta.* Cogitabam: *diſplicuit ultio. SC. abolitio decreta diſcordiae.* Inge-

Ingenio Tanaquilli filiae debetur SC. In vocabulo *decreta* latet *diſcordiae*, quod abſorptum fuit. Cicero vocat *oblivionem diſcordiarum*. Dein quid eſt *publici doloris oculos ferre?* Sic enim editur: *ne publici doloris oculos ferrent*. Suſpicabar: *ne tamen publici doloris vis oculos ureret*. Mallem, ſi libri annuerent; *nec publicum dolorem oculi horum ferrent*. ut apud Cic. *quod quoſdam homines oculi mei ferre non poſſent*, in lib. IX. ad fam. Ep. 2. *horum* nimirum Caſſii & Bruti. Paullo poſt: Ryckianus, *Eadem illa, quae fatalis Cn. Pompejo fuit, arena inſederant.* quod non improbem. Sic apud Virg. *conſedimus arvis*. & apud Ovid. *inſidere toro*. Mox conjiciebam: *Verum meliore praeſagio in Caeſaris caſtris*. Merito tibi ſuſpectum eſt *pari*. Nec Latine dici puto: *Promittere pari praeſagio in meliora*. Inferius foedam tranſpoſitionem animadverti. Totum locum, ut mihi conſtituendus videatur, adſcribam: *Acie namque commiſſa, cum pari ardore aliquamdiu dimicatum foret, quamvis duces non eſſent praeſentes, cum hunc corporis aegritudo, illum metus & ignavia ſubduxiſſent, ſtabat tamen pro partibus invicta fortuna, & ultoris, & qui vindicabatur, ut exitus proelii docuit. Primum adeo anceps fuit, & par utrimque diſcrimen. Capta hinc Caeſaris caſtra, inde Caſſii.* Verba iſta *primum adeo anceps fuit, & par utrimque diſcrimen*, quam non ſuo loco ſint poſita, facile videbis, cum animum advertes. In reliquis nihil immutavi, niſi quod pro *ſtaret*, ſcripſerim ſententia poſtulante *ſtabat*. Nam copulam in illis *& quamvis duces* delevi auctoritate Ryckiani codicis, & ſententia requirente. Dein *cum hunc* ex eodem codice repoſui, in quo ſcribitur *cum hinc alterum*. Non longe abhinc melius idem codex: *inclinato cornu ſuo*, pro vulgato *ſuorum*. Sed pro illis, *ita enim par ſupereſſe convenit* quid ſubſtituam, non invenio. Probavi Boecleri conjecturam, quam Anna ſibi vindicat, ut multas alias Freinshemii, *ita enim pariter ſupereſſe bello convenerat*. Tu, ſi quid rectius vides, imperti, ut & tuas obſervationes reliquas. Novi nihil. Hodie ſancietur, credo, pax Hagae Comitum. Vale vir maxime, & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XII. Jun. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Reducem ex Batavis neſcio quae tricae exercuerunt, per quas de die in diem ſcriptionem tuis amantiſſimis debitam litteris diſtuli. Doleo ſane, me & fructu tuae conſuetudinis, & tuarum epiſtolarum tam diu caruiſſe: ſed hanc jacturam hiſce feriis penſabo, & reſarciam, niſi iter Saxonium, quod molior, interceſſerit iſti conſilio. Sequente hebdomade comes Generoſiſſimus *Broecdorfius* contendet Hamburgum, qui a me petiit, ut eum comiter. Res familiaris exigit ſane, ut in patriam excurram. Patrios lares poſt tot annorum deſiderium reviſendi occaſio nunquam offerri poterit melior & optatior, quam haec eſt. In tranſcurſu appellabo *Gudium*, & videbo, num blandis dictis poſſit induci, ut tibi

tibi & mihi legatum Schiazianum praeſtet. Antequam me viae do, te videbo. Sed incertum animi me reddit incerta pacis ſpes. Videtur enim, neſcio, quid ex tranſverſo quaſi interveniſſe, quod metum pleriſque incutit, ne pacificatio reddatur inita. Gallus enim detrectat praeſidia deducere ex Urbibus & caſtellis, quae Hiſpano & nobis eſt redditurus, antequam Sueco reſtitutae fuerint urbes a Danis & Germanis captae. Clivenſis ager ut extra belli aleam ponatur, noſtri quoque Proceres petierunt, ſed & hîc difficilem ſe Rex praebet. Sine his legibus tamen pax non conveniet. Tecum de his agere geſtio. Apud Florum nondum concoquo hoc loquendi genus *caedere claſſem naufragio*, ſed *caſtigare claſſem naufragio*, recte & eleganter dicitur, pro punire naufragio. Si Florus ſic ſcripſit, eſt ſane hoc ejus cacozeliae annumerandum exemplis, quae in illo non infrequentia reperiuntur. In cap. I. lib. I. *in funebribus* non improbo. Sed *funeribus intervenire* durum nimis eſſet, quamvis ſententia commoda poſſit ex Plutarcho huic ſcripturae praeſtari. In cap. XIV. lib. I. Valde placet tuum *magiſtratuum caput*. *Partem imperii* interpreter partem Senatorum. Nam petebant, ut alter conſul Latinus eſſet, & pars Senatus ex Latinis legeretur. In cap. XV. *pactam affinitatem* mihi certum habetur & indubium. Sed in cap. XVI. *amiciri* non video, ut ferri poſſit inter poſita utrimque participia. In cap. XVIII. nondum *ideam regum eſſe* mihi potui probare. Nam *idea* vocabulum eſt, quod Philoſophorum in ſcholis frequenter audiebatur, ſed vix in Oratorum & Hiſtoricorum libris reperitur. Deinde non dixit legatus Pyrrhi, Senatum eſſe ideam regum, ſed Senatum eſſe conſeſſum Regum, hinc merito Livius dixit, lib. IX. 17. illum, qui Senatum dixerit, ex regibus conſtitiſſe, veram *Senatus Romani ſpeciem* cepiſſe, non *Regum ſpeciem*. Id laudi dabatur Romanis, quod ſinguli Senatores tantae eſſent auctoritatis & majeſtatis, ut Reges viderentur eſſe. Hoc vero non eſt *idea Regum*. Potius dicendum fuiſſet, conſeſſum regum eſſe ideam Senatus. In eodem capite non diſplicet: *his moribus, hac virtute militum*, ut & : *niſi ſi qua pecora Volſcorum*. In cap. XXI. *in ipſos exercebant* bene conjeciſti. Gronovius & Freinshemius olim quoque *exercuerant*. Cras de reliquis. Nunc interpellatus cogor abrumpere. Vale, decus noſtrum unicum, & me amare perge tui cupidiſſimum & Solduriorum lege tibi devotum. Trajecti Batavorum a. d. XXVIII. Jun. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCCLXXXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ANte hos undecim dies Hamburgum ſalvus & incolumis appuli, quinque dierum ſpatio itinere hoc perfunctus. Illico ſalutavi *Langermannum* & *Gudium*. Uterque me perquam comiter accepit; hic vero me noluit dimittere e complexu & domo ſua, quamdiu Hamburgi egi. Prolixe quoque tibi & mihi promittit de legato Sciaziano, ſimul ac reliqua hereditatis Batavica liber ſolu-

ſolutuſque omnibus calumniarum moleſtiis creverit. Ne tamen hoc alii reſciſcant petit. Magnificis his dictis num eventus ſit reſponſurus, ego quidem valde dubito praeteritorum memor, ſed nolui tamen querelis, aut adducta fronte, tuiſve mandatis perdere, qua tunc fruebar, humanitatem & benignitatem hoſpitii Phaedri editionem etiamnunc promittit, ut & Inſcriptionum corpus, ſive auctarium ingens. Symbolam me collaturum fidem dedi. Multis quoque inſignibus libris Hamburgi bibliothecam ſuam auxit; inprimis Medicis & Mathematicis. Proximi menſis Sextilis tertio decimo die numeroſa *Vogelii* Hamburgenſis Profeſſoris bibliotheca haſtae ſubjicietur, in qua non paucos eſſe, quos tuis uſibus velles vindicatos, perſuaſiſſimum habeo. Catalogum emi, ut ad te curetur per *Samuelem Koningium* bibliopolam Hamburgenſem, juſſi. Recte autem illum tibi redditum iri ei oſtendi, ſi *Danieli Elzevirio* tradetur. Spero te illum tempeſtive accepturum. Novi praeterea nunc nihil, quod ſcriberem, habebam. Pacem hîc terrarum omnium vota deſiderant, qua & nobis nihil poterit accidere deſideratius, ſed ejus tamen ſpem ajunt decoxiſſe. A vobis laetiora & certiora expectamus Gottorpienſem bibliothecam rabies bellica clauſit, nec ante ulli patebit, quam haec deſaevierit. Non enim Jani ſed Palladis aedes eſt. Tibi ſalutem dicunt Generoſiſſ Comes *Broeckdorffius*, *Trelſchius*, & *Moorhofius*. Cras ſpero me Lipſienſe iter ſuſcepturum. Kilonii Cimbrorum a. d. XIX. Jul. CIƆIƆCLXXVIII. Dionyſiac. Amſterodami apud *Pluymerum*, cum jam jam me viae daturus eſſem, vidi Itinerarium *Sponii* Gallice ſcriptum profectionis a ſe per Graeciam inſtitutae, in quo plurimae erant inſcriptiones & nummi antiqui. *Plumerus* dicatae editionis Valerii Flacci cauſſam afferebat ſcripturum, praefationis a te miſſae diſtortam ſcripturam, quam aſſequi librarii non poſſent. Sed hoc craſſum commentum ego, qui tuam manum novi, cachinno excipiebam effuſiſſimo. Is tamen pertendebat. Tandem promiſit, ſe hoc nomine ad te altero ſtatim die litteras daturum. Vera cauſſa eſt aeris penuria. Vale, Princeps ingeniorum & amicorum. Si a te habuero in hoc itinere epiſtolam, cui adſperſeris elegantem aliquam & te dignam emendationem, ſublimi feriam ſydera vertice, & deſiderium veſtri patientius feram, quod poene me enecat.

EPISTOLA CCCCLXXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DEfunctus tandem longo, quod in Germaniam interiorem feci, itinere, nihil antiquius habui, quam ut, cum nondum mihi ipſi liceat in tuos complexus ruere, litteris hiſce tibi gratias agerem pro paterna cura, maximiſque officiis, quae meis omnibus praeſtitiſti. Non ego quidem haec miror, qui novi tuum ingenium factum ad omne benignitatis genus, quo tibi devincis, quoſcunque bona mens tibi commendat; & qui tot annorum uſu didici, te

unum eſſe, qui de me meiſque bene merendi nec finem nec modum ſtatuas, ſed tamen non poſſum non tacitus haec praeterire, ne tam ſtupidus & obtuſi pectoris eſſe videar, qui haec tanta bona non intelligam. Si vivo, cognoſces aliquando, te non perdidiſſe beneficia tua, cum in hominem memorem illa te collocaſſe ſenties. Habes hîc litteras a *Daumio* & *Carpzovio*, & Juſtinum, quem tibi dono mittit optimus *Schefferus*. *Gudius* tibi ſalutem dicit plurimam, inſtauraturus amicitiam, ſi ſecum in gratiam redire volueris. *Langermannus* aberat domo, cum ex Saxonia rediiſſem Hamburgum. Vidi Reineſianam bibliothecam, quam Illuſtriſſimus *Selcendorffius* vindicavit Sereniſſimo duci Saxoniae, *Mauritio*, qui Cizae degit, refertam multis egregiis libris annotationibus & μακαρίτȣ inſigniter illuſtratis. Vidi & Joſephos Boſianos cum antiquis codicibus compoſitos ſummo ſtudio & diligentia. Vogelianam bibliothecam, quae Hamburgi proſtabat, totam emit Sereniſſimus Princeps Brunſwicenſis Hannoveranus, qui totus eſt in inſtruenda bibliotheca. Catalogum apud me videbis. Sed de his omnibus plura coram. Proximo die ſolis, poſt quam ſacris operatus fuero, ad te excurram, ut tecum garriam, & gaudium noſtrum gaudeam de Illuſtriſſimi Maecenatis noſtri nova dignitate, qua nunc, turbone illo mortuo, augetur. Faxit Deus, ut te firmum valentemque videam. Trajecti a. d. xx. Sept. Dionyſ. CIƆIƆCLXXVIII. ὡς τάχιςα.

EPISTOLA CCCCLXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

JAm pridem gratias tibi egiſſem pro ſumma, qua nuperrime nos accepiſti, humanitate, niſi mihi perſuaſiſſem, me coram hîc iſto officio fuiſſe defunctu-rum. Jam enim certa ſpe praeceperam tuum adventum tamdiu deſideratum. Nunc quia falſus animi ſum, doleo, tibi tamen gratias ago & pro lauto apparatu, & pro lagena vini uxori miſſa, quamvis fortuna hoc donum ei inviderit, fracta caſu in itinere lagena. E via heri intellexi, te ſolum domi ſervare, niſi duas filias, quae interea tuis commodis invigilarent, donec rediiſſent ex Batavis, qui tui curam gerunt. Litteras habui ex Germania, ſed nullarum rerum novarum nuncias. *Hadrianus Valleſius* fratris *Henrici* vitam dicitur litteris mandaſſe. In Floro recte tueris *jaculari panes*: praeclare etiam legendum vidiſti; *ſi viri, inquit, eſtis*. Sed in eodem capite ſecundo libri 3. *Quo quid admirabilius, quid inſignius fieri poteſt?* Non mutem temere. Non enim de illa acclamatione ſola loquitur, ſed de toto illo negotio, de duobus juvenibus ſcilicet litteras laureatas ferentibus, & illas ſecuto applauſu. Noſti autem *fieri* eſſe proprium in his loquendi generibus verbum, quod millies apud Tullium occurrit. In capite ſecundo probarem tuam emendationem *ut a ſeptentrione*, ſi aliquid praeceſſiſſet, quo ſignificaretur, ubi fuiſſet ſaevitum. Sicuti in locis Curtii: *Hyrcani egregii, ut inter illas gentes. ad magnam, ut in illa regione, urbem*

ho-

hoc eſt, pro captu illarum regionum, ut ſic loquar. Sic etiam ſi Florus ſcripſiſſet, *multo atrocius, & multipliciter magis in Gallia, ut a Septentrione, ſaevitum*, laudarem. Nunc cenſeo & delendum eſſe. Quaeſo ut hunc locum accuratius expendas, &, ſi fruſtra ſum, ſcrupulos omnes mihi evellas. Elegia promiſſa ubi & quando? De cratibus doloſis Senecae locum expecto. Jam nauta ſolvet oram. Vale vir Summe & me ama. Trajecti Batavorum a. d. VII. Kal. Octob. CIↃIↃCLXXVIII. Noſtri omnes te ſalutant.

EPISTOLA CCCCLXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam:

ADfinis tuus comiter me habuit, & bibliotheca perluſtrata benigno prandio me excepit, fide data, ſe amici Hamburgenſis negotium diligenter curaturum. Hagae neminem vidi praeterquam apud quas diverſaris mulieres, quae tuum adventum videbantur valde deſiderare. Vidua *Brederodii* graviſſime aegrotabat, ut de ejus ſalute ſorores fere deſperarent. In reditu tranſiens patriam tuam ſalutavi *Ryckium*, quamvis per temporis anguſtias, quibus urgebar, pauca cum eo verba mihi permutare licuerit. Tibi juſſit ſalutem dici. Adfinis tuus me quoque xeniolo ornavit animadverſionibus quibuſdam in Suetonium nuperius editis a ſe, in gratiam filii natu minimi *Danielis Goeſii*, cui illas inſcripſit. C. Nepotem *Boſii* & Caeſarem cum antiquo codice compoſitum habebis proxime, ubi ad te excurram. Conſtitui autem proximo die Saturni hanc viam ad vos affectare. Nam die ſolis ſacra σύναξις celebrabitur, ut abeſſe domo tum non poſſim. In loco Flori emendando rem acu tetigiſti. Nihil poterit fingi, quod propius abſit a veſtigiis veterum codicum. *Freinshemius* ediderat: *ſtrictus ac recreatus ex vulnere in tempus*. Sed plane tibi aſſentior. Accipis hîc litteras, quas Hagae tibi tradendas mihi commiſerunt. In Juſtino, quem proxime a librario compoſitum tibi miſi, inveniſtine aliquid ὑγιές? Optimus ſenex in multis iiſque ſatis protritis miſere ceſpitavit. In itinere Germanico in curru notas illas perlegi. Editionem meam non vidit, ſed tantum notas, quas editioni ſuae praefixit *Elzevirius*. In hunc ſcriptorem ſi tuas mecum communicaveris correctiones, ſummopere tua in me merita augebis. Utinam & Ciceroni hanc operam navare in animum induceres, quam Cornelio Nepoti & Caeſari te navaturum promittis. Nullus dubito, quin editioni meae magnum ſit acceſſurum ornamentum. De Paderbornenſi Principe nihil certi etiamnunc ſe habere ſignificarunt hodie mihi litterae *Elzevirii*. Elegiam tuam, quam promiſiſti, quando videbo? Fac, quaeſo, fidem liberes quam primum. Vale, vir ſumme & me ama. Trajecti Batavorum poſtrid. Kalen. Octob. Dion. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA D.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SAlvi quidem domum pervenimus, ſed pleni curarum ac ſollicitudinis, ecquam tandem gratiam tot tantiſque tuis in nos meritis relaturi ſimus. Nam cum nos totos excutimus, nihil ne animo quidem aſſequi poſſumus, quod tuae benignitati reſpondeat. Nihil igitur tibi promittimus, niſi animum memorem, & tibi deditiſſimum ad omne officii & obſequii genus; ſed rogamus etiam ac obteſtamur te, ut, cumprimum tempeſtas iſta deſaevierit, ad nos excurras, ut tuo tam diu hic deſiderato complexu ante hyberni ſideris gravitatem, quae tuae valetudini per quam infeſta eſt, fruamur. Non votorum & ſpei, quam ipſe plus ſimplici vice nobis feciſti, irritos nos eſſe, ſi nos amas, patieris. Optimum & ſuaviſſimum ſenem *Heidanum*, meique ſtudioſum ſatis tandem praeterito Saturni die conceſſiſſe, a te redux ex CL. *Burmanni* litteris intellexeram, cum paucis diebus ante ὁ μακαρίτης edidiſſet, & mihi dono miſiſſet octo libros non indoctos de erroris origine. Credo fulmen, quod non multos ante ejus obitum annos fortuna in illius caput erat ejaculata, fregiſſe corpus jam ante confectum quidem aetate, ſed quod tamen ante hunc caſum magis vigebat. Non enim videbatur, ſatis firmo animo hanc fati ſui acerbitatem ferre. Apud Florum lib. III. cap. I. *ſequens ultio* merito tibi ſuſpectum eſt, quippe Latine loquentium conſuetudini adverſum. Nihil videtur etiam huic loco accommodatius excogitari poſſe, quam quod tibi occurrit *praeſens ultio.* Sane *praeſentis metus mortis* in alio loco hujus ſcriptoris eſt indubium. *Emmeneſſius* apud Lugdunenſes fertur graviter aegrotare. Deum precor, ut illum ſervet, & te imprimis magnum & noſtrum & ſeculi decus. Uxor, ſoror, liberi te ſalutant & tuum omnes adventum deſiderant anxie. Trajecti Batavorum a. d. IX. Octob. Julian. CIƆIƆCLXXVIII. Hamburgo bibliopola mihi ſignificat *Trelſchium* febri nunc plane carere, ſed tamen ex articulari morbo laborare vehementer. Nunc Othonis aerei ectypon mihi miſit inſpiciendum *Gronovius.* Quaeſo, ut mihi ſignifices, quid tibi de illo videatur, & cras mihi remittas, vel ipſe feras. Iterum vale.

EPISTOLA DI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DOleo ſane, & ſi per jus amicitiae liceret, indignarer, te dies hos ſerenos, & ad vernam apricitatem hilares praetermiſiſſe, & nos tui optatiſſimi complexus ſuavitate, quam jam animo praeceperamus, defraudaſſe. Tota mea do-

domus ſpe tui adventus incenſa exultabat, & ſibi ipſa feſtum diem, ſimul ac te viſura eſſet, indixerat. Nunc aſperior, quae incidit, tempeſtas metum nobis affert longioris morae, ne ſerius, quam vellemus, votorum reos nos facias. Melius tamen augurari nos jubent Nobiliſſimi ex ſorore tua nepotes tui, quos ſperamus tantum apud te valituros, ut neglectis rebus probe munitus contra injuriam aëris, illis comitibus ad nos hac advoles hebdomade. Aër iſte ſalubrior forte nonnihil conferet ad vires diuturno morbo acciſas inſtaurandas & penitus confirmandas. Videbis apud me, quae, credo, tuos poterunt oculos capere. Nam faſciculus librorum, quos in Germanico hoc itinere paraveram, allatus eſt, & in illo inter alia catalogus bibliothecae Boſianae non typis editus, ſed exaratus manu, & *Reineſii* diatribe de comitibus Palatinis. In Flori lib. II. cap. 16. me quoque offendit *quaſi ſpectaculo expoſita.* Nam licet ſpectaculum hic accipias pro loco, ex quo ſpectatur, ut ſpectacula in ludis, ſunt ſpectatorum loca apud Ciceronem, Ovidium, Livium, alios, dicendum eſſet *quaſi ſpectaculum expoſita.* Probo itaque valde tuam conjecturam *quas ſpeculatrix poſita*, quam maxime firmat Valerius Maximus & Statius in περιςκοπαῖς, quas tua nobis ſuggeſſit epiſtola. In operis prooemio nondum poſſum inducere animum, ut damnem omnium codicum lectionem, qui prae ſe ferunt: *Hoc fuit tempus viris armiſque incitatiſſimum.* Locutio eſt parum trita, fateor, ſed a Flori ingenio non aliena, apud quem loquendi genera non pauca occurrunnt peregrinitatem redolentia, & κακοζηλίαν. Senſus eſt, fuiſſe tum viros incitatiſſimos & ardentiſſimos, qui graviſſima bella geſſerint. Hinc de hac ipſa aetate lib. I. cap. 22. dicit: *Haec eſt ſecunda aetas Populi Romani & quaſi adoleſcentia, qua maxime viruit, & quodam flore virtututis exarſit ac ferbuit.* Quam hîc aetatem dixit arſiſſe & ferbuiſſe, ibi ait fuiſſe incitatiſſimam viris armiſque. Incitatus eſt vehemens, ut *mundi incitatiſſima converſio* apud Cic. apud eund. *Studium incitatum ad inveniendam veritatem. incitatus furor* apud Livium, qui hoc ipſo tempore, ut pulchre notaſti, dicit *florentiſſimum fuiſſe tum Latium armis viriſque*, ſed hic Latinius & planius expreſſit, quod ille obſcurius & minus emendate dixit. Licet longinqua bella non geſſerint tunc Romani, non minus atrocia tamen & haut minore virtute geſta ſunt, quae geſſerunt cum Latinis, Samnitibus, Lucanis, & Maximo Rege Pyrrho, quam quae poſtea Pompejus & Julius Caeſar in Aſia & Gallia circumtulerunt arma. Si mihi talis temporis res eſſent exponendae, mallem tecum loqui, fuiſſe *tempus armis viriſque inclitiſſimum:* Sed in Floro tales floſculi, quos nollemus in noſtris hortis ſuccreſcere, non paucos inveniri certum eſt, & conſtitui de iis in praefatione diſputare, ſi per occupationes ei pertexendae manus admovere potero. Vellejum excutiam, quamprimum otii nonnihil his, quae nunc circa caput latuſque ſaliunt, negotiis fuero ſuffuratus. En tibi *Spanhemii* & *Theodori Gronovii* munuſcula. Vale, vir Summe, & perge de Floro meiſque ſtudiis bene mereri. Tuis neceſſariis ſalutem dico, & mei omnes te jubent athletice valere, & ad nos poſt tantam expectationem trajicere. Lugduni *Seienus* Botanices Profeſſor, cum uxore diem obiit. *Emmeneſ-*

ſius & ejus uxor in maximo vitae diſcrimine verſantur. Uxor ſane a Medicis habetur conclamata. Deus te ſervet, noſtrum decus & praeſidium. Trajecti Batavorum a. d. XVI. Octob. CIϽIϽCLXXVIII.

EPISTOLA DII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Valetudinem tuam jam tantum firmitatis collegiſſe ſperamus, ut tantilli itineris jactationem ferre ſine injuria poſſit. Sane laetiora nobis nuperius, cum te inviſeremus, promittebat, ut ſpem tui adventus omnibus amicis fecerimus, quae ne nos fallat, pro tua in nos indulgentia & ſtudio quamprimum videbis. Occupationes Academicae non eſt ut tibi moram objiciant, ac iter inſtitutum retardent. Semper vaco tibi. Ne dicam omnes horas diei Veneris pomeridianas meas eſſe, nec non Saturni & Solis totos. Nullis curis publicis avocabor a tuis ſuaviſſimis & eruditiſſimis fabulis, nullum functionis munus à tuo me divellet complexu. Fac igitur ne diutius deſiderio tui nos torqueas, ac vota noſtra longius ſuſpendas. In Flori lib. I. cap. I. recepi lectionem Jornandis, quam dudum aſſerui in notis ad Luciani Soloeciſtam. Verum eſt, *Piaculum* eſſe quicquid diis propitiandis adhibetur. Sed hîc non agitur de placandis diis, ſed de eorum voluntate & conſilio, uter deberet auſpicari, explorando per augurium. Auguriis autem nuncquam propitiati fuerunt dii, ſed conſulti de rebus futuris, nonnunquam etiam nunc hac vel illa ratione poſſint velintve piari. *Adhibere* autem *deos* eleganter eſt conſulere, quod non intellexerunt interpolatores. Emendatio Dictys Cretenſis tua eſt certiſſima. Nam immolationes illae erant piacula. Non improbo conjecturam tamen in eodem capite, natam ex veſtigiis antiquiſſimi codicis, *placitum diis eſſe, ut gentium Roma potiretur.* Recte etiam tueris Nazarian. ſcripturam in capite tertio, *ſubinclinare*. Nec male ſuſpicaris, cum in capite 10. cenſes *manum* excidiſſe, quia libri omnes *fruſtratum* prae ſe ferunt. Non poſſum etiam non probare nunc, quod ex eodem Nazar. colligis in x. cap. 14. *magiſtratuum caput* legendum eſſe, quamvis hanc ſententiam etiam conficias ex edita lectione. Cum enim partem imperii ac magiſtratuum poſcerent, etiam conſulatum popoſciſſe ſignificatur, qui inter magiſtratus praecipuus, ſicuti etiam Juſtini locus a te allatus ſimilem Marſorum audaciam prodens non aliis verbis eſt conceptus: *Non jam libertatem, ſed conſortium imperii civitatiſque poſcentem.* Qui partem ſic conſortium imperii ac Magiſtratuum petit, conſulatum utique etiam petit. Nam in rep. Romana qui poterat ambire quaeſturam, aedilitatem, praeturam, non poterat a Conſulatu ambiendo, &, ſi ſuffragiis vinceret in Comitiis, conſequendo removeri & excludi. Cap. XV. *pactae adfinitatis* perplacet. in cap. ſequ. indubium eſt *furit enſe*, quod & veteres editiones prae ſe ferunt, maleque rejecerunt recentiores. Doleo hanc mendam meam quoque foedare. In

In cap. XVII. videris nimis multas voces inculcare. Propius a priſcis membranis recedet emendatio, quam *Tanaquillo Fabro* debemus: *Ille per noctem paſtorio habitu ſpeculatus omnia, refert tutum iter.* Nam ut *ſpeculatus* ſine caſu ſuo ponatur, non poſſum perſuaderi. Durum quoque eſt ex praecedenti capite repetere *acceſſus*. In cap. 21. probo *libertatem exercebant*. *Freinshemius* etiam vidit, niſi, quod ille maluerit *exerceant*. Multum vero te amo de iſtis, quas mecum communicas, deliciis. Lugduni tuae febres plurimos jugulant. *Ruſii* & *Emmeneſſii* uxores jam obierunt. Ipſe *Emmeneſſius* dicitur animum agere. A *Monachio* litteras habui. *Cangii* gloſſarium trium voluminum narrat prodiiſſe, & magno doctorum omnium applauſu fuiſſe exceptum. Venditur, ut Pariſienſis bibliopola mihi affirmabat, triginta quinque florenis noſtris. Tibi ſalutem dicit χαριέστατος Theologus, & dolet ſe toties fruſtra te quaeſiviſſe Hagae. Speciminis illius gloſſarii, quod olim mihi perluſtrandum dediſti, fac, quaeſo, ut per unum alterumve diem ad me remittatur. Salvum recipies. Si poteris etiam *Antonii Auguſtini* nummis in quarto, ut ajunt, editis carere paucis diebus, rogo, ut illorum mihi copiam facias. Quaero nummum, quem ex illo libro meis in Florum annotationibus pervelim inſeri. *Francii* noſtri carmen de pace credo te vidiſſe. Hodie id ad me miſit *Plumerus*, excuſans valetudinem *Francii*, per quam ei non liceat litteras exarare. Nondum legendi hoc poëma fuit otium mihi. Vale, flos illibate populi Suadaeque medulla. De elegia promiſſa & venuſinis lectionibus *Rutgerſii*, non poſſum quin tibi vellam aurem. Nobiliſſimis fratribus *Goeſiis* ſalutem dico, & illos tecum hic expecto. Iterum vale, & veni. Trajecti a. d. XXIII. Octob. CIƆIƆCLXXVIII. Mei omnes te ſalutant. En libellum, quem tibi dono mitto.

EPISTOLA DIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Litteris tuis plenis variae reconditaeque doctrinae cras, ſi Deus dederit, aut perendie reſpondebo. Nunc diſtringebar. Hunc faſciculum hodie ad me pertulerunt. Credo *Carpzovium* tibi mittere *Buchneri* epiſtolas, quas & mihi miſit. Ex Anglia mira hodie accipimus. Regis frater omnibus honoribus & dignitatibus ab Ordinibus Regni eſt exutus, reus conſpirationis in fratris caput, ut ajunt. Dux *Mommuthius* a Rege in conſeſſu ordinum eſt filius agnitus genuinus, ex legitimo matrimonio ſuſceptus, & in ſpem ſucceſſionis procreatus. Haec certis nunciis ad nos perlata eſſe mihi a fide dignis hominibus narratur. Vale, Princeps ingeniorum. Trajecti Batavorum a. d. XXVIII. Novembr. CIƆIƆCLXXVIII.

EPI-

EPISTOLA DIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

MIhi ſane tuus congreſſus ſemper tantum affert doloris, quantum laetitiae. Nam cum tecum mihi licet eſſe, poſſum Regum & Satraparum menſas contemnere, cum & animum & corpus epulae tuae mirifice reficiant. Nunquam a te diſcedo niſi doctior, & bonis dictis, ac lepidis fabulis plenior. Hinc ſemper diſcidium iſtud mihi magnum inurit dolorem, per quod fructu ſuaviſſimae tuae conſuetudinis mihi eſt carendum. Si hujus voti me reum faceret fortuna, ut ſedem in hanc transferres urbem, ut tuis colloquiis quotidie poſſem frui, nulli mortalium ſuam inviderem felicitatem. Ego enim votorum ſummam eſſem conſecutus. Gratias interea tibi ago, quas poſſum, pro tua in me prolixa benignitate, qui toties me praeſentem lauto & oppiparo apparatu invitas, & abſentem donis cumulas. Equidem pro his duobus rariſſimis libellis, quibus meam ornaſti bibliothecam, tantum acceſſit meritorum in me tuorum magnitudini, quantum perſolvere nunquam potero. Habes ἀντίδωρον Conringii paradoxa de nummis Hebraeorum. Habebis & alios libellos, quos tibi promiſi, ſimul ac promiſſa de tuo ad nos adventu exſolveris, quem proxima hebdomade exſpectamus. Valetudo enim tua indies firmior nos certos eſſe jubet hujus ſpei, te hanc veniam nobis daturum. Apud Florum in libro II. cap. I. *ruentis aeſtus* non poſſe ferri recte cenſes. *Furentis* vero *aeſtus* quod ſubſtituis valde placet, quamvis & *ferventi aeſtu* ſit perquam proprie & vetuſte dictum, ut difficilis ſit electio. Utraque conjectura digna eſt, quae litteris prodatur. Habui ab amico litteras nuperius Lugduno, qui narrat ſe in *Coccii* ἐν μακαρίτῃ bibliotheca vidiſſe Baſilii Magni opera manu *Henrici Stephani* emendata, cujus frontiſpicio adſcriptum ſit. *Sum ex bibliotheca Danielis Heinſii. Nunc filii N. Heinſii ex bibliotheca J. Rutgerſii* Anno CIϽIϽCLXXXV. *menſe Junio.* Vereri ſe ait, ne hunc librum beato mutuum dederis. Tu cogitabis. Vale, grande decus meum. Trajecti prid Kal. Novemb. CIϽIϽCLXXVIII. De Lugdunenſibus aegrotis nihil audio, ut melius nunc valere *Spanhemium* credam.

EPISTOLA DV.

JOH. GEORG. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

GRatiſſima hercle fuerunt mihi munera, quibus meam ornaſti bibliothecam. Baſilium *Stephani* ut reprehendant aut quaſi e fuga retrahant amici, ſpero, Batavici providebunt. In Flori lib. II. cap. 2 vulgatam defendi contra *Salmaſium*, praefatus non urbes tantum arceſque expugnari, ſed & homines cum deturbantur de

de locis, quae tenuerunt. Juſtin. III. 4. De Partheniis veteres Tarenti incolas ejicientibus, & cogentibus illos ſolum vertere: *Diu per varios caſus jactati tandem in Italiam deferuntur, & occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, ſedes ibi conſtituunt.* Id. XII. 8. *Inde Adreſtas, Geſteanos, Praeſidas, Cangaridas, caeſis eorum exercitibus, expugnat.* Idem alibi: *poſt multos deinde annos expugnati.* Sic & hîc Poeni dicuntur *terra marique expugnati*, ſeu expulſi, terra quidem, cum Sicilia, Sardinia, Corſica ejiciuntur, mari vero cum victis claſſibus, & amiſſis portibus inſularum, quas tenebant, non auderent illa maria navigare. *Repurgare hortum, repurgare iter*, & talia recte dicuntur, ſed repurgare terras aut maria hoſtibus ambigo, num quis unquam dixerit. Si Florus ſic locutus eſt, addatur & hoc καινοπρεπίας ejus exemplis. De reliquis alias. Nunc cogor abrumpere. Habes hîc *Calixti* Paradoxa. Trajecti poſtrid. Kal. Novemb. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA DVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TRibus tuis acceptiſſimis debeo reſponſum diutius, quam volebam, & meum erga te ſtudium ac obſervantia ferre videtur. Sed alia ex aliis ſubinde quaſi ex tranſverſo interceſſerunt, quae officium perſoluturo manus quaſi injecerunt, quod ne iratius accipias, pro tua in me tot luculentis argumentis perſpecta voluntate, vehementer peto. Baſilium *Henrici Stephani* recuperandi propediem facultas dabitur. Nam & *Coccii* & *Heidani* catalogos indies expectamus. In Flori lib. II cap. 6. valde dura videtur conſtructio eſſe, ſi *adverſus* deleatur, quam non concoquo, aut ſatis percipio. Hunc enim verborum ordinem eſſe ais: ita inſtruxit aciem, ut Romanis obverſis, haec omnia quaſi ſecundum coelum tenens, vento pulvere ſole pugnaret. Non dicam σύγχυσιν vocum, ut collocatae ſunt in codicibus omnibus, tum perquam abſurdam, ſed & non videri Latinum loquendi genus eſſe, *haec omnia, ventum ſcilicet, ſolem, pulverem, tenere.* Regionem, provinciam *tenere*, ſecundum coelum *tenere*, recte dicuntur. Sed ventum aut pulverem, aut ſolem *tenere* non ferunt aures Quiritium. Si non ſolum *adverſus*, ſed & *haec omnia* expungerentur, facilius manus darem, quamvis ſi ſic ſcripſiſſet Florus, ellipſis iſta *obverſis Romanis* ſcilicet ſoli, vento, pulveri, eſſet inſolentior. Non enim *obverti* ſimpliciter poni, non addito, cui rei obvertatur, nemini licet ex iis, quae praeceſſerunt, aut ſequentibus intelligi ea poſſit. Si te offendit *adverſus* haec omnia *obverſis*, poſſet haec aſperitas leniri, ſi legatur, *ad haec omnia obverſis*, aut ut optimae membranae prae ſe ferunt, *ad haec omnia adverſis*. In eodem capite recte videris damnare *nihil illi gentium feritai*, mallem tamen *nihil illi gentis feritas*. Nam *illi* refertur ad Sardiniam, *gentis* nimirum Sardoae. Non longe poſt bene puto, vidiſti *victoriae* male a Sciolo eſſe interpoſitum, qui non intellexerat per *Africanam* innui Carthaginem Africanam. Verum num id, quod volebas, exprimant haec

verba, non adjecto, cujus rei Africanae fuerit omen, nondum exputo. Crediderim itaque Florum dediſſe, *Africanae vincendae omen fuit*, ut locutus eſt Valerius Maximus in illo, quem attuliſti loco, *majoris Carthaginis capiendae auſpicium.* Poſt *nova belluae mole* egregie adſtruis, idque mirifice probo. In cap. XI. ejuſdem libri valde placet etiam *illico involvit. Convolvere* enim hoc ſenſu quis uſurpavit? In cap. 12. *Aſcuridem paludem* praeripuit *Freinshemius*. Sed *praeter* etiam vel *propter* legendum eſſe tibi quoque accedo, niſi forte & hic κακοζηλία Flori ſit accuſanda. Affinis tuus nuperius nobiſcum pranſus eſt. Ejus filios ſaluto. Natu minorem convaleſcere gaudeo, petoque, ut propediem vos omnes ſanos firmoſque hic complectamur. Ex Germania pridem nihil novi audio. *Perizonium* commendavi *Lemoynio*, cui ludi litterarii cura commiſſa eſt, quas partes gerebat ὁ μακαρίτης *Heidanus*, aliiſque diligentiſſime. Ambitus ibi fervet. [1] *Jacobus*, qui tibi a manu fuit aliquando, prenſat, ut audio, ſummo ſtudio. Rectoris optioni non dicuntur favere quidam proceres. *Lemoynii* orationem, quam de Chriſto Meſſia habuit, propediem videbis. Vale noſtrum ac ſeculi decus. Noſtri omnes tibi ſalutem dicunt. Trajecti a. d. IX. Novemb. CIƆIƆCLXXVIII.

1 *Jacobum Tollium* intelligit vid. tom. III. Ep. CCCLXXXVII. & hoc tomo Ep. XXI. & alibi ſaepe.

EPISTOLA DVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Litteras tuas illico curavi Amſterodamum. *Perizonii* res mihi ſunt curae. Sed plane nihil audio, quo loco ſint. Habes hîc litteras a *Phorbaeo*. Is quoque vellet hanc ſibi deſponderi functionem. ſi quando reſponderis ei, non eſt ut *Perizonii* mentionem facias, ſed ſimpliciter oſtendas, nec te, nec me conſuli, ſi conſularis, te ejus memorem futurum, & de optima illum nota commendaturum, ut incitetur ad Heſychium parentis tui majore ſtudio deſcribendum. De loco Flori lib. II. cap. 6. cum ſic interpretaris, & ordinas *Romanis haec omnia obverſis*, manus do. In tribus litteris, quas diverſo tempore de his verbis dediſti antea, ſemper haec omnia componebas cum τῷ tenens, quod concoquere non poteram. Nunc rogo, ſi quae alia memoriae tuae obverſantur exempla, quibus *obverſus* & *adverſus* cum caſu quarto jungitur, ea mihi ut ſuggeras. *Omen Africanae fuit* nondum ſe mihi poteſt probare. Nam quamvis ſtudioſus ſit brevitatis Annaeus, uti etiam eſt Valerius Maximus, non tamen brevitatis ſtudio quae nunquam ſolent omitti ab aliis, verba praeterit. Vulgatam tamen vitioſam eſſe ajo, *victoriae* refingendum in *vincendae*. Verum emendatio tua loci conclamati in Faſtis Ovidii divina eſt, & certiſſima. *lumine* tantum non video, cur contra librorum omnium fidem mutetur in *limine*. Nam *aſſiduum lumen* eſt perpetuus ille ignis Veſtae, quo dicitur ſemper videre Palladium. *Juncta* ſimpliciter

citer eſt proxima, proxime juncta, uti hoc vocabulum ſaepius accipi docuit *Gronovius* ad Liv. XXII. 20. Daventrienſes celebrarunt Martinalia. Nobis miſerunt apophoreta duos anſeres. Unum tibi mittit dono uxor cum ſalute plurima. Sed mallet te in noſtris aliquando conſpicere aedibus. At his precibus, quas toties ingeminamus, aures tuas obſtruxiſti, nec nos tantopere deſiderati adventus tui compotes facis, o crudelis Alexi? Vale & veni tandem. *Goeſiis* fratribus ſalutem dicimus, & *Danielem* indies magis magiſque convaleſcere volumus. Trajecti ad Rhenum a. d. XIII. Novemb. CIƆIƆCLXXVIII. Uxor quoque petit, ut, ſi velis meleagrides emi, id nobis ſignifices.

EPISTOLA DVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NAE tu magno praemio iſtum anſerculum remuneraris! Quid enim epiſtola hac elegantius? quid emendatione Ovidiana pulchrius & certius? Ne Pyrrho quidem dubitaret *crateſque doloſas* eſſe reponendum pro *arteſque doloſas*. De cratibus iſtis memini, olim te mihi multa veterum loca obſcura exponere, & illarum dolos aperire, ſed ea ex mea effluxerunt memoria. Si quando vacas, rogo, ut illius artis doloſae rationem mihi in memoriam revoces. In Ovidii Faſtis propter litterarum ductum neſcio, quomodo magis blandiatur *praeſtes* quam *praeſes*. Huic accedit, quod *praeſtes* ſit vocabulum ignotius, & ideo corruptioni interpolatorum magis obnoxium. In Metamorphoſeôn XIII. locus *obverſa ad auſtros Pachynos* plane confirmat, ut tu quoque ſentis, opinionem illam meam, in quam tuae me conjecturae adduxerunt, ſcribendum in Floro *ad haec omnia obverſis*. Habes hîc litteras *Phorbaei* & *Perizonii*. De Leidenſibus rebus nihil audio. Non male de *Perizonio* mereberis & patria tua, ſi *Lemonio* gratias egeris pro hac oratione, & *Perizonium* ei commendaveris. *Elzevirius* mihi ſignificat, ſe Iſocratem proelo ſubjecturum. Me conſulebat de optima editione. Reſcripſi heri optimam eſſe *Henrici Stephani* grandioris formae, ſed me auctorem ei eſſe, ut calci adjiciat, aut verbis Iſocratis ſupponat caſtigationes *Wolfii* in illum magnum Oratorem. Habeo primam editionem, Mediolani a *Georgio Chalcondylo* Anno 1494. procuratam, ex qua forte nonnulla poſſent erui ad ſcriptorem iſtum ornandum; ſed temporis anguſtiis excludor ad hanc editionem expoliendam. Tu, ſi quid rectius noſti, aut in tua copioſiſſima bibliotheca habes, imperti, quaeſo, mihi & communi amico. Petronio & Virgilio tuo quid fit? Utinam omnes alios libros ex tuis poſſem excutere manibus, ut ſolis his tuis lucubrationibus expoliendis illae vacarent. Sed & de elegia promiſſa tibi aurem vello. Cras forte te videbo, nihil tamen certi polliceor. Vale, grande decus meum, & feſtinatae ſcriptioni ignoſce. Trajecti a. d. XVI. Novemb. CIƆIƆCLXXVIII.

EPISTOLA DIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Filiarum, quas miſi ad ſublevandas ſolitudinis moleſtias & incommoda, negligentiam miror. Accipies tamen nunc, quas tum redditas oportuit, litteras. In Curtio vehementer probo tuam conjecturam: *Rex juſſo confidere felicitati ſuae, addidit, id aleae ſibi ad gloriam concedere Deos. Remiſit* tamen legi in veteribus libris auctor eſt *Raderus*, & *Freinshemius*. Legitur ſic quoque in editione Antwerpienſi, quae prodiit ex officina Joannis Loëi Anno CIƆIƆXLVI. ad antiquiſſimum exemplar emendata ab *Hadriano Junio*, qui & paſſim varias lectiones adſperſit margini. Illam nunquam vidit *Freinshemius*, uti conſtat ex indice editionum, quem praefixit ſuis notis. Sed quia tamen iſta vox in aliis libris deſideratur, tuae ſubſcribo ſententiae, in quam etiam non poſſum non deſcendere, cum recte alterum iſtius capitis locum emendas: *nec me ars mea quam benevolentia* (ſic etiam editio Freinshemiana) *perturbat. Infirmitatem valetudinis tuae cum video, & quantum in uno te* (ita & Freinshem. editio non *in te uno* ut aliae) *ſit ſitum.* male editi *ſcio.* Simpliciter *tantum in te eſt*, pro *tantum in te momenti eſt*, ut loquitur Juſtin. v. 4. non puto Latinis dici, ut recte animadvertiſti. Tuam in corrigendo Curtio aliiſque Latinis ſcriptoribus operam, ingenium, elegantiam laudo & admiror ſummopere. Sed, quaeſo te, noli propter incerta rerum humanarum e manibus deponere, quae jam pridem conſummata habes in Virgilium, inprimis & Petronii Tragurianum fragmentum commentaria. In iis concinnandis jam tantum laboris & ſtudii exhauſiſti, ut nihil in illis deſiderari poſſit, quam ut nitidius deſcripta mandentur typis Elzevirianis. Vide, ſi te & nos amas, ne diutius ſpem & deſideria noſtra ſuſpendas. Si aliquid tibi humanitus accideret, quod Deus avertat, vereor ne in manus inciderint praeſtantiſſimae hae curae tuae, quae non pluris eas facient, quam detritos calceos. Dum igitur nunc meliore loco tua eſt valetudo, huic uni curae praeſtaret vacare, ut quamprimum lucem videant tuae in Poëtarum Principem ut & Valerium Flaccum & Silium Italicum animadverſiones, cum illis Petronianis. Non poteris melius de te & noſtris litteris mereri. Amicum noſtrum exdiſſe ſpe ſua doleo. *Golium* Conſulem *Winſchotio* faviſſe inprimis audio, qui & cum *Leeuwio* collega ſuo dicitur *Jacobum* urgere. Vale, Princeps ingeniorum & amicorum. Trajecti Batavorum a. d. XXVI. Novemb. CIƆIƆCLXXVIII. Filias remitte, ſimulac tui redierint ex Batavis. De elegia aurem vello. Quam diu jam pax facta, & firmata eſt! Sed elegi nondum emergunt in dias luminis auras. Iterum vale.

EPI-

EPISTOLA DX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

JAm dudum, credo, cogitas non tuliſſe terram me ingratiorem, qui tam laute a te cum meis denuo exceptus nuperius ne verbo ab illo tempore tibi gratias egi. Nec aliud, quod dicam, habeo, niſi me culpam hujus ſilentii & procraſtinationis deprecari, & memoriam tuarum epularum & ſuaviſſimarum fabularum ubique circumferre, quam nulla dies extinguet, niſi quae me ipſum extinguet. Quae de *crate* notaſti in noviſſima epiſtola, mirifice placent, nec in auctore Octaviae, nec in Valerio Flacco quicquam poteſt reponi melius, quam quod tu repoſuiſti. Si tamen unus inveniretur locus apud aliquem poëtam, ubi *crates* pro lorica textili poneretur, omni ſcrupulo moto, valde tua in Valerio conjectura firmaretur. In Flori libro III. cap. 2. nondum poſſum tibi ſubſcribere refingenti *ut a Septentrione*, niſi praecedat mentio regionis alicujus Septentrionalis. Et forte excidit nomen Galliae, & Florus reliquit: *Multo atrocius & multipliciter magis in Gallia a Septentrione, ſaevitum.* Sane in τῷ & ſenſus nullus eſt, quod in vulgatis conſpicitur. Sin *in Gallia* omittitur, non fit mentio loci, ubi tam atrociter fuerit ſaevitum. Conſidera omnia illa loca Curtii, quae ipſe tuae priori epiſtolae inſeruiſti, ſemper invenies praececedens aliquid, ad quod τὸ *ut* referatur. Mallem deleri &, Florumque ſcripſiſſe opinor. *Multo atrocius & multipliciter magis a Septentrione ſaevitum.* Sed quid eſt *multipliciter ſaevire*? Apud Livium lib. IV. 54. editur: *avidiſſimo adeo populo.* Sed ſcribendum eſt *avidiſſimo ad ea populo.* Quae ad differendam Traguriani fragmenti editionem nuper attuliſti, tanti non ſunt, ut diutius ſpes & vota noſtra moreris, & injurius in tuas ipſe ſis lucubrationes. Quotidie diſcimus. Poterunt curae ſecundae remederi his, quae perperam a te dicta ſcriptave fuerint, ſi quae fuerint. Gravius eſſet damnum, ſi tot noctium curae & ingenioſiſſimae ac doctiſſimae annotationes plane intercidere nt caſu quodam, quod ſane verendum eſſet, ſi quid tibi humanitus eveniret, quod omen Deus avertat. Sin nondum potes a te impetrare, ut Petroniana e manibus dimittas, quin Maronianum Comentarium admoves proelo. Noli, ſi te & nos tuorum ſcriptorum cupidiſſimos amas, diutius hoc opus differre. Noſti quid Gevartianis, Barthianis, Reineſianis, & tot aliorum excellentium hominum poſtumis libris factum ſit. Nunc liber ſolutuſque es curis, quae te olim premebant, abundas otio, valetudo firmior tibi non permittit longius feriari ab hoc labore. Fac igitur, ut quamprimum tibi & Muſis gratulemur, ubi te huic curae accinxiſſe acceperimus. Habes hîc Catalogum Coccianum. *Emmeneſſii* libri cariſſime ſunt venditi, & ex illo non magno numero redacti ſunt mille ſexcenti floreni. vale, Princeps ingeniorum & amicorum, & brevi ad nos veni, cum pax fluminis redierit. Trajecti Batavorum a. d. VIII. Decemb. CIↃIↃCLXXVIII.

CIϽIϽCLXXVIII. Noſtri omnes te tuoſque ſalutant. Filia libros Gallicos, quos ſecum tulit, perlectos brevi remittet.

EPISTOLA DXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

IN litteris Bigotianis divinandis tantum temporis conſumſimus, ut nunc, accelerante reditum, quae has feret, breviores eſſe cogamur. Nec tamen omnia potuimus aſſequi. Quis ille [1] *Billainius*, qui in *Labbei* Lexicon notas adornat, & Conſtantinopolitanas antiquitates? quae non potuimus exputare, ſubduxi, ac iis verſibus praefixi notulas punctorum. Florum *Guieti* & *Peyradae* utinam mihi videre licuiſſet. Notae meae proxima hebdomade proela ſubibunt. Tuas obſervationes his diebus inſerui. Sed poſſet ſervire alii editioni futuro, ſi vivimus, tempore ſecuturae. Poſſent hae Flori editiones commode ad nos perferri a noſtrae reip. Oratore *Dykveldio*, qui operam ſuam mihi prolixe pollicetur. Eſt in cohorte ejus nobilis *à Reede*, dominus Bornevallii, alumnus meae diſciplinae, & ipſe non detrectabit hoc onus. Jam unas alteraſque ab eo habui litteras, & viciſſim eum commendavi *Juſtello*, propediem alias litteras habebit ad *Huetium*, *Thevenothum*, *Menagium*. Proximo die Mercurii res noſtri fori Academici proferentur. Utinam te complecti tum liceret! De Anglicis rebus nihil accepi praeter ea, quae in publicis monumentis circumferuntur. Ab aliquot diebus non prodii in publicum deſtillationibus ac gravedine infeſtatus. Amplisſimus *Terburchius* tibi ſalutem dicit. Heri Daventriam contendit. Vellem de nonnullis tuis animadverſionibus in Florum tecum agere, ſed inſtat mulier. Vale & veni. Trajecti 12. Decemb. CIϽIϽCLXXVIII.

1 Non notas adornare *Billainium*, ſed Curigio auctorem fuiſſe, ut ille depoſitam *Labbaeani* gloſſarii editionem ſuſcipere, & notas locupletare velit, ſcribebat *Bigotius*, qui & alteris literis 12. Septemb. 1681. morte *Billainii* metuere ſe ſcribebat, ut ipſius Cangii Gloſſarium prodiret. Praefationem vero, quae ante Labbaeanas Gloſſas legitur, eſſe *Cangii* docet *Menagius* in Antibailleto t. II. pag. 18. & *Bigotius Heinſio* idem ſcripſerat.

EPISTOLA DXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PRo Cocciano catalogo quid mihi debeas, non video. Nec eſt profecto, ut de his minutiis inpoſterum verba perdas & tempus, cum nihil ſit tantum, quod a me praeſtari poſſit, quod non infinitis in me meritis debeatur. Quae de *Voſſii* commentario de vaticiniis gentium de adventu Chriſti narras, acceptiſſima habeo. Sibyllinorum oraculorum patrocinium ubi ſuſcipiet,

cipiet, paradoxa ſua mirum in modum ſingulari acceſſione augebit. Sed vereor, ne cauſſa cadat, tot praeſtigiarum argumenta in illis, quae in noſtris manibus verſantur, paſſim deprehenduntur. Prodeat tamen ille Commentarius bonis avibus quamprimum. Nam quin multa pro ſumma illius viri eruditione nos docturus ſit incognita, nullus dubito. Catullum utinam nobis edendum delegaret, ſi hanc curam non decere perſonam, quam gerit, exiſtimat. Quae de *cratibus* mecum communicaſti, pulcherrima ſunt, & digna tuo ingenio & doctrina. Sed de his coram pluribus propediem. Te enim hic expecto cras. Non poteris via certiore brumali hoc ſydere Hagam proficiſci, quam per hanc urbem. Venies, mihi crede, deſideratiſſimus omnibus meis. Hiſce diebus inſerui meis annotationibus in Florum pleraſque tuas emendationes excerptas ex epiſtolis tuis ad me datis. In lib. 2. cap. 6. ubi emendas perquam ingenioſe, *novis litoribus, nova belluae more*, inter deſcribendum ſcrupulus mihi injectus eſt, quem velim tollas. Num ſcilicet ullus ſcriptorum mentionem faciat claſſis, quam Hannibalis frater adduxerit, & quo pervenerit illa claſſis, num ad Hannibalem, ſin, a quo fuſa ſit & perdita. Nam Livius pedeſtres tantum copias Haſdrubalis ceciderat. Petiit quidem Hannibal novam claſſem, ut ex Silio doces, ſed tum temporis miſſam eſſe, & ejus praetorem fuiſſe Aſdrubalem aut ejus quendam legatum non memini legere. Ad cap. XIII. ejuſdem libri, ubi diſputas de Graecis caſibus, quibus Latini Hiſtorici utuntur, aliis exemplis & hoc accenſes. Pag. 118. inquis *Elide*, non magis a Salmaſio debuit tentari, quam in iis Naſonianis eſt tentandum Metam. XIV. *Nec adhuc ſpectaſſe per annos Quinquennem poterat Graja quater Elide pugnam.* Sed in hoc exemplo ex Ovidio nullam Graecam video terminationem, eſt enim tota Latina ſexti caſus, qui hic purus eſt per ellipſin : *in. in Elide Graja.* Sed apud Florum *in patentibus Elidis campis* non video, ut *Elide* locum habere poſſit. Sed nec, quod ſubnectis, in τῷ *Eryce* quod legitur II. 2. 13. quicquam Graeci deprehendo. τῷ *Eryx* n. Latinis ſextus caſus non poteſt aliter formari. Nam quod Salmaſius etiam *Erycus* pro *Eryx* Latinos dixiſſe cenſet, & inde *Eryco*, quod in Naz. eſt, tuetur, aliud eſt, nec hoc pertinet ad tuam obſervationem illius loci, qua ſatagis oſtendere, & recte ſane, Latinos in Graecis vocibus ſaepe Graeca terminatione uſos in certis caſibus. Cui rei probandae haec exempla non convenire videntur. Ad cap. XV. ejuſdem libri notas ex veſtigiis Nazar. ſcribendum eſſe, *cum de bello ſederet, de belli fine tranſactum eſt.* Sed in editis legitur *de belli fine tractatum eſt* & ſic credo te voluiſſe. Nam *tractatum* minime mutandum eſt. Saepe enim hoc vocabulum apud Suetonium, Tacitum alioſque accipitur pro deliberare. *de bello* autem bene corrigis. In Anglia prodiit *Samuelis Parkeri* Archidiaconi Cantaurienſis liber de Deo & Providentia inſignis plane, verius immortalis. veterum & noſtrae memoriae Atheorum impietatem & inſaniam tanta doctrina, tanto argumentorum pondere, tanta facundia refellit, ut inter prima noſtrorum monumenta collocari mereatur. Quin non exiſtimo Britanniam unquam tuliſſe diſertiorem virum, ſi a ſolo *Buchanano* diſceſſerimus. Vale, vir ſumme & me ama & veni. Noſtri, ſi horam adventus exploratam haberent, tibi obvii effunderentur.

Magna

Magna enim pietate expectaris. Uxor omneſque mei te ſalutant. Vale iterum decus meum unicum. Trajecti Batavorum D. l. XXIII. Decemb. Gregor. CIↃIↃCLXXVIII. *Ruſii* obitus mihi quoque magnum dolorem attulit, & quod a multis annis & mei & noſtrarum litterarum erat ſtudioſiſſimus.

EPISTOLA DXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SOllicitus eram de tua valetudine mirum in modum, cum nec coeli iſtius aſperitatem, nec jactationem currus ferre poſſe videatur. Nunc cum tuas accepi, gaudeo me levatum eſſe hac, quae me mordebat, cura, quae, cum nihil de te audirem, ingraveſcebat. Non male autem tibi ceſſiſſe hoc iter inde colligo, quod ſuaviter te dies quatuor cum Leidenſibus amicis exegiſſe ſignificas, Deumque veneror, ut brevi ſalvus & incolumis redeas. Apud Illuſtres *Hugenios* cum mei mentionem feciſti, plurimum te amo, rogoque ut illorum gratiam mihi retineas. Nobiliſſimum *Selemium* ſpero me brevi hîc viſurum. Fertur enim hebdomade proxima ſereniſſimus Princeps per noſtram Urbem profecturus eſſe ad Sicambros. Simul ac hyems acris ſolvetur, pignus mei obſequii offeretur Domino, de quo coram cum *Selemio*, ſi facultas dabitur, agam. *Maerſebruchius*, vir plenus officii, ubi lateat, & quae negotia gerat, ut toties quaeſitus non inveniatur, miror. Ajunt illum amare viduam quandam. Si fama non fallit, vides quibus compedibus irretitus retineatur, ne vacet officio colendo. *Servaeſius* etiam Hagae jam ſeptimum agit diem. Arbiter captus eſt ad litem neſcio quam decidendam cum *Hoppio*. *Francium* poëmata collegiſſe & junctim edidiſſe gaudeo. De reditus tui die velim me certiorem facias, ut tibi occurram, & laetus te complectar. Ampliſſimo *Goeſio* & ejus liberis ſalutem plurimam dico. Noſtri omnes te ſalutant & precantur, ut hic novus annus tibi candidus illuceſcat, ac ſine noxa & moleſtia leniter cum multis ſecuturis defluat. Vale, meum praeſidium & meum decus unicum. Trajecti ad Rhenum III. Kal. Januar. CIↃIↃCLXXIX. Tuas illico Vianam curavi.

EPISTOLA DXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOn eſt, ut de pallore hîc contracto queraris. Non enim tam laute es acceptus, ut aprum poſſis ructare, ut Falerno marcere. Si heluellas noſtras non ſpreviſti, eſt quod nobis gratulemur, tibique debeamus plurimum, qui non modo

modo tenuem apparatum carpſeris dente non ſuperbo, ſed & grates dicas, tanquam re hic a nobis bene geſta, cum tibi mirum in modum devincti ſimus, cum volueris nobiſcum eſurire, & tamen noſtras aures ditare lautiſſimis feſtivitatibus, & eruditiſſimis fabulis. Apud nos nunc agunt Nobiliſſimus *Selemius*, ampliſſimus *Terborchius*, & *Philippus Tollius*, quos omnes vidi non ſine gratiſſima tui mentione. *Terburchius*, ſi nihil interceſſerit, proximo die Lunae ad vos me comite volabit. *Tollius* nomine Principis Sereniſſimi ſalutavit Epiſcopum Monaſterienſem, a quo facta eſt omnium noſtrum honorifica mentio. Ipſe fuit humaniſſime & benigniſſime exceptus in aula. Interea quaeſo te, ut me doceas, quae ſit illa matertera Caeſaris, quam Ovidius in extremo VI. Faſtorum nuptam canit fuiſſe Marcio Philippo, cujus & meminit in Ponticis Ep. I. 3. 73. Si quoque vacare potes deſcriptioni locorum, ubi *cornu* ponitur pro dente elephanti, & *deceptus* pro *nec opino*, novus accedet tot tuis meritis cumulus. Vale, Princeps ingeniorum & amicorum. Trajecti ad Rhenum a.d. XI. Januar. CIↃIↃCLXXIX. Noſtri omnes tibi ſalutem dicunt plurimam.

EPISTOLA DXV.

JOH. GEORG. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOn eſt inter natos homines te liberalior & officioſior, qui, cum omnes, quos noſti ac potes, me praecipue infinitis cumulas ſtudiis ac meritis, beneficium tamen te accipere putas, & palam prae te fers, cum alium demereris. Haec ſunt χρυσέȣ γένȣς λείψανα, qui aut vere hominem ſe agere putabant, cum de humanitate bene mereri, aut proxime ad deos accedere, ſi quibusvis dignis benignos ſe praebere poſſent. Hinc & iſta merita endo coelo Heroës illos collocarunt, inter quos & tu fulges ut Luna inter minora ſydera. Epiſtolae tuae recte curabuntur. Habes hic folia catalogi Heidaniani, quae deſideras. Ea tibi mittit cum ſalute plurima *Burmannus*. Apud Florum nondum poſſum a me impetrare, ut inculcem contra librorum omnium auctoritatem *ſuis juſſis*. Hoc ipſum ſatis indicant verba Flori, aut dictatorem hoc juſſiſſe, cum in hoſtes jacularetur ſignum, ut id a militibus repeteretur, aut milites ſponte ſua impreſſionem in hoſtes feciſſe, ſine juſſu dictatoris, ad repetendum ſignum, quia nihil foedius habebatur, quam ſignum in hoſtium poteſtate relinquere. Sequens ſententia non poteſt aliter exprimi, quam quomodo eſt prodita litteris a Floro. Coſſus, ut equites acrius incurrerent, juſſit eos exuere froena, ſcilicet equis: dictator, ut pedites impetum facerent ſummis viribus, projecit in hoſtium aciem ſignum: hoc ipſo, ſive adhortationem verbis adjecerit, ſive ſolum nutu oſtenderit, ubi ſignum eſſet, ſatis incitabantur pedites ad incurſum vehementiſſimum, ne tam foedam maculam ſibi ipſi inurerent, ſi ignavia ſua ſignum in hoſtium manibus relinqueretur. Nihil ſane video quod nos impellat ad tantam mutationem faciendam invitis libris. Plana ſunt

verba Flori ſive *ſuis juſſis* addatur, ſive omittatur, ut omnes libri faciunt. Sed *incurſu repeteretur* probo. Plura vellem, ſed interveniebat ſalutator, qui me cogit abrumpere. Non poſſum tamen, quin conjecturam in Cicerone tibi examinandam ſcribam. In lib. XIII. ad Att. Ep. 21. locus eſt perplexus & obſcurus: *Vides quanto hoc diligentius curem, quam aut de rumore, aut de Pollione: de Panſa etiam, ſi quid certius, (credo enim palam factum eſſe) de Critonio ſi quid eſſet: certe ne de Metello & Balbino.* Quomodo haec exponant viri docti, licet inprimis ex *Corrado* & *Manutio* videre. Sed nihil ſani extricant. Codex Anglicanus, cujus excerpta penes me ſunt, recte *aut de Panſa etiam.* Reliqua ſunt interpunctione corrigenda, & *ne* poſt *certe*, quod peperam ex ſequente verſu inrepſit, delendum, totuſque locus ſic conſtituendus: *Vides quanto hoc diligentius curem. quam aut de rumore, aut de Panſa etiam.* At *ſi quid certius, credo enim palam factum eſſe, de Critonio, ſique quid eſſet certi de Metello & Balbino.* Scilicet curo, & rogo, ut ſignifices. Conciſa haec loquendi genera in hac ipſa epiſtola, ne de aliis dicam, complura occurrunt. *Elzevirius* rogat, ut aliquot dies mihi copiam facias tui Iſocratis, ut ex illo curem deſcribi in meum, quo utentur typographi, quae in tuo ſunt adjecta & auctius prodita. Vale, meum decus unicum. Cras cogito Gaudam. Trajecti a. d. XXIII. Jan. CIↃIↃCLXXIX. Noſtri omnes te ſalutant. Pacem inter imperatorem, Suecos & Gallos conveniſſe tandem certis ad nos nunciis perfertur.

EPISTOLA DXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Gaudae diutius opinione mea deſedi, retentus & frigoris immanitate, & quia nemo reperiebatur, quo comite uterer in reditu. Nec aurigarum iniquitas ſinebat currum conducere ſalubri pretio. Vix hora ullius diei praeteriit ſine ſuaviſſima tui memoria, quae morarum iſtarum taedium minuebat. Sane perpetuo illam refricabat nobis ὁ μακαρίτης parentis tui Heſychius, qui aſſidue nobis in manibus erat. In ejus animadverſionibus deſcribendis pervenit ad K. lente quidem procedit, ſed multum laboris in illis excerpendis exhaurit, & quicquid ſubſecivi temporis ei ſupereſt, id uni huic impendit curae. Aeſtate proxima tunc ipſi inſpiciemus, ſi tuo commodo fiet, quantum profligarit. Id enim ſummopere deſiderat, & omnia ſe conſecuturum putat, ſi te ingeniorum Principem in ſuis viderit aedibus. Apud Florum lib. IV. cap. 7. haut invitus tibi ſubſcriberem, ſi plura SConſulta in ſententiam Ciceronis ἀμνηςίαν ſuadentis eſſent facta; ſed Dio lib. XLIV. & Cicero in Philippicis non niſi unius meminit. Dein non memini abolitiones in numero multitudinis in hac notione uſquam reperiri, nec videtur ferre ipſa rei natura. Decernitur enim abolitio hujus vel illius rei, vel multarum rerum ſimul, ut caedium, injuriarum, rapinarum; ſed *abolitiones decernere* non videntur Latini dixiſſe, ſicut nec Graeci

ἀμ-

ἀμνηςίας, ſed ἀμνηςίαν. *SConſulto* vidit *Anna Tanaquilli* filia. Verum ſimpliciter etiam *abolitio* non addita re, quae abolėtur, non poſſum in animum inducere, ut quiſquam poſuerit. Quamvis ex aliis hiſtoricis & Cicerone inprimis nobis liqueat, cujus rei abolitio ſit decreta, ſi illi ſcriptores intercidiſſent, quis divinando poſſet aſſequi, quid aboleviſſent. Mihi itaque de hoc loco ſemper ſic viſum eſt, excidiſſe aut unam aut plures voces, aut forte verſum, ſi non plures. Quod & ſequentia verba indicant, quae cum praecedentibus male cohaerent. Nam in iis loquitur de Caſſio & Bruto, nulla illorum facta mentione, cum in his de Antonio & Cicerone fuerit locutus. Ita ut hoc ulcus ſine melioris codicis ope vix poſſit ſanari. Cogitavi quidem in vocabulo *decreta* latere vocem *diſcordiae*, ut Florus ſcripſerit: *diſplicuit ultio, SConſulto abolitione decreta diſcordiae.* Sed licet hoc mihi detur, ſupereſt tamen difficultas in συνεχείᾳ hujus & proximae periodi, ut exiſtimem etiamnunc lacunam hîc eſſe vocum aliquot perditarum. In libro IV. cap. VI. *fierique pontem e ſublicis improbavit*, non videtur a vero abhorrere. Merito tibi ſuſpecta eſt locutio *cauſſas audire preſſius* apud Vellejum. Nec enim facile quis dixerit, quid Latinis ſit *audire preſſe*. Quamvis quae in locum congeſſiſti, ſint egregia, & quae reconditas hujus vocis ſignificationes explanent; ſed tamen parum convenire videntur cum auditu. Sed nec *perpenſius audire* appoſitum videtur eſſe, aut Romanorum in uſu. Novi *haec mihi perpenſa & explorata ſunt*, ſed *perpenſe audire* pro audire attente, ut omnia perpendas accurate, neſcio, an ferat recte loquentium conſuetudo. Quid ſi *propenſius audit* ſcribamus, hoc eſt magis benevole, ut non fuerit animo adverſo ad audiendas cauſſas, ſed propenſo. Lentulus in epiſtola ad Senatum apud Cic. lib. XII. 25. *Ut hanc concordiam & conſpirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem propenſe non crederent eſſe factam.* Sic *propenſior ad turpem cauſſam* apud Cic. quamvis hoc minus in noſtram rem faciat. Haec mihi in mentem veniebant, cum hunc locum expenderem. Sed tua valeat exiſtimatio, tibi lubens faſces ſubmitto, ſi mihi homini umbrifico ſic loqui liceat. Tuae ad *Perizonium* recte ſunt curatae, ut & ad *Bilderbeccium*. Mittes inpoſterum ſine ullo ſcrupulo, quas tabellariis hanc urbem tranſeuntibus velis committi. Nihil mihi noſtriſque hominibus negotii imponis. Pacem inter Imperatorem & Regem Galliarum conveniſſe, & tabulas ſignatas eſſe jamdudum, credo, audiviſti, ut & *Ryckii* noſtri Uxorem filium enixam eſſe, quem vitalem eſſe volo cum puerpera. Pandectarum Brandeburgenſium, quorum meminerunt litterae *Juſtelli*, ſpecimen ad me miſit frater. Erit cento pannoſus, in quo rara fulgebit purpura. Narrant amici in Italia, *Octavium Boldunum* ſenem octogenarium alterum Epigraphices tomum proelo ſubjeciſſe, & *Andream de Petillos* appendicem Hiſtoriae Aegidianae, ſive de rebus geſtis Aegidii Albernotii, *Muſcettolam* familiares epiſtolas Neapoli publici juris feciſſe, *Carolum Patinum* Plinii Panegyricum notis illuſtraſſe, & commentarium in ſex millia nummorum ineditorum paratum habere luci, in quam proditurus ſit, ſimul typographum ſit inventurus. Expectari quoque *J. Baptiſtae Nani* poſthumi ſupplementa Hiſtoriae Venetae de bello Cretico. Vale,

vir incomparabilis, & meama. Trajecti a.d. IV. Febr. Jul CIↃIↃCLXXIX. Uxor noſtrique omnes te ſalutant. Septentrionis quoque res ſperant brevi oratores Neomagenſes compoſituros. De προσφωνήσει triumvirorum auctor ne mihi eſſe pergis, ut ad illum adornetur, de quo coram agebamus, & num hujus rei mentionem feciſti apud amicum Hagenſem? P. S. Has heri exaraveram, ſed elapſa nobis erat praeter opinionem, quae litteras noſtras ſolet ad vos perferre, mulier. Iſocratem brevi reddam, ſi excerpſero, quae facient ad editionem Elzevirianam exornandam. Gaudae quid me invitum retinuerit tot dies, ex ſuperioribus intelliges. Vellem & reliquos commemoraſſes libellos, quos communis amicus noſter e Saxonia tibi miſit, & quo menſe litterae ſint exaratae. Nam pridie & ipſe litteras ab eo habui, in quibus promittit faſciculum variorum libellorum, quos mihi mittit. Ex te vero reſcire potero, num is ipſe faſciculus ſit, quem tuus complectebatur, an vero alius ſit expectandus, quod ſuſpicor. Petit viciſſim a me, ſibi inter alios libellos emi Apologiam parentis tui adverſus *Crojum*. Forte libellus iſte ſaepius in tua bibliotheca habetur, ut non opus ſit longa mora in eo quaerendo. Sin minus, nihil non experiar, ut ejus voto ſatisfaciam. Quaerit etiam ex me, num [1] *Langueti* hiſtoricae & politicae epiſtolae, quae feruntur Lugduni Batavorum prodiiſſe 1646. diverſae ſint ab iis, quae ad *Camerarios* olim ſcriptae eodem anno Groningae publicatae ſunt. Praeter has nullas novi, nec memini videre Lugdunenſem editionem. Credo memoriae, aut calami eſſe hallucinationem, non *Carpzovii*, ſed qui illos indices confecit, ex quibus ejus libri cognitionem ſe hauſiſſe narrant. Si quid tamen tu rectius, imperti. De *Obrchto* quae narras, multum te amo. *Boeclerus* omnibus lexicis praefert Baſileenſe, cujus prior tomus Ciceroniana *Nizolii* auget, poſterior *Ludov. Lucii* opera aliorum auctorum vocabula exhibet. *Gisberti Voetii* filium ſuperſtitem in ipſo aetatis flore mors acerba extinxit, magno ſui deſiderio relicto apud omnes omnium ordinum homines. Erat enim diſertus, & ſuaviſſimi ingenii, quod alienum erat ab omnibus contentionibus & acerbitate. Vale, decus noſtrum unicum. a. d. IV. Februar. CIↃIↃCLXXIX. In noviſſimis litteris narrat Carpzovius ſe epigramma tuum ejus nomini inſcriptum juſſiſſe typis deſcribi. Quando elegiam mihi promiſſam a tot annis videbo? Pax noſtra firmata nova pace cum Caeſare inita non ſinet te diutius id mihi debere. Iterum vale grande decus noſtrum.

[1] Prodierunt Lugd. Batav. typis Elzevirianis Epiſtolae Politicae & Hiſtoricae ad *Philippum Sidnaeum* Anno 1646. diverſae ad illis, quae ad *Camerarios* ſcriptae exierunt Groningae eodem anno cura *Ludovici Camerarii*.

EPISTOLA DXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUas laudes grateſque tibi dicam pro tot tantiſque, quibus me mirificum in modum cumulare numquam ceſſas? Modo me paſcis lautis epulis, modo doctis lepidiſque ſermonibus, modo alios mei cauſſa, meiſque ut commo-

modis ſtudeas, compellas. Quid majus mihi poteras praeſtare, ſi ex te natus eſſem? Hinc & paternam mihi in te colendo pietatem jam olim conſtitui, cujus religionem nulla dies unquam minuet. Officium hoc meum in προσφωνήσει triumvirorum amoris cum non ſpernit Orator Gallicus, propediem de ea cogitabo. Sed nomina ejus, quae praeſcribenda ſunt, ignoro. Quae, ſi quando reſcripſeris Hagam, quod commodo tuo fiat, ubi exploraris, prioribus meritis novus accedet cumulus. Phorbaeo calcar ſubdam, quamvis non egeat calcari. Quicquid temporis ſuffurari poteſt laboribus, quos capit ingentes in formandis ſibi creditis pueris, id tuo tribuit Heſychio; de hoc dies noctcſque ſomniat. Sed tamen faces flagranti jam deſiderio hunc librum publicandi admovebo, ut, quantum poteſt, feſtinet. In Flori loco, de quo ſemel iterumque inter nos actum eſt, noli quaeſo indignari, ſi nondum mihi potui perſuadere, ut in tuam deſcenderem ſententiam, aut a mea deducerer. Scis invitum a te me diſſentire, cujus nutus mihi lex, & verbum eſt reſponſum Delphicum. Primum *ultio mortis* non potuit aboleri, aut ejus abolitio decerni, quae nondum facta erat. Nulla enim res poteſt aboleri, quae non fuit. Hinc dixit Florus in praecedentibus verbis, non defuiſſe quidem animum ad ultionem, ſed ducem. Sed tamen ultionem diſplicuiſſe Antonio, qui ducem ulciſcendi necem veteranis ſe praebiturus fuiſſet, niſi vidiſſet reipublicae interitum & excidium hac ultione parari. Itaque SC. abolitio decreta, cujus rei? non ultionis, nondum enim ulti erant caedem Caeſaris, ſed illam ſpirabant, ſed injuriarum, malorum, indignitatum, quas paſſi erant & Pompejani, ac qui a rep. ſteterant, & viciſſim Caeſariani, percuſſo ſuo auctore & principe. Ad utroſque animos exulceratos mitigandos, & pacem reip. reddendam, decreta eſt Ciceronis ſuaſu abolitio, ſed addendum eſt, cujus rei ſit decreta abolitio. *Abolitio* enim nunquam ſola poſita ſignificat, aut lectori hiſtoriam illius tempeſtatis ignoranti oſtendere poteſt, cujus rei ſit abolitio, nec ex praecedentibus haec licet colligere, ut vidimus. Nullum itaque dubium eſt, quin hic non una tantum vox, ſed plures interciderint. Nam quae eſt συνέχεια ſequentium cum his. Verum eſt, egerat initio hujus capitis de Bruto & Caſſio, quos ait ſtatim metu veteranorum fugiſſe in Capitolium. Deinde de veteranis ſubjecit, illis non defuiſſe animum, *ad ultionem*; ſed ducem non habuiſſe. Sed diſplicuiſſe ultionem etiam Caeſarianarum partium hominibus, propter reip. graviſſimas calamitates, itaque abolitionem decretam diſcordiarum, aut praeteritorum. Sequentia nunc apud Florum cum quis legit, quis poſſit ad Brutum aut Caſſium referre, & non potius ad veteranos, aut illos, qui abolitionem praeteritorum decreverant. Nam cum dixiſſet de veteranis ad ultionem inflammatis & accinctis & de abolitione, quae ante patrata erant, decreta, ſubjicit: *Ne tamen publici doloris oculos ferrent in provincias* & quae ſequuntur. Sententia quidem loci ſatis oſtendit, quos intelligat. Sed nemo ſanae mentis ſic loquitur abrupte, ut interpoſitis aliis, de prioribus denuo loquatur, non addita voce, qua ſignificetur, ſe non de iis dicere, de quibus in verbis antegreſſis locutus erat, ſed de aliis, de quibus nuperius erat locutus. Si ſcripſiſſet Florus, *Ne tamen illi publici doloris oculos ferrent,*

rent, poſſet tolerari. *Illi*, nimirum de quibus ante, quam veteranorum meminerat, ſcripſerat. Brutus & Caſſius. Praeterea Senatuſconſultorum, ſi plura fuiſſent, commemorationem non praeteriiſſet Cicero in Philippicis. Puto autem notis primo ſcriptum fuiſſe SC. Poſtea has notas perverſe fuiſſe exaratas ab oſcitante librario CS. hinc natum *Conſulis*, cum ſcribendum fuiſſet SenatusConſulto. Si tamen tibi, qui tanta ingenii es perſpicacia, haec ſententia porro diſplicuerit, non refragabor ulterius. In Vellejo non improbo *praeſentibus* pro *preſſius*. Sed tamen *praeſente animo* audire orationem, aut cauſſas non memini legere. *praeſens procurre* apud Virgil. optime pro efficaciter. Sic *fortuna praeſens tollere* eſt valde potens, ut ſaepiſſime *praeſentia Numinis*, *remedii* legitur. Si tu tamen diſſentis docte Trebati, en herbam porrigo? de Pandectis Brandenburgicis coram aliquando agemus, ſi Deus dederit. Spero enim, cum nondum ſolvatur acris hyems, te propediem ad nos per hanc glaciem advolaturum, ut videbaris nuperius nobis hanc ſpem facere. Idque ut facias quam primum, enixe rogo cum uxore. *Mureti* notarum in Ciceronem meminero. *Reineſii* de Palatinis Comitibus libellum mihi nuncupatum eſſe prioribus in litteris ſignificabas, haec ego intepretabor mihi in illo faſciculo inſcriptam fuiſſe iſtam diſſertationem. Nam eam nondum vidi. Folia quaedam mecum attuli, ſed ſine capite & calce. A *Juſtello* litteras habui, quae narrant eſſe virum doctum, qui multas habeat epiſtolas *Morini*, *Aleandri*, *Petri de la Valle*, *Peireſcii*, *Capellani*, *Buxtorffii* plenas eruditionis variae, quas pro parvo pretio ad *Elzevirium* ſit miſſurus, ſi illas decrerit edere. Cum ad illum ſcripſeris, fac eum incites ad hujus libri publicationem ſuſcipiendam. In Anglia vitam Regis Alfredi addit publici juris fieri, cum annotationibus eruditis. *Huetii* librum de veritate religionis Chriſtianae jam in manibus hominum eſſe. Remitto hic elegiam dignam Regum Rege, & ingeniorum Principe. Nihil eſt, quod ipſe livor in illa poſſit reprehendere. In verſu tamen illo, quem emendaſti, priores cogitationes mihi probarentur magis. Nam *molimine pacis captam* auribus Latinis inſolens videtur eſſe. Sed cur illas virgulas, quas accentus vocant, toleras, ut *ladicêae*, *longè*, *medicâ*, cum in aliis tuis ſcriptis eas non deprehenderim, & ſint recentiorum hominum commenta? *Gisberti Voetii* Theologi filius unicus, qui ſupererat, verbique divini praeconem hic agebat, nuperius ex vivis exceſſit. Nam JCtus dudum obiit, ut & Philoſophus. Sed utriuſque liberi ſuperant. Illius filius & ipſe juris civilis doctrinam promittit in hac Academia. Vale, meum praeſidium. *Terburchius* cis paucas hebdomades hic expectatur. Trajecti ὡς τάχιςα VIII. Februar. CIƆIƆCLXXIX. Julian. Noſtri omnes te ſalutant.

EPI-

EPISTOLA DXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

CUm jam accinctus eſſem lectioni publicae obeundae, tuae mihi tradebantur, quibus vix paucis his verſibus mihi per temporis anguſtias reſpondere licet. Tua tanta eſt bonitas, ut quamvis benigne faciendi nec modum ſtatuas nec finem, nolis tamen videri bene meritus eſſe de tuis amicis, ſola recte factorum conſcientia & voluptate contentus. Non poteras propius ad ipſius Dei bonitatem accedere. De προσφωνήσει Floro praefigenda, & tribus poëtis, agam coram tecum, ſi Deus dederit, & tempeſtas haec varia permiſerit. Quia enim tibi non ſedet iter ad nos moliri, quamvis tuo complexu, ut noſti, nobis nihil prius ſit & antiquius, ego te inviſam proximo die Saturni aut Solis. Revocavimus nos quidem ad noſtrae functionis munia, ſed ea te non deterrere debebant ab hac profectione. Nam horis pomeridianis omnibus tibi poteram vacare: Antemeridianas non injucunde impendiſſes in excutiendo vetere codice meo Horatiano In Elegia pulchre immutaſti, quae offendebant lectorem. Nil pote venuſtius. Inter epiſtolas clarorum virorum, quas ſalubri pretio ſibi vindicabit *Elzevirius*, non habentur, ut feſtinans hallucinatus ſum, *Capellani*, ſed *Capelli* epiſtolae, quibus veterum Hebraeorum antiquitates plurimae illuſtrentur, ut & *Buxtorffii*. *Petri Vallenſis* & *Perieſcii* epiſtolas non puto Latino ſtylo eſſe conſignatas. Sed quid refert, ſi rara & exquiſita docent. Tanto plures inveniet emtores. Nam quot ſunt, qui non Gallica nunc malint, quam Latina? Catulli locum non licet nunc mihi examinare. Pacis leges cum Brandeburgico Electore propediem quoque convenient. Sic pax redibit Europae. Vale mea lux. Trajecti x. Februar. CIↃIↃCLXXIX. Noſtri omnes tibi ſalutem impertiunt multam, & optant, ut advoles.

EPISTOLA DXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOn litteras iſtas, ſed me ipſum hodie ſperabam ad te venturum. Deſiderium enim tui tantopere me cruciat, ut illi ferendo vix ſim. Sed vides hanc tempeſtatem incommodam, quae nec pedibus, nec navibus ad vos contendere nos ſinit. Ne dicam de dubia & ancipiti fide glaciei, quae Leccam conſtrictam quidem tenet, ſed ut quot horis metuendum ſit, ne liquefacta dilabatur, viamque mihi ad reditum occludat, ut invitus hic retinear, quamvis omnis mens mea ſit in tuo foco. *Berkelius* cauſſas nupero Stephani editori iraſcendi nullas habet. Sicubi hallucinatus eſt, poſſunt ejus errores modeſte cor-

rigi. Caveat, ne in ſe ſtatuat exemplum. Nam quin uberrima corrigendorum ſeges in ejus etiam notis ſit futura, nullus dubito. Vereor, ne male ſibi conſulat, & alios concitet, qui ejus libros eodem modo habeant, quo ille aliorum accepit. Sed multi hoc ſunt ingenio, ut non putent, ſe laudem eruditionis poſſe adipiſci, niſi aliis obtrectent. Iſte Judaeus Luſitanus non exagitandus eſt, ſi nonnunquam aberrarit a ſcopo, ſed laudandus & extollendus, quod poſt tot ſecula unus ex illa gente noſtras reſpexerit litteras & artes, & eas ornare pro ſua copia & facultate ſtuduerit, cum aliis ſuae diſciplinae hominibus ſint ludibrium. Vide igitur, ſi quid apud eum vales, ut tua auctoritate deterreas ab hoc inſtituto, vel litterarum cauſſa, ne apud barbaros & illarum oſores propter haec, quibus ſe leves ob cauſſas inceſſunt eruditi homines, convitia pejus indies audiant. Ab *Elzevirio* hîc litteras habes, qui recepit ſe epiſtolis illis virorum doctrina clarorum manus admoturum, ſimulac Lutetia huc curabuntur, quod *Juſtello* proxime ſignificabo. De pretio nihil addit, quia ſcribit, ſe tecum de hac re copioſius egiſſe. Pridie hic tranſiit *Jacobus Gronovius*, Hagam petens, ibi deſidebit, donec inaugurationi dies dicatur a Curatoribus. *Ryckium* noſtrum non miror jam de diligentia & frugalitate tam praeclaras & Philoſophicas fundere ſententias, quippe qui jam de filioli patrimonio amplificando cogitet ac ſollicitus ſit. Me quoque emacitatis librorum morbus vexat. De reſtitutione pulcherrima loci Catulliani, cum eam mecum communicaſti, multum te amo. Nihil certius, nihil elegantius. Plane beabis, ſi plures hujus notae emendationes ad me miſeris. In Ovidio & Phaedro tuam ſententiam quoque adprobo. In hoc tamen non video cur *ſic*, quod libri veteres prae ſe ferunt, refingas in *ſi*. *Ita* n. non refero ad hunc verſum, ſed praecedentes. Bonas in partes lector accipias velim, ſi quid interpoſuero dictorum. *Ita.* ſcilicet fiat. Sic rependet iſtam brevitas gratiam. Sed *iſtam* pro *iſti* valde laudo. Nihil ne audis de Holſteinianis in Stephanum annotationibus? *Elzevirius* a me conſultus nihil reſpondet. Vale, lux mea. Noſtri omnes te ſalutant, teque videre cupiunt quamprimum. Cum tibi Amſterodamum ſit excurrendum, cur non ad nos properas, ne poſtea aquis hybernis obſeſſus intercludaris. Vale, & veni. Trajecti XIV. Februar. CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DEnuo tam probe ſaburrati, ſi pateris, ut cum Comico ſic loquar, de tam pulchris ac ſuavibus fabulis a te refecti diſceſſimus, ut temporis apud te poſiti memoria nobis aeque jucunda ſit, ac Platonis convivis coenae illius erant multo lepore ac ſale conditae, ex quibus non minorem capiebant voluptatem ſequentibus diebus, quam illa, qua fruebantur epulis. Multum tamen de iſtius voluptatis ſenſu deterit recordatio valetudinis tuae dubiae. Non potero ante

in

in ulla re conquieſcere, niſi cum te confirmatum eſſe intellexero. Ubi *Langermanno* reſcribes, quaeſo, ut amantiſſimis verbis meo nomine ſalveat, ſibique perſuadeat, mihi quoque ſummo dolori eſſe, quod mihi carendum fuerit fructu conſuetudinis ejus jucundiſſimae, quam jam animo praeceperam. Sed *Gudio* noſtro quid tuo nomine vis a me renunciari, qui haec de te: Illuſtri *viro* τῷ πάνυ Heinſio, *cujus nomen ſemper mihi in honore & pretio fuit, veterem meam obſervantiam, ut praeſentem praeſens te rogabam, ore tuo teſtatam eſſe cupio. Utinam nobis aliquando hiſce in locis, te comite ac duce, jucundum ejus os oculoſque ſuaviari contingeret! Si me amas, operam dabis, ut brevi nobis tam beatis eſſe liceat. Mihi quidem utriuſque veſtrum ſtudioſiſſimo nihil gratius facere poteris.* Sic ille. Me quidem ſi audis, non patieris plus humanitatis, ſaltem in verborum honore, apud illum reſidere, quam apud te, ne videaris propter interceptas lamellas non plurimas internecivum odium ſuſcepiſſe in hominem, qui artium illarum, quas colimus & admiramur, ſcientia primum in illo tractu ſibi vindicat locum. Sed hoc tuum conſilium eſt. Praeſtat ſane, ut nobis officii ratio conſtet, licet aliis non conſtet. ἢ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. In Catullo ſenſus quidem videtur τὸ *ut* requirere poſt *divi*, verum ellipſis haec iſti poëtae non eſt inſolens. Nunc expecto, quid ſentias de illo loco, *quo non fortior aut ſit alis.* Nam ego nihil extrico. Aveo quoque cognoſcere, quibus argumentis firmaturus ſis emendationem epigrammatis quadrageſimi tertii, *o blitum, o lupanar.* In Phaedro non videtur ſane *ſic* eſſe mutandum, quamvis ſaepe alii ita loquantur. Verum iſtius loci ſententia plane deſiderat iſtam particulam *ſic*, ut ego quidem ſentio. Sed in prima praefatione illa nihil corrigendum cenſeo. Nam *genus Aeſopi* non ſunt conjungenda, ſed *exempla Aeſopi*, hoc eſt, fabulae. Quid hoc ſibi vellet *id genus Aeſopi continetur exemplis*, nemo Latine doctus intelliget. Nam quae ſunt illa exempla, niſi ipſae fabulae. Quid autem eſt, fabulae continentur fabulis? Ne dicam de voce *continere*, quae hoc ſenſu ne apud deterioris aevi & venae ſcriptores reperitur, ne dum apud cultiſſimum Phaedrum. Exemplum eſſe fabulam multis ex aliis Phaedri locis conſtat. Lib. IV. fab. 2.

Qui facere quae non poſſunt verbis elevant
Adſcribere hoc debebant exemplum ſibi.

Genus autem hîc accipitur pro genere humano, qua in notione ſaepe *poni* apud Senecam ὁ πάνυ Parens tuus in animadverſ. ad Senec. Tragoed. a *Scriverio* editis p. 345. multis oſtendit. Senſus igitur hujus verſus eſt, quem & ὁ μακάριος *Gronovius* vidit, homines continentur in officio ſcilicet fabulis Aeſopeis, hoc & ſequentia declarant. Non diſplicet *Quodcunque fuerit ergo.* Sed nec ſatis cauſſae video, cur repudietur vulgatum *Quicunque fuerit ergo*, ſed *narrantis jocus* ſcribendum eſſe ante hos viginti quinque annos vidi & probavi *Gronovio*, qui id ſibi ante quoque in mentem veniſſe reſpondebat. *Re commendetur* praefero ei, quod in editionibus *re commendatur*, quamvis ferri & hoc poſſit. Placet etiam *dictorum varietas.* Vale, lux noſtra, & dulce decus. Mea domus te ſalutat, & ſalvum hic videre propediem cupit. Trajecti Batavorum d. XXV. Februar. Jul. CIƆIƆCLXXIX. Hodie proſecuti ſumus exequias *Henrici Regii.*

EPISTOLA DXXI.
JOH. GEOR. GRAEVIUS
Nic. Heinſio.

Vianam.

VEhementer me conturbabat tua valetudo. Nunc, cum ex te intellexi de allevato corpore, & clauſo ſanguine, coepi eſſe bono animo, ſpei plenus fore, ut cis paucos dies te hîc complectar Amſterodamum contendentem, quo te negotia vocare novi. Poteris tum in ſinum meum effundere, quicquid aut noſtra feſtinatio, aut alii ſermones, quibus interpellabaris, memoriae tuae ſubduxerant. Naves jam ſunt in aqua: tempeſtas eſt idonea. Cur ergo non advolas? Litteras tuas & Lugdunum & Amſterodamum heri recte curavi. De Zenone Veronenſi multum te amo. Pretium ſatis grande illi dicam, ne facile mihi elabatur. Vellem, mihi ſignificaſſes, quos tibi addici cuperes, eos omnes deleviſſem ex eorum indiculo, quos mihi jubebo emi, ne forte, qui mearum rerum curam gerit, animoſius licitando tibi noceat. Quin ſi proximo die Lunae ex te id reſciero, fidem do, me nulli, cui tu inhias, inſidiaturum, & ne pretium intendant, meo nomine interceſſurum. *Gudius* ex me cognoſcet propediem, quae reſcribi ei tuis verbis jubes. De Catulliani loci emendatione, *quo non fortior hauſit Halyn* ampliandum cenſeo. Nondum animum potui inducere, ſic ſcripſiſſe Catullum, quamvis vulgatam etiam ducam perditiſſimam; nec quicquam ſani poſſim exſculpere. In pleriſque editionibus legitur, vetuſtiores ſane omnes, Aldina, Gryphiana, Colinaei, Baſilienſ. Plantin. Gebhardi quoque: *quod non fortior auxit avis?* Sed & hoc nihili eſt. Halyn vero cum nuſquam legatur tranſiiſſe Ptolemaeus Euergetes, non video, quî id ei commode poſſit tribui. Nam de aliis obſcurioribus fluviis, qui hujus nominis ſunt, locutum eſſe cultiſſimum poëtam, non eſt probabile. Sane de illo, qui fatalis fuit Croeſo, intellexit quoque Claudianus in loco a te allato. Nam per Galatiam decurrit in Pontum Euxinum. Sed demus licet, Ptolemaeum Halyn tranſiiſſe, quae in his argutia, nupta es Regi, quo non fortior hauſit aut tranſit Halyn? Latet aliud, quod num ſine meliorum membranarum ope poſſit erui, valde dubito. Tuam tamen conjecturam multo praeferendam eſſe ſcripturae, quae in vulgatis circumfertur, ultro fateor. Mirum eſt, politos & bellos homines ſibi potuiſſe perſuadere, Catullum ſcripſiſſe *alis* pro *alius*. De Tullio videbimus alias. In eadem elegia valde placet *omnibus exſperſa unguentis*. Phaedri locum ſic reſtituendum eſſe alii quoque viderunt. Expecto, quae promiſiſti de illo *ô blitum, ô lupanar!* In XVI. ad fam. Ep. I. legitur in omnibus editionibus: *Nos ita te deſideramus, ut amemus*. Num deſiderium eſt amoris cauſſa, an vero amor deſiderii? Procul dubio vitioſum eſt. Cicero ſcripſit: *nos ita te deſideramus, ut amamus*. Vide ſequentia. Ex Germania perfertur ad me, *Sagittarium* edidiſſe diatriben de veterum Thuringorum nonnullis nummis. En tibi Catalogum. Vale, decus & praeſidium meum unicum. Trajecti Kal. Mart. CIↃIↃCLXXIX.

EPI-

EPISTOLA DXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EN tibi a *Perizonio* litteras & poëmata *Bockſtadii*. Tuam epiſtolam praeterito die Solis, quo eam exaraveras, illico curavi Amſterodamum. Nam & mihi ſcribendum tum erat ad *Elzevirium*. redditam ei Lunae die mane utramque noſtram, ex ejus intellexi reſponſo. In auctione Ryſiana inſpexi hodie Nizolium, non eſt Lucii, ſed Caelii Curionis. In loco Catulliano *ô blitum! ô lupanar!* valde probo, ut & perpulchram & eruditam expoſitionem. In altero illo, qui habetur in Elegia de Berenices reginae coma, nihil quidem comminiſci poſſum, quod propius accedat ad veſtigia veterum membranarum, ſed illud *audit* nondum bene meis in auribus audit. *feſtior* ſeu *fauſtior* videris recte vidiſſe. *Avis* non puto referri hîc poſſe ad Berenicem. Sententia enim non fert, ut ego quidem ſentio. Omnino, ſi vera eſt haec ſcriptura & genuina, ad conjugium pertinet. Sed quid eſt *conjugium quod*, vel, *quo non fauſtior audit avis?* ſi pro *audit* metrum admitteret *junxit*, nihil negotii ſupereſſet. Tibi tamen ſubſcribo, donec certius aut probabilius quid expedierimus. Nunc diu multumque cogitanti nihil ſuccurrit, quod tuae poſſim obducere conjecturae. *Carpentarii* Logicam & ipſe notaveram in Catalogo *Heidani*, ſed juſſi nunc expungi, ne tuis commodis obſtem. Apud Senecam Conſolat. ad Marc. cap. 15. fin. vulgatur: *Sed videlicet in orbem iſta tempeſtas: & ſine dilectu vaſtat omnia, agitque ut ſua.* MSS. pro *in* habent *it*. Legendum cenſeo: *Sed videlicet it in orbem iſta tempeſtas: & ſine dilectu vaſtat omnia, agitque vi ſua.* Sic inferius cap. 21. *Eunt vi ſua fata.* ubi MSS. quoque habent: *eunt ut ſua fata.* Novi, quod narrem, nihil ſuccurrit. Vale, vir maxime, & me ama. Trajecti Batav. a. d. XVI. Mart. Gregor. CIↃIↃCLXXIX. Febris tua mihi magnum metum incuſſit: ſed quia tua manu litteras minime Laconicas exaratas vidi, animum recepi, & ſpero te febri carere, & ſimul ac Boreae deſaevierint, & blandi ſoles refulſerint, per noſtram Urbem petiturum Trajectum.

EPISTOLA DXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

OMnes in moerore ac luctu ingenti ſumus, quod deterius te valere audimus, & febri vexari graviſſime. Jam ad te volaſſem, niſi certiores expectarem nuncios. Nam haec fama ſine auctore certo ad nos pertulit. Cras igitur ſpero, me explorati aliquid de tuo ſtatu cogniturum & laeti. Interea Chriſtum Σωτῆρα ſupplex venerabor, ut releveris, ac incommoda hac valetu-

dine brevi emergas. Cras, ſi quas utilitates tibi praebere potero, excurrum ad vos. Interim accipis catalogum Amſterodamenſem, quem mihi perlegendum conceſſit *Ribbius*. Gnyffianum jubebit apportari tibi & mihi *Maerſebroeckius*, cujus mater graviſſimo morbo jactatur, ut videatur extremum ſpiritum ducere. *Halmalii* catalogum utinam mihi videre liceret. Nam in illo tractu multi eduntur libri nobis ignoti. Si potes eo carere, niſi ad te ipſe cras venero, rogo, ejus uſum in unam mihi dieculam indulgeas. Si juſſeris, videbo, num per Antwerpienſes invenire poſſim, qui tibi Mechliniae navet operam in emendis, quos cupis, libris. Senatorem illum vidi olim Antwerpiae apud *Rubenium Philippi* filium, de litterarum ſtudiis praeclare diſſerentem. In Catulli loco etiam nunc aqua mihi haeret. Non damno tamen tuam conjecturam. Sed agam de his amplius, cum te rectius valere intellexero. Qui nuncius ubi ad me perferetur, plane recreabor. Nunc totus langueo non mea cauſſa, qui jam firmior ſum, ſed quia metus tuae valetudinis me in nulla re ſinit conquieſcere. Deus faxit, ut febris deceat. Servi valetudini mea lux. Trajecti d. XXIV. Mart. CIↃIↃCLXXIX.

Sypenſteinius noſter in curandis febribus, inprimis tertianis, eſt feliciſſimus, & ſuae artis infinita edidit ſpecimina. Nepos eſt ex ſorore *Velthuſii*, & arte medicinam faciendi inter noſtros medicos excellit. Is lubens ad te mecum contendet, ſi juſſeris.

EPISTOLA DXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri domum reverſo reddebantur mihi litterae *Lemonii*, cum faſce librorum, in quo duo habebantur exempla demonſtrationis Euangelicae *Huetii*, alterum tibi, alterum mihi deſtinatum. In illo evolvendo nonnullas horas nocturnas heri conſumſi maxima cum voluptate. Nam & plenus eſt variae multiplicisque doctrinae, & rationes, quibus firmat noſtrorum ſacrorum veritatem, ſunt firmiſſimae & invictae, inter quas tamen non habeo, quae ex gentilium hiſtoria ad ſacram transfert, ut cum Moſen oſtendit omnium gentium eſſe Deum, & legiſlatorem. Haec nondum quidem damno & rejicio, nam nondum accuratius mihi licuit illa perpendere, ſed vereor tamen, ut poſſint aetatem ferre. Verum de his alias pluribus, cum per occupationes mihi licuerit hoc opus erudititiſſimum in manibus habere. Nunc alia quercus mihi eſt excutienda. Novi nondum quicquam accepi. Neminem enim vidi. Mitto tamen tabulas novarum rerum nuncias, quae in hac urbe prodeunt, ut ex iis intelligas pacis leges, quae inita eſt inter Gallos, Suecos & Duces Lunebur- genſes. Valetudinem tuam indies volo meliorem fieri, ut brevi te firmum & valentem hic complectamur. Pro lautitiis, quibus & animum & ventrem paſcis, quid referam, non habeo, niſi inanes verborum gratias. Me tamen tot

tuarum epularum memorem eſſe aliquando cognoſces. Vale, vir Nobiliſſime. Ab Uxore & noſtris omnibus ſalvebis plurimum. Trajecti Batavorum XXVII. Mart. CIƆIƆCLXXIX. P. S. Has heri exaraveram, ſed veſtri Germanici tabellarii negligentia, qui revertendi ad nos, ut promiſerat, ſpem fefellit, factum eſt, ut hodie demum ad te perferantur. Verba *Lemoynii* heri meis adtexere per feſtinationem non potui. Ea hic accipis: *Alterum exemplar deſtinatur Nobiliſſimo Heinſio, quem epiſtolio ſalutare cogitabam, ſed intercedunt temporis arctiſſimae anguſtiae. Illi, quaeſo, meo nomine ſalutem plurimam impartiaris, & apud illum quavis cautione contendas, ſe tam a me coli, quam qui maxime. Vivatis duo fulmina belli litterarii, & duo luminaria magna orbis eruditi.* Vale, ingeniorum Princeps, & ſalve a noſtris omnibus. Uxor meliuſcule ſe habet, quae tibi plurimam dicit ſalutem. Tuam quoque valetudinem confirmari indies gaudemus. Dux Eboracenſis Bredae agit.

EPISTOLA DXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

GAudebam vehementer viſa tua manu, ſed vacillantes litterae me nondum ſinunt eſſe tranquillum. Spero tamen te indies magis magiſque levatum iri his incommodis, & confirmatiorem brevi ad nos tui cupidiſſimos venturum. In Huetii libro evolvendo noctem illam, cum a te redirem, pervigil exegi. Ita me capiebat eruditio diffuſa, dictio munda, via & ratio impietatem profligandi pulcherrima & certiſſima, & argumentorum robur. Habes hic a Reverendo *Spanhemio* duos libros pereruditos, qui hodie mane ad me perferebantur cum mihi inſcriptis exemplis. De litteris noviſſimis tuis ad *Cuperum* exaratis, jubeo te ſecurum eſſe, ac pro explorato habere, illas ei redditas eſſe, ſed praeterita demum hebdomade, mea, nec inficiari licet, culpa. Tuas enim, cum mihi redderentur primum, retinui hanc ob cauſſam, ut ipſe iis meas adderem. Sed diebus, quibus ſolet auriga diſcedere, ſemper intervenere, quae ſcripturam retardarunt, ut tandem ſine meis ad illum curatae ſint. Habes confitentem reum. Nullam poenam, quam a me exiges, ſubterfugiam, modo de priſtina tua in me voluntate nihil delibetur. *Lemonius* ex me reſciſcet, quae juſſiſti. Hodie in via vidi *Berckelium* ex Merſenſi agro revenientem. Is dira minatur *Pinedo*. Cis duas treſve hebdomades in publico ait volaturum libellum, in quo ejus inſcitiam, ruditatem, errores graviſſimos infinitis exemplis orbi erudito ſit patefacturus. Deterrere ſtudui hominem ab hoc immani inſtituto: oſtendi ei, nec tibi probari hanc aliis propter nonnullas hallucinationes inſultandi libidinem. Sed ſurdo narrabam fabulam. Vale, vir Nobiliſſime, & me ama. De tua valetudine fac, quaeſo, ut quotidie certior fiam, ſi non litteris, ſaltem ore tabellarii. Trajecti Batavorum XXX. Mart. CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TAntane hujus mali, quod te vexat & affligit, eſt tenacitas, ut nullis ſalutaribus herbis, aliave vi medica poſſit expugnari? Vix mente conſiſto, cum cogito tantam tuam imbecillitatem & cruciatus, quos auget inſomniae moleſtia. Dolorem, quem ex tuo morbo capio, ferre non poſſem, niſi ipſe melioris ſpe valetudinis nos erigeres, cum melius aliquanto tecum agi ſcribis. Opto precorque Deum immortalem, ut te reſpiciat, teque magis indies magiſque confirmet, ut brevi convaleſcas. Tempeſtas iſta viribus reficiendis parum ſervit. Brevi, ut ſpero, videbunt blandiores ſoles, qui te quoque reficient. Libri ſimul ac mihi a *Ryckio* reddentur, veſtris γραμματοφόροις curandos tradam. Expecto & ipſe paucos illos, quos in auctione *Heidani* mihi amici vindicarunt. Praeteritae hebdomadis die Jovis nummos miſi, libros nondum vidi. Forte cum his perferentur. In Halmaliano indice pauculos quoſdam notavi, quos tu dudum habes, ut Gyraldi opera, & Onirocriticon Artemidori, nonnulloſque alios. Videbimus, quid noſter ſacerdos ſit praeſtiturus, & uter magis officio fuerit functus, is ne, cui *Elzevirius* hanc perſonam imponet, an is, cui noſter partes libros iſtos emendi mandabit. Pretium meis adſcripſi tenue. Non enim nunc licet nobis eſſe prodigis. Neomagi induciae inter Gallum, Suecum, & Brandeburgicum Electorem, ac Daniae Regem in Kalendas Maii convenerunt. Illius legatus, qui modo irritus voti redierat, Lutetiam revocatus eſt a Rege, ſi vera narrant, qui Electoris cauſſam agunt. De rebus Anglicis nihil audimus. Haec ita celantur, ac ſi myſteriis operarentur. Valere te volo. Quod ſi audiero, & ego valebo. Nunc non minus tua valetudo adverſa me macerat, quam te ipſum conficit. Medicum ſi vis a me conſuli, ſive de cucurbitulis, ſive de aliis rebus, fac modo reſciſcam. In nulla re meum deſiderabis officium. Vale, vir Summe, & me ama. Trajecti III. Mart. CIϽIϽCLXXIX.

EPISTOLA DXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

FAſciculus Falconerianus ubi mihi reddetur, triumphabo, illicoque jubebo ad te perferri. Nondum illum vidi, nec Maronis exemplaria, in quibus diſtribuendis tuae voluntati obſecundabo. Alterum majoris chartae curabo ad *Terburchium*, alterum mihi ſervabo, ac in ſinu gaudebo, & de mea felicitate mihi gratulabor, ſine ulla oſtentatione. ne metuas, qui alieno maxime ſum in-

ingenio ab inani jactantia; memor, *corvus ſi tacitus*, noſti cetera. *Maerſebroeckium* hiſce diebus quaeſivi, ut officio tuo nomine apud eum fungerer, ſed aberat domo. Hodie ſpero, me illum ſalutaturum, ut & oenopolam. proxime de utroque ex me cognoſces, quae ſcire deſideras. *Juſtellus* & *Huetius* ex me quoque reſciſcent, quae illis narrari juſſiſti. Epiſtolam, quam ad *Huetium* exarabis, ſi mihi credideris, tuto celeriterque curabitur. Nam feſtinatione opus eſt. Narrat enim, ſe propediem cum Delphino iter ſuſcepturum longum & ſatis diuturnum. *Wetſteinius* bibliopola Amſterodamenſis hodie Francofurto regreſſus me inviſit. Narrat is, ſe novam Epiphanii Petaviani moliri editionem, nec non Suiceri theſauri ingentis Eccleſiaſtici ex omnibus Graecis patribus excerpti, cui viginti quatuor annos inſudarit, & in quem aliquot myriades vocum Graecarum, quae in nullo extent lexico, congeſſerit. Valerii Flacci tui folia typis deſcripta eſſe Amſterodami apud *Ravenſteinium*. Operam dabo, ut is emat illa, & publicet tandem tam diu ſuppreſſum vatem. Non videbatur abhorrere ab hac negotiatione. Amicum Leidenſem audio edidiſſe orationem a ſe habitam, qua occupatione diſtrictus forte non potuit vacare litteris ad te mittendis. Nunc defunctus hac cura redibit ad officium & frugem. Per ſororis deceſſum mihi nunc non licet pedem efferre domo. Sed proxima hebdomade, ſi vivo, te videbo, niſi tu tuo adventu meum occupaveris, quod utinam fiat. Vale. Trajecti III. Maii. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TAm lente recolligere te a gravi hac valetudine vires, ut nondum allevare corpus poſſis, doleo ſane incredibiliter. Faxit Deus, ut vinum medicatum, quod hodie tibi apportabitur, ſtomachum reficiat, ac incolumitatem reddat. Rationem ipſe mittet οἰνοπώλης. Juſſi decem congiorum amphoram ad te curari per mulierem, quae tuas litteras reddidit. Egi hiſce diebus hîc cum patre ſocietatis Jeſu de bibliothecis Brabantiis. Is fidem dedit, ſe per Socios Antwerpienſes curaturum, ut libros, quos cuperem, mihi pararent, qui Mechliniae degunt ſocii, ſi pretio poſſent haberi, quod iis ſim adſcripturus. Ante hos tres dies ſcidam, in qua nonnullos notaveram, ei tradidi. Si & tu hac via vis tentare, num Mercurius tibi faveat, quamprimum indiculum a te librorum, quos tibi cupis addici, eo, quod adjicies, pretio, accepero, & tuo nomine cum eodem ſacerdote agam, ut tibi quoque per ſuos ſerviat amicos. Sin, *Papenbroeckus* ipſe poſſet compellari. Litterae a me aut *Elzevirio* curabuntur. Novi hîc nihil audio dignum commemoratu. Nec de litteraria re, quod ſcribam, ſuccurrit. *Spanhemius* mihi ſignificat, fratrem ejus Hiſtoriam Criticam Bibliorum in ortu ipſo ſupreſſam acri cenſura perſtrinxiſſe, quam propediem *Elzevirius* luci ſit daturus. *Male Deorum*, quod *Voſſium* in Ariſtarcho apud Senecam tueri ajebas, acce-

accepit a *Scaligero*, qui in Addendis ad notas, in Sphaeram Barbaricam Manilii ad pag. 196. ſcribit: κακοδαίμων Senecae redditur *male-Deus*, in Thyeſte. *Quis maledeorum* &c. κακοδαιμόνων. κακοδαίμων ergo a veteribus vertitur *Malegenius*, *Maledeus*. Sic res parva magnos Semones poteſt in pueriles errores inducere. Plane enim tibi aſſentior, *male* cum *oſtendit* jungendum, non *deorum*. tuam conjecturam *inviſas domos* ſuis notis inſeruit *Gronovius*, quamvis defendat *vivas domos* pro vivorum. Sed nihil tua correctione certius. Vale, vir incomparabilis, & me ama. Trajecti Batavorum d. XXII. April. Jul. CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUamdiu mihi tua manu per tuam imbecillitatem carendum eſt, totus ſum in moerore, ut nulla ſuavitate ab illo poſſim abduci. Excurriſſem hodie ad te, niſi obſtarent plurima, quae me premunt, ac quaſi manu injecta retinent. Proximo die ſolis, ut te videam, operam dabo. Ampliſſimus *Terburchius* plurimam tibi ſalutem dicit. Vergentibus comitiis Tranſiſulanis cogebatur accelerare reditum. Ait, tibi deſponſam eſſe provinciam res patriae tuae litteris mandandi. id ſe accepiſſe ex Delphenſi amico, qui patribus Batavicis erat adſcriptus. Emit plurimos libros in auctione *Heidani*, & pleraſque doctorum virorum imagines non exiguo pretio. Res Anglorum etiamnunc ſunt impeditiſſimae, de quibus coram. Aut cras mittam, aut perendie feram catalogum librorum hic propoſitorum ſub haſta. Deum precor, ut convaleſcas, utque te firmiorem laetumque inveniam. Mei omnes te ſalutant. Trajecti a. d. XXVIII. April. CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUllus dubito, quin in auctionibus Brabantiae tuae ſpei fuerit ſatisfactum. De me conjecturam facio. Nam illae Lyſiae orationes ſecum ferent libros omnes, quos iſte numerus complectebatur, ut vere fueris hariolatus, omnes unius numeri ſimul venum exponi. *Sadoleti* opera cum tibi ſunt addicta, gaudeo. Recipies a me pretium, quod pro illis erit tibi numerandum, aut, ſi id mihi ſignificaris, ipſi *Elzevirio* appendam, quod pro illo libro debetur. Steenbergianae bibliothecae catalogum ut in unius aut ſummum duorum dierum uſuram mecum communices, vehementer rogo. Redibit ad te ſalvus & illibatus: nec eſt, ut metuas, me, quod tu deſideras, intercepturum. Libero te hac cura. Nunc demum charta allata manum bibliopola Floro admovet. Cis unam alteramve hebdomadem & iſte & triumviri amorum in publico compare-

parebunt, ut nunc de praefationibus cogitandum ſit. Videtur conſultiſſimum eſſe, ne majorem mihi quam olim invidiam conflem, Romanae hiſtoriae in compendium redactae auctorem τῷ ποιμένι λαῶν inſcribere, & Catullum cum ſociis legato Regum Galliarum. Aliud, quod nunc narrarem, non erat. Pax inter Gallos, Suecos, Electorem Brandeburgenſem, & Danos certa habetur. Vale, grande decus noſtrum & ſeculi. Trajecti prid. Kalendas Majas Julian. CIƆIƆCLXXIX. Uxor & noſtri tibi ſalutem dicunt, & ſperant ſe propediem te viſuros. Uxoris ſoror proximo die lunae viae ſe dabit Duſſeldorpium repetitura.

EPISTOLA DXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EX tuis litteris tantam cepi voluptatem, quam jam dudum ex nullius aliis hauſi. Nam quia tanto lepore & venuſtate ſunt perfuſae, fidem mihi faciunt, te jam & ſomno & cibis recreatum cum viribus recollegiſſe & priſtinam animi laetitiam, quae ſolet effundi in jocos & urbanitatem feſtiviſſimam, quo nihil mihi potuit narrari optatius, nihil quod majore me gaudio perfunderet. Nam quamdiu tu non vales, in maximis verſor angoribus & ſollicitudinibus, qui omnem vitae meae ſuavitatem in tua conſuetudine & amore repoſitam habeo. Gaudebo quoque cum a *Falconerio* miſſae *Mureti* annotationes incolumes ad nos pervenerint. *Elzevirio* hodie aurem vellam, ut tandem Ciceronis exemplaria neglecta curentur in Italiam. Cum his litteris recipiet catalogum Francofurtenſem, in quo pauca ſunt, quae palatum irritant. A *Juſtello* litteras habui pridie, nihil quidem memoratu dignum nunciantes, niſi quod nuperrime bibliotheca, quae habita fuerit inter exquiſitiſſimas totius Lutetiae, ſectores invenerit bibliopolas, qui illam ſibi juſſerint integram addici. Poſſeſſoris nomen non ſignificat. Hanc ſecuturam eſſe inſignem aliam *Momorii*, quam exceptura ſit illa famoſa *Thuanea*. Sub hyemem alias quoque venum expoſitum iri. Amorem raros & pulchros libros conquirendi Lutetiae minui, forte propter argenti penuriam, qua aeque Lutetia laboret, ac ceterae Europae gentes. Sequente hebdomade & illi & *Huetio* reſpondebo. Utrique *Danielem Goeſium* commendabo, de quo certum te eſſe jubeo. Mittam tibi quoque ad utrumque litteras, niſi jam tuae avolarint epiſtolae. *Menagio*, rogo, ut meo nomine ſalutem dicas verbis amantiſſimis. Catullus ut quamprimum prodeat, urgebo. Amicus Leidenſis ad officium, ſpero, redibit, ubi cogitabit, quot dictis iſtam Philoſophiam verbis factioſam, opem inanem ſis perſtricturus. Remitto nunc Stenbergianum Catalogum. Di perdant imperitiſſimum nebulonem, qui illum conſcripſit. Poteritne aliquid eſſe corruptius? Ex illo aliquos tantum mihi emi velim, ſi qua via patet illos parandi. Vale, vir incomparabilis, me ama. Trajecti a. d. III. Maii. CIƆIƆCLXXIX. Adjeci orationis funebris exemplum.

EPISTOLA DXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EN tibi pro ſchedio pluſquam Lucilianae humilitatis, quod tibi tamen non improbari incredibiliter gaudeo, tu enim mihi es inſtar omnium, orationem ornatiſſimam! Ad *Huetium* quas miſiſti perendie, recte curabo. Cras quoque, ut ſpero, habebis, quibus *Juſtello* commendabo *Danielem Goeſium.* Faſciculum a *Falconerio* miſſum heri accepi. Nihil complectitur niſi *Mureti* annotationes multas quidem, ſed non magni momenti in epiſtolarum ad familiares, ut vocantur, volumina, ſine ullis litteris. Catalogum jam recepit. Mitto hîc quoque ectypon Achatis antiqui, qui Amſterodami habetur apud mercatorem quendam, quem ipſe olim vidi. Quid ſentis de hac gemma, & quos credis prae ſe ferre homines. Mihi videtur Auguſtum cum Livia & Julia ac Marcello triumphantem oſtentare. Sed quid ſibi volunt iſti Centauri! Nam ſi de triumpho Philippico victis Caſſio & Bruto cogites, non poteſt eſſe Livia & Julia. Tuam igitur explicationem tanquam Apollinis Delphici expecto. *Maerſenbroecius* tibi ſalutem plurimam dicit, apud quem heri ſum functus officio. Gemmam, rogo, ut remittas, cum inſpexiſti. Videbo tamen, ut tibi quoque procurem exemplum. Sejanus amico noſtro peperit acceſſionem ſtipendii annui, ut nunc *Gronovio* non ſit inferior. Marones tuos cis tres quatuorve dies ad nos ſe miſſurum promittit *Elzevirius.* Petii, ut adderet unum exemplar minoris chartae, quod Conſuli *Strickio* tuo nomine decrevi offerre, cujus amicitia inprimis nunc mihi ſalutaris eſt, & perquam neceſſaria, quod pro tua in me indulgentia & amore in Conſulem, non aegre, ut ſpero, feres. Vale, vir maxime, & me ama. Trajecti v. Maii. CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DXXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ECtypon veteris gemmae ut habeas, curae mihi erit, de cujus interpretatione ampliandum cenſeo. Praeter illa, quae pulchre notaſti, ſunt alia, quae videntur nobis perſuadere poſſe, non eſſe ſeculi Auguſtei hoc monumentum, de quo alias. Nec mihi licuit orationem iſtam perlegere noſtri communis amici etiamnunc. Nam diem unum atque alterum cum ſororis diſceſſus, tum nos inviſens *Wolzogius*, & nonnulli alii amici, nec non occupatio intercedens exemere. Ex Dordracenorum amicorum conſuetudine te magnam cepiſſe voluptatem gaudeo, ſperoque ad valetudinem recuperandam illorum ſuavitatem multum valuiſſe. Litteras ad *Huetium* hodie curavi, tuaeque brevitatis cauſſam

egi.

egi. Iidem amici, de quibus jam ſcripſi, meam ad *Juſtellum* litteras dandi voluntatem retardaverunt. Proximis hemerodromis Gallicis haec jactura penſabitur, ſi jactura ducenda eſt, & non potius negligentia, ſed cujus culpam ſuſtinent iſti fures temporis. Libros ex Coccejana & Heidana venditione praeſtabunt, ſpero, amici, nec patientur, *Lopezium* alienis incommodis augere ſua commoda. In Maronis exemplo Conſuli noſtro donando cum tam benigne meae voluntati ſervis, multum te amo. Oenopolae rationes, ut praeſto tibi ſint, perendie urgebo. Cis duas hebdomades ultima manus imponetur Livio *Gronovii*. Editionem tum *Elzevirius* ſuſcipiet Suetonii noſtri, & epiſtolarum ad familiares Tullianarum minore forma publicandarum. Excutiemus, ſi per alia licuerit, *Mureti* annotationes nuperius a *Falconerio* tibi miſſas. Novi nihil, niſi quod Veſalia ac Stadium Gallis traditae multos ſollicitos habeant, praeſertim cum legatus ab Electore denuo Lutetiam mittatur. De Anglorum adventu nihil quoque explorati habetur. Incerta jactantur, quae dies docebit. Nondum videtur omnis illa tempeſtas Anglica detonuiſſe. Vale Princeps ingeniorum & amicorum. Trajecti XI. Maii. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DOmum reverſus inveni nonnullas epiſtolas, ſed omnes non magnae rei, praeter *Huetii*, in quibus tamen vix quicquam eſt, quod tu geſtias audire, quam quod de Hiſtoria Critica Bibliorum adſperſit, eam publice damnatam non eſſe; ſed antequam prodiret, abolitam. Se librum legiſſe accurate, diſputaſſe primum de auctoribus librorum ſacrorum: nihil fere novi attuliſſe, ſed opiniones ab aliis jam prolatas amplificaſſe, & quae ſtrictim illi ac parce, magniſque adhibitis cautionibus propoſuerint, intemperanter hanc non defendiſſe modo, ſed dilataſſe. Totius vero doctrinae ſuae principia poſuiſſe manifeſto falſa, ex quibus duxerit conſectaria quaedam exitioſa & prorſus peſtifera, quae ſacrorum librorum dignitatem & γνησιότητα funditus labefactarint. Parte altera ſanctorum eorundem Codicum Interpretes ad examen ſuum & arbitrium revocaſſe, in eaque antiquos Eccleſiae patres vexaſſe & irreverenter, & proſcidiſſe, reliquos tam acerbe adhibuiſſe, facile ut appareat in vitiis notandis & carpendis diligentiorem fuiſſe, quam in virtutibus laudandis. Tertia demum parte diſſeruiſſe de optimo genere interpretandae Scripturae Sacrae. Quae pars totius operis optima ſit. Plurima tamen & Originianis ſuis ex libris de interpretatione & ex aliorum ſcriptis deprompta paſſim deprehendi, quae velut ſua venditet, nec ſcriptoris cujuſquam nomen proferre, quam quem maledictis velit inceſſere. Eam eſſe hominis perverſitatem. Addit ſe habere poëma Tzezae de rebus Troicis, cui adjecta ſint Scholia non contemnenda. Plura non licet ſubnectere. Vale Trajecti VIII. Maii Gregor. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

AD *Broekhuſium* ubi reſcribes, fac mihi reddatur: Recte curabitur Trajectum ad Moſam, ubi nunc agit. Nihil mihi curae ſtudiique reliquum facio, ut eum collocem in ſtationem ejus ingenio magis convenientem. Abhorret enim a caſtrorum & militiae feritate. In ſeceſſu quodam, tenui contentus fortuna, optat vivere, ſi modo in litteris poſſit omnem exigere aetatem. Gemmae veteris aliquot mihi promiſſa ſunt exempla, quae ſimul accepero, tibi unum ſervabitur. Inſcriptiones meas antiquas ſpero has litteras ad vos eſſe perlaturas, ſin minus, proxime ſequentur. *Spònii* itinerarium Amſterodamenſes minoribus uſi litteris in duos tomos contulerunt. In re litteraria, quod narrem, vix habeo. Hodie accepi litteras a *Leibnizio*, qui Hannovienſi Principi eſt a conſiliis & bibliotheca. Is narrat amicum, cui Hildeſienſis bibliothecae excutiendae curam commiſerat, nondum promiſſorum fidem exſolviſſe. Illuſtriſſimum Epiſcopum Condomenſem quaerere, quicquid Thalmudicorum librorum in Latinam linduam verſum uſquam reperiatur. Nam in id nunc Regis juſſu incumbere nonnullos, ut Latine vertatur, quicquid ex Miſchna Talmudica nondum interpretem invenerit. Uti eos ingenio Judaei Chriſtianorum ſacris initiati, cui *Ludovico de Compiegne* nomen, qui nuperius ediderit de templo Hieroſolymitano librum, cui *Perrotius* Architectus elegantes formas aere deſcriptas adjecerit, quae longe differant a *Villalpandi* templo. Addit *Guilleterium* Athenarum veterum auctorem, *Sponium*, qui in itinerario ſuo ejus ineptias reprehenderat, aſperrima diſſertatione proſcidiſſe, ſed librum eſſe futilem, uti & [1] Tamerlanis hiſtoriam, quae nuper Gallice prodierit. Habes hîc Duos catalogos. Amſterodamenſem tamen, ſi uſus eo es, mihi velim remitti. Legiſtine unquam faces quinque fuiſſe Romanis praetoribus praelatas, tres aedilibus? Novi ignem, qui praeferebatur imperatoribus. Sed de his facibus nihil memini legere. Inſpice, ſi vacat, initium Quaeſtionum Romanarum a Plutarcho publicatarum, & quid de illo ſentias, ſi valetudo tulerit, fac, quaeſo, intelligam. Uxor mea jam triduum graviſſimis inteſtinorum doloribus vexatur, ut lecto affixa jaceat, & mire crucietur. Deum precor, ut his moleſtiis eam levet, & te incolumem praeſtet. Forte cras pomeridie cum Comite Lippiae te videbo. Sed nihil poſſum liquido promittere. Vale, vir Summe, & me ama. Trajecti Batavorum d. XXVII. Maii. CIↃIↃCLXXIX.

1 Prodiit illa Pariſiis, hoc anno, per *Sancſyon*, qui in praefatione fatetur, ſe eam ex *Ali Haceni*, quem vertit *Johannes du Recq*, & alio commentario MSS. compoſuiſſe. Sed *Joannem du Recq* male admodum vertiſſe tradit *Ancillon*. in vita *Chrevaei* p: 192. Meliorem nuper edidit *Petis de la Croix* ex Arabico verſam, quae Anno 1723. Delfis eſt recuſa.

EPI-

EPISTOLA DXXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EXemplaria Virgilii nobis deſtinata heri accepi. *Maerſenbroeckius* & *Servaeſius* tibi gratias agent ipſi aut litteris aut coram pro tam pulchro munere. Conſuli nondum potui tradere, quod tradendum ei jubes exemplar, quia relaxandi animum cauſſa jam tres hebdomades abeſt domo. Habebit tamen, ſimul ac redierit, & *Terburchius* Ampliſſimus, cum hîc tranſierit, ſuum donum. Id, quod mihi dediſti, exemplum ſemper erit in ſinu meo, & perpetuo me admonebit infinitorum tuorum in me meritorum: pro quibus nihil tibi poſſum promittere, quam, quam ſemper praeſtabo, pietatem quandam in te colendo paternam, & omne officii ac obſequii genus, quod a me poteſt expectari. Habes hic inſcriptiones meas. Habebis propediem alias ineditas, quas nuperius mecum communicavit *Smetius.* Tu nonnullas olim mihi etiam promiſiſti, quas, ubi convalueris, nullus dubito, quin mihi ſis perſcripturus, aut illarum deſcribendarum facultatem facturus. Gemma quoque mihi erit curae. Patres Graecos *Cottellerii* mecum feram. *Sponii* itinerarium digniſſimum eſt, quod in omnium eruditorum manibus verſetur. [1] Muſteum de Adami lapſu libellum non niſi apud te vidi, nec valde videre geſtio. Videtur communi ſenſu carere, qui tam proterve ſacros codices ludum jocumque facit. Ad *Papenbroeckium* ubi quid volueris, recte per noſtros nautas curabitur, qui ſingulis hebdomadibus hinc Antwerpiam currunt. Si hac via id curari velis, fac mihi tradatur, ut recte perferatur illuc, providebo. *Philippum Cyprium* nondum vidi. Nondum in noſtris tabernis proſtat venalis. Cras aut perendie ſpero me tibi miſſurum Catalogum bibliothecae Voetianae, qui jam totus deſcriptus typis eſt; ſed nondum ſpargitur in vulgus. *Phorbaeus* noſter te jubet plurimum ſalvere, ac ſignificari, ſe nunc omnes horas ſubſicivas collocare in Heſychio tui patris deſcribendo, & cis tres menſes ſe ultimam ei manum impoſiturum, ac typographo traditurum, cum primum tu percenſueris id opus. Faces ei ſubinde ſubjiciam, ne ante ſibi ſtrigandum ducat, quam rebus affirmaverit fidem dictorum. Venuſinarum lectionum *Rutgerſii* jam olim mihi ſpem feciſti. Si quando in tuas manus inciderint, fac, quaeſo, illarum mihi ad unum alterumve diem copiam. Vale grande decus meum. Trajecti d. XIX. Maii. CIƆIƆCLXXIX. Uxor nondum valet, meliuſcule tamen ſe habet, & tibi ſalutem dicit.

1 *Adr. Beverlandi* intelligit ineptum & impium libellum, ut ex ſequentibus epiſtolis patet.

EPISTOLA DXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EN tibi reliquias bibliothecae Voetianae minime ſpernendas. Vereor ſane, ne in tribus quatuorve libellis emendis tua cupiditas obſtet meo deſiderio, niſi jam illos habueris. Amſtelodami neminem novi, cui auſim tuto imponere iſtud onus. Nam *Francium* noſtrum totum eſſe in ſcena ornanda, ut veterum amicorum ac neceſſitudinum omnium poene obliviſcatur, nuper mihi *Wolzogius* narravit, cui ſolebat eſſe conjunctiſſimus. Si quem igitur habueris, cujus fides tibi eſt explorata, ei ut mandes, quicquid in illa auctione tibi velis vindicatum, ſuadeo. Mihi nunc nihil ibi metitur & ſeritur. Nam quamvis deſiderem quoſdam libros, qui veterum numiſmata illuſtrarunt, & ibi habentur, nec tamen arcae anguſtiae his ſumtibus reſpondent, nec eſt, cui poſſim hoc negotium credere. In libellis licitandis nonnunquam nummulorum nonnihil occupo; grandia volumina beatioribus relinquo. Ex auctione Brabantica nondum allati ſunt Graeci oratores mihi emti. Libellum illum ſacrum & deteſtabilem de originali peccato nemo hîc vidit, nec in noſtris bibliopoliis conſpicitur. Egi tamen de illo hodie cum noſtris Theologis, qui, ſimul ac in illorum manus pervenerit, ut juguletur & luce interdicatur, providebunt. Et ſane dolendum eſt, tam foedos ac profanos libros in his terris publicari & tolerari, quae noſtrae genti notam inurunt turpiſſimam. Conſulis filius quodvis mereret, ſi hanc epiſtolam ei inſcriptam poſſet oblitterare. Sed ſentio iſtius hominis amicitiam aut ſaltem cognitionem eſſe damnoſam & noxiam. Brevi ſimili dedicatione videbis nomen tuum eſſe conſecratum, niſi hanc lauream fueris deprecatus litteris, quas omnibus bibliis Criticis praefert, & forte ſuo grandi operi inſeret. Vale, vir incomparabilis, & me ama. Trajecti xxx. Maii. CIↃIↃCLXXIX. Uxor te ſalutat, quae etiam nunc doloribus, qui non longe abſunt a colicis, conflictatur. Nonnunquam quidem aliquot horis mitius ſaeviunt, ſed tum recurrunt & acrius intenduntur. A *Beuningio* ad Proceres noſtros litterae ſunt miſſae, quibus inter alia eum audio ſignificare τῷ τῆς μεγάλης νήσου βασιλεως ἀδελφῷ Ordinum decreto abrogatam eſſe ſpem ſucceſſionis, ſi fratri aliquid contigerit.

EPI-

EPISTOLA DXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUnquam a te diſcedimus niſi doctiores, laetiores, & bonis rebus refertiores. Tibi nunquam deeſt, quo nos laute, prolixe ac perquam ſuaviter accipias, ſed nos exhauſtos dudum & verba deficiunt, quae laudes grateſque tibi meritas dicant. Niſi animo voluntateque te contentum eſſe ſciremus, nunquam ad te reviſere ſuſtineremus, cum non dicam rebus, ſed ne verbis quidem aſſequi tuam comitatem ac benignitatem erga nos poſſimus. En tibi *Sadoletum* in epiſtolas ad Romanos, & *Perizonii* elegiam ad Gronovium, quam ſuae juſſit annecti orationi. Hodie litteras habui a *Gudio*, ſed nullarum rerum novarum nuncias. Inſcriptionem Luſciniae dicatam, quam olim apud te deſcripſi, & ſuo inſeruit itinerario *Sponius*, ſed poſtea quoque reperi deliciis ſuis *Swertium* jam olim adſperſiſſe, pro conficta habet ab erudito homine noſtri aut ſuperioris ſeculi, quae nihil habeat vetuſtae gravitatis, nihil ſuavitatis nativae, & quae putidis verborum alluſiunculis ad nauſeam laſciviat, imo voculis quibuſdam & locutionibus ex antiquitate nimis imprudenter affectatis ſtatim turpiter ſe prodat, quales in Italia recenti manu marmoribus inciſas plures ſe vidiſſe teſtatur. De Catalogo JCti noſtri tua expectabam juſſa. In notis tuis ad epiſtolam xv. Ovidii, ad verſ. 219. juſſiſti diſtichon illud ultimum exſcindere tanquam adulterinum, & cingulis id circumdediſti. Sed maxime genuinum mihi videtur eſſe, & ſine illo ſententiam nullam eſſe illius loci. Sive, inquit, abhorres a meo complexu, & longe hinc tibi fugiendi animus ſit, quamvis nihil invenias in me dignum, fuga, hoc ſaltem mihi tua nunciet epiſtola, te ſcilicet fugere meum conſpectum, & nolle unquam ad me redire, ut me conferam Leucatem in montem ſitum in aquis Leucadiis, & inde praecipitem me dem, ut amore lever. Vide Auſonii Cupidinem cruci affixum verſ. 22. & quae ibi notavit *Scaliger*. Vale, meum decus unicum, & grande rerum mearum praeſidium. Nunquamne tuas licebit reguſtare emendationes, quas olim ſolebas mecum tam liberaliter communicare? Nolo tamen tibi ea induſtria fraudi ſit. Parce potius tibi, tuaeque valetudini diligenter ſervi. Habui quoque ex Germania epiſtolam a *Cellario*, cujus de ſermone emendato libellum vidiſti, cum Zoſimi editione nova pervenuſta. Iterum vale. Trajecti Batav. d. XXVI. Maii. CIↃIↃCLXXIX. Nihilne jubes renunciari *Jacobo* pro oratione & elegia?

EPISTOLA DXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri veſperi ex villa ſuburbana, in qua invitatus a *Servaeſio* heſternum diem aeſtivatus ſum, reverſus alteras tuas inveni. Unae pridie mihi fuerant traditae. In auctione cauſſidici emtus eſt Origines in Joannem ex verſione Perionii floreno & duodecim obolis, & Chryſoſtomi liturgiae tredecim obolis. Fr. Balduini inſtitutiones erant Lutetiae proditae, & maculatae a mala manu perditiſſime. Liber, qui perperam erat inſcriptus Marcilii Ficini vita, titulum mentiebatur; erat Ficini de triplici vita liber, qui cum extet in ejus operibus, & paſſim venalis proſtet, non putavi illum eſſe emendum. Syenae bibliothecae catalogum habebis. *Ruſianae* hodie demum accepi, ſed per alias occupationes, quibus nunc diſtineor, mihi nondum licuit illum evolvere. Itinerarium Aegyptiacum vitio filiae, me inſcio & invito ad vos reportatum eſt. Hodie redditus eſt Ribbio. *Sypenſteinius* poſtquam diu tergiverſatus eſt, tandem paſſus eſt hac argentea haſta ſe expugnari. Tibi vero plurimas agit gratias. Voetianae bibliothecae res mihi curae erunt. His horis pomeridianis mihi patebit aditus ad bibliothecam. Intelliges proxime, quae de nonnullis audire deſideras. Gaudeo praeter Fileſacci Selecta nullum fere, quem mihi deſtinaram, inter eos, quos tu excerpſiſti, numerari. Nunc quaero certum hominem, qui utrique fidam navet operam. Nam mihi non eſt integrum aſſidere praeconi totum diem hoc praeſertim temporis articulo, quo ſum occupatiſſimus. Habes hic epiſtolam *Bilderbeckii*. Hanc heri domi inveni, ſicut & *Juſtelli*, qui tibi pro Virgilio, quamvis nondum ſibi reddito, plurimas agit gratias, nec non *Menagii*, qui narrat ſe mihi miſiſſe ſuas amoenitates Juris emendatas ſua manu, ut eas curarem Lipſiam ad meum amicum, qui proelo iterum ſubjiciet, praefixis teſtimoniis hominum doctorum de hoc libro. Narrat quoque Lactantium de morte perſecutorum prodiiſſe, libellum perquam venuſtum, in quo multa hiſtorica habeantur, quae adhuc ignorarint omnes. *Juſtellus* ſignificat, *Morini* epiſtolas & *Capelli* ac *Peireſcii* edi, ſi recte mentem ejus capio, in Gallia. Videtur indignari, *Elzevirium* noluiſſe procurationem hujus editionis ſuſcipere, cum liber ſit procul dubio in Angliæ & Germania plurimos inventurus emtores. Electorem Bavariae correptum apoplexia deceſſiſſe ex his *Bilderbeckii* litteris intelliges. Vale, Vir ſumme, & me ama. Trajecti a. d. III. Kal. Jun. CIƆIƆCLXXIX. Dionyſ.

EPISTOLA DXL.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EXcuſſi heri bibliothecae Voetianae maximam partem. Plerique omnes libri peſſime ſunt habiti, mutilati, truncati, conſpurcati foediſſime. Mecum illos perluſtravit *Rulaeus* noſter, qui, credo, has tibi feret, accinctus itineri Anglicano & Gallico. De Mahometis vita variae diſſertationes prodierunt Baſileae 1650. ſunt ceteris, quas vidi, & ipſe in forulis meis ſervo, auctiores, hujus fronti *Voetius* adſcripſerat, ſe illum Leidae Duodecim florenorum emiſſe pretio. Nitidius quoque eſt exemplar, ut & Fileſacci Selecta, & Coemeteria Spondani, quam longe plurima pars voluminum, quae in illa proponuntur auctione. Homiliae patrum ſunt Alcuini. Prodierunt Coloniae 1630. ſed editio, quam teneo, plurimis acceſſionibus eſt amplificata, quae lucem vidit illo ipſo Anno 1569. Graecus liber inſcribitur παρακλητικὴ, editus eſt Venetiis, & complectitur Liturgiam Eccleſiae Graecae. De fido homine inveniendo, quem apponam huic venditioni, id ipſum innuebam in nuperrimis, quod tu praecipis. De libris, quos deſideras, jubeo te ſecurum eſſe. Meum deſiderium nunquam obſtabit tuis commodis, nec mea voluntas diſcrepabit a tua ſententia. Quae de Illuſtri *Beuningio*, *Voſſio*, & Anglicis libris narras, acceptiſſima habeo, & veriſſima, quae de nupera commiſſione amici noſtri cenſes. Ad *Danielem Goeſium* die Lunae aut Martis habebis litteras. Vale decus meum unicum. Trajecti ὡς τάχιςα. prid. Kal. Jun. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DXLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DE libris, qui licitatione noſtra tuo cenſui ſunt adſcripti, cras, Deo dante, plura ex me audies coram. Si Deus & tempeſtas ſiverit, poſt prandium ad vos cum duabus natis minoribus, quae magna te videndi cupiditate tenentur, excurram. Uxor non audet nunc partui tam propinqua ſe viae committere. Nunc in anteceſſum narro, *Schefferum* noſtrum nupero menſe Martio deceſſiſſe. Heri Suecus me inviſit, ex quo intellexi. Hic nuncius magnum mihi dolorem attulit. Nam res litteraria in ejus obitu jacturam fecit ingentem. Non ſolum eruditionem ejus ſuſpexi, ſed candorem quoque & probitatem. Quam pauci ſuperſunt, quos aut adoleſcens colui, aut quos corroboratus amavi, mutuoque ab iis ſtudio ſum exceptus. Vides hîc ſpecimen novae editionis Homeri, quam moliuntur Helvetii, Amſterodami publicandae. *Wetſtenius* Amſterodamenſis bibliopola, qui illius curam ſuſcepit, miſit mihi quoque praefationem tuam in

Valerium Flaccum, quam olim *Plumero* dederas, teſtatus, ſe folia typis deſcripta emiſſe, idque daturum operam, ut quamprimum, quae in contextu deſiderantur, a te habeat, & hanc recipiat allocutionem ad lectorem, lucem omnia videant. Nihil autem ſibi fore gratius & acceptius, quam ſi tuas notas juſſeris huic editioni ſubtexi. Vale, vir maxime, me ama. Trajecti Batavorum VII. Jun. CIↃIↃCLXXIX. Tuas heſternas heri veſperi mihi tradidit Beverlandius.

EPISTOLA DXLII.

JOH. GEORG. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Cum pridie redirem ex ſuburbano praetorio, in quod invitatus a Nobiliſſimo homine me contuleram aeſtivaturus, filiam inveni recens editam, & bene ſe cum puerpera habentem, cui precatus ſum mentem ſanam in corpore ſano. Mox tuae quoque ſuaviſſimae mihi reddebantur. *Wetſtenium* urgebo, ut Homeri editionem novam, quantum poſſit, ornet. Nihil tamen eximii de ea mihi promitto. Nam praeter ea, quae excerpſit ex Euſtathio, Anonymo Scholiaſte, & Duportio, valde protrita ſunt & trivialia, quae notavit. Vide quae de πηληϊάδεω, & Ἀχιλῆος litteris mandavit ad verſum primum, cum tamen prima frons oculiferio deberet eſſe inſignis. Poteratne aliquid puerilius dici? Haec ſane norunt, qui nondum aere lavantur. Mitto, quae de Achaeis ad verſ. 2. & plura alia nemini niſi plane ἀμούσῳ ignota chartis illevit. Gaudeo tamen principem ingeniorum nitidiorem vel hoc cultu in lucem denuo proditurum. Aldina editio tua mittenda erit ad Helvetios, ubi *Wetſteinii* frater agit, quod neſcio an conſultum ſit, nec pro explorato habeo, recte ne poſſit illa uti. Non videtur enim tanti facere lectiones varias ad emendandum contextum. Hodie litteras ad bibliopolam dabo, & ſignificabo, quae de *Carrionis* animadverſionibus Valerio Flacco ſubjiciendis ſuades. Poſſes tu tamen facile guſtum aliquem dare ad inſignia quaedam loca, ut olim ὁ μακαρείτης *Gronovius* ad Statium, qua ratione de hac editione & *Wetſteinio* egregie mereris. Catalogum bibliothecae Andreanae & ipſe evolvi, & ſaepius inter legendum exſecratus ſum ignorantiam & oſcitantiam hominis, quo ſunt uſi in conficiendo hoc catalogo. Oſtendam, cum dies venerit, tibi hominem Groningae, qui negotium hoc noſtrum procurabit diligenter. Libri e Voetiana auctione elapſi vix ulli poſſunt reperiri, cum plerosque vili pretio venditos praeſente pecunia ſibi vindicarint emtores. Nepos τοῦ μακαρείτου, qui nunc Senatorem agit, nonnullos tamen emit, ex cujus manibus illos ſpero reglutinari poſſe: ſed nondum eum conveni. Habes hîc litteras *Juſtelli*, quae modo mihi traduntur, ut & pecunia legati Danici ad libros redimendo mihi addictos. Illi nunc petuntur cum iis, qui tibi debentur. Hos ſimul ſecrevero, ad te curabo per nautam, uti juſſiſti, ſequente hebdomade. Illi inſeram quoque libellum de peccato Originali. Cujus

jus auctor tantum quod me compellavit, ſerioque a me monitus eſt, ut ſibi & tibi parceret. Fidem dedit, ſe omnem harum ſcriptionum curam abjecturum, & totum ſe dediturum diſciplinae juris excolendae. Litteras tuas illico Lugdunum miſit, cum nuperius aurem illi vellerem per noſtros. *Ezechielis Spanhemii* diſſertationem pereruditam vidi ſane, & vehementer illam admiror. Tuas Agrippinenſi tabellario reddidi. Vale, Vir maxime. Trajecti Batavorum a. d. XIV. Jun. CIↃIↃCLXXIX. Euſebii a *Sirmondo* opuſcula edita dudum habeo. Inſcriptionem proxime videbis.

EPISTOLA DXLIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

MEnagii nullas me vidiſſe litteras, praeter eas, quae perferebantur cum Juris amoenitatibus, heri ſignificabam. *Bornewallius* mihi narrat, ſibi traditum eſſe faſciculum a *Juſtello*, quem commiſerit fidei centurionis ad nos proficiſcentis, cui *Heucklemio* nomen. In illo ſpero me reperturum *Menagii* epiſtolam. *Pomponii*, *Bigotii*, & *Gradii* epiſtolas aveo videre, nec non hujus diſſertationes. Si *Elzevirius* gravatur harum editionem, me vide, aut hîc, aut Amſterodami inveniam, qui illas in lucem emittat ſuis typis deſcriptas. Nam *Gradium* magni facio. Legi nuperrime orationem de eligendo ſummo Pontifice poſt obitum Alexandri VII. ab ipſo habitam in baſilica Principis Apoſtolorum, ſumma cum voluptate. Nihil enim illa cultius, ſi dictionis munditiem & nitorem, nihil gravius, ſi ſententiarum pondus expendas, fingi poteſt, ut magno tenear deſiderio has diſſertationes videndi. Vehementer gaudebo, ſi in has ei terras excurrendi, nobiſque virum tam doctum & diſertum hic complectendi facultas dabitur. Epitaphium de *Pinedo* huic epiſtolae ſubjeci. Inſcriptiones, quae ſubjectae ſunt *Bellonii* operibus, non ſunt antiquae, ſed quae in palatio Regio Pariſienſi conſpiciuntur. Inſcriptio libri haec eſt: *le Recueil des Inſcriptions, figures, deviſes, & Maſquarades, ordonnees en l' hoſtel de ville* a Paris, le Jeudi 17. de Fevrier. 1558. Scidae, in quas veteres inſcriptiones congeſſerat ὁ μακαρίτης *Rulaeus*, nunc nullae comparebant. Neſcio, in quem angulum ſe condiderint. Simul ac in manus meas inciderint, habebis, quod deſideras, epigramma cum catalogo *Seyeni*. Cum *Wetſteinio* de Homero & Valerio Flacco agam hodie. Novarum rerum hîc nihil audiebam. Nullas litteras habui. Tabellarii noſtri nihil tibi inſcriptum ſe vidiſſe ajunt. Vale, vir magne, me ama. Puerpera te ſalutat. Trajecti d. XXVII. Jun. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DXLIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

CIſtam e viminibus plexam expecto, ut nauta mihi hodie tradat. A *Juſtello* litteras hodie habui, quas tibi perlegendas feram aut cras veſperi, aut perendie, ſi Deus dederit. Accepi & *Menagii* illas, quarum in tuis mentionem feceras, cum reliquiis acceſſionum ad ejus Amoenitates. Menagii prioribus pridie reſpondi. *Vavaſſor Juſtello* tradidit commentarium in Jobum a ſe concinnatum mihi reddendum. *Juſtello* proxima hebdomade reſcribam. Ex Voetianis paucos poſſum nobis elapſos expiſcari. Ex iis, qui mihi ceſſerunt, nonnullos tibi cedam. *Henrici Regii* catalogum, quem hodie demum accepi, nunc mitto. Nondum per occupationem & temporis anguſtias eum potui perlegere. Salvus tibi redibit Rutgerſianus, eumque comitabuntur *Seyeni* & *Hammonii* indices. Mecum quoque feram Cyprium editum Franecquerae, cujus uſum mihi praeſtabit Reverendus *Burmannus*. *Gradii* opuſculum hîc ut edatur, mihi curae erit. Urge, quaeſo, ut quae magnus *Valleſius* ad Harpocrationem annotavit, huic adjiciantur editioni. Nullus dubito, quin facile ſis impetraturus per noſtrum *Ryckium*, ut ſeorſim edantur, quae nobiſcum communicabit τοῦ μακαρίτου frater. Nam haec una ratio efficiet, ut hanc deſiderent editionem, quicunque priorem poſſident, qua ſine notis *Valeſii* facile carebunt. Maronis tui exemplaria recte curata Daventriam eſſe nullus dubito. Sed credo *Cuperum* propter obitum patris abeſſe domo herciſcundae familiae cauſſa. Nam nec meis reſpondet, quas ad illum miſeram cum faſciculo, nec amicis tradidit, quae in illo faſciculo juſſeram amicis tradi, ut ex eorum litteris conjicere mihi licet. *Francius* quoque nihil ad meas dudum reponit, quamvis a me rogatus obnixe, ut de *Plumero*, num iter Gallicum ſuſcepiſſet, me certiorem faceret. Ei enim commiſeram libellum ad *Juſtellum* deportandum, quem deſiderabat. Lutetiam tamen eum veniſſe, & quae ejus fidei commiſeram, recte curaſſe ex amici litteris intellexi. Mater foro ceſſit. Ex *Wetſteinio* intelligo, errata quoque in Valerio Flacco a te notata ſe habere, & ſimul recepturus ſit praefationem, & quae in contextu deſiderantur, hanc editionem publicaturum. Vide igitur, ne ejus commoda moreris. Trajecti ὡς τάχιστα. XXX. Jun. CIↃIↃCLXXIX.

EPI-

EPISTOLA DXLV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

UT nuper epulae & feſtivae fabulae, ſic nunc litterae tuae mirificum in modum me delectarunt. Quid enim iis ſuavius, & amantius fieri poteſt? Nae ego tuum unum congreſſum Sybaritico Satraparum noſtrorum apparatui & deliciis longe praefero, perſuaſus nihil mihi accidere poſſe optatius ac jucundius, nec non fructuoſius, quam ſi tua quotidie mihi daretur conſuetudine frui. Utinam in animum induceres in noſtram urbem migrare, & ſolitudinis taedium aſſiduitate mea levarem, & ego tuis ſermonibus deſiderium tui, quo ſemper, cum a te diſceſſi, magis flagro, lenirem. Inſcriptionem hic habes veterem quam expetebas.

HIC. SITA. EST. AMYMONE. MARCI. [1]
OPTIMA. ET. PULCHERRIMA. LANIFICA.
PIA. PUDICA. FRUGI. CASTA. DOMISEDA.

Nuperrime & alias ab eo habui pervenuſtas, quas coram aliquando excutiemus. Vitam *Sculteti* inter coëmtionales meos inveni. Statim enim eum quaeſivi, cum domum venirem. Ceteros quoque videbo, num poſſim reperire. Heri quoque excuſſi libros, qui hodie praeconis fauces exercent. Longe carius veneunt, quam nuperi Voetiani. Opuſcula Baronii non comparent, ſicut plures alii, qui in catalogo proſcripti ſunt, poſtea aut a mala manu ſublecti, aut ab iis, qui curam hujus bibliothecae venalis gerunt, detracti reperiuntur, neſcio quo conſilio. Scriptores rerum Hiſpanicarum quoque inſpexi. Prior, hoc eſt, tertius tomus prodiit anno 86. aut 87. Seculi ſuperioris, alter vero, hoc eſt, quartus octavo hujus ſeculi. Sed in iſto non habentur illae tabulae, quas mihi oſtendebas. Appendix vero nihil complectitur, quam Marianam. Orlandini hiſtoria Societatis Jeſu eſt omnium prima in Germania edita. Pitſaci autem ſcriptores Angliae Pariſiis prodierunt. Quos juſſiſti deleri, expunxi. Reliqui, qui tamen duo treſve ſunt minoris momenti, pretium, quod iis ſtatueramus, exceſſerunt. Adamantius ne tibi elabatur cum nonnullis aliis, nobis erit curae. Vale, Vir ſumme. Trajecti ὡς τάχιςα. d. XXIV. Jun. Julian. CIↃIↃCLXXIX.

1 Edita eſt a *Sponio* in Miſcel. Erud. Antiq. ſect. IV. pag. 151. & memoriae vitio repetit pag. 223. deinde *Fabret.* Inſc. pag. 252. Illuſtravit vero elogium *Domiſedae* celebr. *Relandus* diſputatione publica ad Epiſt. Pauli ad Tit. II. 5. quae etiam legitur in Bibliotheca Hiſtorico-Philologico Theologica Bremenſi claſſ. I. faſc. III. 5. quam, non ſine inſectatione *Relandi*, refutavit *Iacob. Haſaeus* in eadem Biblioth. claſſ. II. faſc. VI. II. pag. 1029.

EPISTOLA DXLVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ITane unius animulae exhalatio tantam potuit conſtantiam frangere, & de ſtatu movere? Vereor, ne & mihi fraudi ſit haec tam ſubita priſtinae ſententiae immutatio? Nihil enim de Rhetoribus illis audio, mihi ne vindicati ſint nec ne. Illi autem adoleſcenti hoc negotium commiſi, cujus & ipſe utitur opera in ſuis & tuis libris emendis. Habes hîc litteras a *Beverlandio*, qui tuam & meam opem ſollicitat. Quid nobis faciendum ſit, ex te cognoſcere lubet. Si, quid ſentiam, libere dicendum eſt, cenſeo non eſſe e re noſtra, ut huic admiſceamur negotio. Falſa ſunt, quae de abolito illius libro tibi narrarunt amici. Heri Lugdunenſis bibliopola *Geldrus* me convenit, teſtatus in omnibus tabernis & pergulis impune proponi hunc libellum, nemine reclamante. Is bibliopola Harpocrationem ſuis deſcribit typis, jamque viginti folia dicebat impreſſa eſſe. De *Valeſii* commentario cum illo egi. Gaudio videbatur exilire. Rogat, ut inſtemus, ac urgeamus, ut Valeſianae notae huc curentur, ſe in omnibus ȣ μακαρίτȣ heredibus obſecuturum, & ſeparatim ut extent, nullis alterius animadverſionibus admixtis, praeſtiturum. Hoc igitur agamus, ut tam doctarum lucubrationum compotes fiamus. Vale, vir perilluſtris, & me ama. Trajecti Batavorum d. XXVIII. Jun. Dionyſiac. CIƆIƆCLXXIX. Noſtri omnes te jubent ſalvere.

EPISTOLA DXLVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

INdignationem tuam communem adverſus amicum hae forte litterae minuent, quae cum duobus corbibus librorum plenis heri mihi ſunt redditae. Faſciculus ut recte curetur ad *Papenbroeckium*, ſtudebo. Rhetores Aldinos interceptos eſſe ab iis, quos minime decebat, amicorum commoda obliquo limare oculo, doleo. Nondum tamen quicquam de iis accepi ab adoleſcente, cui hoc negotium mandaveram. Hoc nomine compellabitur a me hodie. *Pezelii* mellificium non reperio inter meos. Arceſſam puerum, qui ſuam nobis locarat operam, ut de iſto libro inquirat. Sed nec in indice librorum emtorum invenio. Quaeſo ut quamprimum ſignifices numerum. Tua expecto juſſa, num libros Lugduno miſſos velis committi tabellariis veſtris, an vero nautam a nobis expectari. Meminiſtine olim, nos contendiſſe de loco Flori, qui habetur lib. IV. cap. 4. *Quippe cum intra decem & octo annos tenerum, obnoxium, & opportunum injuriae juvenem videret.* Tibi diſplicebat *tenerum*, volebaſque hanc vocem ex-

expungi. Sed *tener* & *obnoxius* ſolent jungi tanquam ſynonyma. Senec. Conſolat. ad Marc. cap. 21. *Labuntur humana & fluunt, neque pars vitae noſtrae tam obnoxia aut tenera eſt, quam quae maxime placet.* Nat. Quaeſt. III. 27. *Quantis laboribus tener educatur? quam diligenti nutrimento obnoxium corpus adoleſcit.* Adoleſcentes vero, non molles tantum & impudicos pueros, ſed & qui ſunt aetatis tenerioris appellari teneros, licet ex Suetonio videre, qui in Auguſti vita cap. 64. ait: *Cajum & Lucium adoptavit domi per aſſem & libram emtos a Patre Agrippa: tenerosque adhuc ad curam reip. admovit.* Alia ut congeram exempla, non puto e re eſſe. Nunc quod addam, non habeo, nec, ſi haberem, multa per temporis anguſtias attexere poſſem. Forte me hac hebdomade videbis cum Comite Lippienſi. Bibliopolae Leidenſi praecepi, ut *Ryckium* adiret. Cum illo enim de hoc negotio te rebar egiſſe. Accelerabat reditum, nec me compellaſſet, niſi litteras mihi *Beverlandii* adportaſſet. Vale, maxime virorum & amicorum. Trajecti prid. Kal. Jul. CIↃIↃCLXXIX. Dionyſ.

EPISTOLA DXLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NEſcis tu, cum quo homine tibi res ſit, quem tam comiter invitas. Nonne ſatis obtudi? Toties tecum epulor, ut verendum mihi ſit, ne paraſiti, non Apollinis, ſed *Heinſii* nomen inveniam. Neque id mirum. Quem cum non tuae capiant & ineſcent ſuavitates, quibus nos ita permulces, ut, cum tecum ſumus, tanquam apud Lotophagos, patriae, larum, uxoris, & liberûm obliviſcamur. Et ſane unum tuum congreſſum omnium ſatraparum conviviis & deliciis praefero. De pluteis armarii tui praeclara & magnifica mihi promitto, qui ſcio, quantis ſint inſtructa copiis, quam abundent. Meus tamen tenuis agellus feret quoque aliquid, quod non contemnent tua copioſiſſima horrea. *Beeckio* & *Phorbaeo* ſignificabo, quae jubes. Proenomen *Pomponio eſt Simoni Arnoldo.* De certo die mei excurſus nihil tibi certi poſſum polliceri. Veniam, quamprimum potero. Novi nihil habebam. Nullas enim litteras accepi proximis diebus ad rem litterariam pertinentes, niſi quod *Rachelius* Holſatiae legatus ad pacificationem Noviomagenſem mihi miſit diatriben de Jure publico, quam hîc edi velit. Quae nuperius ex litteris recentiſſimis *Bigotii* mihi recitabas, effluxerunt ex omni mea memoria. Pervelim tamen in eam illa revocari. ſcis enim quam ſim ὀξύπειγος. Vale, vir maxime, & me ama. Trajecti Batavorum a. d. XVIII. Quinctil. CIↃIↃCLXXIX. Mea familia te ſalutat. Locus ille Silii, quem promittis mihi, de *teneris maribus*, quando huc perferetur, & elegia de pace?

EPI-

EPISTOLA DXLIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

P*Horbaeum*, ut ad nos excurrat, & nobiſcum dies aliquot tranſigat, rogabo, & ut expugnem, nihil relinquam intentatum. Litteras hodie habui a *Carpzovio* & *Daumio:* ſed vix quicquam nunciant, quod tu velis audire. Miſerat mihi *Carpzovius* libellum Germanicum de Pontificis Romani monarchia. Ejus auctorem ait eſſe *Samuel Puffendorffium*, qui nunc Regi Sueciae ſit a ſecretis, & Hiſtoriographi dignitate illuſtris: illam diſſertationem ingenti cum applauſu in Germania excipi. Mihi nondum licuit illum evolvere. *Daumii* litterae exaratae ſunt Nonis Maji. Tum nondum acceperat Marium Victorem, ac tuum Virgilium, quem indies expectare ſe ſcribit. De te autem haec inſeruit: *Nihil magis optarem, quam ut vis ingenii vel facundiae eſſet tanta, ut Heinſii beneficentiam ſatis & dignis quidem verbis poſſem depraedicare. Sed ut nunquam facundus ac elegans fui, ita multo minus in decreſcente & decrepita aetate. Soleo autem, ubicunque datur apud bonos, quos veneramur amamuſque, memorare ejus benefacta, quocunque modo queo.* Haec noſter *Daumius*, vir optimus, & quem a tenera aetate amavi. Laetatur, a *Magliabeckio* ſibi promitti Henricum Pauperem, ſive Septimellenſem. *Elzevirium* tertiana corripuit, ut mirum non ſit, eum nunc omnes has curas nunc abjeciſſe. Si abhorreat ab iſtius libelli Gradiani editione, fac, reſciſcam. Spero me hîc editorem inventurum. Vale, Vir ſumme, & ab uxore & noſtris ſalvæ. Trajecti Batavorum d. XIX. Jul. CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DL.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PAraſiti nomen ego quidem damnandum cenſeo, ſed vereor, ne id non effugere poſſem, ſi noſſent homines, quoties quam bonis rebus probe ſaburratus a te diſcederem. Nec tamen haec opinio me deterrebit, quin ſaepius ad vos excurram, & tantis fruar ſuavitatibus animum & corpus paſcentibus. Habes nunc quatuor libros, quos deſiderabas in tuis, vitam nimirum Sculteti, Arithmeticam Cornelii Petii, Nomenclatorem Junii, & Hieronymi Comitis Commentarium belli Turcici contra Melitenſes. In quarto, ut vocant, ſcribebas non inveniri, qui erat inter Miſcellaneos num. 188. Carpentarii & Porti epiſtolas, ſed hunc librum ad te perlatum eſſe nullus dubito. Non enim erat inter coëmtionales, ut caeteri, quos quaerimus, & memini videre. Inter meos ſane non habetur. Pro reliquis coëmtionalibus, quos itidem nullus invenio, mitto Gallicos aliquot hiſtoricos, & epiſtolas virorum illuſtrium complectentes; non

non malae, ut vides, notae, quae jacturam amiſſorum neſcio quo fato aut caſu ſarciant. Nam libros illos, qui non comparuere, futiles eſſe non ignoras. Adjeci his ex meis forulis Julianum Eponis. Nam quicquid meum eſt, tuum ducito. Proxime habebis etiam gemmam Freherianam. Rogo, ut tu quoque memineris Excerptorum Rutgerſianorum ex imaginibus Scaligerianis, Venuſinarum lectionum, epiſtolarum *Baudii*, *Velſeri* aliorumque. Pauperem meum hortum undique perveſtigabo viciſſim, num forte in illo floſculus aliquis alius inveniatur, qui gaudeat in tuas transferri areolas. Ab *Iſmaële Bullialdo* litteras quidem habui plenas benevolentiae, ſed inanes rerum novarum. Habes hîc reſponſum *Cuperi*, qui ſignificat, *Terburchium* ampliſſimum non abhorrere ab itinere ad Illuſtriſſimum Antiſtitem Paderbornenſem ſuſcipiendo, ſi liceret per infeſtas milite Gallicano vias. Teneri enim nunc ab iis iſtos agros, qui tranſeundi ſint. Differendum igitur hoc iter in tempora laetiora & pacatiora. Cum jam meliuſcule habeas, rogo, ut ad nos cum nobiliſſimo *Goeſio* quamprimum te recipias. Scis quam deſiderati ſitis venturi, ut verba compendifacienda mihi ſint. Si quid ergo apud vos poſſumus, nolite gaudia noſtra morari. Goeſium certe inflammare ad hoc iter accelerandum poterat venuſta & pecunioſa puella, cujus nunc impune poteſt frui colloquiis; te vero aëris mutatio & corporis motus ac ipſa jactatio ſalutaris futura tam longae quieti; ſed inprimis excitare te debebat noſtrum deſiderium. Vale, virorum excellentiſſime, & veni. Traj. Batavorum a. d. XXIV. Jul. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TAm multis bonis rebus nos efferſiſti, tam varia perfuſos voluptate dimiſiſti, ut domi nunc omnia ſordeant, & nihil domicaenio mihi videatur eſſe triſtius. Ludus jocuſque ac merae nugae ſunt lotophagorum deliciae prae illecebris, quae in tuis ſunt aedibus, quibus ita detentus ſum, ut poene larum liberumque memoriam ex animo delerint. Sane ſi detentum fuiſſem commoratus, verendum mihi erat, ne animum revertendi amiſiſſem. Nunc jucunda illorum nos oblectamus memoria, & tibi fauſta quaeque precamur, ut recte valeas, & priſtinis viribus recuperatis ſaepius nos poſſis hilares reddere. Ubi enim plus jocorum, leporum, urbanitatis ac feſtivitatis quam in tuis epulis, quas ipſae Gratiae videntur apparaſſe? Nunc ad te venit *Huſſus*, qui tuo inſidiatur Galeno, cujus deſiderio miſere crucior. Addidi parvum libellum, tibi, credo, gratum futurum, quem ego quoque aegerrime paſſus ſum meae tenui ſuppellectili detrahi. Sed vide, ne, quod ille ait, mittantur in hamo. Si diutius vis tecum eſſe illum Galenum, longe fac ab iſtis voluminibus ut removeantur. Sed tu videris. Si meis obſequentur juſſis, non parcent ſummo illi Medico, ſed eum ad nos pertrahent. Forte & Hieronymus Pragenſis brevi

ſequetur, qui, neſcio ex quo angello, prodibit, nec opino, quamvis nunc lateat. Rutgerſianum catalogum inter meos inveni hodie. Filius meus denuo Billii formulas loquendi petiit. Si inter abjectos inveneris iſtum libellum, aut Calligraphiam Poſſelii, quaeſo te, ad nos ut mittantur. Perendie Gaudam proficiſcemur, ſi Deus dederit. Vale, vir magne, & ad nos reduces veni cum tuo *Goeſio*. Noſtri omnes vobis plurimam ſalutem dicunt. Trajecti Batavorum d. XXII. Quinctil. Julian. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

REmitto nunc tibi obſervationes *Gronovii* Livianas, adjecique dedicationem Catullianam, quam inter amicorum perpetuas ſalutationes effudi. De majoribus *Memmii* nihil hîc commemorandum duxi, quamvis amplus pateret campus, quia prolixitatem fugiebam, & diſertiſſimus *Vavaſſor* in *Claudii Memmii* elogio non exiſtimavit e re eſſe hoc argumentum attingere. Quamvis non praeterierint hanc laudem *Hadrianus Valeſius*, in dedicatione diatribes de Baſilicis, nam liber ille in meis forulis extat, ut & *Franciſcus Ogerius* in fratris itinere ſeptentrionali, quod noſtri patri itidem inſcripſit, ut *Valeſius* ſuam diſceptationem de Baſilicis. Te nunc rogo, ut ſeveriſſimam exerceas cenſuram, nec amici, ſed Ariſtarchi perſonam induas, nulli parcas voci aut ſententiae, quae tibi improbatur. Quo plura jugulabis in hac lucubratiuncula, tanto tibi devinctior ero. Elogium Memmianum curabo deſcribi, ipſeque tibi referam, aut hîc reddam. Nam te indies hîc expecto. Rogo, ne vota noſtra moreris & deſideria. Noſti, quam expectatus ſis venturus. Jam litterae Lutetia ad me perferuntur, quae narrant Luvojum, Principem amicorum Regis, tibiam fregiſſe, graviterque decumbere. Plura coram. Nam hanc ſpem concepi fore, ut te propediem hic complectar. Vale, Princeps ingeniorum & amicorum. Trajecti d. IX. Auguſt. Gregor. CIↃIↃCLXXIX. Non puto iſtas litteras Hagam mittendas eſſe, ut legato ante oſtendantur, quam publicentur.

EPISTOLA DLIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

FAcis tu quidem, pro mirificis ingenii tui ſuavitatibus, peramanter comiter, & cum nos, toties tuae moleſtos culinae, ut in illa potius habitare videamur, quam noſtra, invitas denuo, & cum pro frigido foco, quo hîc excep-

ceptus fuit tuae ſororis filius, gratias agis. Non immerito tantopere reditum ad vos accelerabat. Nolebat diutius apud nos eſurire. Sed cum ſpem tui ad nos excurſus nobis feceris nuperrime, cum te viſeremus, eamque ſpem firmaverit Nobiliſſimus *Goeſius*, nec refragetur valetudo jam firmior, cur noſtra moraris gaudia, & tui deſiderio diutius nos crucias? Nos quidem a tua voluntate in nulla re diſcrepabimus, ſed ſemper ei obſequemur. Nec fas eſt tibi adverſari, niſi pietatis, qua tibi propter innumera, quibus nos ornaſti & cumulaſti, beneficia ſumus ad omne obſequium ſic adſtricti, ut toti in tua ſimus poteſtate, jura velimus ſceleſte violare. Rogamus tamen, ut hanc veniam nobis des, & quamprimum cum *Goeſio* tui deſideratiſſimi complexus nobis copiam facias. Tua enim intereſt fidem datam liberare; de quo nullus dubito, cum nemo ſit, qui fide te prior ſit, ut in illa plus mihi praeſidii poſitum eſſe putem, quam in omnium mortalium dictis, & pollicitationibus. Dedicatio mea cum tibi non diſplicuit, gaudeo. Nam tu mihi inſtar es omnium. Si amor, quo me proſequeris, tibi non impoſuit, *ſublimi ferio ſydera vertice*. Nomen *Memmii* Gallice, ut praecipis bene, ſcripſi. Hanc quoque rationem ſecutus fuit *Gronovius* in Livii inſcriptione. De *Henrico Memmio* multa dici poterant non abſurde. Nam *Scaevola Sammarthanus* in elogiis quoque virorum doctrina clarorum ejus laudes magnifico praeconio proſecutus eſt. Sed nolebam hîc me diffundere, quia memini accepiſſe me a variis amicis, pleroſque Gallos iſtarum epiſtolarum prolixitatem ſolere irridere. Nihil igitur adjeci. Aveo videre libellos raros & exquiſitiores, quos in tuis reperiſti faſciculis. Nam vehementer delector cognitione bonorum, ut noſti. *Iſacum Voſſium* in bicipiti quoque Parnaſſo ſomniaſſe miror hercle, cum, a quo ego eum novi, ab his ſacris videatur eſſe valde alienus. Jucundum erit videre, quid cecinerit, & num Muſis ſecundis cecinerit. Epigramma *Burdelotii*, cum omnes ſarcinulas & libellos, quos tum mecum gerebam, tandem in marſupio inveni, neſcio qua ratione in id fuerit conditum ab inſcio & invito. Id tibi nunc remitto. Vale, decus noſtrum. *Goeſio* ſalutem dico. Trajecti poſtrid. Kal. Auguſt. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HAbes hîc litteras a *Phorbaco*, quibus ſignificat omnes magni parentis tui notas jam deſcriptas eſſe. Nunc iis recenſendis, & aliorum annotationbus colligendis, & locis quibuſdam examinandis ſe accingit. Brevi poterunt proelo ſubjici, ut de bibliopola nobis ſit cogitandum, qui illis edendis ſumtus velit praeſtare. Habes etiam ſpecimen Ammiani *Valeſiani*, quod *Bigotius* tibi mihique arbitrandum miſit per noſtrum *Lemonium*, qui te jubet plurimum ſalvere. De tuâ valetudine is valde ſollicitus eſt. Deteriorem enim eam eſſe fama pertule-

tulerat ad eum. Miror nihil ad nos perferri de Valeſianis notis in Harpocrationem, curataene ſint illae ad nos, nec ne. Accipis quoque, quia ſic jubes, naenias pueriles. Perendie litteris amicorum expugnatus Amſterodamum, ſi Deus dederit, contendam. Si quid ibi curandum habueris, huic homini manda. *Pollio* collega meus, qui *Terburchii* conſanguineam duxerat, jam aliquot dies animam agit. Aveo cognoſcere, quo loco ſit valetudo ampliſſimi *Goeſii*, de qua certiores eſtis procul dubio redditi. Te tam repente a nobis avolaſſe dolemus ſane vehementer. Sed hanc jacturam ut penſes propediem, quod te facturum quoque pollicebaris, vehementer peto rogoque. Vale, vir excellentiſſime, & me ama tui amantiſſimum. Trajecti Batavorum d. XVIII. Aug. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri veſperi cum domum reverti ſalvus & incolumis ex urbe illa, quam Morboniam dixeris, tot ibi febribus confecti jacent, inveni varios epiſtolarum faſciculos, inter quos gratiſſimos habui ab *Huetio* & *Papenbroeckio*, non ſolum quod ex ipſorum litteris magnam capiam voluptatem, ſed & quod ferebant alias ſecum tibi inſcriptas, quas nunc accipis. Inveni & quas *Antonius Schultingius*, *Joannis*, quem nuper vidiſti, frater ad me dedit Kalendis Septembris de graviſſimo morbo, quo correptus erat noſter *Ryckius*, id quod & magno cum dolore Amſterodami audieram. Ipſas tibi legendas mitto litteras. Sed recreatum tamen ab illo tempore, revocatumque in ſpem vitae ſervandae priſtinaeque valetudinis recuperandae communem amicum aliis nunciis ad nos perferebatur, antequam Amſterodamo diſcederemus. Nunc ſpes metum vicit. *Pollio* ſane noſter, cujus ſalus jam erat conclamata, & ab omnibus Medicis habebatur perdita, revixit. Sed *Altingius*, Theologiae Profeſſor Groeninganus doctiſſimus, qui multa ſacrarum litterarum obſcura loca clariſſima luce perfudit, multaque omnibus ignota ex Hebraeorum libris abditis eruit, febri extinctus paucos ante dies obiit. *Wetſteinium*, Amſterodamenſem bibliopolam, febris iſta, quae tam late regnat, & tam ubere proventu Libitinae cenſum auget, oppreſſit, ut vix paucis cum illo mihi licuerit agere de iis rebus, quas cum eo volebas communicari. Dono tibi mittit *Bartholinum* de tibiis veterum, Valerium Flaccum ſe promittit in lucem daturum, ſimulac adlocutionem ad lectorem, & quae in ipſo Flacco reſtant addenda, perpauci autem ſunt verſus, a te correcta habuerit. Exemplaria, quot juſſeris, ſe tibi miſſurum pollicetur, nec non *Petri Petiti* Miſcellanea, ſimul ac ſibi reddita fuerint, & convaluerit, proelo ſubjecturum. Fac modo, ut ad nos perferantur quamprimum. Nam iſta promulſis, quam mihi a te juſſus praebuerat guſtandam, ſalivam vehe-

hementer moverunt. Licet *Wetſteinio* humanitus aliquid accideret, quod Deus avertat, ſtatim tamen inveniemus alios, qui manus operi huic admovebunt. Cum *Boomio* egi etiam de parentis tui Heſychio, qui ſane non alienum ſe ferebat ab editione illius ſcriptoris. *Gerardus Noot*, qui Franekeram arceſſitus eſt ad legum Romanarum diſciplinam tradendam, tibi ſalutem dicit plurimam, & librum ſecundum & tertium Probabilium Juris a ſe publicatum juſſit offerri. *Daniel Elzevirius*, Pariſiis appuliſſe litterae proximae ſignificabant, cis quatuor hebdomades redibit, ſi fides uxori, quae tibi ſalutem rogavit perſcribi, ut & *Wolzogius*, & *Francius*, qui propediem & forte proximo. die Saturni culpam longioris ſilentii deprecabitur coram. Conſtituit enim, ni quae neceſſitas & mora ex tranſverſo interceſſerit, ad nos excurrere, & nobis recitare carmen Heroicum in laudes Monaſterienſis Epiſcopi. Tum igitur coram pluribus confabulabimur. Vale, vir magne, & a noſtris ſalve. Trajecti VII. Septemb. Gregor. CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DLVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOn expectas, ut tibi gratias agam pro novo comitatis liberalitatiſque cumulo, qui heri ceteris tot tantiſque acceſſit. Nam ut pridem modum omnem exceſſiſti, ſic nullum reliquiſti nobis locum ullis verbis, ne dum rebus tua aſſequendi merita. Domi illos ipſos quoque libros a Duce *Montoſerio* utrique noſtrum miſſos inveni, ſed ſine ullis litteris. Verum alias inveni litteras, quae magnum mihi dolorem attulerunt. *Francius* narrat *Broeckhuſium* noſtrum provocatum ab alio ſui ordinis homine manus cum illo conſeruiſſe, & triſti ac ferali victoria hoſtem ſuum confeciſſe, ut coactus fuerit ſolum vertere, ac Leodici fuga ſalutem quaerere. Nunc rogat *Francius*, ut quicquid opis & praeſidii ab amicis noſtris proficiſci poſſit, id ad elegantiſſimi ingenii hominem ſervandum conferamus. Coactus deſcendit in hunc funeſtum campum, ut ajunt, idque certis documentis ſe oſtenſurum contendunt. Conſtituit, donec haec tempeſtas detonuerit, in Weſtphalorum terras ſe recondere. Tu quid cenſeas, rogo, ut ad me perſcribas. *Ryckius* noſter jam meliuſcule ſe habet. Quotidie unam atque alteram horam tranſigit ambulando, accumbendo in triclinio, quin & legendo. Haec hodie ex Schultingii litteris intellexi. Deus te illumque ſervet. Sollicitus ſum de hoc tuo itinere. Opto, ut incolumis ad nos redeas. Auctio habebitur poſt octiduum. Vale. Trajecti Kal. Septemb. Jul. CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DLVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUod narrem nunc non habeo, niſi uxorem, ſimul ac tuas ei reddidi, illico circumſpexiſſe, quam tibi poſſet tradere. Si quid invenerit bonae frugis, id tibi erit. Cras ſi valetudo & tempeſtas ſiverit, ex nobis ipſis id reſciſces, niſi forte nuntiis de dilato Ampliſſimi *Beuningii* itinere ad vos acceptis tuum ad nos adventum acceleraveris, ut per hanc urbem Hagam contendas. Nulla patet via commodior. Hanc ob cauſſam non niſi pomeridianis horis cras hanc profectionem ſuſcipiemus, ſi forte hîc te nobis complecti detur in prandio. Quod ſi evenerit, maximo gaudio & laetitia me cumulari cognoſces. Tuum enim congreſſum & ſuaviſſimas ac doctiſſimas fabulas omnium hominum conviviis, & deliciis praefero. Amſterodami in lucem prodiit novus libellus *Colomeſii*, cujus opuſcula vidiſti olim, qui inſcribitur obſervationes ſacrae, ſed non magnae ſunt rei. *Huetium* abbatia lauta a Rege donatum eſſe ex tuis primum intelligo magna cum laetitia. De *Ryckio* noſtro nihil quidem ab illo tempore accepi, ſed ſpero, Deum nobis & litteris illum ſervaturum. Nam morbus iſte, qui nunc paſſim plurimos conficit, ſi non ingraveſcit paucis diebus, certam ſalutis recuperandae ſpem oſtendit. Te, noſtrum litterarumque praeſidium unicum, volo valere. Trajecti a. d. VIII. Septemb. CIƆIƆCLXXIX. Plurimam ſalutem noſtri tibi jubent nunciari.

EPISTOLA DLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

CUm tuae mihi redderentur litterae, incredibiliter gaudebam. Nam valetudo tua nondum plane confirmata me valde ſollicitum habebat, quam etiamnunc vacillare doleo. Tu diligenter eam hoc gravi tempore curabis, ut valentem te hic complecti poſſimus. Nullus enim dubito, quin reditum per hanc urbem ſis moliturus, quod ut facias, etiam atque etiam te rogo. Mitto hîc duo catalogi Bootiani exempla, tibi alterum, alterum Perilluſtri *Selemio*, ut meo nomine cum parentatione hac tradi cures per tuum puerum, ut & ectypon antiquae gemmae. Reliquas orationes, ſi non grave fuerit, jubebis perferri ad viros Illuſtres *Zulichemium*, *Bleyſvicum*, & *Slingelandium*, unum dico Ampliſſimo *Goeſio*. Cui ſalutem meis verbis ut nuncies, quaeſo, eique de valetudine reſtituta gratuleris, quam volo diuturnam eſſe. *Robertum* filium ſpero quoque nunc recreatum eſſe. Deum precor, ut totam veſtram domum ſervet incolumem. Catulli aliquot exemplaria compacta cis duos treſve dies mihi promiſit biblio-

bibliopolae tradenda eſſe. Nam omnia jam ſunt profligata. Praefigenda tantum reſtat ipſa frons imaginibus ornata, quae formis aeneis ſunt deſcriptae. Nullus dubito, quin hac hebdomade ſis hos poëtas viſurus, & meo nomine Illuſtriſſimo Legato traditurus. Paullo poſt ſequetur Florus Celſiſſimo Principi Arauſionenſi inſcriptus, de quo, ut cum *Seleemio* agas, ſi illum videris, puto e re mea eſſe, ſi forte hac occaſione poſſemus efficere, ut Principe interveniente, quod meo ſtipendio contra decretum Principis ſubduxerunt noſtri, perſolvatur, & in poſterum ut integrum pendatur, aut, ſi rationibus meis magis convenire putes, ut filio aut filiae aliquod vectigal annuum impetretur. Sed nae ego impudens, qui haec tecum. Vale, vir maxime, ac me ama. Traj. Batavorum XVIII. Septemb. CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DLIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

CUm orationes, quibus volebam, tradidiſti, multum te amo, qui nullam mei augendi & ornandi occaſionem praetermittis. Ex Voetiana bibliotheca nonnulli, quos deſiderabas, tibi ſunt addicti, nonnulli nobis ſunt erepti non tam a licitatoribus, quam adoleſcentis, cujus utebar opera, vitio. Nam bibliopolae filius, cujus miniſterium ſuperiore tempore nobis probabatur, aegrotat. Dicitur tamen jam convaleſcere, ut ſpem mihi fecerit in venditione librorum *Boothii*, inter quos non pauci ſunt, quos tibi & mihi vindicatos velim, ſtudii ſui nobis praeſtandi. Velim tempeſtive ſignifices, quos tibi deſtinaſti, ut poſſint inſpici, num integri ſint, & non multa labe foedati. Languor iſte tuus me cruciat. Praeſtat e domo jam febribus infeſta Vianam properare, ne pars ſincera trahatur. Deum ter Opt. Max. precor, ut te ſalvum & incolumem nobis reddat. Quod ubi cognoro, θύσομεν εὐαγγέλια. Iraſcor tarditati bibliopolae, per quam tibi vix licebit officium, quod tam amanter defers, mihi perſolvere in Catullo Illuſtriſſimo Legato offerendo. Ante hac typographi, nunc bibliopegus nos moratur, qui ante hujus hebdomadis exitum exemplaria ei ornanda tradita non expedire poſſe teſtatur. Doleo ſane tantam oportunitatem mihi culpa lentiſſimorum hominum eſſe amittendam. Tu, pro tuo in me ſtudio, interea videbis, qui, te ad tuos reverſo, hoc fungatur officio. Nobilis Dolonius nondumne rediit ad lares ex Gallia? Scis duos illum faſciculos mihi deſtinatos ſecum ferre. Quantum ex litteris Bornevalli ante tres hebdomades ſcriptis mihi licet colligere, jam dudum de felici reditu ei ſunt amici gratulati, niſi in via nec opini aliquid interceſſerit. Cura valetudinem Heinſi Nobiliſſime & amiciſſime. Noſtri te ſalutant, ut & Ampliſſimum Goeſium ac ejus liberos, quos volumus viribus recollectis brevi cum ſanitate redire in gratiam bona fide. Vale, Trajecti d. x. Septembri. Jul. CIƆIƆCLXXIX. Proximo die Martis praeco vocem exercebit in domo Boothiana.

na. Non igitur ceſſandum eſt, ſi quos inveneris libros tibi deſideratos. Nondum quicquam audio de auctione Groeningana. Utinam valetudo tua ferret, ut in reditu hanc urbem tranſires, ut tuo complexu & ſermonibus poſſemus frui, quo nihil mihi accidere poſſet optatius. Iterum vale meum decus & praeſidium unicum. Cis paucos dies Phorbaeus nobis erit praeſto. *Broeckhuſii* noſtri res audio non optimo loco eſſe, nec poſſe ſervari niſi indulgentia Sereniſſimi Principis Arauſionenſis. Nam quamvis invitus & coactus conſeruerit manus, cum ſecundas ageret partes, & diu digladiationem hanc detrectaret, quoniam tamen ſingularia certamina ſunt ſeveriſſimis interdictis prohibita, & duo in hac pugna occubuerunt, tertius quoque, cui noſter officium praeſtitit, gravibus vulneribus confectus vix mortem effugere poſſit, & ipſe *Broeckhuſius* ſaucius aegre fugam expedierit, judicum calculo, niſi gratia Principis intercesſerit, damnabitur capitis. Tu cogita, quaeſo, qua ratione ingenii elegantiſſimi homo poſſit ſervari.

EPISTOLA DLX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ANxio & ſollicito ſum animo, cum de tua valetudine tamdiu nihil audio. Octavus ipſe dies eſt, cum tuis noviſſimis, quae ſignificabant de arthritidis moleſtiis, reſpondi. Oh! quam vereor, ne dolores te non ſinant officio, in quo colendo nemo te eſt diligentior, vacare. Dum haec exaro verba, tuae mihi gratiſſimae ſane traduntur a meis. Suſtuli manus, & Deo laudes grateſque dixi, qui te levavit doloribus, & me maxima ſollicitudine, quae, mihi crede, vehementer me angebat. Deus faxit, ut brevi te complectar in hac urbe, per quam, nullus dubito, quin in reditu ſis tranſiturus, noſque tuo deſideratiſſimo adventu exhilaraturus. Feſtus dies noſtrae domui indicetur, cum te reducem ſalvum & incolumem viderimus. Catulli hîc tria accipis exemplaria Illuſtriſſimo Legato tradenda. Tuum habebis, cum ad nos veneris. Per operarum, quibus in conſuendo & ornando hoc libro ſumus uſi, tarditatem maturius eum mittere non potui. Cras mane litteras quoque habebis ad Illuſtriſſimum Oratorem cum libris reddendas. Tu nunc, quoniam hanc perſonam in mei gratiam tibi imponi paſſus es, videbis, ut commodiſſime potuerint curari. Non auſim a te petere, quod ille apud Comicum, ut munus ornes verbis tuis. Si effeceris ne ingratum ſit, & vultu minime adducto excipiatur, omnia mihi a te tributa exiſtimabo, quae in hoc negotio mihi ab ullo tribui poſſunt. In Boothiana auctione fortuna nobis adſpiravit ſecunda, annitente filio meo, qui, cum domi agat cum maxime rebus in ludo litterario Gaudano prolatis, non male egit partes ſibi a me mandatas. Pleroſque omnes libros, quos tibi emtos volebas, nacti ſumus, praeter paucos quoſdam carius opinione noſtra venditos. Heri demum ſub meridiem venditio haec fuit conſummata. Rationes a magiſtro,

ſtro, quamvis id vehementer hodie urſerim, ante proximum Lunae diem non potui extorquere. Proximo Martis die recipies, niſi aliud juſſeris, tuum indicem, in quo videbis, qui tibi ſint adſcripti, & quo pretio, & quos nobis eripuerint calidi emtores, qui tamen perpauci ſunt, ſi recte memini. Litteras en tibi a *Wetſteinio* & *Grutero*. Habui & ab *Hadriano Valeſio* & *Iſmaële Bullialdo* epiſtolas. Uterque tibi ſalutem dicit plurimam. Ille de fratris annotationibus in Harpocrationem benigne promittit. Nam *Pruſtellus*, Anteceſſor Aurelianenſis, qui hanc bibliothecam emit a vidua, expugnatus a *Nublaeo* fidem dedit tandem, ſe Harpocrationem *Valeſii* Lutetiam miſſurum, ut inde ad nos perferatur, ſi caveatur, ut ſalvum ſibi remittatur Valeſianum exemplar, & ut notae illae ſeparatim edantur. Addit dein: *Quid praeterea Pruſtello, quid Nublaeo, & Bigotio totius negotii promotoribus debituri ſitis vos videritis*, (tu nimirum & ego) *Veſtrae prudentiae ac gratitudinis erit deſtinata viduae munera alio convertere, & aliquot eos exemplaribus remunerari.* Calci adnectit haec: *Te invicem oro, ut virum ampliſſimum Nicolaum Heinſium, veterem amicum meum, meis verbis diligenter ſalutes.* Nunc vide, quaeſo, ut ejus deſiderio ſatisfiat. Ego quoque contendam vires omnes, ut apud Lugdunenſes his, quas dicunt, legibus edantur iſtae animadverſiones. Proximo die Mercurii reſpondebo. Si quid ei ſignificari volueris, ubi reſciero, tuae ſerviam voluntati. *Perizonii* Obſervationum librum perelegantem tibi inſcriptum, cum redieris, invenies apud me. Hagam nulla Catulli exempla mittam alia, antequam Florus fuerit in lucem emiſſus, ut ſimul mitti poſſit. Rationes facile per te noſti. Perilluſtri *Zulichemio* & *Selemio* ſalutem tamen, ſi quando videris, velim nuncies, ut & Nobiliſſimo *Goeſio*, ejuſque familiae. Vale, vir magne, & me ama. Trajecti ὡς τάχιςα. d. xx. Sept. Julian. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS
Nic. Heinſio.

Vianam.

TU nunquam ab ingenio tuo deſciſcis. Semper idem es, & antiquum obtines. Heri enim, ut antea nunquam non, dimiſiſti non ſolum nos plenos bonarum rerum, ſed & rariore doctrina refertiores. Utinam loca illa in Lactantio, quae belle viſus eras emendaſſe, ſed quae non litteris a me conſignata e memoria effluxerant, tibi placeret in chartam conjicere, & mecum communicare, ut olim ſolebas! Interea hîc accipis catalogum, quem heri promiſi. Aliud nihil occurrit viſu dignum & auditu. Nihil enim litterarum accepi. Hoc brumale ſydus ad litterarum commercium homines reddit tardiores. Heri oblitus ſum ex te quaerere, num *Meibomius* tuis aliquid repoſuerit? Si tacet, indignatur, te plus vidiſſe in explicando Juvenale. Videtur eodem ingenio eſſe, quo ille, [1] cujus vitam nuper legebamus, hîc apud nos, a fratre proditam memo-

1 Intelligit *Henricum Valeſium*, cujus vita ab Hadriano fratre conſcripta de eo haec prodit. pag. 34.

moriae, qui nunquam veris rationibus victus volebat ſententiam mutare, & diſſentientes a ſe ferebat aegerrime. Sed hoc quoque Catone contenti ſimus. Cogimur in faece plebis, in ſervis multa ferre, cur non etiam in docto homine quaedam vitia feremus, quae tot bonis penſat. Id igitur in iſtis hominibus toleremus, & culpas, quas in iis reprehendimus, vitemus ipſi. Sed ohe! vix tuos aculeos effugere potero, quibus configere ſoles intempeſtive philoſophantes. Aliud, quod narrarem, non inveniebam. Cupiditas tamen quaedam me quamvis valde diſtrictum tenebat tecum garriendi. Vale, unicum meum decus & praeſidium certiſſimum. Trajecti d. xxx. Novemb. CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DLXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SI quid eſt, quod opto, id praecipue eſt, ut tuo mihi quotidie conſpectu & ſermonibus frui, & nunquam a tuo latere diſcedere mihi liceret. *Meurſii* duos libellos ſibi a te dono datos propediem CL. *Huetius* ex me intelliget. *Schultingius* jam diſceſſerat, ſed nullus dubito, quin ſit datam fidem liberaturus. Habeſne Roterodami, qui tibi in auctione Browniana navet operam? Videor enim in illo catalogo nonnullos obſervaſſe, quos tibi vindicabis. Sed hoc officium forte tibi praeſtabit *Gruterus*. Viri illius eruditi, qui ſuperbia & illo contemtore ceterorum animo, & nimio ſui ſuorumque amore, fortunas ſuas perdidit, vicem dudum doleo. De Lactantii libello geſtio ex te audire, quae obſervaveris, cum poteris vacare, & per valetudinem par eſſe huic labori. *Elzevirius* tibi ſalutem dicit, & vehementer petiit, ut de Virgiliano commentario edendo te urgeam. Proela ſua parata eſſe, & promta ad iſtud praeclarum opus deſcribendum. A *Schnabelio* litteras hodie habui, in quibus haec de te: *Vir ſummus Nicolaus Heinſius brevi, ut puto, intelliget, me non deeſſe ejus petitioni, quam ego in mandati formulam redegi. In rem conſulit Ampliſſimus Juſtellus.* Hagae Comitis legatio in Gallias decreta eſt *Sommerſdyckii* Domino, in Hiſpaniam Syndico Amſterodamenſi, cujus nomen nunc non ſuccurrit, in Angliam *Huberto* Syndico Selandiae. Equeſtris ordinis conſilio hîc adſcriptus eſt *Rhedius*, horti Malabarici auctor. Vale, vir nobiliſſime, & me ama. Noſtri omnes te plurimum jubent ſalvere. Trajecti d. III. Decembris CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DLXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUid pro innumerabilibus tuis in me meritis ac officiis tibi unquam perſolvam? Non opis eſt noſtrae gratias tibi debitas referre. Dii referent. Ego ſane nunquam inficias ibo, mihi ingrato vivendum & moriendum eſſe. Gaudeo & exulto, cum tam hilari fronte orator ille munuſculum hoc excepit. De Valeſianis annotationibus, ſiquidem id melius putas, nihil perſcribemus ad Leidenſem bibliopolam ante tuum adventum. Frater ejus nullam facit mentionem animadverſionum *Lindenbrogii*, ſed ſignificat, ſe ipſum nonnihil annotationum adjecturum eſſe fraternis. Cum duobus enim antiquis codicibus ſe hunc commiſiſſe hiſtoricum poſt exceſſum τȣ̃ μακαρίτȣ. Bibliopolam vero nondum manum operi admoviſſe, & nihil praeter iſtud ſpecimen typis eſſe mandatum. De Salmaſiano libro de coma non tibi auctor ſim, ut *Wetſtenium* urgeas. Plus videtur iſte juvenis jam ſuſcepiſſe, quam poſſit ſalvis fortunis perficere. Expectabimus reditum *Boomii* ex nundinis Francofurtenſibus. Is hac hyeme conſtituit exercitationes Plinianas edere. Procul dubio difficilem ſe praebebit in hoc quoque libro publicando. *Nublaeus* eſt is, quem innuis, ut ex ejus didici amoenitatibus. Vivit etiam nunc, & cauſſarum patronum agit in ſuprema Curia Pariſienſi. De negotio, de quo egiſti cum Nobiliſſimo *Zelbemio*, fiat, quod ſuperi decrerunt. Mihi cupit quoque libellorum ſupplicum magiſter, *Peſterus*. Sed num ejus auctoritas aliquid valeat ad id, quod cupimus, efficiendum, ignoro. Forte ſi poſt *Selemium* ſecundas egerit. Sed de his coram brevi, ut ſpero, pluribus. Heri litteras habui a Duce *Montauſerio* perquam humanas, & plenas ſingularis benevolentiae. Miratur & dolet, epiſtolas Tullianas me non dedicaſſe Delphino, & urget, ut aliud offeram. Niſi fama diſtuliſſet, me compendium iſtud hiſtoriae Romanae τῷ ποιμένι λαῶν deſtinaſſe, certe illuc mitterem. Sed nunc cogor expectare, donec prodierint epiſtolae ad Atticum. Libros & rationes domi tuae, ut ſpero, invenies. Verum cum proximo die Saturni tibi non licuerit, quantum ex tuis colligere mihi licet litteris, (nam ante illum diem non ſolvetur conventus Ordinum,) domum itionem adornare, vide, ut proxima hebdomade hanc urbem tranſeas. Multa enim ſunt, quae in tuum geſtio ſinum effundere. De *Goeſio* patre & filio, nec non noſtro *Ryckio* male nuncias. Deum precor, ut priſtinam ſanitatem tandem recuperent, utque te nobis ſalvum & incolumem reddat. Vale, meum praeſidium & dulce decus. Salveat Goeſiana familia. *Broeckhuſii* miſeri rogo memineris. Trajecti ὡς τάχιςα. Trajecti d. XXV. Sept. CIƆIƆCLXXIX.

EPI-

EPISTOLA DLXIV.
JOH. GEOR. GRAEVIUS
Nic. Heinſio.

Hagam.

SImul tuas litteras vidi, ſimul typographum adii, rogavique, ut proela componeret ad ea corrigenda, quae juſſiſti. Secutus vero ſum in primo *des Memes* dedicationem *Gronovii*, quam Livio praefixit, cum eum inſcriberet Illuſtriſſimo viro *Claudio Memmio*, qui tum Regis Chriſtianiſſimi agebat oratorem Monaſterii, quam accurate ab ipſo Memmio recognitam & recenſitam eſſe memini tum adoleſcens ex ipſo *Gronovio* audire, qui & litteras ejus mihi oſtendebat, quibus unam vocem in ipſa illa praefatione mutari deſiderabat, cuique inſerta erat emendatio loci Liviani. Mirabar ipſe, quid ſibi vellet illud inuſitatum *des*, ſed credebam exemplari Liviano, cujus uſum tu mihi praeſtiteras, & allocutioni tam emendatae. Alterum *Comiti Avallis* hauſi ex ſcriptoribus Gallicis, nimirum ex dedicatione *Hadriani Valeſii*, quam defenſioni diſceptationis de Baſilicis praemiſit ac inſcripſit *Jacobo Memmio*, Comiti Avallis, libellorum ſupplicum magiſtro, & ſupremae Curiae majori Praeſidi deſignato. Sed ut emendentur haec, ut deſideratis, curae mihi erit. Promiſit ſane typographus, ſe illico proela moturum. Simulac pagellae fuerint deſcriptae, curabo eas ad vos, aut, ſi id rectius duxeris, nova tria correcta exemplaria, ſed ea vix ante proximum diem Mercurii aut Jovis poterunt confici & ornari. Ubi tu Haga diſceſſeris, mittam iſta ad nobiliſſimum *Goeſium*. Sed de tui itineris die cupio per te certior fieri. Vale, σεβασμιώτατε ἀνδρῶν. Trajecti d. XXVI. Septemb. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXV.
JOH. GEOR. GRAEVIUS
Nic. Heinſio.

Vianam.

NAe tu mirificus es hoſpes, qui, cum tanta comitate, tanto apparatu, tam hilari & exporrecta fronte nos exceperis, querеris de tenuitate victus, & de vultu adducto, idque velis dari fatigationi & vexato corpori. Nunquam te vultuoſum deprehendi, ne dum nuperrime, cum videreris cum rebus bonis optimum induiſſe vultum, & omnia, ut nobis eſſet bene, congeſſiſſe in nos cumulatim amiciſſimi animi documenta. Nos, qua ratione poſſimus hoc nomen expungere, non videmus. Sed, licet facultas non adſit, voluntatem tamen tu non ſoles contemnere, quam ſemper opinione tua prolixiorem invenies. Pridie in hanc urbem venit Ampliſſimus *Terburchius*, ſed heri Buram contendit ad patruum aegrotum viſendum. Hodie creditur eſſe reverſurus. Nunc quod te rogo, noli, quaeſo, negare. Fac, ut proximo die Jovis nobis adſis in prandio. *Terburchius* tuum

tuum latus teget. Dieculam conſumemus ſuaviter. Hodie lepuſculus mihi dono fuit miſſus. Hic vobis apponetur. Excuſationem nullam accipio. Hora duodecima currus te praeſtolabitur ad ſcapham. *Chriſtianus Utenbogardus* rediit ex Gallia, & mihi attulit vitam *Henrici Valeſii*, a fratre Hadriano ſcriptam & miſſam. Accipis hîc faſciculum, quem Leidenſes nautae mihi crediderunt, cum epiſtola Cuperi. Index librorum tibi emtorum cum diſcrepat a catalogo, dandum hoc imperitiae filii, qui male nonnulla notavit, & meae feſtinationi, qui celerrime, inſtante hora diſceſſus hemerodromi, ex catalogo filii, qui prima vice has partes geſſit in venditione publica, male habito, & in quo numerus pecuniae vix poterat cognoſci, deſcripſi. Indices vero in ſcheda notatorum deſcripſi ex magiſtri rationibus. In nonnullis tamen excerpendis meus eſt error. Nam 181. Gerbelii praefatio vendita tantum fuit, ut recte in catalogo notavi, uno floreno, duobus aſſibus. Me decepit in rationibus liber ei appoſitus, (nam non librorum indices, ſed tantum numeros hîc in ſuis tabulis notant magiſtri,) nimirum Vredi ſigilla emta Servaſio quatuor florenis. Cum catalogum deſcriberem, plane putabam Iſaac opera ceſſiſſe tibi, ſed proximus ei liber fuit, quem filius emit. Ipſe tamen credebat, alterum librum fuiſſe venditum. *Fridericum Martinum* de cenſibus delevi. In Goldaſto quoque falſus fui, cum in catalogo notavi tibi illum addictum fuiſſe. In pretio ſcriptorum Hiſtoriae Auguſtae notando eundem commiſi errorem, quem ſuperius in Gerbelii praefatione. Vicinus liber venditus eſt 1.16. ſtuver. Ipſorum pretium fuit 3.3. In reliquis pretium catalogi ex indice eſt corrigendum. Per anguſtias temporis mihi nondum licuit meos libros excutere, num forte in iis reperiantur aliqui, quos deſideras. Hoc, niſi me valde memoria fallit, ſatis novi. Bauhinum de lapide Bezoar alium inveniſſe emtorem animoſiorem, me vero fefelliſſe filii catalogum. In poſterum ut hi poſſint errores vitari, jubebo libris, qui tibi ementur, tuum nomen apponi, ut magiſtri rationes ad te perferantur. Sed de his coram. Vale, & veni, & Bigotianas litteras tecum fer. Burmannus noſter male habet. Iterum Vale. Trajecti d. VII. Octob. CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA DLXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SI pro tua dignitate, tuiſque erga nos meritis, & noſtro in te ſtudio potuiſſemus accipere, nos quidem vehementer lactaremur, & tu haberes juſtiores cauſſas, tuam in agendis gratiis eloquentiam exercendi. Nunc, niſi ſcirem te voluntate contentum eſſe, cum facultas non reſpondet, excuſarem tenuitatem hanc. Focus enim frigebat, etſi animo noſtro nihil eſſet flagrantius. Nam hoc velim, tibi ſit perſuaſiſſimum, gratiorem te hoſpitem nullum nobis venire poſſe. Tu enim unus es, in quo colendo & amando paternam mihi conſtitui pietatem, idque tuo effeciſti erga me ſtudio & beneficiis. Dolemus autem om-

nes, tam brevem nobis fuiſſe uſuram tam deſiderati hominis, & tam celeriter carendum nobis fuiſſe voluptate, quam ſummam capiebamus ex ſuaviſſima tua conſuetudine, quae nihil ſane prae ſe ferebat aegritudinis ac triſtitiae. Nam in jocos & lepores ſic effundebaris, ut nos in cachinnos ſolveremur, & toti penderemus ab ore tuo. Nihil mihi gratius fuit Concordia ſacerdotii & imperii. Gaudeo ſummopere tam doctum librum non diutius deſiderari in mea ſupellectile Muſica. Quando Galeno quoque eam ditabis, vereor, ut animos tollam, & perſuadeam mihi meam quoque bibliothecam aliquid eſſe. Excutiam interea loculos meos, num forte poſſim ex iis eruere, quibus tu careris. Tu, quaeſo, vide, num *Folietam* ac *Nobilium Flaminium* de Latina Lingua bis habeas, & quibus Baluſianis opuſculis carere poſſis. Nam & ego non pauca jam poſſideo. *Cariopontus* ut & *Kirani Kiranides* illi ipſi ſunt, eodem anno locoque editi quo mei, quos apud me vidiſti. Sed *Kirano* meo praefixa eſt praefatio *Rhyakini*, id eſt *Rivini*, octo pagellarum, quae videtur in tuo libro praetermiſſa eſſe. Hanc enim demum frons illa excipit, quae nomen anni, quo prodiit, oſtendit, omiſſo loco, ubi fuit vulgatus, & auctore notarum. Litteras Bigotianas, ut & primam paginam opuſculorum, quorum molitur editionem, nunc recipis, pro quibus gratias tibi ago habeoque. Velim ei ſignifices Laconica *Meurſii* me propediem cum Floro miſſurum, & Valeſianum commentarium, ut deſcribatur, & liber ſine labe & inviolatus reſtituatur emtori, mihi cordi futurum. De *Lindebrogii* animadverſionibus indies expecto reſponſum. Non ſatis capio in illa epiſtola, quae narrat de *Elzevirii* ratione, quam iniit cum Pariſienſi bibliopola de Ammiano Marcellino imprimendo, ut & de numiſmatibus *Valliantii*, cum ipſo *Valliantio*. Litteras *Menagii* nondum accepi. Non erant, quas miſiſti, *Boſchii* litterae, ſed *Rulaei*, quibus propediem reſpondebo. Nam & mihi viam illuc curandi oſtendit. *Baluſio* gratias quoque agam pro annotationibus Boſianis in Tullii epiſtolas. Ab illuſtri *Memmio* litteras habui plenas benevolentiae, & amoris. Sciſne cras bibliothecam Hattingianam vendituros heredes? Vide igitur ne, ſi quid emtum velis, procraſtinatione tibi deſis, ut in auctione Voetiana. Uxor mea totaque familia tibi ſalutem dicit plurimam, & optat, ut, antequam frigus intenſius te abdet in penetrale Muſaei, ad nos reviſas, & noſtram domum laetam facias. Illi dies enim nobis feſti ſunt, quibus te hîc licet complecti. Vale, lumen non tuae tantum patriae, ſed Europae, & noſtrum unicum praeſidium. Trajecti XIII. Octob. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUmmos heri accepi recte. Calculi bene poſiti ſunt, & libri jam in meis aedibus habentur optime omnes culti, ſine labibus & maculis. Eos mittam

tam ad te perendie, ſi forte Lugdunenſis proventus iis accederet. Sed inter hos Hattingianos tibi vindicatos fuit etiam Hoſpinianus de templis, quem omiſerat in rationibus, neſcio quo caſu, magiſter. Sed hodie reliquis iſtum librum adjecit. pretium fuit triginta duorum obolorum, ſedecim etiam expendi pro opera bibliopolae in hac auctione nobis navata. Quod, quia ſic jubes, ad te perſcribo. Pelgromianum catalogum ad te ſpero perlatum eſſe, ſin minus, meum mittam. De Elzevirianis ſarcinis & Groninganis libris plane nihil quoque audio. Indiculum librorum, quos Huetius deſiderat, proxime videbis. Novi hîc nihil, niſi quod heri ad nos perlatum eſt, juſſu & auctoritate Ordinum Hollandiae *Beverlandium* a Praetore ſive Leidenſi, ſive Delphenſi in vincula conjectum. Fert pretium ſtultitiae, a quo nullis precibus & amicorum dehortationibus potuit deterreri. Vereor, ut perpetuus fiat carceris colonus. Si meis fideliſſimis monitis paruiſſet, nunc non laboraret. Conventus ordinum Angliae denuo prolatus eſt a Rege in Januarium. Ejus frater in aula nunc primas ſibi partes iterum vindicavit. Vale, meum decus. Trajecti Batavorum XXI. Octob. Julian. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EN tibi litteras a *Schultingio*, ex quibus cognoſces, qui libri tibi ſint addicti. Mihi ceſſerunt Cognati opuſcula, Hippocrates Scaligeri, & Hofmanni variae lectiones. De Cognati opuſculis jubeo te ſecurum eſſe. Tuum erit, quicquid ex illis tuis uſibus volueris vindicari. Recipis rationes magiſtri ſubſcriptas. Mitto Catalogum Pelgromianum. Uxori res ſibi mandata curae erit, & cras, ſi Deus dederit, & tempeſtas tulerit, ipſa coram tibi referet, quae geſſerit interea temporis, aut ſummum perendie. De *Beverlandio* quae ſcripſi, veriora ſunt, quam illa ad Sagram. Illo ipſo die, quo captus fuit, Doctor Leidenſis Hagae eum monuit, ſibi caveret, eſſe, qui ei inſidientur. Sed effuſus in cachinnum vanum, ut rebatur, amici ſui metum & ſollicitudinem ludibrio habuit. *Schultingius* mihi ſcribit, eum petiiſſe librum ſolitudinis levamentum. Sacrum codicem praebuiſſe miniſtros, quem rejecerit, Juvenalem poſcens. Diptychon tum videbo laetus, cum cum uxore te videro, quod ut cras fiat, ſtudebo, niſi aliquid interceſſerit. Nam in ludo litterario hujus urbis conſtituendo nunc occupamur. Vale, meum decus, & grande praeſidium. Trajecti d. XXIV. Octob. CIↃIↃCLXXIX.

EPI-

EPISTOLA DLXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUnquam a te diſcedo inanis. Modo quot res bonas mihi ingeſſiſti, quibus & corpus & animum oblectaſti, & meam ditaſti bibliothecam! Gratiam ut tibi debitam referam, non expectas, cum ſolvendo me non eſſe tu ipſe unus omnium optime noris, qui novis acceſſionibus ſubinde priora tua merita & officia cumulas. Si voluntatem ac animi ſtudium, quod perquam prolixum eſt, non ſpernis, habeo ſane, unde tibi ſatisfieri poſſit. Gratiorem hominem nuſquam invenies. Nec committam, ut de hoc animo unquam tibi dubitandi cauſſa detur. Vides hic *Perizonium* noſtrum, cum quo heſternum diem ſuaviſſime de noſtris Muſis confabulando tranſegi. Doleo ſane & indignor tam eximium ingenium in iſtis tenebris jacere, dieſque ac noctes cogito, qua ratione poſſit produci in ſcenam dignam ejus doctrina. Valerii Maximi editionem adornat. In tua bibliotheca reperiet procul dubio, quod ad hunc ſcriptorem expoliendum ei plurimum proderit. Nec tu ſoles parce & maligne tuas opes cum aliis communicare. Libros Leidenſes ex Uythagiana bibliotheca indies expecto. Simul ad me fuerint perlati, tibi illos adportari jubebo. Vale, decus noſtrum. Mei te plurima impertiunt ſalute. Trajecti d. XXIX. Octob. Jul. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXX.

JOH. GEORG. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DE *Raynaudi* heptade Praeſulum nullam in prioribus litteris feceras mentionem. *Turnebum* in Ciceronem denuo inſpexi, ſed non tantum viginti ultima folia erant carioſa, ſed & hinc inde ſubducti erant verſus parum eleganter ab ipſo Amelovenio, ut in pleriſque aliis libris. Non duxi e re tua eſſe illum emi. Margines alioquin erant latiſſimi. Si prioribus ſex ſeptemve paginis ceterae reſpondiſſent, nihil hac editione potuiſſet fingi pulchrius. Non pauci illorum, quos notaſti, tui ſunt. Nonnullos interceperunt animoſiores emtores, inter quos eſt Demetrius Phalereus Caſelii, cui pretium dixeram obelos triginta, ſed exceſſit duos florenos. Hic tamen liber minoris formae, ſed editionis poſterioris, ſaepe reperitur. Juſſeram quoque tibi emi Hulſworthi praelectiones Theologicas, ornate & pereruditc ſcriptas, ac a docto illo Pearſono pridem editas pretio duorum florenorum, ſed hic ſpes eluſit hiantes. *Beverlandius* inſanit. Non ad gentiles videtur amandandus eſſe, ſed ad vacerroſos, ut Auguſti utar verbo, apud quos tam diu deſideat, donec ad ſanitatem redeat. quod num un-

unquam futurum ſit, ut ingenium ejus eſt, equidem dubito. Quam ſententiam tulerint patres Leydenſes, aveo ſcire. A *Schnabelio*, docto juvene, quem, credo, vidiſti olim, nunc legatis noſtris Gallicis eſt a ſacris, litteras habui, quibus ſignificat eſſe Lutetiae, qui Hiſtoriam Anticriticam Bibliorum ſcripſerit, quae jam lucem vidiſſet, ſi *Elzevirius* ejus voluiſſet editionem ſuſcipere. Inſcriptionem Gallicorum tropaeorum refictam eſſe, oblitteratis verbis *male memori Batavorum gente.* Libros veteres viles eſſe Lutetiae, ſe Pauſaniae, Iſocratis, editiones optimas, Agoniſticon Fabri, Jornandem Lindenbrogii cum ceteris ſcriptoribus ei adjunctis, Thomam Magiſtrum, & Phrynichum, nec non Caſtellanum de feſtis Graecorum emiſſe decem florenis. Offert nobis quoque ſuam operam, qua commode poſſumus uti. Eſt enim in re lauta. Vale, lux mea praeſidiumque unicum. Trajecti d. XVI. Novemb. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SOllicitum me habet tua valetudo, de qua jam quintum diem nihil audio. Heri exſpiravit noſter *Burmannus*. Magnam jacturam fecit noſtra Academia, magnam ego. Amiſi enim amicum unum omnium, ſi a te diſceſſero, certiſſimum. Nec Academia inveniet facile tanto viro dignum ſucceſſorem. Mihi impoſita eſt provincia ei parentandi. Nec potui hoc officium pietatis defuncto a me per uxorem petenti denegare. Lutetia litteras habui a *Reedio*, qui catalogum bibliothecae Thuaneae *Elzevirio* ſe tradidiſſe ſignificat. Is hoc nomine a me compellabitur. *Rulaeus* Lutetia diſceſſit, comitis ſui *Boſchii* obitu forte confuſus. Frater meus me certiorem fecit de Reineſianis inſcriptionibus, quas ſub proelis ſudare ſcribit. *Carpzovium* autem non ita pridem ordini adſcriptum eſſe ſenatorio. Ex alia Germaniae parte narrant incendium Vindobonae nuperius ortum depopulatum eſſe in aula Caeſarea gazophylaceum antiquitatis imperatorium, de bibliotheca nihil etiamnunc propter peſtilentiam immaniter ſaevientem explorati cognoſci: ſe ſperare tamen, illam eſſe ſervatam. Vale, Vir Illuſtris, & me ama. Trajecti d. XI. Novemb. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUmmi recte mihi ſunt redditi, libros, faxo, proxima die Saturni nauta ferat, niſi per tabellarios maturius eos tibi mitti juſſeris. Valetudinem tuam paullo levatam eſſe, lenitoſque dolores gaudeo, Deumque precor, ut propediem plane his moleſtiis defungaris, priſtinaſque vires ac incolumitatem recipias.

Me nunc exercent parentalia *Burmanni* noſtri. Nam hanc quoque provinciam paſſus ſum mihi imponi invito. Sane niſi amiciſſimi hominis voluntati adverſari; petierat enim hoc ſibi officium a me perſolvi, religio fuiſſet, nunquam fuiſſem expugnatus. Nam dolor, quem ex ejus obitu, & tua valetudine contraxi, me non ſinit nunc pangere aliquid dignum tanti viri & amici virtutibus. *Rulaeus* conturbatus deceſſu comitis ſui *Bóſchii*, & revocatus a neceſſariis Lutetia domum rediit, idque heri mihi ſignificavit Harlemo, remiſſis duabus epiſtolis, quas dederam ad *Valeſium* & *Bu lialdum*, quibus commendabatur a me. Tibi juſſit ſalutem dici. Vale, & valetudinem tuam diligenter cura. Trajecti d. xxv. Novemb. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Libros nuperius emtos feret mulier, quae tuas litteras mihi reddidit. In iis tres deſiderantur, duo coëmtionales, ſed praeter hos quam emi juſſeras, quaeque ſex obolis tibi eſt addicta, Ariſtotelis Ethica cum interpretatione Perionii, bibliopola, in cujus aedibus haec auctio fuit habita, fidem dedit, ſe omnes angulos excuſſurum, ut librum nobis praeſtet. Nec ego ceſſabo, vel quotidiano convitio, illum expoſcere. Ceteros invenies omnes, & in his caeſas Alpes *Caeſalpini*, & tuum Iſocratem *Wolfii*. Recipis hîc quoque rationes ſubſcriptas. Hodie laetitia exilui, cum tuam manum vidi, quae fidem mihi fecit tuae valetudinis in melius converſae. Faxit Deus, ut propediem plane convaleſcas. Vide, quam funeſtus nuncius excipiat hunc, quem modo de *Burmanni* morte ad te pertuli. Daventriae *Vogelſangius* ex vivis exceſſit, qui & ipſe lumen erat Theologiae his in terris. Lugduni audio, praeterita die Saturni hora veſpertina octava in conſilium iviſſe judices, qui in *Beverlandium* ſederunt, (diutiſſime enim feruntur ſtetiſſe cauſſidici cauſſam ejus orantes, ut maturius ſententia non potuerit ferri,) ac pronunciaſſe, libros ejus carnificis manu eſſe cremandos, ipſum ex Hollandia, & Selandia per omne vitae tempus proſcribi, ſumtus in hoc judicio factos, & praetori praeterea centum ſcutatos debere pendi. Hunc fructum tulit ſuae ſtultitiae & petulantiſſimae laſciviae. Doleo ſane vicem ejus, quod tuis meiſque ſalutaribus monitis noluerit aures dare, & ingenium, ſi poliretur & limaretur, non ineptum, melioribus curis impendere. Te valere volo. Quae in auctione Wevlinchoviana tibi vindicari cupis, noſtro bibliopolae, hac veſpera eo proficiſcenti, emenda mandavi. Is invigilabit tuis commodis. Cum primum legiſſem folium, ſtatim ſubodorabar non eſſe hos *Wevlinchovii* ſed *Hackii* libros. Tres ego libros mihi parari juſſeram. Sed alteri tu pretium appoſuiſti majus, alterius ego auxeram pretium. Caſſiodorum juſſeram emi ſeptem florenis, tu octo ei conſtituiſti, ſed Stephani Tornacenſis epiſtolis ego binis florenis liceri juſſeram, tu viginti duobus obolis.

lis. Sed vereor, ne uterque fruſtra ſimus. Novi Hackiorum ingenium, qui, niſi neceſſitate ſumma urgeantur, nunquam tam vili pretio hos libros ſinent vendi. *Holſteinii* regulas monaſticas mihi quoque notavi, ſed ſalubre pretium appoſui duos florenos & decem obolos. Videbimus, num fortuna nobis faveat. Tu Vale, Virorum & amicorum optime maxime. Trajecti ὡς τάχιςα XXVII. Novemb. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

INvitum heri retinuerunt negotia quaedam nec opina, quae differri non poterant, in primis litterae in Indiam exarandae, quas ſecum ferret, qui hoc mane profectus eſt ad conſcendendam navem brevi ſoluturam. Res vero fratris mei in India degentis exigebat, ut de negotiis quibuſdam domeſticis certior a me redderetur. Nonnihil quoque dandum erat amicorum officio. Tuo tamen defraudatus aegerrime ſum conſpectu & ſermone deſideratiſſimo. Sed haec jactura ut ſarciatur longiore mora, cum vos videro, operam dabo. Illuſtriſſimus Comes *Oxenſtierna* nunc in hac urbe commoratur, quem hodie aut cras ſalutatum ibo. Pomponium excidiſſe loco, quem tenuit, audiſti, credo. Cauſſa ignoratur. A *Juſtello* litteras habui hodie, & ante dies aliquot ab Illuſtriſſimo Duce *Montoſerio*, ſed nihil novarum rerum complectentes, niſi quod *Juſtellus* mentionem faciat variorum librorum, qui Lingua Gallica produntur, de quibus aliquando coram. Accipis hîc Lactantium, cui emendando qui nonnihil temporis impendet & ſtudii, nae is operam non ludet. Multa in libello acutioris ingenii ſollertiam deſiderant. Habes hîc etiam epigramma *Cuperi*, & Mahumetica *Sylburgii*, quae nuper requirebas. Vale, Vir perilluſtris & me ama. Noſtri omnes te ſalvere & valere jubent. Trajecti XXIV. Novemb. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ORationem, qua *Burmanno* parentavi, brevi habebis. Et valetudo, qua tum conflictabar, & moeror ingens, qui me tenebat, nihil me ſiverunt pangere, quod amico tanto, & tua dignum ſit expectatione. Malui tamen in me accuſari infantiam, quam deſiderari pietatem. De *Thomae Munckeri* adverſa valetudine pridem triſtes ad nos perferuntur nuncii, ſed nuperius tamen audieram eſſe meliuſcule. Nihil tamen tibi auſim affirmare. Deum precor, ne virum litteris noſtris utilem in aetatis flore nobis ſubducat. Ex Lactantii libel-

lo quin multas mendas, qua es ſollertia, ſis deleturus, nullus equidem dubito. Videor & ipſe, dum raptim eum perlego, nonnullas deprehendiſſe. Non longe ab initio legitur *efferitas*, cum procul dubio ſcribendum ſit *& feritas* Sed hoc leve eſt. In Manilii libro ſecundo videbar pridie mihi locum non infeliciter correxiſſe. Verſus eſt 115. libri II.

Quis coelum poſſet, niſi coeli munera noſſet,
Et reperire Deum, niſi quis pars ipſe deorum eſt.

Quae ſunt illa *munera coeli*, per quae coelum noſcimus? Num lux, num pluvia, num illa, quae ex ſyderibus fluunt in plantas, animalia, homines? Nihil tamen videntur haec facere ad cognitionem coeli, niſi ſit, qui illarum cauſſas doceat & aperiat. Legendum itaque cenſeo:

Quis coelum poſſit, niſi coeli munere noſſet,
Et reperire Deum, niſi qui pars ipſe deorum eſt.

Nemo, inquit, poſſet coelum & coeleſtium ſyderum virtutem noſſe; & perſcrutari, niſi coeli beneficio coeleſtis mens ei obtigiſſet ad haec perveſtiganda. Clare hoc docet verſus 120. & 124.

Ni — — — Coeloque veniret,
Quod vocat in coelum, ſacra ad commercia rerum.

Elegantiam vocis *munere* non intellexerunt interpolatores. Illuſtriſſimum *Oxenſtiernam* heri vidi. De tua quaerebat valetudine, de ſua uxoriſque querebatur. Propediem eum denuo ſalutatum ibo, & de *Meurſii* Creta ad Regem perferenda, ſi locus dabitur, agam. Quas ad *Elzevirium* mihi commendaſti, diligenter curabo. Quando videbimus Valeſii Harpocrationem? Vale, vir excellentiſſime, & me ama. Trajecti d. XXVI. Novemb. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TErnae tuae cum faſciculo mihi recte ſunt traditae. Litteras τοῦ πάνυ Parentis tui, & doctiorum hominum ad illum exaratarum cum cenſum egiſti, gaudeo, ſperoque, rem litterariam fructum ex hoc tuo labore capturam eſſe aliquando. Nam quamvis tu abhorreas ab editione talium epiſtolarum, ego tamen vehementer illarum lectione delector, ut de quibus rebus tanti viri egerint, liceat inde cognoſcere. Ne ſales quidem & jocos tantorum heroum ignorare debet poſteritas. Antiquos videmus, quam fuerint diligentes & accurati in virorum inſignium non modo rebus, ſed & dictis memoriae prodendis. *Goeſio*, credo, petenti haut difficulter cetera ſcripta praeſtituros. Quo illis haec κειμήλια, quae nec aeſtimant, nec unquam inſpiciunt. Nimirum ut tanto celerius blattas ac tineas paſcant. Vide igitur, ut quovis modo illas chartas tibi vindices. Cum *Schnabelio* de libris, quos deſideras, agam perendie. *Dyckveldius* quidem redibit, ſed non intra duos treſve menſes, ut fertur. In Catalogo

Rot-

Rotterodamenſi primo ſtatim loco Biblia Complutenſia, quae rariſſima habentur, ocurrunt. Simſonii Chronicon eſt liber eruditus, quem non videor mihi in tua videre bibliotheca, ut & S. Waredi opera. Sed inter minores pauci fuerunt melioris notae, ſed tamen nonnulli. *Schultingium* ſpero fidem datam liberaturum, & catalogum Schotenianum nobis miſſurum, de quo nobiſcum agebat. Illuſtriſſimus Comes *Oxenſtiernae* jam pridem diſceſſit. Uxor tamen hîc etiamnunc moratur Habes reſponſum ad priores. Indicem librorum e Galliis allatorum recepi. Indicem eorum, quem excerpſiſti, mittam ad bibliopolam Gallicum hodie. Nam die Veneris diſceſſerat. Per Philippeos intelligit ducatones. Pretium horum librorum, quos emi velis, ut quamprimum indicet nobis, eum obteſtabor. Quoſdam hîc ſecum circumferebat, ut de nonnullis ex me poſſis cognoſcere. Pro Lexico Cangiano majoris chartae exigit viginti Philippeos. Muſaeo, quem emi, acceſſerunt notae, venit octo obolis. *Mabillonii* analecta nondum vidi Sed quantum potui colligere ex praefatione Cangiani Lexici, in qua haec Analecta multis laudibus celebrat, ſunt antiquorum ſcriptorum Eccleſiaſticorum συλλογή. Pro *Morini* opuſculis ei pependi viginti octo obolos, pro *Vallianti* numiſmatis duos Philippeos. Hiſtoria haereſeos Monothelitarum ſcripta eſt ab Italo quodam, non videbatur mihi fugitivo illam oculo perluſtranti magni pretii. De ceteris propediem ex ipſo bibliopola certiores erimus. Jubebo libros afferri hac lege, ut illos, qui inſpecti diſplicent, recipiat. Non tam celeriter hinc proficiſcentur. Nam *Orthamelius* expectat librum, quem perferre decrerit ad Epiſcopum Monaſterienſem, cui dedicavit, nimirum vitas Illuſtrium virorum Commandini, quas vulgavit Lutetiae: Tum demum ad nos redibit. Promiſit tamen, ſe noſtros faſciculos illuc curaturum. Tu igitur ad nos mittes, ſi quid inveneris *Huetio* dignum. Britannia videtur aliquid monſtri alere, de quo propediem, credo, certiores fiemus. *Buckingamius* quoque invito Rege rediiſſe dicitur in Angliam. Dux Eboracenſis in Scotia religioni reformatae ſe addixit, magnaque nobilium caterva ſtipatus redit Londinum juſſu Regis. Vale, vir magne, & me ama. Trajecti d. IX. Decemb. CIƆIƆCLXXIX. Uxor nunc rectius valet, quae tibi plurimam dicit ſalutem.

EPISTOLA DLXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DOleo mihi heri non licuiſſe tua perquam optata frui conſuetudine. Sed mox ſilebunt acroaſes noſtrae. Habebis tum hoſpitem, qui non unius dieculae ſuavitate, quam ex tuis capit deliciis, contentus erit. Faſcem alterum librorum non vetueras mitti. Juſſeras quidem expectari aliam epiſtolam poſtero die, ſed cum nulla mihi redderetur, credebam, te & hos velle inſpicere. Si ſcripſi novem radices miſſas eſſe, memoria me fefellit. Utinam ſalutares ſint, & ſanguinem ſiſterent. Quae de voce *bacchari & jaculari* collegiſti, ſi mecum

 com-

communicare volueris, alterae ſervabo editioni. Ovidii locum in litteris *Perizonii* optime & rectiſſime conſtituiſti & expoſuiſti, pro quo plurimas tibi debeo gratias. *Saturnius*, ſic enim appellatur, quem laudat Voſſius, eſt *Auguſtinus Saturnius Lazarenus*, qui decem Grammaticarum inſtitutionum libros edidit, qui inſcribuntur Mercurius Major. Prodierunt Baſileae apud Joannem Operinum anno CIↃIↃXL. Caſſiodori puto pleraque te habere. Non video, cum ejus opera praecipiti ſtudio evolverem, aliud praeſtitum ibi eſſe, quam quod omnia ſint collecta in unum corpus. Puto nos poſſe hoc libro carere. Sed nihil explorati de illo pronunciare queo, cum accurate nondum perſpexerim, qua re ceteris editionibus praeſtet. *Mabillonii* Analecta ſi tuis uſibus ſepoſueris, jubebimus adferri, quae in tomo primo deſiderantur. Ad *Carpzovium* quae deſtinaſti mittere, fac, mihi tradantur, habeo, quae addam. Vale, Virorum & amicorum ſumme. Trajecti d. XV. Decemb. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DLXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ETſi tanta in me dicendi vis eſſet, ut omnium Romuli nepotum audirem diſertiſſimus, tua tamen benignitas, quae nec modum novit nec finem, jam pridem exhauſiſſet vel maxime ditem venam, praeſertim, cum nihil poſſim reponere tibi pro tot tantiſque beneficiis, quibus nos de die in diem magis magiſque cumulas, quam memorem, gratum ac tui obſervantiſſimum & amantiſſimum animum. Dum haec exaro, ſubrepit tabellarius. Paucis itaque defungendum. Recipis hic ſpecimen fabularum Hygini Munckeriani, quod perplacet. Deum veneror, ut ſit vitalis, ut Mythicorum, quam molitur, editionem conſummet. In Martiale *tegeticula* jam recepit *Scriverius*. In auctione Bootiana emtos eſſe tibi duos libros in octava forma, ut loquuntur, nuper ſignificaram. Nimirum *Turlerum* de ruina imperii, & vitam Philippi à Burgundia, quos ſibi ereptos eſſe negligentia hominis, cui id negotii mandaverat, dolebat conſularis *Strickius*, illicoque ad me allegabat, ut hos libros ſibi traderem. Fidem hanc ei dedi, ſed cum poſtea memoria id mea excidiſſet, illos ad te miſi. Nunc quotidiano urget convitio, ut promiſſorum fidem exequar. Scis ejus me patrocinio & ſtudiis opus habere, & ad ſtipendii ſolutionem expediendam, & ad malevolorum impetum retundendum. Quare, ſi me amas, fac, ut hi libri, quibus, credo, non iniquo animo carere potes, ad me redeant, ut Conſuli illos praeſtem. Pretium fuit viginti quatuor obolorum, quos, ſi tibi videbitur, *Strickio* numerabo, aut Vianam mittam. In primis deſiderat vitam Phillippi, quippe, in qua ſint nonnulla hanc ad Urbem pertinentia. Plura nunc non licet. Uxor & liberi tibi ſalutem dicunt plurimam, teque valere volunt. Trajecti XXIX. Decemb. CIↃIↃCLXXIX.

EPI-

EPISTOLA DLXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

CUm heſternae Kalendae novum nobis aperuerunt annum, Deum ſupplex veneror, uti eum valens firmuſque ac inoffenſus facillime decurras, ut ſine ulla curarum dolorumque interpellatione praeclaros illos ingenii foetus, quos tamen cupide tot annos deſiderat res publica litteraria, in lucem tandem edas, plaudentibus Muſis & Gratiis. Ingratae illi hoſpiti, quae vi irrumpit, nonnunquam, & tantum tibi invito faceſſit negotii, volumus omnes aditus ad te eſſe occluſos, & in Morbonia potius ſuas res eam agere, quam optimum & praeſtantiſſimum virum exagitare. Pro Philippi a Burgundia vita, quam tanto expetebat ſtudio noſter Conſul, gratias tibi ago, debeoque. Libellum non diffiteor rarum eſſe; ſed illum redonabit tibi candidus dies. Vidiſtine catalogum librorum, qui cis decem dies Hagae vendentur. In illo ſane ſunt non pauci minime vulgares libri. Ad Gallicos bibliopolas num jam litteras dediſti? Vereor, ne moram hanc aegre ferant, ſi tam paucos libros emamus. Epiſtolam quoque illorum, rogo, ut remittas mihi. Niſi cras ſacris operaremur myſteriis, tecum eſſem. Videbo tamen, ut te videam, antequam Hagam excurram. Nam per bibliopolae tarditatem vix mihi licebit proxima hebdomade hinc diſcedere. De *Aetolo grege* rogo ut locum Martialis mihi, ſi potes huic curae vacare, indices, nec non unum alterumve locum adnectas, in quibus Calabria dicitur Aetolia. Vale, grande decus praeſidiumque meum unicum. Trajecti poſtrid. Kal. Januar. CIƆIƆCLXXX. Noſti ne n. 206. in folio *Caroli Jallongi* racemationes Juris Meſſanae publicas? *Occo* Antwerpienſis ad te jam iter meditatur, *Manutiumque* ſibi ſperat occurſurum.

EPISTOLA DLXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOn potuiſti ſtrenam mittere pulchriorem & acceptiorem, quam epiſtolam tanta refertam eruditione, totque rariſſimis & exquiſitae elegantiae obſervationibus circumfluentem. Non fauſtiore hic annus iniri potuit auſpicio, quod certam mihi ſpem facit, & plures me litteras hujus notae ſecuturis menſibus accepturum, quae tam abdita me doceant, & futurum, ut Virgilium & Petronium tuum, hic ipſe annus in publicum producat, hoc eſt, Muſis & rei litterariae laetus fortunatuſque decurrat. Non poterit enim ejus dignitas incrementis felicioribus amplificari, quam ſi fructu tuarum lucubrationum augebitur & exornabitur. Non ceſſabo ſuperos fatigare, ut quicquid eſt imbecillitatis,

tatis, quod curas tuas interpellat, teque ab iis perpoliendis arcet, penitus exhauriatur, ut plane confirmatus tibi & tuis ſtudiis vacare poſſis totus, defaecato animo, & integro corpore. *Aetolo grege mollior* probo mirifice apud Juvenalem. Praeclara quoque eſt emendatio Silii Italici, *Latio milite*, & *ſtagnantes ſanguine.* Non ſunt conjecturae, ſed Sibyllae folia. Meas noviſſimas tardius & ab hominibus ignotis tibi redditas eſſe meorum hominum negligentia factum eſt, qui eas commiſerunt, cum tabellarius iis elapſus eſſet, noſtris nautis ad Trajectum Leccae currentibus. Ante meum excurſum Hagenſem ſpero me te viſurum. Hodie hîc expectatur Ampliſſimus *Terborchius* Daventriam repetiturus, ex quo, ſpero, audiemus, quo loco ſit res publica. Qui Haga pridie venerunt, narrant acerrime urgeri foedus Anglicum, & jam inclinatam rem eſſe, indignantibus & frementibus Gallis. Deum precor, ut ſalutaria patribus conſilia inſpiret, ne internecivo bello implicemur. Diſſertationem *Perizonii*, quam tibi legendam reliqui, ad me remittendam ut cures, & quid tibi de illa videatur, ſignifices, id enim a nobis petit, rogo. Vale, ὦ φιλότης. Trajecti XIV. Januar. CIϽIϽCLXXX. Uxor ac filiae tibi ſalutem dicunt amantiſſimis verbis.

EPISTOLA DLXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EN tibi libellos, quibus legati utriuſque Regis foedus ambientis deſideria exponuntur & cauſſae, cur male ſint laturi, ſi rejiciantur. Res noſtrae valde ſunt dubiae & ancipites, tenuique filo pendent. Maximus eſt animorum motus, praecipue vulgi. Minatur τοῖς ἐν τέλει, ſi ſententiis inconſultis arceſſant ſibi bellum, quod facile poterat averti & declinari. Amſterodamenſes & Sicambri dicuntur probare conditiones, τῶ Γαλατῶν. Libellos, ubi legiſti, fac, quaeſo, mihi remmittas. Ad *Bigotium* cum litteras dederis, ſaluta eum meo nomine verbis amiciſſimis, & ſignifica me *Horthamelio* tradidiſſe *Meurſii* Cretam, ceteraſque duas inſulas, quem illum deſiderare librum intellexeram, cum tuo faſciculo illi curandum. Velim quoque, ex te intelligat, me ad ipſum *Valeſium* ſcripſiſſe de notis in Florum & Vellejum Paterculum. Si eas ad me miſerit, faxo, ut prima quaque edantur occaſione. Gratiſſimum mihi futurum, ſi faces ſubjiciat amico ſuo. Ad *Columbum* quoque mei, rogo, memineris, cum ſcribes. Nunc quod adderem, nihil incidebat. Probas ne in ſecundo Triſtium verſ. 104?

Cur imprudenti cognita culpa mihi?

Cognoſcitur mihi culpa rectene ac Latine credis dici? Quis horum verborum ſenſus: *ego culpam imprudens cognovi.* Num? ego imprudens culpam in me admiſi. Hanc ſententiam locus poſtulat. Videtur autem rectius in MSS. legi: *Cur imprudenti cognita cauſſa mihi?* Cur inſcius & imprudens cognovi illam cauſſam,

ſam, quam tu tam aegre fers. Sed nec hanc ſanam ſatis eſſe ſcripturam exiſtimo, tuum expecto reſponſum. Neſcio an non antea tecum egerim de illius libri verſ. 210.

Altera pars ſupereſt, qua turpi crimine tactus
Arguor obſcoeni doctor adulterii.

Paullo ante praeceſſerat, *perdiderint cum me duo crimina*, de uno ſibi tacendum canit, ad alterum crimen diluendum nunc ſe accingit. hoc enim eſt. *Altera pars ſupereſt*, hoc eſt, alterum crimen. Vide nunc quam bene ſequatur, *qua turpi crimine tactus.* Plurimi itaque ſunt anni, cum fere puer vidi legendum eſſe

Altera pars ſupereſt, qua turpi carmine factus
Arguor obſcoeni doctor adulterii.

Sed mihi demum probabitur, quod tu non obelis tuis configes. Tuae enim litterae mihi ſunt inſtar lapidis Lydii. Vale, ô & praeſidium & dulce decus meum. Trajecti a. d. XXI. Januar. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DLXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

OMnes curas, quas nobis afflant hi triſtes, qui circumferuntur, nuntii, iſteque aeſtus animorum, deterſit mihi tua ſuaviſſima & doctiſſima epiſtola, quae me docuit tam pulchra & mihi ignota de malicorio. Sed & ea renovavit deſiderium tuarum lucubrationum, quas tanto cum damno rei litterariae tamdiu premis, dudum nos crucians, ſed quod jam recruduit vehementius. Deum precor, ut tibi ſanitatem, patriae pacem & otium indulgeat, ut ultimam manum eruditiſſimis tuis curis poſſis imponere, & *Elzevirii* typis eas mandare lubentes velint. Nunc expecto quoque, quae promiſiſti de Eteſiis. De *Ortuynii* litteris, quas fugitivo tantum delibavi oculo, facile tuam in ſententiam eo. Non habuit in conſilio cum virorum doctorum conjecturas ſibi tuendas ſuſcepit, archetypon, ſed locutiones ſibi notiores & venuſtiores, quas viri docti excogitarunt. De libris Lugduno miſſis cum ad te rediero. Catalogum Schotianum nondum vidi. Rivalis, quem metuis, animoſitatem in licendo, & inſaniam nonnunquam novi, quae vereor ne tibi invideat, quibus inhias. Si votorum compos fies, erit quod gaudeam. Nihil enim tibi optati poteſt accidere, quod non majore me perfundat voluptate quam quodcunque ſuavitatum mihi contingeret. Si ſpes deludet hiantem, cogitatio malorum, quae multi nobis impendere ſuſpicantur, facile leniet ſenſum fruſtrati deſiderii, cum memineris bello gliſcente praeſentibus nummis nihil eſſe praeſentius. Longe nobis eſſe hos, qui nos tam deliniunt & permulcent, Muſarum cantus, illarumque inſtrumentum. Sed te nec vulgi gaudia, nec motus & tumultus

movent. Tu tibi vacas, & nec animum aeternis conſiliis minorem fatigas inutilibus ſollicitudinibus. Geſtio igitur propediem ad te redire, ut vel tuo exemplo incitatus me componam ad omnium caſuum, qui nobis evenire poſſunt, patientiam. Cum a tuo avellerer latere nuperrime, invitus ſane avellebar, ſed me revocabant domum negotia moras omnes repudiantia. Non te fugiebam, Heinſi dulciſſime rerum, in cujus ſinu omnem aetatem ſumma cum voluptate lubens agerem, ſed me fugere jubebant & domum properare, quae domi inſtabant, & quibus fidem dederam dictam deliberationibus de noſtri Athenaei ſalute, quae in magno verſatur diſcrimine, horam obeundi. Vide ne hoc verbum talento Attico redemtum velis, ſi quando ad te rediero, & tamdiu fuero moratus, ut te poeniteat tuae comitatis. Prioribus duobus locis ex II. Triſtium, de quibus nuper egeram, haec addo. verſus 109. cum ſequente valde ſuſpectus mihi eſt. Habeo inter diſticha ſuppoſititia, qualia tu plura notaſti in tuis animadverſionibus. Primo non ſatis capio, quid ſit ut *dicatur patrio aevo clara*, ſi fuiſſet poſterorum aevo, aut tempore, dixiſſet aliquid. Deinquid hoc, quod addit, nullius *nobilitate minorem illam eſſe*, cum ſtatim dicat ſe equeſtris tantum ordinis fuiſſe. Atqui equites, quamdiu non admovebantur dignitatibus, ut illis jus prodendae imaginis adipiſcebantur, non referebantur in nobilium cenſum. Quem ex libris Amorum nuperius locum objiciebas ex praeceptis lenae ad puellam, qua illam jubet ſpernere atria plena veterum cerarum, non tam pertinet ad Ovidium, alioquin & praecedens diſtichon, quo praecipit, ne abhorreat a gypſatis pedibus, ſi manus aurum ferunt, Naſonem ſpectaret, ſed ad doctrinam artis meretriciae generatim. Non igitur video, quid hoc diſtichon ſibi velit, quod & obſcurum eſt, & adverſatur ſequentibus. Quin ſi id expungatur, non tantum nullum detrimentum capiet pulcherrimus Ovidii libellus, ſed omnia erunt clariora & illuſtriora. verſ. 277. MS. Palat. ſcribit *Et quaſdam vitiat.* Nullus dubito legendum eſſe, niſi tu diſſentias docte Trebati;

At quaſdam vitiat: quicunque haec concipit, errat,
Et nimium ſcriptis arrogat ille meis.

Oſtenderat in praecedentibus caſtas matronas & virgines non poſſe laedi ſuo carmine, qui eas ab illius lectione arceat. Novum deinde argumentum ſibi ipſe occinit. At tamen quaſdam vitiat matronas, ſi non omnes. Hanc quoque diluit objectionem. quicunque ſic ratiocinatur, fallitur, & nimium tribuit ſcriptis. Sequentia ſatis arguunt, hanc eſſe Ovidii ſcripturam. Licet enim, inquit, hoc fatear, meis ſcriptis nonnullas corrumpi poſſe foeminas, non hoc fit vitio meorum carminum, ſed qui iis abutuntur. Vitiantur nonnullae quoque ludis, & ſpectaculis, num igitur ludi & ſpectacula ſunt tollenda? Memini quoque rationes ex te audire, cur Ovidio Terentius vocetur *conviva*, quae tamen effluxerunt ex memoria. Num quod juvenum convivia & paraſitorum illa captantium mores tam venuſte deſcribat. Sed jam deſino nugarum. Qui miſſus erat hinc ad Fridericum Wilhelmum, rediit domum nihil laeti referens, ſed nil niſi magnorum Regum & populorum aeſtus & iras. Cras forte Amſtero-

ſterodamum excurram biduum ſummum ibi exacturus. In Floro omnia nunc ſunt deſcripta. Sed deſideratur tamen prima frons aeri inciſa dudum, ſed nondum impreſſa chartae, & nonnulli nummi nondum inſerti. Amſterodami ſi quid curari velis, en huic homini manda. Nam ſi eo proficiſcar non ante meridiem me viae dabo, ut tuas ſatis mature ſint mihi reddituri, ſi quas dederis ad me. Vale, meorum prime amicorum. Trajecti a. d. xxx. Januar. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DLXXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ITer Amſterodamenſe protuli in aliud tempus, quia intervenere, quae me morantur. De publica re brevi certiora licebit cognoſcere. Nunc inter ſpem & metum ſuſpenſi exitum hujus conventus ordinum expectamus. Sunt, qui bene ominantur, & quavis conditione cum Gallis noſtros deciſuros exiſtimant, ut imminentis tempeſtatis diritatem a noſtris avertant capitibus. Sunt, qui ajunt, legatum Gallicum abitum adornare, ni ad foederis iciendi leges patres deſcendant. Quin & rumor hîc diſſeminatur, Regem Galliarum petiiſſe a Praefecto Regis Belgicae Hiſpanicae facultatem exercitum per ejus fines ſine noxa traducendi. Deus nobis otium praeſtet, & faxit, ut ſalutaria patriae conſilia capiant magiſtratus. Locum illum in Appulei Apologia pulcherrime reſtituiſti. Mea quoque pervetus editio, quam procuravit Joannes Andreae, Epiſcopus Alarienſis Venetiis anno CIↃCCCCXCIII. habet *Syrtis aeſtus & beſtias*. In locum Caeſaris quoque ſi incideris aliquando, eumque mihi ſignificaris, magnus cumulus accedet tuis elegantiſſimis, quibus me inſtruis, obſervationibus. In verſu 109. & 110. lib. 2. Triſtium haeret mihi etiamnunc aqua. Non infitior Ovidii patrem fuiſſe Senatoria dignitate conſpicuum, quod & illi verſus, quos ex IV. Triſtium attuliſti, oſtendunt, & nonnulli alii, ſed nec ſenatoria dignitas nobilitabat, nec quaeſtura, ſed magiſtratus curules, quibus ſolis licebat imaginem, ſignum nobilitatis, prodere, & in atrio ſuſpendere. Majores vero Ovidii in urbe magiſtratum geſſiſſe nullius antiqui ſcriptoris teſtimonio comprobari poterit. Sed licet geſſerint magiſtratum, qui tamen dici poteſt ejus domus nullius nobilitate minor eſſe, ſive nulli nobilitate ſecunda, cum videantur Romae fuiſſe noti homines, quamvis in municipiis ſuis fuerint, antequam Romam migrarent, nobiles. In reliquis tibi aſſentior. Vale, vir nobiliſſime & ſumme. Trajecti a. d. XXVI. Januar. CIↃIↃCLXXX. A noſtris ſalve.

EPISTOLA DLXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ACcipis hîc orationem, quam memoriae optimi & mihi cariſſimi *Burmanni* dicavi, quae ſi tuum fert punctum, reliquorum cenſorum notas non unius facit aſſis; nec tamen refugit miniatulas tuas ceras, quin id in beneficii ſummi numero habebit, ſi quae tibi diſplicent, quaeque improbabis, ſevere jugulaveris, ac nullius ei delicti gratiam feceris. Imaginem prodendi jus non habuiſſe equites mihi pro exploratiſſimo creditur. Poſſem hanc opinionem pluribus argumentis confirmare, ſed paucis erimus contenti. Cicero erat equeſtri loco natus, uti conſtat, & Aſconius praeter alios oſtendit in commentario orationis in toga candida. Ipſe tamen Tullius in Verrinis teſtatur ſe aedilem deſignatum adeptum eſſe antiquiorem in Senatu ſententiae dicendae locum, togam praetextam, ſellam curulem, jus imaginis ad memoriam poſteritatemque prodendam. Ante igitur aedilitatem, quamvis eſſet eques & ſenator, jus tamen imaginis non habebat. Jus enim imaginis idem eſt ac jus nobilitatis: hoc a magiſtratu proficiſcitur, quem qui non geſſit, ſive ſenator ſit, ſive eques, non habet jus imaginis prodendae, ſive in atrio ſuſpendendae. Equites ſimul ac provehebantur ad magiſtratus, amittebant dignitatem equeſtrem, & jus conſequebantur imaginem prodendi. Hinc Suetonius de familia Octavia narrat, eam fuiſſe duplicem. Alios Octavios functos fuiſſe ſummis honoribus, alios in equeſtri ordine conſtitiſſe uſque ad Auguſti patrem: ipſumque Auguſtum ſcripſiſſe, ſe nihil amplius, quam equeſtri familia ortum, in qua primus ſenator pater ejus fuerit. Sic Vellejus tuus prodidit Vinicium Calibus ortum, patre atque avo conſularibus, cetera equeſtri familia fuiſſe. Equeſtrem familiam appellat, in qua nulli fuerunt, qui magiſtratus geſſerunt. Non invitus agnoſco patrem Naſonis fuiſſe ſenatorii ordinis, quia cum fratre latum clavum ſumſit, quamvis etiam equitum filiis illa tempeſtate licuiſſe tunicam laticlaviam induere multis egregie docet *Albertus Rubenius* lib. I. de re veſtiaria cap 14. Perſuaſiſſimum itaque mihi eſt, equitibus non fuiſſe jus imagines aut ſuas aut majorum in atrio ſuſpendendi, quia illae imagines adſcriptos habebant titulos magiſtratuum geſtorum indices, ut conſtat ex Plinio & aliis. Quin vero in cubiculis, in annulis, in coenationibus, in tricliniis & in Muſaeis habuerint imagines & ſuas & amicorum tam equites, quam plebeii non infitias eo. Sed has non poterant jactare & venditare. In Tibulli loco nihil videtur a priſcorum librorum veſtigiis propius abeſſe, quam quod tu acute vidiſti, *Geſaeis tardent aut nuda Cayſtria campis*. Probo quoque vehementer tuam ſententiam & correctionem duorum aliorum verſuum illius panegyrici. Cydnus enim tanquam placidiſſimus fluvius ab omnibus deſcribitur. Bibliopola heri ad me venit, & tandem inveniſſe ſe fruſtra quaeſitos diu Annales, quibus adjici volebas Chronicon Aventini.

tini. Ii ſunt annales Henrici Monachi a *Chriſtophoro Gewoldo* editi, & Gerhardi de Henrici Leonis rebus geſtis Hiſtorica narratio a Meibomio luci data, ut & *Meibomii* Bardevicum. His credimus te velle attexi Chronicon iſtud Aventini. Sin aliter cenſes, mature monendus per me eſt bibliopola. Addidi hic indicem opuſculorum *Sirmondi*. Tomo primo continentur Anaſtaſii bibliothecarii collectanea, opuſcula dogmatica veterum quinque ſcriptorum, appendix Codicis Theodoſiani, Fulgentii librorum contra Fabianum excerpta. Secundo tomo continentur Aviti Viennenſis opera. Euſebii Pamphili opuſcula, Theodulfi Aurelianenſis opera. Tomo tertio habentur Rabanus Moguntinus de praedeſtinatione, Rufinus Palaeſtinus de fide, Servatus Lupus de tribus quaeſtionibus, Hiſtoria Praedeſtinatiana, Hiſtoria poenitentiae, Antirrheticus de Canone Arauſicano, Antitriſtani duo, Quaeſtio triplex. Ex Anglia perlatum eſt prodiiſſe tandem *Voſſii* diſſertationem de Sibyllis, & LXX. Verſionem ad optimum exemplar emendatam. Epiſtolam *Ortwynii* expecto. Vale, meum decus, & a meis omnibus ſalve plurimum. Trajecti d. III. Febr. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DLXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HAs litteras, quas meis addidi, ſpero laetos tibi nuncios laturas de Schotiana auctione. Nam cum illis ſimul ad me perlati ſunt & fiſci viminei & faſces librorum ſatis grandes, ut vel ex κομίστρῳ colligere licet. Pendendi enim nautis fuerunt quatuor denarii, quod non tantum ideo hîc adſcribo, quia ſic juſſiſti, ſed & ut inde conjicias, quanti ponderis ſarcinae libris deſideratis refertae tibi ſint expectandae. Mittam autem proximo Saturni die, cum veſter nauta ſolvet. Pro Valerio Flacco tuo gratias ago maximas. Fuit is poëta mihi olim in deliciis, ſed nunc, quia tuo pumice eſt expolitus, tanto mihi erit carior. Typographorum negligentiam non poſſum quin & ipſe execrer, cum Florum meum inſpicio, tanta mendarum foediſſimarum multitudo oculis meis ubique ſe ingerit. Hodie demum Amſterodamo perlata ſunt, quae deſiderabantur, ne poſſet edi. Nunc committetur bibliopegae. Brevi videbis exemplar. Sequente hebdomade forte Hagam hoc ipſo die petam. Auctarium catalogi Uchtmanniani hîc non habetur. *Juſto lenior* apud Vellejum ſane longe praetulerim edito, quod quamvis poſſit exponi, videtur tamen valde inſipidum eſſe. In praefatione tua video laudari Pericula Critica *Piccarti*, in quibus ſaepe mentio fiat codicis Erfurtenſis, ſed vereor, ne te tua fefellerit memoria. Nam in cap. 22. emendat quidem ſemel iterumque Valerium, ſed non Erfurtenſis, verum ſui libri mentionem facit. *Zinzerlingius* autem cum in promulſide Critica, tum in notis ad Valerium ſaepius illius libri Thuringici meminit, qui forte pro *Piccarto* erit ſupponendus. Locus Propertii lib. III. El. 3. egregie firmat tuam conjecturam, quae deterget epigrammati primo tur-

pem maculam. Sed in Auſonii Idyllio, vereor ut *gyro* locus ſit in illo, quem profers, verſu. Non enim video, quid ad ſententiam faciat ibi haec vox. *Inde vigor aeternaque rerum Mobilitas gyroque manet.* Quid ſibi vult *gyroque?* cur additur copula? Videtur *Vineti* emendatio non ſpernenda. *Inde vigor vireſque manent.* *Defecta heſternis coronis herba* valde placebat, ut & *non minore animos ac ora Marone*, ſed quae ad iſtas emendationes fundandas afferebas, ea effluxerunt ex mea memoria, quae ſi in eam revocare volueris, ubi erit otium, plurimum tibi debebo, ut & quae de ſimulacris heroum coelo adſcriptorum apud inferos te docte audivi diſputantem. Vale, vir excellentiſſime, & me ama. Trajecti a. d. IV. Februar. CIƆIƆCLXXX. Proximo Saturni cum tuis libris videbis quoque diſſertationes Academicas *Leidekeri*, quas tibi mittendas mihi tradidit. A te proxime diſceſſi tot rebus pulchris refertus, ut nihil mihi longius ſit, quam ut te reviſam. Iterum vale, lux mea & patriae tuae. *Perizonius* mirum in modum a te contendit, ut eum commendes accurate & diligenter *Spanhemio.*

EPISTOLA DLXXXVI.

JOH. GEORG. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

De *anda Cayſtria* & *Creſeis campis* tibi ſuffragor. Nihil propius accedit ad priſcarum membranarum lectionem, nihil videtur appoſitum magis ad illius loci ſenſum. Cogis me quoque reluctantem fere in tuam ire ſententiam de altero loco in illo Epithalamio. *Minyaſin* Scaligeriana emendatio & propter ſyllabarum modum, & auctoritatem Ovidii, & formationem hujus vocis alienam a ratione & conſuetudine Latinorum poëtarum, quibus *Minyeides* dicuntur, aut *Minyeiades*, ferri nullo modo poteſt. A ſcriptura vera codicum veterum nihil propius abeſt, quam *Aemoniſin*, quod tu ſollertiſſime inveniſti. De *Doricis* quoque *choreis* recte vidiſti. Nec video, cur *Doricus* pro Graeco minus poſſit dici, quam *Pelaſgus*, aut Ἕλλην. Fuerunt omnes Theſſaliae populi, quae mater eſt omnium Graecorum. Ἕλληνες, ſic dicti a Hellene Deucalionis filio, tempore Homeri dicebantur tantum Phtiotidis incolae, cujus rex erat Achilles, reliqui Graeci nondum hoc nomine appellabantur. Hellenis filius fuit Dorus, qui tenuit illam Theſſaliae partem, quae ſub Oſſa & Olympo monte ſita fuit, poſtea cum Cadmei illos expellerent, occuparunt Pindum, ex Pindo migrarunt in Dryopidem, ex Dryopide in Peloponneſum. Hinc omnes Peloponneſii dicti ſunt Dores, & Dorienſes. Juſtin. 11. 6. *Erant inter Athenienſes & Dorienſes ſimultatum veteres offenſae.* Hinc *Doricus* pro Graeco. Proprie autem in Catullo *Dorus* pro Theſſalus. *Dores* enim antiquiſſimis temporibus coluerunt Theſſaliam. De reliquis proxime. Nunc interpellabar denuo invitus. Vale, praeſidium & dulce decus meum. Trajecti d. VI. Febr. CIƆIƆCLXXX.

EPI-

EPISTOLA DLXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

JAm redeo Amersfurto, quo praeterito die Saturni, invitatus cum ab aliis amicis, tum a *Bynaeo* noſtro, qui pertaeſus ſolitudinem puellam nec invenuſtam, nec indotatam, morum ſane optimorum, domum ducet cis tres quatuorve dies, excurri. Pertuli huc tabulam aeream, cui infixa eſt imago *Danielis Eremitae*, quam ibi ſervat virgo, Eremitarum nomen ferens, quippe cujus parentis patruus fuit elegantiſſimus ille *Daniel*, cujus panegyricum nuper apud te vidi. Chartis eam jubebo imprimi, & te expectare unum atque alterum exemplum. Sed *Eremita* tuae me admonet imaginis, quam aere deſcribi poſteritatis intereſt. Noli, quaeſo, hanc curam differre, & longius debere & nobis, & ſeris nepotibus tui oris imaginem, qua ſcis paſci oculos τ͂ χαριέντων, ut animi paſcuntur tuis immortalibus ſcriptis. Non deſinam quotidiano quaſi convitio hoc a te flagitare officium, nec tu, qua es ſuavitate & facilitate, nobis invidebis hanc voluptatem, quam capturi ſunt omnes ex tui primarii hujus temporis viri conſpectu. ϗ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Emendationem in Floro, quam nuperius mecum communicaſti, non potui mihi probare, quamvis totus in illa examinanda fuerim. Non enim videntur hanc ſententiam ferre praecedentia, in quibus oſtenderat Florus Antiochum fuiſſe ducem ignaviſſimum, & ineptiſſimum, qui nihil egerit pro duce legitimo, dein ſubjicit, ut tamen ducem aliqua ratione videretur agere, delectum habuit puellarum. Quid facies τῷ *aliqua*, ſi *degenerare ducem* leges. Praeterea, ſi ante quicquam feciſſet dignum duce, poſſet forte ferri *degenerare ducem.* Sed tamen *ne non* quoque reſpuit hanc ſcripturam. Nullus dubito, quin, cum accuratius hunc locum perpenderis, ipſe ſis iſtam opinionem damnaturus. Si ſcribes Amſterodamum, rogo, ut ex proxima auctione, cujus catalogum apud te vidi, mihi jubeas emi Euſtathii Hexameron Allatii, ſi haberi poteſt duobus florenis & decem obolis. Vale, Vir nobiliſſime & me ama. Noſtri omnes te ſalutant. Trajecti Batavorum d. XVII. Juni CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DLXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri veſperi redii rure, confectis non quidem ex ſententia, ſed ut potui, negotiis, quae mihi erant mandata. Etſi, quod ſcriberem, non invenirem, cura tamen & ſollicitudo de tua valetudine me non ſivit hanc diem ſine litteris ad te praetermittere. Perſuaſum quidem habeo, te melius habere quam putabamus,

mus, quia nullam in noviſſimis tuis litteris mentionem facis valetudinis. Metum tamen nobis incuſſerat tabellarius, qui manu te captum eſſe nobis narrabat: ſed ſperamus, te his moleſtiis brevi fuiſſe defunctum. *Joannes Voetius*, Paulli filius, Gisberti nepos, vocatus eſt Lugdunum ad interpretationem juris legumque Romanarum publicam, eoque ſe iturum, & nullis praemiis & conditionibus retineri poſſe in urbe patria prae ſe fert, quod de ejus, credo, ſalute deſperet. Lugduni diem obiit *Uchtmannus*, *Iſaaci* noſtri adverſarius. Hanc Spartam amici Leidenſes deſtinant noſtro *Leuſdenio*. Vides me defici argumento, qui ad te ſcribam, quae tua ſcire non pluris intereſt, quam quid Serum Rex nunc meditetur & gerat. Libet tamen tecum fabulari epiſtolis, donec coram mihi licuerit effundere in tuum ſinum, quicquid aut juvat, aut urit. Ex Anglia quid hae litterae ſint ad nos perlaturae, expectant plurimi avidiſſime. Cum nuperrimae exararentur, res erant perquam turbidae, videbanturque brevi erupturae in atrox aut bellum, aut unius alteriuſve primorum perniciem. In Regis enim urbiſque cuſtodiam dicebantur coiiſſe quadraginta millia civium Londinenſium, quorum decem millia diu noctu & regiam & portas viaſque urbis praecipuas circumſideant, ne, ut ajunt, infeſtetur a rerum novarum cupidis. Sed de his tu certiora, credo, habes. Vale, ingeniorum & amicorum Princeps. Trajecti XII. Jun. CIϽIϽCLXXX.

EPISTOLA DLXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EX heſterna hyeme & procellis ſalvum abſtulimus caput, ſuavitas fabularum epularumque tuarum, quibus etiam, cum a te diſceſſiſſemus, paſcebamur mirifice, omnis diſcriminis omniumque triſtium rerum cogitationem ex animis noſtris, qui toti erant in te defixi, deleverat. Vide tu vero quid tibi moleſtiarum & incommodorum arceſſieris. Incredibilis illa voluptas, qua nos perfudiſti, diu nos non ſinet carere tanto & tam deſiderato bono. Vix pedes poſſum continere, quin ad te ſe referant, nec ſane diu poterit iſte curſus reprimi. Si hunc non multi joci, ſed multi cibi hoſpitem vis a tuis aedibus arcere longius, noli inpoſterum tam prolixe illum invitare, & tot ſuavitatibus cumulare. Quod ſi tu ab ingenio hoc non receſſeris, ſed inpoſterum quoque tot rebus jucundis onuſtum dimiſeris domum, nullus paraſitus unquam tam arcte regi ſuo adhaeſit, quam tu me tibi videbis adglutinatum. Niſi igitur velis inter neſapios, ut cum tuo loquar Petronio, numerari, cave in poſterum tam impudentem muſcam tam laute accipias. Mitto tibi apocham bibliopolae, qui in remittendis libris tuae poſt haec obſequetur voluntati. Afferet tabellarius etiam libros Lugduno miſſos tibi a Schultingio. Hodie dum loca variorum ſcriptorum, de quibus egimus heri, conſidero, video *Venis* apud Statium occupaſſe *Barthium* ex MSS. & *Meurſium* in Miſcellaneis Criti-

cis

cis ex conjectura. Si non grave fuerit tuae valetudini, rogo, ut loca Apuleji & Caeſaris de Eteſiis mihi ſignifices, ut & de *mali Corio* quae diſſerebas Nihil enim Reineſium & *Schefferum* annotaſſe video. Vale, virorum prime. Trajecti XIX. Jun. CIƆIƆCLXXX. Noſtri omnes tibi ſalutem dicunt. Thuanaeus catalogus poterit aut inſeri libris, quos Strickio mittes, aut meum apud te praeſtolari reditum.

EPISTOLA DXC.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOndum tot tuis amantiſſime & elegantiſſime ſcriptis licet reſpondere omnibus. Sed haec pauca nunc delibabimus, cras, ut ſpero, cetera expediemus. Non diſplicet in Catullo LXIV. 290. *laetanti platano*, cum in Oxonienſi inveniatur *lutanti*. Equidem *nutanti* tolerari hîc non poteſt propter rationes, quas *Scaliger* jam edidit. Nec video quid propius abſit a libris priſcis tam editis, quam manu exaratis. *laetanti* tamen mallem referre ad luxuriem frondium, quam ad genialem ſub illa comeſſatorum laetitiam, quam ex ejus umbra capiebant, ut apud Martialem IX. ep. 61. de platano:

Crevit & effuſo laetior umbra mero.

Et Virg. I. Aen.

Lucus in urbe fuit media, laetiſſimus umbra.

Et Georg. II. *dum ſe laetus ad auras*
Palmes agit.

Quid ſi & vulgata poſſit defendi, quia *platanum altam* dixit Horat II. od. II.

Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes, ſic temere.

lenta alnus rectum puto, ut *lenta ſalix* apud Virgilium. In Propertii libro II. El. 25. 91. valde placeret *mulſa*, ſi ullius elegantioris ſcriptoris auctoritate poſſet muniri hujus vocis uſus. Non inficior *mulſam aquam*, *mulſum vinum*, *mulſum acetum* reperiri apud veteres. Nec nego a *mulceo* derivari. Sed uſus tamen obtinuit, ut tantum de aqua, vino, aceto melle temperato accipiantur. Si exemplum eſſet in promtu, ut, ſicut dixerunt *mulcere*, & *permulcere genas*, *vulnera*, ſic & Romanos dixiſſe *mulſas genas*, *mulſa vulnera*, viceris. Locum eſſe mendoſum tibi credo, ſed quomodo labes iſta detergeri poſſit, nondum video. *Fleta* mallem, niſi nimis longe haec vox recederet a ſcriptis libris. Ampliandum duco. *Mulcere vulnera*, eſt quod Statius appellat *fovere vulnera*, Juſtinus *tractare vulnera*. *Jus prodendi imagines* non ſpectat tantum pompam funebrem, ſed etiam facultatem ponendi eas in atriis. quia *jus imaginis*, idem eſt quod *jus nobilitatis*, quod in eo praecipue conſiſtebat, quod qui hoc jure fruebantur, poterant imagines in atriis dedicare, quas poſtea promebant in exequiis. Cedo vel unum locum, ac exemplum, ex quo conſtet

equiti aut etiam patricio, qui aut ipſe, aut cujus majores nullos geſſerunt curules magiſtratus, qui habuerit vel ſuam vel parentum imagines in atriis poſitas. Quibus licebat in atriis eas habere, iis etiam licebat illas in publico oſtentare. Non mirum autem, Ovidium equitis filium uſum eſſe tunica laticlavia. Nam, quod Iſidorus in Originibus ex antiquo ſcriptore prodidit, licitum erat Romae equitum filiis laticlavia tunica indui ad ſenatoriam aetatem, ad quam cum perveniſſent, nec adſpirarent ad ſenatoriam dignitatem, ne a cenſoribus ac poſtea imperatoribus adſcriberentur patrum ordini, cogebantur latum clavum deponere, & anguſto contenti eſſe, quod firmat iſte locus Ovidii. *curia reſtabat.* Simul ac vero ad ſenatoriam dignitatem evehebantur, amittebant equeſtrem, quod pluribus oſtenderem, niſi id jam ante docuiſſent viri docti. Cum crepat *magna nomina*, ſignificat ſe ſplendidorum ac Illuſtrium equitum ex antiqua familia ducere ſanguinem. Hinc & *celſi Rhamnes* dicuntur. Horat.

Celſi praetereunt auſtera poëmata Rhamnes.

De ceteris proxime. Idem peccatum deprehendi in meis catalogis, quod hodie emendavit Ribbius. Poſteriorem catalogum ſubodoratus ſum eſſe illum, cujus ſpem nobis faciebat *Schultingius*. Prior illius bibliothecae pars nuperius fuit vendita. Id deprehendi ex Logica *Burſii*, quam nullius emtoris mihi eripiet inſania, quia ad Tullianam editionem ea opus habeo. Spero tuis in forulis quoque conſpici Gyneciorum auctores, quos impenſe deſidero. Si quos vidiſti rariores, quos tu jam poſſides, ſignifica, quaeſo. Tuus faſciculus Leidam jam curatus eſt. Sphalmata typographorum in oratione mea ſi mihi oſtenderis, cum ad vos venero, nam in illis praetervidendis nimius ſum, plurimum tibi debebo. Vale, lux mea, ſeculi decus. Trajecti d. XIV. Februar. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DXCI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUnc reliqua detexam, in quibus nuper, intercedentibus negotiis, mihi fuit ſubſiſtendum. In vexatiſſimo illo & conclamato Naſonis loco,

Nec te decipiant veteres quinquatria cerae,

Longe praefero tuam conjecturam noviſſimam veteri. Nihil pro iſtorum, quos tu aliique inſpexiſti, librorum ſcriptura potuit aptius excogitari. Sententia ſane tunc non laborat. Sed in ſequente diſticho nihil moveam, invitis utique membranis.

Qui, quia pulcher erit, poſcet ſine munere noctem,
Quod det, amatorem flagitet ante ſuum.

Noli propterea pulchro noctem dare, quia pulcher eſt, ſed illum rejice, & dic, ut ante ſuum flagitet amatorem munus, quod ad te ferat, quam noctem prae-

praeſtes. Hoc quoque praeceptum eſt lenae, quo puellam inſtruit. Sed nec ſequentia *captos legibus ure tuis* videtur interpolandum. Cum amatoribus retia tendis, ne fugiant, noli nimium poſcere, ſed cum jam illexeris, ut amore tui flagrent, tum legibus tuis utere, hoc eſt, tum variis artibus illos argento emunge, quas artes inferius docet impuriſſima lena. Quae ſunt illae leges amatorum, quibus capti urantur, praeſertim cum de pretio noctium agatur? Huic loco plane non conveniunt illa, ubi oſtendit fallendos eſſe. Sed hîc agit de arte ineſcandi novos recenteſque amatores. Cum vero ineſcati & capti ſunt, poteſt pretium intendi, & tuis legibus, illos urere. Mihi equidem ſenſus loci non videtur ferre *legibus ſuis*. In loco vero Lucani, in quo ſubſtituis pro *Aemonium Aeſonium* rem acu tetigiſti. εὖγε, καλῶς, σοφῶς. In Vellei Paterculi lib. II. cap. 25. certe legendum eſt, *dum vincit acie juſtiſſimo lenior*. cap. 74. tibi quoque ſubſcribo, ut & in cap. 86. *conflictari dementia* Latini dixerunt, non *jactari dementia*. lib. I cap. 10. *cogitatione*, quod in veteribus membranis habetur, omnino retinendum. Sed in cap. 18. libri II. omnino mallem & ipſe τὸ *ſe* non interponi. Nam *addici conſulatus*, *&* *provinciae*, venuſtiſſima tranſlatione a debitoribus petita, qui proprie dicuntur *addici*, cum in nexum debitoribus adjudicantur, dicuntur *conſulatus & provinciae addici* illi, cui traduntur adminiſtrandae, & vexandae. Juſtinus lib. XXII. 3. *nunc inſuper civitates ſociorum eodem titulo pacis addictas*. Alia memini exempla notaſſe, ſed quae nunc non ſuccurrunt. Multum te amabo, ſi loca in oratione obſcuriora vel mea vel typographorum vitio mihi indicaveris. Nam nihil aeque odi ac obſcuritatem. *Fatini* filiolae ut tantos in ſtudiis ſeverioribus progreſſus gratulemur, rei novitas videtur poſtulare. Excute ingenium tuum. Profecto ſi mihi tam propitiae Muſae eſſent, ac tibi ſunt, Panegyricus jam a me pangeretur. *Wolzogius* tibi ſalutem dicit. *Francius* ad ſanam mentem rediit. Te valere volo & me amare. Noſtri omnes amantiſſime te ſalutant. Vale, Princeps amicorum. Trajecti d. XV. Februar. CIƆIƆCLXXX. Has ſcripſeram heri, cum tuae ſuaviſſimae mihi redderentur: ad quas proxime reſponſum habebis. Epiſtolam tuam una cum mea mater *Schultingii* hodie ad filium perfert. Huc enim tranſit heri Neomago veniens.

EPISTOLA DXCII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EXoſculor tuam emendationem in epigrammate 62. lib. IX. Martialis, rogoque, ut & de *heſternis coronis* me doceas. Nam illud diſtichon non magis intelligo, ac carmen quoddam Saliare. Aveo quoque de Propertii loco, de Virgilio loquente, tuam audire ſententiam. Nam & hîc caecutio. *Vulnera mulſa* feram, donec aliquid aptius ſuccurret. Valde probarem, ſi veteres in hac notione id accepiſſe vocabulum conſtaret, aut ſi id in antiquis extaret membranis.

Nunc ex ſola conjectura vocis inuſitatae reſtitutionem vereor ut probaturus ſis elegantioris ingenii hominibus. Non nego, quaedam reperiri apud ſcriptores vetuſtiores, quae adverſantur praeceptis noſtrorum Grammaticorum: ſed illa hauſta ſunt ex veteribus libris, quamvis & ſint, de quibus jure dubites. In ceteris tibi ſubſcribo. Non diſplicet *platanum altam* dici Horatio, ne referatur ad platanona. Catalogus Altingianus nondum ad nos perlatus eſt, ſaltem *Ribbius* ſe vidiſſe negat. Rumores de Suecico bello civili conſileſcunt. Cras aut perendie cognoſcemus, num *Burſii* dialectica nobis ſit addicta, & Gynaeciorum ſcriptores. In his tamen emendis tibi non obluctabor. *Burſii* dialectica eſt ille ipſe liber, qui ante hos ſex ſeptemve annos *Hackii* negligentia mihi ſubductus eſt ab iſto homine, cujus nunc libri venduntur. Saepius per *Elzevirium* omnem movi lapidem, ut fugitivum retraherem, ſed laterem lavi. Noviſſime cum machinas omnes admoveret *Hackius*, ut bonum virum expugnaret, mentiebatur librum iſtum in Friſiam fuiſſe delatum. Sed nunc fraus & fallacia in aperto eſt. Habui hiſce diebus a *Magliabeckio* litteras, quas tibi legendas mitto. ut eas quamprimum recipiam, rogo. Amicus Pariſienſis ſignificat Luxemburgium Ducem damnatum eſſe, ut in ultimis regni Gallici finibus in eodem carcere, in quo *Fulquetus* cuſtoditur, omnem aetatem exigat. Magiſtra veneficarum *Voiſina* viva eſt combuſta. Vale, virorum maxime, & ſalve a noſtris omnibus. Trajecti d. XVIII. Februar. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DXCIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ETſi quod ſcriberem, non invenirem, ſollicitudo tamen de tua valetudine me non ſinebat diutius tacere. Nam ex tuo ſilentio facile mihi colligere licet, quibus conflicteris moleſtiis & doloribus, qui non poſſunt non meas quoque imas fibras & medullas perurere. Angor ſane cruciorque dies ac noctes, nec ante potero ad aequitatem animi revocari, quam te melius valere intellexero. Niſi me remorata eſſent varia, quae nec opino huic capiti incubuere, heri te vidiſſem. Nam plane tui deſiderium non fero. Ante proximum tamen ſolis diem vix mihi licebit abeſſe domo. Tum vero nihil me retinebit, niſi quid intervenerit fatale, cujus impetum nemo poteſt declinare. Fac, quaeſo, ut intelligam interea, quo loco ſit tua valetudo. Si ipſe non potes vacare ſcriptioni, jube tuos tribus tantum verbis nos docere, quomodo te habeas. *Burſii* dialectica mihi addicta eſt undecim obolis, cui pretium ego dixeram duodecim florenorum. Pertinuit iſte liber olim ad tuum parentem, cujus nomen prae ſe fert. Habeo nunc, quibus τὸ *mulſa* apud Propertium poſſum tueri, ſed neſcio, quo animo haec ſis lecturus. Differo igitur in tempus, cum aut te videro, aut audiero firmiorem eſſe, cum dolor non obſtabit auribus. Vale, aeternum patriae, ſeculi, & meum decus, & ſervi valetudini, ut quamprimum recreeris.

Tra-

Trajecti d. XXVI. Februar. CIↃIↃCLXXX. *Beuningium*, ajunt Curatorem Leidenſem futurum & quidem brevi. Quod utinam fiat! Tum remis nobis veliſque contendendum eſt, ut *Perizonio* decernatur cathedra illa. Nam *Leuſdenio* noſtro multi quidem favent Profeſſores, ſed Curatorum praecipuus, noſter Neomagenſis *Thaltybius*, ſtudet *Brunio* Neomagenſi, alii aliis, ut nondum ſpes omnis decolarit.

EPISTOLA DXCIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

REvixi, cum tuam manum vidi. Deoque gratias egi, quas potui, maximas, cum te doloribus his levavit. Non deſinam precibus eundem ſollicitare aſſiduis, ut vires proſtratas tibi reficiat brevi. Ille neceſſarius noſter, qui nos nuper nec opinos retinebat, eſt *Weyerſtraſſius* οἰνοπώλης, civis meae uxoris. Ejus uxor pepererat pridie. Me citabat teſtem ſacri lavacri, quo tingendus erat puer. Non licebat detrectare hoc officium. Gynaeciorum ſcriptores mihi ſunt addicti. Ne enim ulla ratione mihi illos pateretur elabi, rogoveram *Schultingium*. Sunt optime habiti. Prae ſe ferunt imaginem & nomen *Ludovici Nonii*. Sed ſcis nihil mearum rerum tibi & in tuos uſus clauſum eſſe. In Catullo probavi adhuc Scaligerianam emendationem *o patrima virgo*. *Iſaacus Voſſius*, niſi fallor, malebat *o patroa virgo*. Tu, ſi quid vidiſti rectius, imperti. Apud Propertium plane nunc *mulſa* probo. Nam apud Catullum in epithalamio Thetidis habetur *permulſa*

Queis permulſa domus jucundo riſit odore.

Si illi licuit *permulſus* uti, quid cauſſae eſt, cur non & *mulſus* liceat dicere? Habes hîc duos catalogos. Altingianus hîc non reperitur. Miſſus mihi fuit Amſterodamo. Ipſe mecum eum referam, cum te videro. *Perizonii* negotium curae nobis ſit. Sed de his coram. Vale plane, ut te incolumem & laetum reperiamus, modo hi venti conſileſcant. Iterum vale, & a noſtris ſalve. ὡς τάχιστα. Trajecti d. XXVII. Febr. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DXCV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

CUm hodie nihil a te litterarum vidi, mirifice commotus ſum. Vereor enim, ne recidivis doloribus infeſteris, quod Superi malum averruncent. Novi nihil. Hic faſciculus heri perlatus eſt ad nos. Si tantis incrementis tuam augebis bibliothecam indies, ut nunc facis, non modo regum, Alexandrinorum & Pergamenorum opes aequabis tua copia, varietate, bonitate, & rari-

raritate, ſed & vinces longe. Sed de his hactenus. Hodie mane de Hagenſi itinere cogitanti ſubit, te conſulere, an non e re mea putares eſſe, ut *Selemius* ante certior fiat de hac dedicatione, & an non hac via poſſit aliqua militia in hac dioeceſi dicata tutelae virginum pro filia natu maxima, aut filio impetrari. Nam in talium, ut loquuntur, beneficiorum remuneratione non eſt difficilis ὁ πάνυ. Meae frontis imbecillitas non ſinit, me hanc meam cauſſam agere. Novi te unum omnium ſtudioſiſſimum eſſe meorum commodorum. Si conſultum ducis hoc nobis, ſique vales, ut officio poſſis vacare, auderem ſperare, te mihi epiſtola ad Selemium data viam muniturum, & exploraturum quaſi num quae ſpes ſit ſecundioris eventus. Peſterus, qui Principi Sereniſſimo eſt a libellis ſupplicibus & conſiliis, mihi favet olim, nec male mihi vult Selemius. Si *Dyckveldius* adeſſet, nullus dubito, quin ſociaturus eſſet cum iis vim ſuae gratiae, ut votorum damnaremur. Ignoſce meae confidentiae, qui tam libere de hiſce negotiis quaſi domeſticis tecum colloquor. Scis me alioquin ab iſtis deſideriis eſſe alieniſſimum. Sed hanc occaſionem non putavi negligendam, ſi forte liberorum commodi aliquid poſſet expediri. Si tu damnas hoc conſilium, noli quicquam de hac re mihi reponere, ſi grave tibi fuerit, ſed occine aliquid de ſimulacris heroum apud inferos, & ore ac ſpiritu Virgilii. Deum precor, ut te diu ſalvum & incolumem ſervet. Trajecti d. VII. Febr. CIϽIϽCLXXX.

EPISTOLA DXCVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Libros Leida perlatos hodie credidi fidei veſtri nautae, & cum eo conſtitui, ne pro mercede plus denario exigeret, quod & fronti litterarum inanium quas adjeceram libris, inſcripſi. In auctione Schotiana ne unus mihi ceſſit, credo nimis tenue pretium me illis poſuiſſe, quos mihi vindicatos cupiebam, codicibus. Deſiderium tamen meum tua copia leniet, ſi Lydi illius, qui Theophraſto Baſilienſi eſt adjectus, mihi copiam feceris. Gaude tu tot alios raros tibi addictos eſſe. Nam heri ex *Hildesbergio* Amſterodamenſi cognovi eſſe Amſterodami homines pecunioſos, qui & ipſi inſidiati ſint his rarioribus Mathematicis. Illi forte tibi eripuerunt Commandini opuſcula, & Apollonium Maurolyci. Is quoque mihi narravit bibliothecam illam, quae ante unum alterumve menſem praeconi ſubjiciebatur Amſterodami, & in qua rariores antiquarii Itali habebantur, fuiſſe illius *Reinſtii*, qui diu Venetiis egerit, & ibi plurimas ſtatuas, picturas, aliaque antiquitatis monumenta collegerit, quae olim ipſi vidimus. Plurimos autem libros ſe & *Benteſium* ſenatorem Amſterodamenſem emiſſe. Ex illo quoque primum intellexi *Thomam Pinedam* Luſitanum, qui Stephanum edidit de urbibus, ante hos duos menſes diem obiiſſe, comites illos Luſitanos, qui ad me litteras dederunt, eſſe adoleſcentes primarios, quorum pa-

parens primum gratiae locum teneat in aula. Novam mihi ſollicitudinem injicis, cum de infida valetudine & recidivam minante ſcribis. Deus avertat hanc peſtem a cariſſimo mihi capite, & faxit, ut firmus valenſque tandem perpolias, quorum deſiderio reſpublica litteraria tamdiu torquetur. Si tempeſtas fuerit ſedatior, cras te videbo, ſin hyemabit, ut nunc, differam in alium diem. *Ryckio* ut faſciculus iſte tradatur, providebo. Vale, meum decus. Trajecti VI. Mart. CIↃIↃCLXXX. ὡς τάχιςα. Noſtri te ſalutant. Friſii pro foedere cum Gallis ineundo, ut & Groningani acriter contendunt.

EPISTOLA DXCVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

INcredibiliter doleo infeſto impetu te repetiiſſe illam malam & hominum exitio natam Divam, quae ut quamprimum in Morboniam, unde infauſtum attulit, referat pedem, Superos fatigabimus quotidianis precibus. Negotium Hagienſe hanc ob cauſſam non videtur poſſe in reditum *Dyckveldii* differri, quia bibliopola non patietur longius editionem hujus libri protrahi. Vix potui ab eo impetrare, ut fidem daret, ne alii eum prius venderet, quam Principi Sereniſſimo eſſet redditus. Qua ratione potero illum retinere, ut unum expectet menſem aut duos? Hodie litteras habui a *Peſtero*, ad quem pridie ſcripſeram de hoc negotio, perquam humanas. Promittit ſe cum *Selemio* acturum, & mihi ſignificaturum, num mihi Hagam ſit proficiſcendum, an vero ipſi ſoli hoc negotio poſſint fungi. Non nullam ſpem quoque facit deſideriorum implendorum. Doleo ſane *Dyckveldium* abeſſe, & te morbo confectum jacere. Si paullulum incitaretur *Selemius*, forte in portu navigaremus, niſi verius eſt, Sabinos, quod volunt, ſomniare. Nunc quod ſcriberem, aliud non erat. Vides igitur me nugari, & vereor, ne nugis iſtis tuas augeam moleſtias. Vale, amicorum & ingeniorum princeps. Trajecti d. IX. Mart. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DXCVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TUA infirmitas me dies noctesque ſollicitat, cujus certiſſimum argumentum eſt hoc ſilentium. Tu enim, cum vales, litteris ſcribendis omnium diligentiam vincis. En tibi catalogum, qui hodie mihi Daventria miſſus eſt. Habui quoque litteras a *Peſtero* hodie alias, quibus ſignificat, ſe de mea cauſſa cum *Selemio* egiſſe, qui auctor mihi ſit, ut ipſe S. P. Florum offeram, itaque conſtitui cras in ſcapham Hagenſem, quae hora quarta pomeridiana ſolvit, me recipere. Vellem tuis mihi ante meum diſceſſum licuiſſet frui ſermonibus &

con-

conſiliis, ſed domo pedem efferre me non ſiverunt variae, quibus cum maxime premor, occupationes. Si quid tamen ibi velis effici tibi, huic homini manda. A *Schnabelio* hodie litteras accepi, qui ſignificat Liberatum Diaconum tibi eſſe paratum a ſe. Si D' Acherii ſpicilegiorum tomos priotes miſeris ad *Elzevirium*, juſſeriſque, ut quamprimum curentur ad bibliopolam, cum quo illi commercium intercedit, idque ex nobis intelligat, quando & ad quem miſſa ſint, promittit *Schnabelius*, ſe procuraturum, ut pro tot prioribus tomis poſteriores recipias. Vide igitur, ut quamprimum hi libri eo deportentur, antequam *Schnabelius* cum noſtris oratoribus diſcedat. Bibliothecae Thuaneae emtorem ait inventum, qui eam licitetur decem millibus imperialium nummorum, ſeu viginti quinque millibus florenorum noſtrorum. Cui addicetur, niſi brevi animoſior emtor ad hanc tabulam acceſſerit. Vale, & fac ſciam, ut valeas, ſi me vis valere. Trajecti d. x. Mart. CIϽIϽCLXXX.

EPISTOLA DXCIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Litteras, quas XIV. d. hujus menſis exararas, heri ad nos pertulerunt, quibus eas commiſiſti, & mihi reduci reddiderunt. Exilui tua manu viſa, indice valetudinis ſi non optimae, melioris ſaltem, quaeque ſpem nobis faciat fore, ut propediem confirmeris. Salutem tibi dicunt viri nobiliſſimi *Sulichemus* & *Selemius*, apud quem pranſus ſum praeterito die Saturni. Veſperi admittebar ad Principem Sereniſſimum, qui me perquam comiter & humane excipiebat, de quibus aliquando coram. Hodie annuum magiſterium hujus Academiae mihi creditum eſt. Faxit Deus, ut ei ſalutare ſit & laetum. Propertii in loco probo:

Huc animae porta corpus inane ſuae.

Vix enim mihi perſuadere poſſum *Porthmeu* ſcripſiſſe Propertium. Scis Satyricis uti vocibus Graecis & nonnunquam obſoletis, quas reſpuunt poëtae caſtiores. Praeterea deſidero exemplum, ubi *corpus* ponitur pro ſimulacro corporis. Nullum enim nunc ſuccurrit. Cetera ſunt erudita & perquam elegantia. E catalogo Daventrienſi ut tibi cedant, quos optaſti, mihi erit curae. *Schnabelius* quoque ex me intelliget, quid de D'Acherianis tomis mittendis conſtituerimus Catalogi Lydianae bibliothecae omnes ſunt praeterito die Saturni dſtracti, ut ipſius copiam mihi fecerit demum in uſum unius alteriuſve diei *Leideckerus*. Quare fac, ut propediem ad nos remittatur. Cum bibliopola illo mihi nihil eſt commercii. Hinc nullum mihi miſit exemplar. Cum vero domo abfuerim, ipſe petere non potui. Interea alii in pauca, quae huc miſſa ſunt, involarunt exemplaria. Vale, decus & praeſidium unicum. Trajecti d. XVI. Mart. CIϽIϽCLXXX.

EPI-

EPISTOLA DC.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

UTraeque tuae litterae mihi ſunt redditae. *Ughelli* Italia ſacra novem tomis finitur, ut ex multorum mihi liquet teſtimoniis, quamvis in indicibus Thuaneae bibliothecae ſeptem tantum tomi reperiantur. Multa edidit alia, de quibus *Leo Allatius* in apibus Urbanis, & *Carolus Viſch* in bibliotheca Ciſtercienſi, quae in his terris nunquam ſunt viſa. Si quid ex Lydianis tibi ſumi velis, poteris has partes pro te licitandi mandare filio bibliopolae, cujus opera hîc ſolemus uti in auctionibus. Is enim Dordracum contendet proximo die Saturni, & ſuis & aliorum commodis invigilaturus. Res Daventrienſis auctionis mihi erunt curae cordique; tu quoque velim *Perizonii* noſtri memineris, cujus cauſſa omnia volo. Quamprimum potero, ad vos volabo, forte proximo Solis die, ſi Deus ſiverit. Nam geſtio tecum confabulari. *Witſius* Franeckeranus provinciam vacuam *Burmanni* ſuſcepit. Sed *Noothius* non potuit perſuaderi, ut ſuam nobis addiceret operam a Friſiis aureis compedibus vinctus & retentus. Quod ſane doleo. Nam vir eſt egregius, & qui ſolus inter juris antiſtites apud nos litterarum noſtrarum non eſt rudis; eruditionem ornat morum & ingenii elegantia. Vale, vir Nobiliſſime & me ama. Traj. d. XXVII. Mart. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

GRatias a nobis non expectas, cum, quas perſolvere tantae tuae in nos comitati poſſimus, non inveniamus. Gratum tamen memoremque animum ſpero nos tibi probaturos. En tibi apocham bibliopolae. Oboli ſuperſtites detrahentur rationibus proximis. Hodie litteras habui a *Schnabelio*, is mihi narrat, patrem *Simonem* Criticam quoque novi Teſtamenti hiſtoriam, in manibus habere, quae brevi lucem ſit viſura. *Cramoſium* celebrem typographum obiiſſe. *Clodium* vocatum eſſe Groningam ad tradendam Theologiam & cathedram Mareſianam ornandam, & venturum, quantum poſſit providere. *Thuani* bibliothecam coepiſſe vendi ante tres dies, non ſub haſta, ut apud nos, ſed quemadmodum in librariorum tabernis fieri ſolet. *Baluzium* emiſſe 4500 florenis manu exaratos codices, quibus aucturus ſit bibliothecam *Colberti*. Sic ille: atqui jam olim MSS. a praeſide quodam ſummi tribunalis emtos eſſe acceperam ex te. *Anna Tanaquilli* filia tibi per *Schnabelium* jubet ſalutem adſcribi, & rogat, ut quae in Dictyn Cretenſem habes, cum illa communices, ſe

calci ſuae, quam in Delphini gratiam molitur, editionis velle ſubjicere tuas animadverſiones, ut Manilio additae ſint obſervationes *Huetii*. Meis noviſſimis nondum potuit reſpondere noſter *Schnabelius*. Proxime credo reſponſum videbimus. Vale, decus noſtrum unicum. Trajecti d. XXIII. Mart. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

MItto nunc Florum, pignus perpetui mei in te ſtudii & amoris. Non poteris certius & gratius mihi reponere, quam tuos obelos, & ceras miniatas. *De Bruyn*, praeco verbi divini Gallicus Neomagenſis, qui doctum edit librum de veſtitu Hebraeorum, a nobis contendit, ut ejus commentarium ornemus aliquot diſtichis. Pretium referemus librum magnum, eumque bonum. Quod ſi ejus annuere decreris precibus, ipſe quamprimum litteras ad te dabit. Scis me non in bicipiti Parnaſſo ſomniaſſe. Tu nunc cubans facile aliquod epigramma expedies paucorum verſuum. Heri hîc guſtavi rubellum, quod venditur in mea vicinia, ſane quam bonum, & quale tu appetis. Congius, ſive ut noſtri loquuntur, cantherus venit decem obolis. Si quid tibi velis mitti, cras fac reſciſcam. Nam paucis in diebus, quoniam omnium palatis arridet, omne erit venditum. De Dicty Cretenſi quae juſſiſti *Annae* nunciari, proxime ex *Schnabelio* intelliget. Catalogus Leidenſis hic fruſtra apud *Zylium* quaeritur. Nam illo die, quo accepit duodecim exemplaria, illico ſunt diſtracta, me praeterito. Doleo me tuis deſideriis non poſſe velificari. Vale, vir nobiliſſime & me ama. Trajecti d. XXIV. Mart. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TUa bibliotheca digna eſt, quae ab omnibus conſpiciatur, ſed tu, qui bibliotheca viva es & quidem unica, longe dignior, quem omnes videant colantque, qui praeſtantiſſimas artes non oderunt. Te rogo, ut ignoſcas mihi, ſi obducendo hoſpites minus gratos tibi negotium ſaepius faceſſo, & tuas cumulo moleſtias. Nihil in rebus humanis tuo mihi gratius eſt conſpectu & complexu. Hinc lubentiſſime quaſvis occaſiones ad te advolandi amplector. Tot raros & exquiſitos libros tibi nec opinanti ſecundam fortunam objeciſſe gaudeo me hercule mirum in modum, & ipſe geſtio illos videre. De Lydiana bibliotheca num tibi propitia fuerit fors fortuna, nondum intelleximus. Noſtri enim nondum redierunt. *Elzevirio*, ubi perendie videro, de Bruxellenſibus libris aurem vellam. Amſterodami non niſi unum diem tranſigam.

Ne-

Negotia enim cum domeſtica, tum Academica me domo longius abeſſe non ſinunt. Coepi excutere novas Juſtini editiones, in primis, Oxonienſem; cuique auctor in praefatione teſtatur, ſe pluribus uſum manu exaratis codicibus. Sed nondum quicquam in illa deprehendi, quod non ſit in deterius mutatum. Negotium Leidenſe mihi fuit curae. Heri mane litterae eo miſſae ſunt, quo tempore mihi hic reddebatur faſciculus tibi tradendus. Vale, vir maxime & me ama. A noſtris omnibus ſalvebis. Trajecti ὡς τάχιστα d. XXVIII. Mart. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

AMſterodamo hodie regreſſus non potui, quin tibi mitterem & litteras, quas in Elzeviriana taberna reperi tibi inſcriptas a CL. *Valeſio*. Credo ejuſdem argumenti eſſe, quo ſunt, quas ad me dedit. Sollicitus eſt de Harpocratione, de quo nullas ait ſe litteras accepiſſe. Atqui ad eum illico ſcripſi, cum iſte liber a me conſpectus eſſet. epiſtolam miſi *Schnabelio*, qui eam ſibi redditam eſſe ſignificavit, ſed non traditam *Valeſio*, quia domo abfuerit. Nunc opera mihi danda, ut proximo nuncio reſponſum a me habeat, & ſimul epiſtolam pridem ſcriptam. Rogat, ut, ſi quid habeamus ad ornandum Ammianum Marcellinum, id cum eo communicemus. Urget etiam notas *Lindenbrogii* calci ſubjiciendas ſuarum fratriſque annotationum. Domi inveni epiſtolam *Huetii*, in qua haec de te: *Libellos aliquot ex tua & Cl. Heinſii bibliotheca depromtos ab Horthemelio equidem non ſine pudore accepi. Quamvis enim vobis, eximiis atque illuſtribus viris, plurimum debere honorificum mihi eſſe duco; jucundius certe eſt homini non inverecundo liberalitatem ſuam expromere, quam alienam experiri. Gratias tamen ago, quas poſſum, maximas. Atque hunc meum animum Heinſio ſignifices, meiſque verbis ſalutem officioſiſſimam dicas, vehementer abs te peto.* Dein: *Mitto ad te verſiculos aliquot, a me nuper & olim ſcriptos, quorum velim Heinſium noſtrum, & Stephanum Monachum, participes facias. Nondum ad poëtices delicias ſtupuit noſter ſtomachus: quin abjectis identidem ſolidioribus verae doctrinae cibis hujuſmodi cupedia ligurimus.* Narrat praeterea exiiſſe tandem Palladium *Bigotii*. *Sponium* Lugdunenſem habere ſub proelo Miſcellanea eruditae antiquitatis, in quibus inſcriptiones plurimas, nondum publicatas, ex Graeciae & Aſiae ruderibus a ſe collectas repraeſentarit. Eſſe opus ingens & luculentum. Accipis hîc etiam libros Daventriae tibi emtos. Quid fiet de epigrammate, quod operi ſuo praefigi rogavit noſtro nomine *Brunius* Neomagenſis? Promittis ne? Dacheriana expectat *Elzevirius*. Duos etiam catalogos hic vides, quos Amſterodamo tibi affero. *Wolzogius* & *Francius* ſalutem tibi dicunt plurimam. *Perizonius* tibi quoque ſalutem juſſit adſcribi, ſibique in tua commendatione ad cathedram Lugdunenſem obtinendam omnem ſpem repoſitam eſſe praefert. Novi te om-

omnia ejus juvenis, qui magna minatur, & majora praeſtabit, cauſſa velle, & illius commodis invigilare, ut non opus ſit, ut tibi aurem vellam. Ego ſane crucior, quod nondum locum in aliqua invenerit Academia ſuis virtutibus dignum. Vale, vir excellentiſſime & me ama. Trajecti Kal. April. CIↃIↃCLXXX. *Huetius* ſignificat etiam de *Vavaſſoris* obſervationibus propediem edendis, ut ſcripſeram, ait ſe nihil accepiſſe. Senio & morbis oppreſſum languere doctum illum virum.

EPISTOLA DCV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HUetius proxime reſciſcet, quae illum ſcire tua intereſt. Ad *Langermannum* heri litteras dedi, in quibus denuo petii, ut ſumptibus *Elzevirii* deſcribi juberet quamprimum notas Lindenbrogianas, & ad nos mitteret deſcriptas, ut Lutetiam curentur. Hortatus eum ſum, ne tam pulchram occaſionem ſui civis animadverſiones edendi praetermitteret. Faſciculum tuum cum Dacherianis redditum eſſe *Elzevirio* hinc conjicio, quod vidi ibi unam alteramve tuam epiſtolam jacentem, quarum una inſcripta erat Magnae Etruriae duci. Forte Dacherianorum tomorum filius nondum mentionem fecerat apud parentem. In Flori editione mea plurimas deprehendi mendas librariorum video & doleo, & quamvis multas notaverim, & calci corrigendas ſubjecerim, longe plures tamen inveniri nullus dubito. Non parva acceſſione cumulabis tua in me merita, ſi quae tu ſphalmata obſervaſti, mihi ſignificaris. Brevi mittam Florum, quem paro ad ſecundam editionem adornandam. Illud: *inertes quererent equos*, non typographi, ſed meum eſt παρόραμα. Magnopere gaudebo, ſi de locis, quae etiamnunc vitioſa ſunt, quae plurima ſunt, tuam ſententiam mecum communicare volueris. Catalogos nuper omiſſos nunc accipis, cum faſciculo, qui hodie ad me perlatus eſt. De bibliotheca Thuanaea *Schnabelius* haec ad me: *Libri venduntur pretio cariſſimo. Volebam nuper ex illa mihi comparare* Petavium *de doctrina temporum, verum illi pretium ſtatuebant ſexaginta florenos. Cum primo hoc vere reviviſcit librorum pretium. Nam bibliopolae quidam Angli ad hanc urbem confluunt, omneſque bonos libros, qui olim pretio ſaluberrimo emebantur, coëmunt, & hac ratione augent.* Ad *Elzevirium* ſcriptae erant prolixae litterae Gallicae rerum novarum nunciae, quae ſignificabant *Menarſium* quendam (non *Menardum*, ne erres) pro illa obtuliſſe triginta ſeptem millia florenorum, hac lege, ut illa bibliotheca publicis uſibus dedicetur. Sed Abbatem *Thuanum* reſpuiſſe has conditiones avaritia victum, & jam pro duodecim mille florenis libros eſſe diſtractos. Sed dum haec ſcribat nuncios advolare ſignificantes *Menarſium* tandem tranſegiſſe cum Thuanaei heredibus, ſpemque eſſe, ut venditi jam libri tanquam fugitivi retrahantur & reprehendantur. Idem narrabat *Baluſium Colberto* manu exaratos codices praeſtinaſſe. Alia in illis litteris erant ſcitu

ſcitu digna, quae procul dubio *Elzevirius* ad te perſcripſit, ut noctuas Athenas ego portem. Vale prime virorum & amicorum. Trajecti d. III. April. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PRo tuis in Florum novis animadverſionibus maximas tibi gratias ago. In libro IV. cap. 13. cum conſidero Nazariani codicis ſcripturam, non diſplicet tua conjectura: *Ante pars Threcum maxima deſciverat.* quamvis ipſe populus apud ſcriptores qui ſoluta ſunt oratione uſi, raro *Threcum* populus dicatur, ſed de gladiatoribus res trita eſt. Vix uſquam aliter quam *Threces* appellantur. Sed in hoc tibi non adverſor. Verum in libro primo probare nullo modo poſſum emendationem illam: *ni elephanti conferti receptaculum bello procurriſſent*, non ſolum, quia longius abit haec lectio a libris veteribus, ſed & quia duriſſima eſt, & mea quidem ſententia, ab hoc loco aliena. elephanti non hanc ob cauſſam in aciem producebantur, ut milites pulſi ab hoſtibus, & pedem referentes retro ſe ad illos reciperent, tanquam in caſtra, quamvis potuerint nonnunquam caſu quodam & hunc uſum praeſtitiſſe. Sed producebantur, ut in hoſtes immitterentur ad ordines turbandos, uti videre eſt ex Livio & Polybio aliiſque veteribus ſcriptoribus. Non poſſum igitur non ſuffragari *Gronovio*, qui belle ſane hîc & venuſte emendavit, *converſo in ſpectaculum bello* ſeu proelio, non Aetolorum, ſed Romanorum, qui acerrime dimicabant, ſed ſubito conſpectae grandes iſtae moles tela ex manibus Romanorum excutiebant, iique perculſi inviſitatis formis non pugnabant, ſed mentem oculoſque in hos Lucas boves defigebant: nec hunc locum retulerim inter argutationes Flori. In libro I. cap. 22. perplacet, *quodam furore virtutis exarſit*, & ſic Florum ſcripſiſſe tibi aſſentior. Quo plures typographicas hallucinationes annotabis, tanto tibi magis ero devinctus. Vix auſim in poſterum noſtris typographis quicquam committere edendum, propter hos foediſſimos naevos, quibus contaminant, quos deſcribunt, libros. De titulo Reuteriano non audivi conqueri Theologum, ſed Hagae comitis & Amſterodami culpam conferri non in te, ſed in alios, qui interpolarint illum, & multa delerint. Nam ut epigrammata ſcripta verſibus in coelum tollebant, ſic nimis parce laudari putabant res ejus praeclariſſime geſtae, quibus Deo adſpirante ſervaverit rempublicam. Vix enim niſi obſcure celebrari maxima illa proelia, cum tamen hoſtes immodice jactent ſuas victorias. Libri tui ſunt convaſati, & in hac urbe apud bibliopolam, ut mihi ipſe retulit. Proximo Saturni die perferentur ad te, aut, ſi juſſeris, cras tabellario tradentur. Mihi duo ſoli ceſſerunt, Aonii *Palearii* actio in Pontificem Romanum, & *Hartungi* notae in tres priores Odyſſeae libros. ſed hîc eſt libellus paucorum foliorum, ſatis care emtus. De Hagenſi auctione

brevi reſponſum expecto. Vale, vir maxime & me ama. Noſtri te ſalutant. Trajecti Batavorum d. VII. April. CIϽIϽCLXXX.

EPISTOLA DCVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri excurrri Woerdam, ut ibi compellarem *Blyſwyckium*, qui miſſus eo erat cum duobus aliis ad componendas quaſdam controverſias ortas inter noſtros & Batavos. Egi cum illo de *Perizonio.* De te multus nobis ſermo. Rogat, ut non ſolum tibi ſalutem dicam, ſed & ut ejus nomine te obteſter, ut Hagam venias, quamprimum tua ferat valetudo. Tua plurimum referre, ut ibi aliquamdiu degas. Se non dubitare, quin negotium tibi notum poſſit ex ſententia confici, ſi paucas hebdomades ibi commorareris. Apud ſe tibi hoſpitium ſemper eſſe paratum. Sed de his plura coram. Proximo die Lunae, Deo dante, te videre mihi certum eſt, niſi quid ex tranſverſo interceſſerit. Viminea ciſta, in quam conjecti ſunt Lydiani libri, tantae dicitur magnitudinis & ponderis eſſe, ut ab illa muliere non poſſet in ſcaphas ferri, cum vix quatuor viri illi portandae in navem pares fuerint. Tradita eſt nautae. Pro vectura convenere decem oboli. Sex pendendi fuerunt iis, qui libros in navem pertulerunt. Omni negotio perfunctus eſt bibliopola, qui eos emit, & in ſuis ſervavit aedibus, omneſque ſumtus fecit. In elogio Ruteriano prudenter & rectiſſime a te nonnulla praeterita eſſe fatebuntur omnes, quibus patriae noſtrae ſalus cordi eſt. Nihil ad *Reuteri* laudes contuliſſet, quod Regis fratrem viciſſet, plurimum autem contuliſſet ad illorum animos exacerbandos, quibus nunc placatis uti e re publica eſt. Nec hoc eſt, mihi crede, de quo queruntur homines. Sed putant, tuis veriſſimis laudibus a proceribus multa eſſe detracta, toties enim hanc inſcriptionem miſſam eſſe Hagam & remiſſam, ſaepiuſque interpolatam. Nam aut nullam ajunt fieri, aut perexiguam illius victoriae, quam de Anglis poſt trium dierum proelium acerrimum deportavit, & ſi quae ſunt alia hujus generis. Haec ſane non potuit deleviſſe paſtor Amſterodamenſis, qui, ſi quid immutavit, quod tamen vix crediderim, cum ejus probitas, candor & eruditio ab omnibus praedicetur mirifice, ea immutarit, quae ei viſa fuerunt inferiora laudibus geſtis ſui ſoceri, non vero quae ad ejus gloriam celebrandam plurimum faciunt. Sed homines queruntur reſcripta eſſe multa τῶν ἐν τέλει juſſu & auctoritate ex iis, quae a te erant litteris conſignata. Hinc eſt quod multi expetant videre iſtam inſcriptionem non interpolatam. Sed & haec differo in noſtrum congreſſum. Egregie vindicaſti illum locum: *imperium quod in littore Oceani non ſteterat.* damno meam ſententiam, & tuae lubens meritoque ſubſcribo. Poſſem quidem ad meam conjecturam tuendam non pauca adferre; loqui ſcilicet Florum non de alio Britannorum orbe, ad quem alludunt illi poëtae, ſed de termino imperii in Germania, qui erat littus maris Germanici, in

in quod Albis exit, ſed facile mihi perſuaderi patior, hunc floſculum decerpſiſſe noſtrum ex horum poëtarum pratis, ut ſaepiſſime fecit alias. De ceteris tuis conjecturis proxime plura, nunc mihi abrumpendum erat per feſtinationem veſtrorum. Vale, Virorum & amicorum maxime. Trajecti d. x. April. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri reſponſum accepi a *Maeſtrichtio.* Polluci narrat adſcriptas eſſe perpaucas notas Scaligerianas ex autographo Leidenſi excerptas a *Jacobo Tollio*, Plinio quoque *Torrentii* notas appinxiſſe *Philippum Tollium*, quas deſcripſit ex libro, qui eſt penes ſocios Jeſu Antwerpiae. Ceteros ait ſe non potuiſſe videre, quia nondum fuerint compoſiti, & digeſti in illum ordinem, quem catalogus prae ſe fert. In illis emendis, quos deſideramus, *Pittenium* promittit noſtris commodis ſerviturum ſummo ſtudio. Fac igitur, ut quamprimum ad nos mittantur, quos tuis uſibus cupis vindicatos. Hodie litteras habui a *Carpzovio*, qui ſignificat faſciculum noviſſimum ad ſe recte curatum eſſe, & propediem tuis ſe reſponſurum; nec non a *Thevenotho*, qui tibi ſalutem dicit, & quid rerum geras & mediteris, ex me quaerit. Narrat ſe ibi Plinianas Exercitationes *Salmaſii*, & Epiphanium *Petavii* proelo commiſſuros. Plura non licet per nobilem Gallum, quem mihi *Thevenothus* commendavit, cum quo prodeo hanc urbem perluſtraturus. Vale, vir nobiliſſime & me ama. Plurimas gratias tibi debeo pro ſumma comitate, qua nuperius denuo nos excepiſti. Trajecti d. XII. April. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TUas ad *Perizonium* recte curavi. Hodie ſcribam quoque Hagenſibus amicis, eoſque obteſtabor, ut tuam cauſſam agant Hagae. Reſciſcet quoque nobiliſſimus *Thevenothus*, quae ad me ſcripſiſti. Res Academicae licet ſint non magni momenti, me tamen diſtrictum tenent. Perendie tamen videbo, ut poſſim tuo ſuaviſſimo complexu frui. *Claudius* paſtor pariſienſis ſuam addicet operam Groninganis, ſi filio paſtoris perſonam voluerint imponere. Multi exiſtimant, illum vix reſponſurum eſſe illorum expectationi. *Velthuſii* opera prodierunt Philoſophica & Theologica junctim edita duobus ſatis ponderoſis voluminibus, quae inſcripſit ſuo fratri. Sed in illa praefatione multi deſiderant prudentiam, & verentur, ne ſibi malum aliquod arceſſat. *Jacobi Gronovii* matrimonium pro concione praeterito die Solis eſt publicatum. Sponſus tamen febri

febri correptus jacet. Reliqua differo in noſtras confabulationes. Vale, vir excellentiſſime, & me ama. Trajecti d. xv. April. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

FLori nequaquam ſum oblitus, ſed occupationes juſto denſiores me non ſiverant loca illa perpendere ea, quae ad tuas elegantiſſimas emendationes examinandas requiritur, diligentia. Illam, quam heri mecum communicaſti, *pontem ſubrutum* plane probo. Non memini uſquam occurrere *ſubrumpere*, cum *ſubrui* ſit tritiſſimum. Sed in pagina ſequente nondum potui mihi perſuadere ſcribendum eſſe, ut tu volebas ex veſtigiis codicis Nazariani: *ante pars Threcum maxima deſciverat*, quamvis non infitier non longe iſta recedere ab antiquiſſimo libro. Sed quia *populus* in tot aliis libris legitur, & quia veroſimile eſt Threcum populum, qui deſciverat fuiſſe nominatum a Floro, nondum priorem meam ejuro ſententiam. Apud Jornandem haec ſic concipiuntur: *Thraces antea ſaepe, tunc tamen Rometalea regnante ſibi, a Romanis deſciſcunt. Nam hic barbaros & diſciplinae & ſignis militaribus aſſueverat.* Vereor, ut in Floro plaga ſit altior, quam ut his, quae uterque adhibuimus, poſſit curare. *pars* ſane reſpuunt ſequentia: *Ille barbarus.* Nam ſi ſenſum reſpexiſſet, ſcripſiſſet Florus, *illi barbari aſſueverant.* Reliqua, ſuperveniente, quae litteras flagitat, foemina, non licet attexere. Haga nondum quicquam reſponſi retuli. Epiſtolam tuam ad *Goeſium* non tradidi tabellariis, uti ſcripſeram me facturum, ſed conjeci in litteras ad *Pittenium* datas, quas ut illico perferendas curaret ad *Goeſium*, petii. In Galliam proxima hebdomade mittam faſcem Flori exemplarium. *Arnoldi* filium te heri vidiſſe puto. Vale, meum decus unicum Trajecti Kal. Maii. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DE tua valetudine, quia nihil de te audio, vehementer ſollicitus ſum, ne ſe pejus habeat. Raro enim tot dies praetermittis ſine litteris. Aveo reſcire, num a *Goeſio* reſponſum tuleris. Mihi nec *Maeſtrichtius*, nec *Pittenius* quicquam adhuc repoſuit, quamvis utrumque ſim obteſtatus epiſtola, illa ipſa die exarata, qua tuae mihi reddebantur, ut inquirerent in emptores librorum, quos tu vel malo pretio redemtos velles, & quamprimum ſignificarent, num iis extorqueri hi poſſint. Craſtinus dies eſt octavus, quo litteras has Hagam miſi. Accipis nunc catalogum Veſelianum & alium Hagenſem. Apud Florum lib. I. II. nondum perſuaderi poſſum *inducere nomini captum oppidum* praeferendum

dum eſſe *induere nomini captum oppidum*. Nam quamvis dicatur *inducere liberis novercam*, nemo tamen dixerit *induere dignitatem nomini*, *familiae*. ſed τὸ *induere* ad plurimas res transfertur apud Tacitum alioſque ſcriptores. Cap. 18. non improbo ingenioſam conjecturam: *Sed tunc optatum victoriae exitum*. Ibidem, *tanta adde de tot opulentiſſimis*. *Adde* non videtur hic magis locus eſſe quam *adeo*, ſi praecedentia, & quae ſequuntur, inſpexeris. Lib. II. cap. 6. *praetextatus modo filius Gronovio* valde placet. Nam praetextati non ſolebant apud Romanos in caſtra perduci, imo ne in virorum conſeſſum & conſpectum admitti, nedum in proelium & aciem. Quamvis autim *tener* dicatur & *puer*, non inde conficies praetextatum fuiſſe. Nam cum praetexta poſita tyrocinii diem in foro obiiſſent, & togam induiſſent virilem, quod plerumque fiebat 15. aut 16. aetatis anno, *teneri* tamen erant, & *pueri* dicebantur. Meminiſti, quae de Auguſti jam octodecim annos nati pueritia & teneritate leguntur in libro IV. & qui Tullii joci de eo circumferantur, ut ex SC. fuerit cautum, ne quis *puerum* dicat. Hoc itaque dicunt ſcriptores, Scipionem, cum vix praetextam exuiſſet, in tam tenera aetate patrem ſervaſſe. Vale, mea ſeculique lux. Trajecti d. IV. Maii CIↃIↃCLXXX. Julian.

EPISTOLA DCXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EN tibi litteras, & duos librorum faſces, quos Leidenſes nautae hodie ad me curarunt. Spero illos quoque allaturos eſſe *Folietae* hiſtoriam. Hodie certum mihi eſt litteras dare ad *Gudium* & *Langermannum*. Apud *Gudium* mentionem faciam Virgilii & Valerii Flacci tui. In Floro tuam ſecutus auctoritatem lib. IV. 12. damno meam opinionem de loco, *imperium quod in littore Oceani non ſteterat*. Tibi quoque adſtipulor, cum vetas tentari illa: *Hic erit Scipio, qui in exitium Africae creſcit*. Recte quoque lib. II. 7. emendas *per abrupta cadentem*. Nec rejicio tuam conjecturam cap. 8. *ne non aliqua ducem degener agere videretur*, ſed nec veram auſim praeſtare. Gratias quoque tibi debeo, cum me docuiſti *implere diem* Latine dici ad cap. 12. Ibid. *invictus a regibus* non auſim mutare contra librorum omnium fidem. Nam *a* tamen ſemper, etiam cum omittitur, intelligendum eſt in his loquendi generibus, ut multis docet *Sanctius* in Minerva. Nec auſim dicere cap. 22. *inurere fontibus venenum*. De illo loco lib. III. cap. 2. *ut a Septentrione* ſcis nos olim contendiſſe, nec potui a me adhuc impetrare conſenſum, cum tamen noris, quam invitus a te diſſentiam. Nam licet de meridiana plaga praeceſſerit, non tamen videtur mihi ſic abrupte de Septentrionali Florum poſſe loqui, ut tu locutum eſſe cenſes. Cap. 5. non video, quid ad ſententiam illam faciat *utcumque* inſertum. Imo contra ea dicit non utcunque fuiſſe munitum, ſed valde munitum fuiſſe Piraeeum ſex illis muris. Cap. 4. *toto infeſtavit Hebro* non improbarem, niſi Florum, & alibi

ſic locutum eſſe ibi notaſſem. Cap. 9. placet *lautius implevit*; ſed lib. IV. 2. *lautiores honores* pro *auctiores* non admiſerim. *Augere* eſt proprium in hac re verbum, quo toties veteres utuntur, Comicus: *dii me equidem adjuvant*, *augent* exempla quantumvis multa in mundo ſunt. Cur ergo non dixerit Florus *auctiores honores* non video. Lib. III. 10. in illis *nomine adaeque* tollendum *etiam* plane mihi perſuaſiſti. Cap. 17. *Ceterum ſic una in urbe diſſidebar*, cur veliſ mutatum in *cetera* nihil cauſſae reperio. Idem eſt Graeciſmus, eadem ſententia ſive *ceterum* ſive *cetera* ſcribatur. Cap. 19. non male ſentis cum *&* *catenis* deleri praecipis. Placet quoque *metu icti*. Si tamen nonnulla exempla, cum vacuus fueris, hujus locutionis mihi ſuggeſſeris, cumulatiora erunt tua merita. Velim quoque ſignifices, ſi memoriae tuae ſuccurrit, quiſnam Graecorum ſcriptorum Leandri & Herûs amores deſcripſerit. Nam Muſaeum recentiſſimum eſſe ſcriptorem, Nonno aequalem nullus dubito. Accipis hic etiam rationes bibliopolae, cum libro, quem ait ex Lydianis ad te pertinere. *Stryckius* nunc tibi in libris conſuendis vacare poteſt. Vale, ô & praeſidium & dulce decus meum. A noſtris omnibus ſalvebis. Te nunc meliuſcule ſpero habere te. Cura valetudinem, ſi & nos amas. Trajecti d. VII. Maii. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

FAſciculus *Bigotio* deſtinatus tamdiu mecum erit, donec reſcieris, poſſit ne mitti cum *Roberto Goeſio*, an *Elzevirio* ſit committendus. Mei Flori quoque amicis inſcripti curabuntur Lutetiam ad *Bigotium*. Tuos itaque de hac re nuncios expecto. Sane iſta occaſio non erit praetermittenda, ſi ſecunda nobis affulſerit. Sed vereor, ut legatus nimis longas moras nectat in adornando itinere. Quot menſes effluxerunt, quos legatus Anglicanus in apparanda hac profectione conſumſit, ne nunc quidem movit. Sed *Goeſii* tui litterae nos forte docebunt, praeſtolandus ne ſit noſtri legati in Galliam diſceſſus, an alia via circumſpicienda. In Veſalienſi bibliotheca inſpiciam, quos juſſiſti excuti libros, proximo die Lunae ex me intelliges, cujus ſint notae. Pro vectura librorum Leidenſium ſolvi nautis octo obolos. Valerii Flacci, ut volebas, nullam feci mentionem, ſed ſolius Virgilii. *Arnoldi* Norimbergenſis filius hodie litteras ad me dedit, tibique ſalutem juſſit adſcribi, & incolumitatem precatur. Promiſit ſe titulum ſepulchralem, qui Auguſtae Vindelicorum non ita pridem ſit effoſſus, ad me curaturum; in quo fiat mentio *Mercurii Cenſualis*, qui valde ingenia exercuerit, & etiam nunc exerceat. Vale, meorum prime amicorum. Trajecti d. VIII. Maii. CIↃIↃCLXXX. *Folietam* tibi addictum eſſe valde gaudeo.

EPI-

EPISTOLA DCXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOndum mihi retulit bibliopolae filius, ecqui nobis ceſſerint libri. Pleroſque tamen, quos deſiderabas, tibi addictos eſſe novi. Ipſe heri cum ad tabulam accederem, audiebam noſtrum eſſe Tullianum illud volumen ſatis craſſum, quod *Silvius* illuſtravit. Quinctiliani Londinenſis editio, quae hîc habebatur, eſt anni XLI. hujus ſeculi, qua & ipſe olim utor. Nihil in illa reperitur niſi *Davidis Parei* notae in Anglia recuſae. Alteram illam cum *Fabiani* notis anno 45. proditam nullus vidi. Vix puto illam extare. Vereor, ne memoria fefellerit optimum *Bigotium*, de quo tamen nolim contendere. Ad *Rulaeum* propediem litteras dabo, Phaedrique Pithaeani meminero. *Pittenius* dicitur domo abeſſe, hanc ego diuturni hujus ſilentii cauſſam eſſe exiſtimo. De Cortyna non memini *Salmaſium* ad Florum aliquid obſervaſſe: ſed de Cydonia egit ad cap. 7. lib. III. quam negat Cydonem appellandam. Si mecum unum aut alterum locum communicaris, in quo *Cortyna* quoque *Cortyn* appellatur, δίδακτρον novum tibi debebo. Rogo quoque, ut memineris amoris Herûs & Leandri, a quonam Graecorum ſcriptorum antiquiorum ille ſit cantatus. In Floro *tantum non praetextatus* non improbo. De illo *ut a ſeptentrione*, nolim diutius tibi adverſari, qui me totum ſemper ad tuas rationes adjungo. Lib. II. 8. non nego, nec unquam negavi *ducem aliquo genere agere* Latinum eſſe, nec genus loquendi improbavi, ſed *genere agere* conjuncta mihi videntur aſperiora eſſe, quam fert genius Flori ſuavitates ac delicias ubique captantis. De ceteris cras, ut ſpero. Nunc ſuperveniebat veſtra litteras flagitans, ut plura ſubtexere non liceret. Ad *Langermannum* jam miſi faſciculum. Ad *Columbum* brevi aliquid expediam. Vale, *Heinſi* noſtrum ſeculique decus. Trajecti d. XIII. Maii. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUmmi pridie pro libris Veſalianis mihi traditi ſunt. Accepi etiam rationes magiſtri. Non addicta nobis ſunt Auguſtini opuſcula & Eraſmus de matrimonio; quos libros tibi acceptos retuli novem obolis. Reliqua bene ſe habent. A meridie libri, ſpero, ad meas aedes perferentur. Expecto quando jubeas nummos, quos cuſtodio, pendere bibliopolae pro Lydianis libris. Sed cras, ſi vivo, te ipſe videbo. Nam quam valetudo tua pejus denuo ſe habens curam fecit ac ſollicitudinem, nulla res levabit niſi tuus conſpectus. Hodie ad

te advolarem, niſi me retinerent Academica negotia, quae ante ſextam veſpertinam non poſſunt confici. Cupio enim tuis ſermonibus lenire dolorem maximum, quem cepi ex morte ampliſſimi *Terburchii*, amicorum inter Belgas vetuſtiſſimi, &, ſi a te uno diſceſſero, certiſſimi. Vix credis, quam alte hoc vulnus imis inflictum medullis me cruciet. Tanto gravior mihi nunc accidit tua infirmitas, cum tu unus nunc ſuperſis, in cujus amicitia poſſim bona fide conquieſcere. Deum itaque optimum maximum ſupplex veneror, & Chriſtum Σωτῆρα, ut te confirmet, diuque ſalvum & ſoſpitem nobis eſſe jubeat. Hodie litteras habui a *Schnabelio*, in quibus haec, quae tua ſcire intereſt. *Dudum volui ſcribere ad te, non eſſe quod Cl. Heinſius ſollicitus ſit de editione Romana Paſſionis S. S. Perpetuae & Felicitatis. Quae enim opuſcula patrum illi editioni juncta credit, ſunt opuſcula Auguſtini, ſub cujus nomine circumferuntur, tametſi Faſtidius auctor ſit, cujus nomen quoque in praefatione iis praefixum eſt.* Haec ille. Dein ſignificat Dictyn Cretenſem jam divulgaſſe *Annam Tanaquilli* filiam, & a Rege, cui eum dedicarat ſcriptorem, perhumaniter fuiſſe exceptam. De ſe ait, Anglicum ſe nunc meditari iter, ſed brevi. Reverſurum enim ſe Pariſios poſt aliquot hebdomadum decurſum, & proximo demum autumno cum noſtris oratoribus remeaturum ad nos. Ante illud tempus non eſſe illorum reditum expectandum. Ab *Heideggero* Helvetio Theologo perdocto, & amico vetere litteras etiam habui, quibus mortem *Burmanni* deplorat, & diſſertationum volumen ſe ad me mittere ait, quod tamen nondum vidi. Vale, virorum maxime, & me ama. Trajecti d. XIX. Maii. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NEc tu benignitatis comitatiſque nobis excipiendis, lauteque ac perquam liberaliter habendis modum facis, nec nos omittimus ullam occaſionem plura tibi debendi. In tanto enim aere tuo jam ſumus, ut, ſi nobiſcum rationes putare volueris, conturbandum nobis ſit, & bona ejuranda copia. Itaque quia ſemel verecundiae fines tranſiliimus, Tulliano praecepto morem gerentes pergimus eſſe bene & naviter impudentes. Tu videris, qui tantum tuo jumento malum arceſſieris tibi. En tibi rationes cum apocha, & Philippeo, nec non libris Veſalianis. Pro locis, *Gortyn* quoque veteres dixiſſe mecum communicatis, plurimas tibi ago gratias. Majorem cumulum addes tuis in me meritis, ſi inſcriptionem illam Cretenſem a *Grutero* non viſam mecum communicare volueris. Salva redibit ad te, ſimul ac eam deſcripſero, & in mea illam adverſaria conjecero. De illa emendatione Flori lib. III. cap. 2. *ut a Septentrione* non diutius tecum contendam. Cap. 10. *etiam* delendum eſſe, cum *adaeque* vicem ejus impleat, tecum ſentio. Locutionem iſtam *ictus metu* multis elegantiſſimis aſſeruiſti exemplis. Laudo quoque, quod veterum librorum ſcriptorum vin-

vindices lib. I. cap. 7. *papaverum capita virgula excutere.* Plane tibi aſſentior. Sed ignoſces aut meo ſtupori aut inſcitiae, ſi nondum probare poſſum *inducere nomen* lib. I. cap. II. & *adde* 18. hoc ultimum enim videtur mihi eſſe *ἀπροσδιόνυσον* hoc quidem in loco. Cur hîc refragemur optimis libris, qui *adeo* non agnoſcunt, cauſſae nihil video. Ingens aceſſio tua in me augebit beneficia, ſi & quae alia notaſti, me docere dignaberis. Rogo etiam vehementer, ut quae inter legendum ſphalmata typographorum obſervabis, ea in chartam conjicias, ut & in nummis, ubi peccarunt operae, quod ego praetervidi. Sunt enim quingenta exemplaria, quibus nummi nondum ſunt impreſſi. *Arnoldus* tibi ſalutem plurimam adſcribit. Narrat, parentem ſuum ex Italia *Rautenfelſii* res Muſcoviticas, & *Caroli de S. Antonio* ſelectam Latinitatem accepiſſe. Vale, virorum excellentiſſime. Trajecti XXXI. Maii. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

GEneroſiſſimus Comes *de Reis*, accinctus itineri Anglico & Gallico noluit ex his terris diſcedere, antequam te praecipuum earum decus vidit. Non dubito, quin pro tua ſingulari comitate Generoſiſſimum Comitem benigne liberaliterque ſis excepturus. Silentii ſolito longioris tui cauſſam non ſpero valetudinem afflictam eſſe, ſed curam bibliothecae ordinandae, aliarumque occupationum. *Pittenius* Haga mihi ſignificavit, ſe propediem me inviſurum, & coram de libris, quos uterque expetebamus, nobiſcum acturum. *Strickius* occupationum mole obrutus excuſat tarditatem. Nunc, inſtantibus feriis, promittit ſe citius opere defuncturum. A *Carpzovio* & *Daumio* litteras habui. Ille miſit mihi ſecundum tomum epiſtolarum *Buchneri*, & catalogum Lipſienſem, quem tibi legendum feret Generoſiſſimi Comitis ephorus. Narrat, Illuſtriſſimum *Friſium* febre correptum graviſſime jacere, ut fere ſalus ejus complorata ducatur, quod dolorem, quem ex morte cepi Ampliſſimi *Terburchii*, incendit & auget vehementer. Deus virum primarium ſervet. Hic edituri ſunt Juvenalem cum notis *Grangaei*, me diſſuadente. *Daumius* tibi ſalutem plurimam dicit, jubetque ſignificari ſe Hieronymi libellum, quem tibi debeat, brevi proelis ſubjecturum, & illum tibi cum Alcimo Avito *Gagneii* remiſſurum. Sperat per *Carpzovium* te accepiſſe unam & alteram elegiam *P. Lotichii*, quae non reperiantur in ejus operibus. In Lactantii libello de mortibus perſecutorum pro *injuriatus*, emendat *injuria tutus*, quod & tu dudum vidiſti. A *Magliabechio* dimidium Septimellenſem accepit. *Carpzovius* quoque te ſalvere juſſit, & excuſat nundinas, per quas non poſſit nunc ſcriptionis officio fungi. Conqueritur de ingratis multis occupationibus. In Luſatiam ſe invitum nunc iter adornare. Vale, vir maxime, & perſuade tibi me litterarum tuarum deſiderio contabeſcere. Trajecti d. XXII. Maii. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio:

Vianam.

EXilui gaudio, cum tuas deſideratiſſimas mihi videre licuit, ſed gaudium hoc mox mihi eripuit triſtiſſimus nuncius de obitu Herois illius Saxonici, *Henrici Friſii*, qui unus inter Proceres aulicos Germaniae politiore doctrina, doctrinaeque illius cultorum ſtudio & benevolentia eminebat. Graecos Latinoſque ſcriptores meliorum temporum ſic verſarat, ut memoriter teneret praecipua illorum loca. Quin in illo tractu inter doctores Academicos, qui in litteris conſeneſcunt, nemo *Buchnero* mortuo reperiebatur, qui tanto ſtudio evolverat & triverat quicquid elegantiae veteris injuria temporum nobis reliquit ſalvum. Hinc quam terſe & nitide ſcripſerit, tu minime ignoras. Ἀλλὰ ταῦτ' ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ. Pro praeclaro munere *Bigotio* praeſtantiſſimo gratias agam proxime. Habes ne vitam & epiſtolas Ambroſii Camolodunenſis, cujus in praefatione mentionem facit? vitam Eobani cupide aliquando apud te legam. Si paullo maturius Palladius mihi eſſet redditus, perendie ſuum *Cuperus* habuiſſet exemplar. Nunc expectandus eſt reditus aurigae. Video, me recte tuo ex ſilentio collegiſſe, te totum eſſe in ordinanda bibliotheca. Sed parce, quaeſo, valetudini, caveque illam nimis vexes. *Lotichii* elegias tibi non redditas eſſe ſanequam doleo. Illuſtris Comes *de Reis* tibi apud me ingentes gratias egit. Dolebat, ſe non pernoctaſſe Vianae, ut altero die potuiſſet ad te reviſere. Tantam enim ex tua comitate & benevolentia ſe voluptatem cepiſſe ajebat, ut, ſi ferat itineris, quod molitur, ratio, hiſce feriis inſtantibus ad te ſit recurſurus. Ego ſane ſpero, me te viſurum firmum valentemque. Vale, & ſalve a noſtris. Trajecti d. XXVI. Maii. CIↃIↃCLXXX. A *Langermanno* litteras habui, qui miratur noviſſimis ſuis nihil a te reponi, cum novum rei nummariae auctorem tibi ſignificarit.

EPISTOLA DCXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NOvi quidem ego tuam urbanitatem humanitatemque conſummatam: ſed noſtrum eſt illa non abuti. Verum haec mittamus, quia quae facta ſunt, mutari non poſſunt. Quas *Cupero* inſcripſiſti cum munere *Bigotii*, cras perferentur Daventriam, ut & quae deſtinaſti *Perizonio* noſtro, cujus cauſſam cum egiſti apud *Beuningium*, multum te amo. Nam juveni iſti optime volo, quia ingenium & eruditionem ejus maximi facio. In Meletio praeſtinando ne contra te liciter, vetat illa, quae inter nos intercedit, amicitia, & qua te proſequor, ob-

obſervantia. Per me tuus erit iſte liber. Lambini Cicero primo prodiit anno MDLXXVI. ut recte ſcribis. Obiit autem *Lambinus* anno MDLXXII. ſub finem Auguſti, paullo poſt caedem *Rami*, ut, quae poſt hunc annum prodierunt editiones Tullianae, cum ejus notis ſint habendae pro correctioribus & auctioribus. Mihi eſt editio Veneta, quae prodiit anno MDLXXIX. minoris formae, cujus frons haec prae ſe fert inter alia, *Ejuſdem D. Lambini annotationes, ſeu emendationum rationes ſingulis tomis diſtinctae, & ab eodem Lambino poſt ſuperiorem editionem duplo amplius auctae. Fragmenta omnia, quae extant, a viris doctis undique collecta, ſuis quaeque locis poſita, eaque ab eodem Lambino & aucta, & emendata.* Santandreanam tamen editionem ceteris Lambinianis praeferri exiſtimo, non quod auctiores ibi habeantur notae, ſed quod omnium ſit nitidiſſima & emendatiſſima. Mea Veneta & ipſa praefationes anni MDLXVI. praefert. Dynaſtiarum Aegyptiarum memorem me praeſtabo. Litteras heri accepi a *Bernardo* Oxonienſi, hodie vero a *Magliabeckio* & *Juſtello*. Illae ſignificant in theatro Sheldoniano ſub proelis eſſe *Moriſoni* Botanica, & Cyprianum, Londinenſem vero quendam promittere Lucianum cum Scholiis nondum editis. *Juſtellus* vero narrat, *Sponium* edidiſſe volumen inſcriptionum ſelectarum, & *Valliantium* totum eſſe in hiſtoria Regum Syriae ex nummis illuſtranda. *Magliabeckius* tibi plurimam dicit ſalutem, & gratias agit infinitas pro monumentis Paderbornenſibus. Promittit mihi antiquiſſimam editionem Columellae, quae Venetiis prodiit anno 1472. Lucae prodiit tumultuaria diſquiſitio *Franciſci Mariae Florentinii* de antiquo uſu fermentati panis & azymi pro Euchariſtiae ſacrificio a *Mario Florentinio* auctoris filio vulgata. Pater *Oldovinus* edit catalogum ſcriptorum Florentinorum. *Bellorius* publicavit diſſertationem de grandi nummo, quos Medalliones vocant, promto ex bibliotheca Cardinalis *Carpignae*. In loco illo Flori libri II. cap. 8. nullus dubito, ſi animum attenderis, quin ſis mihi aſſenſurus, non ferre hanc ſententiam illam περικοπὴν. Jam ante oſtenderat nullius pretii ducem eſſe, & degeneraſſe plane a bonis imperatoribus Antiochum. In Euboico freto, cum genio totus indulgeret & ventri, ne tamen aliqua ex parte ducis munus obiret, delectum egit puellarum. *Aliqua* recte exponis aliqua ex parte, aliqua ratione. Vide igitur, quomodo congruat cum praecedentibus, & quae ſequuntur, illa lectio, quam excogitaſti. Ad Euripum poſuit ſerica tentoria, & ut aliqua ex parte ſe degeneraſſe a duce oſtenderet, puellas conſcripſit, pro militibus. Nam hanc ſententiam, *Antiochus ut degenerare ſe in omnibus oſtenderet a bono duce*, &c. ne fidiculis extorqueas ex his verbis: *ne non aliqua ducem degenerare videretur.* Mihi ſane plane videntur aliena eſſe a Flori hoc loco. Lib. IV. 2. Ubi corrigenti, *niſi quo ancipitior, eo acrior Caeſar. impetus fuit*, non refragarer, ſi de periculo Caeſarianorum in illo proelio nobis conſtaret. Si de pugna Mundenſi loqueretur, ubi diu aequo Marte & dubio eventu certatum fuit, in tuam opinionem ſine mora deſcenderem. Nunc proelium in Africa non videtur magis anceps fuiſſe, quam Pharſalicum, ne dicam *ancipitior* non inveniri, ſi recte memini, apud probatos ſcriptores. τῷ *emicuit* eodem capite non moverem controverſiam, niſi liber

liber antiquus ſubjeciſſet *enituit*. Nam τὸ *emicare* Floro non eſt infrequens vox. ſed quia *enituit* legitur in membranis Ryckianis, & valde appoſitum eſt huic loco, non putavi id ſpernendum eſſe. Perinde tamen eſt, ſive *enituit* ſcripſeris, ſive *emicuit*. Eadem eſt ſententia. Si antiquiores libri ſtant pro *emicuit*, non repugno. *Signa ab Arimino cecinerunt* videtur mihi durius loquendi genus eſſe. Alia ratio eſt illius loci: *Anniverſarii hoſtes ab Etruria fuere Vejentes*, pro Etruſci. ſic *hoſpes Zazyntho* pro Zazynthius, & plura talia. Itaque *ſigna ab Arimino* eſſent ſigna Ariminia. Sed haec non eſt mens Flori. *Signa Ariminia ceciniſſe*, ſed ſigna ſociorum, qui conſpirarant in Urbem, prima Arimini claſſicum ceciniſſe. Lib. II. 6. recte animadvertiſti, male me ſcripſiſſe *ſervitutem* pro ſervo accipi. Hinc & emendavi in margine mei libri: *libertate donatos fecerat de ſervitiis Romanos*. *Servitia* pro ſervis. Lib. III. 21. non diſplicet, quod tibi ſuccurrit: *obitis ſingularum hominum poenis*. Habes hîc epiſtolam *Rulaei*. Rogo ut memineris inſcriptionis Cretenſis, & auctoris amorum Helleſpontiorum. Vale, vir maxime, & me ama. Noſtri te ſalutant peramanter. Trajecti ὡς τάχιςα. a. d. IX. Jun. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TE cum tua ſolitudine rediiſſe in gratiam laetor, ego ſane mecum nondum redii in gratiam. Aegerrime enim etiamnunc fero, voluptatem illam, quam capiebam ex tuis ſermonibus, interpellaſſe turbam, quae irrumpebat, inconditam, ſive potius illud ſyrma, quod trahebat mea. Pudore etiamnunc confuſus non ſuſtinui ad te litteras dare, teſtes mei officii & gratae voluntatis. Ipſae enim litterae videbantur erubeſcere, cum de tua benignitate & comitate, meorumque impudentia loquendum illis eſſet. Tua vero humanitas mihi, ſpero, gratiam faciet hujus delicti, aut ſane non committet, ut alienam luam culpam. Hunc faſciculum hodie Leida accepi. Illi addidi catalogum Daventrienſem, ſed in quo pauca ſunt bonae frugis. Schultingianas credo tibi ferre deſideratos indices. Eos hîc vidi, & in iis Meletium de ſtructura hominis, quem cum tu poſſideas, mihi hunc non invidebis. Nuperius apud te vidi primum tomum *Gretſeri* de cruce. Scis penes me tertium & quartum eſſe. Tua igitur bibliotheca ſine ullo ſuo detrimento me tenui ſuppellectile bene poterit mereri, ſi hunc librum ſibi inutilem meis adjunxerit. *Occonis* numiſmata editionis Plantinianae mutabo illo libro, qui *Thomae Mori* & *Budaei* opuſcula complectitur, ſi tuo commodo id futurum ſit. *Voetio* tuas reddam litteras, ſimul domum redierit ex nuptiis fratris. Ampliſſimo *Kinſchotio*, quaeſo, ut ſalutem dicas plurimam. Dictatorum in Suetonium memor ero. Quaero, qui deſcribat. Sed quae de Dynaſtiis Aegyptiis egimus, plane ex mea effluxerunt memoria. Tu ſi ea mihi ſubjeceris, gaudebo, & te multum amabo. De libris nul-

nullus dubito, quin hae Leidenſes litterae te ſint certiores facturae. Pecuniam enim nautis perlatam eſſe credo. De Flori loco proxime. Vale, raptiſſime XIV. Jun. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

LItteras tuas heri ad *Phorbaeum* miſi. Tardius tuis acceptiſſimis cum reſpondeo, haec cauſſa eſt, quod omnes machinas admoverim animo meo, tuam ut in ſententiam deſcendat, & opinionem de loco Flori Antiochi luxum exagitantis. Sed profecto nondum potuit expugnari, quamvis non ignores, illum non eſſe inflexilem, nec circa illum robur triplex eſſe, praecipue tecum ubi ago. Si particula *non* trajicitur & poſtponitur τῷ *ducem*, non nego ſententiam effici tolerabilem, ſed tamen ſi omnia perpendas, non ſatis aptam huic loco, ne dicam genus dicendi eſſe duriſſimum *ne aliqua ducem non degenerare videretur*. Dixerat ante Antiochum contentum fuiſſe fortiter bellum indixiſſe, cum ingenti ſtrepitu ac tumultu moviſſet ex Aſia, occupaſſe inſulas & delicata Graeciae littora, in quibus omne tempus tranſegerit tanquam victor in deliciis & voluptatibus. Hanc περιακοπὴν nunc illuſtrat & pluribus exponit, docens id factum eſſe in Euboea inſula ad Euripum, in cujus littoribus poſuerit ſerica tentoria, inter ſymphoniacos & roſas hibernas diem ducens, & tamen ut aliquod militare ſive ducis argumentum ederet, haec dicit ſatyrice Florus, dilectum habuit puerorum & puellarum. Nulla re oſtendit, ſe ducem eſſe, aut ullius ducis munere tum functus eſt, quam dilectu acto non militum, ſed ſcortorum. Vides ſententiam tum eſſe pulcherrimam & lepidam. Jam ante docuerat, Regem eſſe plane degenerem & luxu marcentem, qui nihil plane pro duce bono agat. Certe non tam appoſite tum ſubjiciatur, *ne qua ex parte non videretur degenerare ducem*, quam haec cum ducis omnia negligeret officia, dudumque neglexiſſet, ut tamen aliquo genere ducem ageret, dilectum habuit. Licet τὸ *tamen* in contextu non habeatur, eundem tamen ſenſum eſſe, ac ſi extaret ibi, facile per te vides, ſi totam periodum expendas. Quin rectius & elegantius a Floro fuit, verbis ita, uti habentur, ab ipſo contextis, omittitur *tamen*, quam additur, quamvis ſine detrimento ſententiae potuiſſet addi. Jam nihil dicam de tranſpoſitione vocis *non* contra librorum omnium fidem: nec de aſperrimo dicendi genere *degenerare aliqua ducem*. Nondum itaque potui a me impetrare, ut a membranarum ſcriptione diſcederem, niſi quod *genere* videatur inſertum ab illo, qui non intelligebat τὸ *aliqua*, quod mutavit poſtea in *aliquo*. Lib. IV. 2. illico tibi aſſentiar, ſi oſtenderis illius proelii Africam vel primum concurſum fuiſſe ancipitiorem, quam illum proelii Pharſalici. de *emicuit* non contendo. Non putavi, praetereundam lectionem, quam in membranis inveneram, nec ipſam ineptam, imo aptiorem huic loco, quam alteram, licet *emicare* Floro non

non infrequens, & poſſit hoc loco ferri. De iſta locutione *ſigna cecinerunt a Arimino* cupio a te doceri, ſi non gravaris, quid ſibi velit, & exemplo uno alterove illam illuſtrari. Nam eam me non intelligere non inficior. Nec ſcio quid ſit *a Roma* aut *Athenis ſigna canere. Ad Romam ſive Athenas ſigna canere* quid ſit capio. Sed illud dicendi genus ignoro. Igitur ut tibi aſſentiam, meam, quod ſaepiſſime factum ante hac, ruditatem tua eruditione ut abſtergeas, rogo. Boſchianum catalogum nondum vidi. In Leidenſi bibliotheca Rempſiana ſive potius ejus apendice, libros rariſſimos occurrere ſtatim intellexi, & tibi de tam pulchra occaſione rariſſimis libris bibliothecam augendi gratulatus ſum. Non eſt, ut metuas me tua commoda moraturum. *Cognati* libelli illi ipſi ſunt, qui ejus de ſanitate tuenda libris ſunt adtexti in ea, quam nuperius mihi vindicavi ex ejuſdem, credo, hominis, cujus nunc librorum reliquiae proſtant, bibliotheca. A *Columbo* quoque litteras habui cum anonymo fabularum Homericarum interprete, quem edidit. Sed Julium Obſequentem generi in illis litteris ſe mittere quoque ait, quem nullus vidi. *Cuperus* tibi ſalutem dicit. Propediem reſcribet tibi & *Bigotio*, eique pro Palladio gratias aget. Si tu poteris apud *Bigotium* perficere, ut mittat huc epiſtolam Chryſoſtomi ad Caeſarium, cujus olim ſpem fecit, ego illico curabo, ut vita haec cum ceteris opuſculis minore forma aut Amſterodami, aut Lugduni, aut hîc edatur. Id in me recipio. De *Perizonio*, quae narraſti, mirifice me exhilararunt. Impetum cepi cis paucas hebdomades cum *Philippo Tollio* ad Monaſterienſem Antiſtitem proficiſcendi. Is enim ad eum a Principe Arauſionenſi legatur, me rogat ut eum comiter. Non putavi tam bellam occaſionem negligendam, niſi quid ἀπὸ μηχανῆς interceſſerit. Utinam te quoque comite liceret nobis frui. Auctarium Schefferianarum annotationum rogo, ut mecum communices in aliquot dierum uſum. Nam nunc totus ſum in mea editione refingenda in gratiam *Elzevirii* hoc flagitantis. Vale, decus praeſidiumque meum unicum. Trajecti d. XVII. Jun. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DE Leidenſi auctione nihil ad nos adhuc eſt perlatum. Cras, ſpero, intelligemus, num propitio Mercurio ad tabulam hanc acceſſerint, qui noſtra ibi procurant. Si mihi ceſſit Alſarius de morbis capitis, cui ſatis grande pretium conſtitui, laetabor, & tibi ceteros theſauros non invidebo, etſi ſint plurimi, quos valde meos optem eſſe. Tuis tamen deſideriis mea non obſtabit cupiditas. *Maglibekius* ſignificat praeter illa, de quibus nuper agebamus, Lucae prodiiſſe diſquiſitionem *Franciſci Mariae Florentinii* de antiquo uſu fermentati panis & azymi in Euchariſtiae Sacramento; patrem *Franciſcum Haroldum* divulgaſſe Romae vitam beati Turibii; patrem *Oldovinum* catalogum ſcriptorum

Flo-

Florentinorum; Marchionem *Pindemontium* volumen orationum Criminalium Veronae; *Cornelium Magnum* itinerarium Turcicum Parmae, *Rautenfeſium* Patavii librum de rebus Moſcovitarum, & Patrem *Macedonem* grande volumen de incarnatione contra Patrem *Noriſium*, eumque librum ſcripſiſſe in carcere, nunc vero liberum ſolutumque in S. Auguſtinum publicare commentarium, & epithalamium Luſitaniae Principis; filiam *Patini* auctoritate Rectorum Academiae Patavinae non admiſſam eſſe ad dignitatem illam Scholaſticam, quam ambiiſſe illam accepimus. A *Carpzovio* quoque litterae denuo ſunt ad me perlatae, quibus tibi ſalutem juſſit nunciari, ſimulque nos certiores facit, ſe Cygneam valetudinis cauſſa ſe conferre, ut Egranis acidulis utatur aliquamdiu. Heri ab adventore intellexi, Saxoniae Electorem diem ſuum obiiſſe. Vale, vir maxime. Noſtri te ſalutant. Trajecti d. XIX. Jun. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Miror nihil etiamnunc litterarum Lugduno perferri ad nos, nec libros ullos. Sed ſolent interdum cunctari *Schultingii* & moras nectere. Cave dubites, nos inventuros eſſe editorem Palladio, ſimul ac ad Caeſarium epiſtola nobis fuerit reddita. Suam etiam in hoc negotio nobis operam promiſit *Spanhemius*, cum nuperius nos inviſeret, & Palladii vitam videret. *Ezechielis* eloquentiam admirari Gallicam aulam heri mihi retulit inſignis juvenis, qui modo rediit ex Gallia, & aliquamdiu egit apud noſtros oratores. Iter Monaſterienſe, ſi ego & *Tollius* valuerimus, & nihil intervenerit ἀπὸ μηχανῆς certo ſuſcipiemus. Utinam te comite id nobis liceat ingredi. Proxime cum te videro, nullas non machinas admovebo, quibus te expugnem, ut nobiſcum eo contendas. Faciet hoc ſpero valetudini tuae confirmandae. Revireſcent genua in tanti Principis complexu. *Signa ab Arimino ceciniſſe* jam magis magiſque mihi coepit allubeſcere, ſi alia occurrent exempla hujus locutionis, facile tuam in ſententiam ibo, nec dubito, quin plura in probatis ſcriptoribus obvia ſint, quamvis nunc noſtram fugiant memoriam. *Cuperus* adſcriptus eſt Ordinibus foederatorum populorum, ſuffectus in locum τοῦ μακαρίτου *Terburchii*, cujus mortem etiamnunc deploro, nec hunc dolorem facile dies minuet. Poſt *Schelii* & *Gronovii* obitum nullus mihi fuit flebilior, tanti feci ejus probitatem, candorem, fidem, & doctrinam. Mihi certum eſt, ſi vixero, horum triumvirorum vitam litteris & memoriae prodere, ſimulac a negotiis, quibus nunc premor, relaxabor. Forte *Perizonius* poterit ejus vices in gymnaſio excipere, quamvis norim pleroſque conſules ei non favere. Scribam tamen hoc nomine ad *Cuperum*. Sollicitatur quoque *Perizonius* ad Rectoris munus in Franeckerana Schola obeundum, ſpe data, fore ut ei provincia litteras docendi in illa Academia mandetur, ſimul ac obierit, qui nunc eas praecipit, cujus valetudo

fertur eſſe conclamata. Vale, maximum & unicum decus noſtrum & ſeculi. Trajecti d. XXII. Jun. CIↃIↃCLXXX. Noſtri omnes te jubent ſalvere.

EPISTOLA DCXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SUaviſſimis tuis per anguſtias & occupationes nunc reſpondere non licet. Cras tamen aut ſtylus fungetur officio, aut perendie ipſum os. Nam & te videre aveo, & audire, quid novarum rerum nuperius acceperis, & tecum agere de itinere Monaſterienſi. Si tamen quaedam, ut in hoc Scholaſtico magiſtratu nonnunquam ſolet accidere, intervenerint, proximo te Solis ante meridiem, ſi Deus dederit, in tuos ruam complexus. Habes hîc litteras a *Perizonio* & *Schultingio* cum tribus vaſis vimineis plenis librorum. Quando tandem, mi Heinſi, dicendum erit. Ohe! jam ſatis eſt. Ohe libelli! Mihi quoque nonnulli ſunt addicti, inter quos eſt Alſarius. Sed plures mihi & tibi aut erepti ſunt, aut eorum pretium ſic eſt auctum a *Wallio*, ut fere poeniteat tanti emiſſe. Paucioribus obolis, quam nunc florenis nobis ceſſiſſent, abſque hoc noſtro communi amico fuiſſet, qui omnibus rarioribus libris inhiavit. Pro vectura, haec enim tibi ſignificari juſſiſti, nautis Leidenſibus numeravi quatuor denarios. Vale, Virorum maxime, & me ama. Trajecti d. XXIII. Jun. CIↃIↃCLXXX. Cum *Francio* heſteri aliquot horas, quae de ſolido die decerpſeram, ſuaviter tranſegi non ſine jucundiſſima tui memoria.

EPISTOLA DCXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

IPſae Gratiae Venereſque ſuis te finxerunt manibus ad omne ſuavitatis genus, ut nihil te ſuavius ſol unquam adſpexerit. Vix a te diſceſſimus probe ſaburrati, & ſplendidiſſime benigniſſimeque habiti non nos ſoli, ſed & noſtri comites, nullis meritis officiiſque tibi cogniti, cum denuo tam amice nos invitas, ac ſi aliquot annorum intercapedo nos ſejunxiſſet, ut deſiderium noſtri diutius ferre nequeas. Quid pro tanto tamque teſtato ſtudio noſtri tibi referemus? Nam nos tuos eſſe totos χρήσει ϗ κλήσει noſti dudum, idque in omni ſermone prae nobis ferimus, utinam rebus poſſemus declarare. Cum igitur nobis gratae voluntatis teſtificandae nulla ſit facultas relicta, Deum precabimur, ut valetudinem tuam confirmet, inprimis debilitatos pedes recreet, ut brevi te hic complectamur laetum valentemque. Nam ad te non ante fas putabimus excurrere, quam hic tui nobis copiam feceris. Optatiſſimus & deſideratiſſimus venies. Iſta coeli clementia te non tam invitare quam compellere debebat ad mu-

mutandum aërem, & abſtergendam iſtam fuliginem, quam ad focum tuum tot menſes ſedens imbibiſti. Nullus dubito, quin hoc iter plurimum ſit collaturum ad vires reficiendas. Veni igitur, ſi nos amas, propediem. *Philippus Tollius* mihi ſignificavit Principem Arauſionenſem nunc aliam ſibi mandaſſe provinciam, quae praevertat longe profectioni Paderbornenſi. eam ſe differre in proximum ſeptembrem, potioribus nunc occupatum. Conſtitui itaque has ferias impendere litterarum ſtudiis, nec uſquam pedem efferre domo, niſi forſan unum alterumve diem Amſterodami exegero. De noſtro *Ryckio* rem acu tetigiſti. Nec ei, nec ulli amicorum Leidenſium adhuc miſi exemplum Flori nuperius a me editi, retentus a bibliopolis, cum exemplaria, quae fuerunt ſemel iterumque conſuta, ſibi vindicarint amici me inviſentes. Proxima tamen hebdomade ſine mora longiore fungar officio, & tarditatis culpam deprecabor. Litteras habui a *Schnabelio*, quem tertiana vexat, & miris modis exagitat, ut de Spadanis fontibus, relicta Lutetia, ſecutus auctoritatem medicorum, adeundis deliberet. Hiſtoria Byzantina *du Cange* lucem vidit. Accepi & a *Juſtello* litteras. Is ait ſe auctarium notarum *Petavii* in Epiphanium nunquam vidiſſe. Sed promittit ſe procuraturum, ut *Cramoiſius* nobiſcum communicet notas, quas patres ſocietatis Jeſu in illum ſcriptorem ei bibliopolae olim edendas dederint, ſed qui hoc conſilium pridem damnarit. Contra *Voſſium* calamum ſtringit praeco verbi divini Pariſienſis, defenſurus Hebraeorum linguam & ſcripta. *La Mare* Divionenſis ſenator fuit Lutetiae. Juſſit deſcribi Plinianas exercitationes *Salmaſii* de herbis & plantis. Exemplique deſcripti nobis fidem facit *Juſtellus*. Fefellit nos fama de *Cupero* in *Terburchii* τοῦ μακαρίτου locum ſuffecto in Batavis, ut ex *Perizonii* litteris didici, cui ſane factum velim. Iſtos libellos cum hac epiſtola tibi per me mittit *Schultingius*. Vale, Vir excellentiſſime & me ama. Trajecti poſtrid. Kal. Jun. CIϽIϽCLXXX.

EPISTOLA DCXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

VAletudinem tuam nondum inſtauratam eſſe, ſed reliquias quaſdam infirmitatis & dolorum reſidere in tot morbis enecto corpuſculo, pro meo in te amore ſane quam doleo, nec ante potero redire mecum in gratiam, quam te cum valetudine, ſi non optima, quod tamen mallem, ſaltem quae dolore moleſtiiſque careat, in gratiam rediiſſe cognoro. Nonnihil reſpiravi, ubi tuam vidi manum, certiſſimum argumentum meliuſcule nunc eſſe. Faxit Deus, ut brevi plane defungaris, ut poſt totius anni preces & vota, ante hyemem proximam te hic ſalvum laeti complectamur. Recipis epiſtolam *Columbi*. Cum ei reſponderis, faxo meas adjungam. Ei enim debeo reſponſum & gratias pro munuſculis acceptiſſimis. Moeris Atticiſta commode poterit ſubnecti Harpocrationi aut *Valeſii*, aut *Mauſſaci*, qui Lugduni noſtrae publicatur. Nec hoc de-

detrectabunt munus bibliopolae. Quin facile iis poterit perſuaderi, Harpocrationem vendibliorem futurum, ſi ei accedat libellus dudum a doctis expetitus, ſed nunquam ante hac editus: viciſſim Moeris plurimum manibus teretur, ſi tam docto adjicietur operi. Itaque non eſt, ut *Wetſtenium* ſollicites, mea quidem ſententia, ſed potius ut *Elzevirio* ſis auctor, ut paucarum & ejuſdem fere argumenti pagellarum librum ſubjiciat Harpocrationi. *Perizonii* noſtri vices doleo, quem ex his tenebris nondum emergere ſinit ei ſemper infeſta fortuna. Franeckerae credebam jam eum inveniſſe locum, non quidem parem ejus doctrinae, ſed nec indignum plane, ſed & hunc intercepit ambitio, & avaritia. Utinam alia ei parata eſſet provincia, quam ornaret. Heroidum Ovidianarum, quarum nuper memineris, fac potiaris, ne eas elabi tibi ſinas. Vale, praeſidium & dulce decus meum. Trajecti poſtrid. Kalend. Julian. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NON eſt, ut excuſes tarditatem in Cornelio Nepote reddendo. Quicquid meum eſt tuum ducito uſu & mancupio. Libellum illicò tradidi bibliopolae, qui tamen difficulter *Charondae* diatribae de duodecim tabulis poterit attexi, quia chartae majori illa eſt impreſſa, ut & ceteri, qui *Charondae* debent adjungi, libelli, de quorum marginibus multum erit recidendum, ſi in unum faſcem ſunt conſtringendi. Spem profectionis iſtius Principem Monaſterienſem decolaſſe, & ipſe fero graviter. Ferrem gravius, ſi te comitem itineris hujus mihi potuiſſem ſpondere. Proximo die Lunae *Francius* pro concione Scholaſtica verba facturus eſt. In loco illo Taciti ann. XIII. cap. 46. qui interpretes exercuit mirifice, pulcherrime videtur & acutiſſime, & quidem ex veſtigiis veterum membranarum emendatus. Sed & *dictitans* mallem abeſſe. Quis enim ita loquitur: *Saepe auditus eſt conſurgens e convivio dictitans*, ſi ſcripſiſſet *dictitare*, nemo reclamaret. Nunc cogitandum amplius, quod huic ulceri remedium ſit adhibendum. Mihi quidem cum maxime nunc nullum ſuccurrit, ſed id tibi unico Aeſculapio curandum committo. *Arrepto aditu* probo ſane prae *accepto aditu*, ſed & hoc *arripere aditum* durius dicitur, & vereor, ut admittat purius loquentium conſuetudo. Recte vero deles τὸ *ſe in imparem cupidini ſe*. Probo quoque lectionem codicis Agricolae, *matrimonium omittere*. Mox mallem *ibi ſe ſumma fortuna digna videre*, cum & propius accedat ad libri veteris ſcripturam, & neſcio quomodo magis blandiatur quam τὸ *intueri*. non diſplicet: *aemulatus angeret*. Habes hic litteras ab *Arnoldo*. Vale, vir maxime, & me ama. Trajecti d. III. Jul. CIƆIƆCLXXX.

EPI-

EPISTOLA DCXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DIſcidium hoc, quandocunque mihi domum redeundum eſt, ſemper mihi accidit peracerbum, ut diu mihi ipſe diſpliceam, & vix ulla ratione tui deſiderium lenire poſſim, nunquam tamen gravius mihi eſt moleſtiuſque, quam cum ſine ullis interpellatoribus aliquot horas tecum poſui in ſuaviſſimis de noſtris litteris ſermonibus. Tunc demum intelligo, quantum ſit, quod ignorem, & quantum ex inexhauſta ingenii doctrinaeque tuae ubertate, ſi tecum eſſe mihi liceret aſſiduo, poſſem quotidie diſcere. Simul ac reverti domum, videor mihi ex Parnaſſo Muſarum, divinis vocibus undique perſonante, veniſſe in ſolitudinem quandam, umbris lemuribuſque infeſtam. In tanta enim urbe nemo eſt, qui veris Muſarum deliciis ex interiore myrothecio hauſtis non dicam capiatur, ſed a quo intelligamur, ſi de his ſermones ſerere velimus, ut his barbaris barbari videamur. Tecum, Heinſi,

Tecum vivere amem, tecum obeam lubens.

Ceterum in Annali XIII. I. magis probo conjecturam tuam, quam praeſenti mihi oſtendebas: *ſe ire ad illam ſibi uni conceſſam.* Pro *dictitans* mallem legere *dictitare.* Saepe auditus eſt dictitare; quamvis verear, ne haec vox exciderit loco, in quo fuerat collocata a Tacito. Nam male & valde dure interſeritur his vocibus, inter quas nunc eſt poſita. Si legamus, quod tu vis, *Saepe auditus eſt, cum conſurgens e convivio Caeſaris, ſe ire ad illam uni conceſſum, dictitaret nobilitatem,* pendet *ſaepe auditus eſt,* & nihil reperitur, ad quod poſſit referri. Quid enim factum eſt *cum conſurgens dictitaret?* *A coepto,* vel *ab coepto aditu* non rejiciam, antequam melius ſuccurrat. Vix enim manum Taciti eſſe credo *coepit aditum,* vel *coeptus aditus.* De *vero animo* nihil verius Apollo cecinerit ex tripode. Plurimum tibi pro hujus loci explicatione debeo. Sed in ſequentibus haeret mihi aqua. Diſtinctionem quidem hanc & lectionem laudo vehementer an *foecunditatem & verum animum timeri, neve uxor.* Sed huic conjecturae non poſſum ſubſcribere. *ſaltum aperire in injurias patrum & iram populi adverſus* &c. Primo enim audaciſſima eſt tranſlatio *ſaltum aperire in injurias patrum,* quae alieniſſima eſt a Taciti ſubtilitate, vix poſſet ferri in Satyrico. *Saltum, campum, ſylvam, mare aperire* ſunt tritae locutiones. Sed *ſaltum aperire in injurias patrum* plane non fert Latina Lingua, ſicut *nec feneſtram* aut *campum aperire in injurias patrum.* Quin ſi Latini ſic loquuti eſſent, nihil aliud ſignificaſſent, quam datam eſſe occaſionem & tempus patribus injuria afficiendi Neronem. Multo minus poteſt dici *aperire ſaltum in iram populi adverſus ſuperbiam avaritiamque matris.* Nolebat enim Poppaea *ſaltum aperie in iram populi,* quamvis quid hoc ſit, non intelligam, ſed ipſam iram populi volebat juſta Uxor aperire Neroni, quam ei ignotam eſſe exiſtimabat. *Saltem* igitur non

non moverim loco. Senſus eſt, num times, ſi uxor tua fuero juſta, ut ſi non alia, ſaltem injurias, quibus a patribus afficeris, & iram populi in tuam avaram & impotentem matrem detegam & tibi indicem. ϰ̀ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Moleſtiſſimos homines, qui tantum tibi negotium faceſſunt, & tuum otium ſacrum turbant inpoſterum ut amoliaris ea fronte, qua tibi audent incommodare, neceſſe eſt. A me ſane nulli admiſſionalem teſſeram accipient, niſi qui erunt tuo conſpectu digni. Vale, vir nobiliſſime. Trajecti d. x. Jul. CIƆIƆCLXXX. In Anglia totis turbatur agris de integro.

EPISTOLA DCXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DElicias Cornelianas omnibus praefero nundinalibus epulis, quamvis nemo me vocarit his nundinis, niſi Danus quidam, qui mihi aliquamdiu dedit operam, & reditum nunc adornat in patriam. Sed omnibus his lautitiis aequo animo carebo, modo tuis frui liceat ſermonibus & doctis obſervationibus. Harum nunquam ſatias me capit, cum illarum ſemper poſtridie poeniteat. In annali XIV. cap. I. legitur in editis: *ne uxor ſaltem injurias patrum iram populi adverſus ſuperbiam avaritiamque matris aperiat.* Recte tu: *neve uxor.* Reliqua videntur non male ſe habere. Oratio eſt ἀσύνθετος. hujus ſententiae, an forſan timeat Nero, ne cum juſta uxor ſit, & liberius loqui liceat, ei detegat & ſignificet, quibus injuriis & ipſe & populus afficiatur a ſenatu, & quanto in odio apud populum ſit ejus mater Agrippina propter ſuperbiam & avaritiam. De *vero animo* nihil certius ab ipſo Apolline Pythio potuit afferri, quam quod tu attuliſti. En tibi elegans hujus notionis exemplum apud Trebonium in epiſtola ad Ciceronem quae eſt in lib. XII. ep. 16. *Non neſcis quanti te faciam, & quam pro noſtro veterrimoque amore, omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono gaudeam. Accipere aditum* fateor me ferre non poſſe, idque corruptum eſſe flagitioſe, non nego. Sed, ut ingenue dicam, non magis arridet *coeptus*, & *occeptus aditus. Coeptum iter*, pro incepto, ut & *amicitia coepta*, optime & Latiniſſime dicuntur: ſed *coeptus aditus* pro primo aditu videntur aures Latinae reſpuere: meis ſaltem gravis accidit haec locutio, quamvis Latinas eas eſſe minime jactitem. En tibi donum a *Braunio* & *Columbo*. Sperabam te his nundinis ad nos advolaturum. Sed valeant nundinae hae triviales. Dum erunt verae nundinae, cum te hîc fuerimus complexi. Quod ut propediem fiat, te obnixe precamur ego, uxor, liberi. Nihil, mihi crede, nobis accidet gratius, & deſideratius, quod te minime fugit. Vale, decus noſtrum & nihil reſcribe, ſed veni. Coram tum fabulabimur. Iterum vale. Trajecti Batavorum d. xv. Jul. CIƆIƆCLXXX.

EPI-

EPISTOLA DCXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri, ne tuo exoptatiſſimo conſpectu bearer, me retinuit hîc expectatio litterarum, quae certum me facerent itineris Germanici. Eae demum pomeridie ſunt allatae. Dies profectioni dictus eſt proximus Veneris. Cras a prandio cum *Spanhemio*, *Witſio*, *Voetio* ad te videndum excurram, ut tua juſſa ad Principem perferenda capeſſam. Incredibiliter doleo per valetudinem tuam nec poſſe nos nunc tuo complexu, nec tuo in itinere frui comitatu. Deum precor, ut moleſtiis omnibus te levet, ſalvumque ac incolumem nobis praeſtet. Vicinus meus excuſat nundinas & multitudinem librorum. Cis unum alterumve diem eos conglutinatos habebis. Apud Tacitum *civitas Juhonum* non eſt urbs quaedam, ſed reſpublica, gens, ut *civitas Helvetiorum* apud Caeſarem de bel. Gall. c. 2. & Parthorum ac Hyrcanorum gentem *duas maximas civitates* vocat Juſtin. XLI. 5. Infinita exempla alia occurrunt. Sic autem & hoc loco accipiendum eſſe docent ſequentia, *Nam ignes terra editi villas, arva, vicos paſſim corripiebant*. Cetera in craſtinum. Vale, decus noſtrum. Trajecti d. XIX. Quinctil. CIϽIϽCLXXX.

EPISTOLA DCXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri ſalvus domum redii, teque nunc rectius valere incredibili cum gaudio accepi. Celſiſſimus Princeps Monaſterienſis me perquam comiter & benigne habuit. Tu magna pars fuiſti noſtrarum fabularum. Vehementer movebatur tua valetudine. Litteras tuas noviſſime ante meum diſceſſum ad me datas cum ei recitarem, ita ejus frontem, quam contraxerat quartana, cujus impetum ſemel atque iterum ſenſerat, quem tamen vis medicinae repreſſerat non ſine metu novae offenſionis, videbam porrigi, ut plane recrearetur. Tibi juſſit ſalutem dici plurimam & amantiſſimis quidem verbis. Inveni hic etiam redux litteras ducis *Montauſerii* effuſas in tuas laudes, quas videbis, cum ego te. Hodie vero ruiſſem in tuos complexus, niſi me retardaret Academici muneris officium, quod ante perendinum me non ſinit pedem ex urbe efferre. Geſtio poſt tantum intervallum tua frui ſuavitate, & vix deſiderium ejus fero. Sed neceſſitati cedendum. Vale, decus noſtrum unicum. Trajecti ὡς τάχιστα. poſtrid. Kalendas Septembres Gregorianas CIϽIϽCLXXX.

EPISTOLA DCXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

INvaletudo tua me valde conturbat. Nam quamvis dolore jam te putem levatum, nondum tamen te plane convaluiſſe vereor, quia nihil a te, qui officii diligentia mortales omnes ſuperas, vidi. Meum quidem fuit tibi gratias agere pro nuperrima, qua me cum meis excipiebas denuo, comitate, nec infitior culpam tarditatis, eamque deprecor, ſed tu non ſoles ad exemplum meae procraſtinationis ceſſare, cum vales. Angor itaque & crucior, nec ante hac ſollicitudine liberabor, quam vel ex te, quo nihil mihi accidere poterit optatius, vel ex tuis de tua valetudine certior factus ero. Hodie litteras habui a *Gudio* & *Carpzovio*. Ille haec de te: *Quae poſtremum amoenae coronidis loco de Illuſtris Heinſii noſtri perpetua atque conſtanti in me voluntate tam ſuaviter nuncias, ex plurimis, quas habet epiſtola tua, jucunditatibus, & omnium primae & maximae mihi voluptati fuere. ego ſane priſtinae obſervantiae, qua virum tantum ſemper colui, nihil unquam patiar decedere. Virgilium & Vellejum Paterculum, quos ab eo mihi miſſos dicis, ſancte teſtari poſſum, me non vidiſſe, idque eo tantum ſcribo, ne intermiſſi, quod eo nomine perſolvere debebam, officii coarguar. Nihil mihi gratius facere poteris, quam ſi inſignium ejuſmodi virorum amicitias mihi tum novas concilies, tum inprimis veteres noſtras ea, qua multum vales, gratia tuearis & conſerves.* Carpzovius vero narrat, ſe peſtis metu in agrum ſe contuliſſe, ſed cura reipublicae, quae ei commiſſa eſt, retractum eſſe in patriam urbem. Amoenitates *Menagii* jubet nos expectare, quam primum occaſio mittendi affulſerit. Subjicit dehinc: *Ampliſſimo Heinſio, cujus binas ad me litteras Zuiccaviae & Chemnitii nuper accepi, multam ſalutem nunciari, & ſilentium meum excuſari velim. Variis calamitatibus & aerumnis, ob propinquorum mortes non unas impeditae res noſtrae liberos nobis hactenus non permiſerunt ſpiritus ad reſpondendum ipſi: & crebra litterarum tamen ipſius lectione dolores lenio & demulceo. Multum quaeſo ſalutes ſanctiſſimum caput! quod utinam diu valeat.* Hoc & ipſum ingemino, ratumque eſſe volo. Trajecti ὡς τάχιστα. a. d. III. Kal. Septemb. Julianas CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCXXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NAE tu homo es mirifica comitate & humanitate. Cunctis, quotquot unquam harum virtutum laude floruerunt, palmam praeripis. Cum omnibus hoſpitalitatis muneribus functus ſis cumulatiſſime, ut nullis verbis aſſequi

poſſim

poſſim effuſam tuam in me meiſque accipiendis benignitatem, tu tamen excuſas. Imo, ſi diis placet, deprecaris aut frugalitatem coenarum, aut officii negligentiam. Quid eſt excedere humanitatis terminos, ſi hoc non eſt? Quid mihi faciendum, qui toties tuum otium interpello, teque crebris ſalutationibus & inconditis fabulis eneco? Sed ex tuis incommodis mea comparo. Quid me beatius eſſet, ſi mihi daretur quotidie a tuo pendere ore? Quantas eruditionis opes brevi congererem, qui nunquam a te diſcedo niſi doctior. Video igitur, quid tibi debeam, ſed debito quî me poſſim exolvere, non video. Me ipſum pignus habebis & praedem mei debiti. Quin quamdiu in vivis ſum, totus ſum tuus nexu mancupioque. Carmen tuum jam typis deſcriptum erat, cum litterae tuae mihi redderentur, ut non poſſet emendari, quod volebas Apud *Schnabelium* memor ero tuorum mandatorum. Schultingiorum mater, optima foemina, diem obiit Neomagi, quod hodie filius lugens mihi ſignificavit. Brevi tamen ſe Lugdunum rediturum ſcribit. A *Lemonio* litteras accepi, in quibus gratias mihi agit pro Floro. Inter alia haec de te: *Bene eſt quod nobiliſſimum Heinſium in partem laboris venire volueris. Quam egregia ſunt ea omnia, quae tibi ſuppeditavit, quam ingenioſa, & faventibus Muſis excogitata. Vivatis, floreatis ambo, maxima litterarum columina, & variis aliis operibus adhuc vehementer laborantibus medicas manus admovere pari ſucceſſu non dedignemini.* Haec vir optimus, qui adjicit, ſe ad nos ſtatuiſſe in nuperis feriis excurrere, niſi iter Monaſterienſe meum interceſſiſſet. Doleo viri inſignis ſermonibus me non potuiſſe frui. Conqueritur de operarum ignavia, perquam non poſſit extrudere Graeca ſua opuſcula, quae ſub proelis ſudent. Quicquid praeterito die Solis ex te audivi de locis Catullianis & aliis, quia litteris non mandavi, ex memoria mea effluxerunt. Utinam tantum tibi virium eſſet, ut ea poſſis mihi revocare! Orationem *Drelincurtii* a te expecto, cujus ſpem mihi feciſti. Vale, vir ſumme, & me ama. Trajecti ὡς τάχιςα. d. IX. Septemb. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PRO tuo munere tibi gratias ago magnas, quamvis non magnam ex illius lectione voluptatem ceperim. Nihil enim hac noſtri amici diſſertatione inſulſius & frigidius, meritoque & a collegis ejus & ab ipſis adoleſcentibus cum audientibus fuit exſibilita, & in omnibus circulis irriſa. Non ſolus fuit *Berkringerus* in noſtra olim Academia, qui magno conatu magnas nugas dicere ſolebat. Habet patria tua, quos ei poteſt aut comparare aut anteferre. Quod *Columbo* doctiſſimo deſtinavi propediem, illuc perferetur, cui adnectetur tuus liber. Tibi quoque ἀντίδωρον mitto *Danielem Eremitam*. Certum eſt Electorem Palatinum fatis functum, filio in Angliam profecto, ejuſque uxore in Daniam, quo etiam ſe contulit uxor filii Electoris Saxoniae: utraque nunc Electoris

uxor redit. Palatinus conſilio & doctrina facile cunctis Germaniae principibus palmam praeripiebat, ſed acrior erat juſto, & impotens in ira vindictaeque cupidiſſimus. Boni omnes Deum venerantur, ut fauſtis auſpiciis hereditatem paternam cernat filius, & ex uxore liberos tollat in ſpem ſucceſſionis, ne aliquando fiat aliena regionis acceſſio, & ſacrorum cerimoniarumque ratio immutetur, quod, ut nunc res ſunt, vix effugiet. Principis enim uxor fertur obeſior eſſe, & liberis ſuſcipiendis parum habilis. Catullianum epigramma ſcite hercle & pervenuſte mihi viſus es emendare. *Pete nobiles amicos* ſic quoque accepit *Gronovius* in loco a te laudato. Plura vellem, ſed obſtrepit, quae litteras petit. De *maena* memini quoque Martialis locum correxiſſe. Sed hunc quoque mihi ſubduxit oblivio. Numeros memini, ſi verba tenerem. Vale, vir incomparabilis, & me ama. Trajecti d. x. Septemb. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

R*lbbius* catalogum Hagenſem nondum vidit. Simul habebit, ad te curabitur exemplum. *Schultingii* reverterunt Leidam, tuoque ſervient deſiderio. Junianos libros excuſſi pleroſque. Manuſcripti ſunt nullius pretii, praeter Oroſium, qui in charta eſt exaratus, eique Valerius Maximus eſt praefixus. Niſi *Mattheus* Lugdunenſis Juris Doctor, qui ad hanc obeundam auctionem in iſta nunc agit urbe, tuis votis obſtiterit, tuus erit iſte liber. Heri ad me perlatae ſunt *Perpiniani* epiſtolae, quas *Franciſcus Vavaſſor* edidit. Ammianus Marcellinus *Valeſii* lucem brevi videbit. In epigrammate Catulliano tuam diſtinctionem valde probo. Verſus tamen ultimi videntur etiamnunc mendis non carere. Durum enim eſt, nec pro candore Catulliano, *Expenſum refero datum lucello.* Sed nihil tamen tua ſententia melius nunc poſſum extricare. Accuratius autem hunc locum examinabo, ſimul ac per negotia licuerit mihi eſſe vacuo. Scribendum vero in illo ipſo epigrammate *fuiſtis* recte vidiſti. Id quoque priſcos omnes codices prae ſe ferre *Achilles Statius* monuit. Sed in ſequente verſu mallem ex iiſdem codicibus: *Nam nihilo minore verpa farti eſtis.* In epigrammate x. valde placet *praeconibus.* Nam praecones in provincias habuiſſe praetores conſtat ex Suetonii Tiberio, aliiſque locis veterum ſcriptorum compluribus. In Martialis epigrammate mirifice blanditur quoque: *nec deeſt hinc oculis & inde lippis.* Sed in verſu praecedente adhuc haereo. Neſcio an ſatis Latine dicatur *moenae dominus* pro qui veſcitur moenis. Nam in Arnobio longe aliud eſt, cum Neptunus dicitur *dominus moenarum & piſtricum.* Irridet enim doctiſſimus Afer ſtultitiam paganorum, qui Neptunum credebant deum eſſe marinum, & imperium habere in moenas & piſtrices. Sic & *frumenti dominus & piperis* eſt poſſeſſor, aut qui aliis vendit. Propius accedit *lacerti dominus* apud Juvenalem. Sic enim videtur ibi poſitum eſſe pro homine frugali

&

& tenui coena contento, ut ex ſequentibus patet. Vetuſtiſſimum tamen vitium eſt. Nam antiquus interpres monet *lacerta* poſitum eſſe pro *lacerto*, quamvis male interpretatur. In Pomponii loco plane tibi ſubſcribo, ut & in Martiali *cetarius inſtitor* ex antiquo libro reſtituenti. Libri editi in Juniana auctione plerique peſſime ſunt habiti. Incompacti, quos tu deſideras, ſunt integri, & plerique tibi addicti, de quibus proxime plura. Pridie me inviſit tuus affinis *Goeſius*, filiam repetens. Dordraco ad nos excurrit, & hodie remeavit Hagam. Vale, meum decus unicum. Trajecti d. XXII. Septemb. CIϽIϽCLXXX.

EPISTOLA DCXXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri feſtinans meum catalogum pro tuo ſubjeci. Hic vero redibit ad te cum libris perendie. Nam puer, qui nobis ſerviit in hac librorum auctione, domo aberat, vix ante meridiem reverſurus. Cras obſecratione ſollemni pax Dei quaeretur, ut, quod tibi emtum eſt, videre non poſſis ante perendinum. Calculos ponemus, cum libri mittentur, qui num omnes poſſint conjici in unam ciſtam aut fiſcum, videbimus. Sin minus, majores colligemus, ut jubes, in faſcem. Vinum ceraſis condîtum vix credo hîc poſſe reperiri. Inquiram tamen diligentius. In Catulli loco illo perobſcuro nihil melius extrico, quam quod tu excogitaſti,

Expenſum, ut mihi, qui meum ſecutus
Praetorem refero datum lucello?

Quamvis locum nondum ſatis perpurgatum exiſtimem. Videtur enim durius dictum eſſe, quam fert ille Catullianus nitor. Longe tamen praeferam *datum τῷ vatum*, de quo noviſſime mecum ſermones ſerebas. In Propertio tu perpulchre

Tantine ut lacrymes Africa tota fuit?

Nil potuit certius, & pulchrius inveniri dicive. In Martiale blanditur quidem valde *olidi coci*, ſed nondum ſatis cauſſae video, cur recedatur a librorum veterum ſcriptura. Nam quamvis libri emerentur quoque ab aliis vilium rerum inſtitoribus, potuit tamen, ut fit, ad contemtum poetarum teſtandum non inepte dicere, carmina hodie nullos inveniunt emtores, niſi ſolos cocos. Forte & quia in culinis poëticos complures libros reperit. Memini ſimilia loquendi genera cum apud ipſum Martialem, tum apud Juvenalem alioſque occurrere, quibus tamen inveſtigandis vacare nunc mihi non eſt integrum. De *odore impudico* deliberandum amplius. Nunc nihil decerno. Tuam tamen conjecturam pluris facio quam vulgatam lectionem, quae ferri non poteſt. Sed quid in illo epigrammate eſt *focus virens?* Marmorei horti etiam nunc meae inſident memoriae, ſed Plinii loca effluxerunt. In recenſendo Juſtino cum *Scheffero* & *Fabro* ſaepe mihi res eſt. Hic mirificam amici ſui *Borelli* explica-

tionem loci intricatiſſimi, qui extat lib. 11. cap. 2. memoriae non modo prodidit, ſed etiam ſummopere praedicavit: *Omnia in tabellis ligneis magiſtratibus perſcribit, eaſdemque cera ſuperinducta delet: ne aut ſcriptura ſine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet.* Pro *eaſdemque* repoſui ex Juntina *eademque* ſcilicet *cera*. Fateor locum eſſe ſalebroſum, & aut Juſtinum feſtinantem in contrahendo Trogo aliquid omiſiſſe, aut librarios, debuiſſet enim praecedere *eraſa cera, eademque ſuperinducta delet*, quae ſcilicet ligneis tabulis inſcripſerat. Sed *Tanaquillus* hîc longos logos ſerit. Tandem ipſe conjicit legendum eſſe pro *delet tegit*. Mox *Borelli* conjecturam probat, qui legit *delevit*, contenditque hoc non a *deleo*, ſed a *delino* eſſe, ſicut *collevit* apud Gellium XVII. 9. Et ſic *deleverat* ait capiendum eſſe in illo Petronii: *Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat*. Quid vero eſt *delinere ingenia?* ſi addidiſſet *nugis declamatoriis* aut ſimile quiddam, poſſet forte ferri, ut *imbuere arte quadam:* ſed nunc plane intelligi nequit. Vale, vir & amice ſumme, & a noſtris ſalve. Trajecti d. XXVIII. Septemb. CIƆIƆCLXXX. Velim memineris *Phorbaei* & *Perizonii* in litteris ad *Naeldvicium*, & *Crucii* ad *Beuningium*. Omnibus promiſi te illorum cauſſam aucturum. Largire de tuo puer dices. Sed novi tuam de omnibus bene merendi promtiſſimam voluntatem. *Otto Menkenius* & *Pfautſchius*, Profeſſores Academiae Lipſienſis celeberrimi, amici noſtri *Carpzovii* perluſtrarunt hac aeſtate Belgium & Angliam, & quicquid virorum inſignium in iis habetur, viderunt. Nunc reditum adornant ad lares patrios. Sed religioni ſibi duxerunt ex Belgio remigrare in Germaniam, antequam te praecipuum & unicum Belgii decus viderint. Hinc cum ad vos excurrere hoc die decrerint, petierunt, cum, ipſe ne eos comiter, interceſſerint Academica negotia nec opina, ut fores eis ad tuum complexum & bibliothecam aperirem his litteris. Quod officium viris clariſſimis & mihi amiciſſimis debere non potui. Tu, nullus dubito, quin pro valetudinis ratione, quam firmiorem ſpero, comiter & benigne ſis viros eximios excepturus. Mihi ex Anglia pertulerunt litteras ab Epiſcopo Oxonienſi cum nova editione Marci Antonini de Seipſo, & a Cl. *Bernardo* Ciceronem a *Pithaeo* cum MSS collatum. Plura alias, cum te videro, quod tamen mihi cras non licebit. Hanc enim felicitatem mihi invident variae inexpectatae occupationes. Audio ad vos hodie excurſuram quoque turbam juvenum. Tu malo cavebis. Vale, decus & praeſidium meum. Traj. d. XXVIII. Septemb. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Accepi heri & ipſe a fratre & *Carpzovio* litteras, in quibus illarum, quas ad te dedit, meminit. Meae ſunt recentiores. Salvae tum res erant apud amicos. Deplorat tamen affinis ſui *Martini Gejeri*, qui Saxoniae duci erat a con-

concionibus, quique unicam *Carpzovii* ſororem duxerat, obitum. Friburgi ubi tum erat Elector cum aula, extinxit *Gejerum* apoplexia. Vir erat pietate, doctrina, facundia inter primos, quos Germania tulit hac tempeſtate, Theologos. Extant ejus commentarii in Danielem, Pſalmos, alioſque libros; ſed in primis cum applauſu olim exceptus fuit ejus libellus non ineruditus de luctu Hebraeorum. Miror de Clemente Alexandrino recudendo cogitare Lipſienſes, cum is liber ſatis ſit obvius. Menagianas Antiquitates cupide videbimus. Catalogum Francofurtenſem autumnalis panegyrios nondum vidi. Procul dubio feſtinatio nimia impoſuit *Elzevirio.* Libros hodie accipies cum catalogo & rationibus. Puer, quo in emendo uſi ſumus, dicit tres quatuorve parvos libros deſiderari, quos fruſtra quaeſierit. Se tamen cum magiſtro auctionis de hoc furto queſturum. Praeter hos viginti duos obolos, quos impendiſſe ſe ait puer in corbe emendo, nonnihil argenti tibi debetur refundendum ex illis nummis, quos mihi miſiſti. Non ſoli enim quinque floreni & quinque oboli ſunt deducendi, ſed & non nullum aes pro aliis quibuſdam libris mihi ſumtis, quos in illa ipſa ſchedula notaram, cui monaſticum Anglicanum quinque florenis emtum inſcriptum erat. Sed cum illa non ſit ad manum nunc, & neſcio quo in angulo abdita jaceat, rationes cras demum diſpungi poterunt. Habui heri quoque ab *Huetio* litteras, ſcriptas Alneti, quae Abbatia ejus eſt, undecim miliariis diſtans Cadomo verſus Auſtrum, ad Udonem fluvium, in quibus haec de te: *Cl. Heinſii ſtudium & humanitatem erga me jam ante expertam nunc etiam ex litteris tuis cognoſcere per mihi gratum atque jucundum eſt. Deus hominem optimum, elegantiorum Muſarum alumnum, nobis ſoſpitem praeſtet.* Non longe poſt: *Probari tibi Heinſioque poëmatia noſtra laetor, & in eo, ita me Deus amet, non mediocriter glorior, cum veſtrum utrumque norim, quam egregii amoenitatum hujuſmodi ſpectatores ſitis. Poëtam enim artificio ſuo prae caeteris delectari & efferri optime noſti.* Habui & ab alio amico Pariſiis litteras, quem rogaram, ut mihi ſignificet, cur *Juſtellus* ſuam vendiderit bibliothecam. Repoſuit ſe ex ipſo *Juſtello* intellexiſſe, hanc iſtius rei cauſſam eſſe, & quod videat precium librorum quotidie minui, & quod credat ruinam impendere ſacris noſtris, praeſtareque pecuniam habere in numerato, quam multos libros, qui tali tempore ſint oneri futuri poſſeſſori. Alios tamen addit credere, uxorem, quam tenerrime amet, hujus venditionis auctorem eſſe. *Phorbaeus* quoque tibi ſalutem dicit, promittitque, ſi cognato tuo ſe tradideris Dordraci ſine hortatu ſuo, te intellecturum tibi rem eſſe cum homine gratiſſimo, quamvis nulla cauſſa ſit, cur ſe poeniteat loci, quem teneat. Tibi quoque nunciari vult, ſe totum eſſe in convectanda variorum meſſe in Heſychium. Apud Juſtinum viſus ſum heri mihi locum emendare lib. 11. cap. 13. non longe a fine. In editis ſic legitur: *Erat res ſpectaculo digna & aeſtimatio ſortis humanae, rerum varietate miranda.* Recte vidit *Schefferus* haec male cohaerere, cujus notae videndae. Sed omnis difficultas minuitur, ſi ſcribamus: *erat res ſpectaculo digna, & aeſtimatione ſortis humanae rerum varietate mirandae.* Utinam in animum inducere poſſes, ut aeque lectioni Juſtini aliquot horas impenderes, ut olim impendiſti Floro. Non po-

poterat huic ſcriptori optatius aliquid accidere. Vale, decus & praeſidium meum. Trajecti d. xxx. Septemb. CIↃIↃCLXXX. En tibi alium Catalogum. Velim & Crucii & Perizonii memineris. De Goudano poſſet ſcribi, ſi quaerant, ut doctrina & dexteritas in docendo & regendo ludo jam ſit probata, meliorem hoc inveniri non poſſe, quod eſt veriſſimum. Sin ille non poſſit obtineri, aut malint doctum juvenem 30. circiter annorum, doctiorem *Perizonio*, & qui gravitatem quandam vultu prae ſe ferat, in noſtris terris non haberi. Sed ſus Minervam.

EPISTOLA DCXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUae ad Catullum notaſti, quibuſque tuas priores emendationes firmaſti, omnia ſunt pulcherrima. Certum eſt, *junge mi calices amariores*, ut & *farti eſtis*, & *mentula verpa* apud Martialem. Si & ceteros naevos illius epigrammatis mihi indicaveris, augebis tua beneficia. In epigrammate VIII. Catulli verſus illos, quibus tu medicas manus admoves, contaminatos eſſe *Statius* quoque vidit, qui emendat;

At tu dolebis, cum rogabis nulla
Sceleſta nocte. Quae tibi manet vita.

Quod non longe ſane abit a membranis, quae prae ſe ferunt, *ſceleſta ne te.* Si *jam* extaret in ullo codice, tibi ſane applauderem corrigenti. *Sceleſta quae ne jam tibi manet vita? Lenae* non arridet. Nam etſi lenarum opera uterentur in conciliandis puellarum noctibus amatores, tamen multum rogatas illas fuiſſe a lenis non eſt veroſimile. Nihil melius video, quam quod *Statio* in mentem venit. Politiani opera inſpicientur. Si Aſcenſianae ſunt editionis illos duos florenos & tres obolos, qui tibi ex argento debentur (nam praeter illos viginti duos obolos qui jam ſubducti ſunt ex fiſco, nautae Leidenſi pridie fuerunt numerandi quatuor, pro naulo nummorum, alii ad Ryckium ſunt miſſi, & libellus hiſtoricus, quem deſiderabis, ſex obolis fuit redemtus) impendam. Sin viliori pretio vendentur, cetera perendie tibi reddam. Rogo, ut illo die mecum pranſurus venias. Saepius hac aeſtate a collegis Theologis vocatus perendie illos revocabo, & ſenatorem *Voetium* quoque invitabo. Nunc cum tempeſtas nondum aſperrima permittit, iterum iterumque peto, ut ad nos excurras, & in prandio praeſto ſis. Cras expecto, num ſcapha, an curru velis uti. Si ſcapha veheris, rheda te ad eſcenſum praeſtolabitur. Daventrienſia mihi erunt curae. Sed *Perizonius* dicitur gravi morbo correptus jacere. Libros incompactos nunc accipis; hiſtoricus, neſcio quo ex mea menſa aufugerit. Retrahendus tamen ex fuga eſt. Vale, & veni. Trajecti a. d. IV. Octob. CIↃIↃCLXXX.

EPI-

EPISTOLA DCXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NObis tua ſuaviſſima conſuetudine in hoc quaſi condicto prandio carendum eſſe doleo ſane quam vehementer. Nam cum non ignorem, quibus tu ſuavitatibus & tuas & aliorum coenas, quibus Atticis ſalibus & jocis eas condire ſoleas, video nobis quoque praecipua voluptatis, quam animo praeceperamus, parte carendum eſſe. Itaque per te non licebit nos tam hilaribus eſſe, quam ſperaveramus. In Catullo nihil eſt certius *cum rogaberis nulli, ſceleſta, noctem.* Haec eſt Catulli manus. Ancillae olidae ſordent mihi foetentque. Haec pridie ſcripſeram, ſed ne cetera, quae tua ſcire intereſt, adjicerem, obſtiterunt convivae maturius interpellantes meam operam. Heri quoque intervenere non nulla, quae non ſiverunt me hanc epiſtolam pertexere. Interea litteras alias habui a *Carpzovio* valde prolixas, in quibus & fata patriae ſuae, & ſuae domus, quae *Gejerum* amiſit, deplorat, in primis dolet propter hanc temporum acerbitatem nihil librariae rei ad illos perferri, quo difficiles curas poſſit diſcutere. Adeo enim arctis vicinorum malevolentia ſe includi finibus, ut vix centum ab urbe paſſus ſibi liceat conficere; Obſideri omnes vias a militibus, ſeque intra anguſtias & miſerias urbis afflictiſſimae repelli. Hanc cauſſam eſſe, cur *Menagii* Amoenitates jam dudum confectae ad te & me non perferantur. Illis ſubjecit vitam *Henrici Valeſii* a fratre litteris proditam. Multa deinde ſubnectit in his litteris de utroque noſtrum, deque ſuo de nobis bene merendi ſtudio, ſi vivat. Sin humanitus ei quoque quid accidat, rogat, ut epithaphio noſtrum in illum amorem teſtatum faciamus, quod Deus avertat. Reineſianas inſcriptiones in magno verſari diſcrimine, ne intercidant & pereant. Typographum enim, cujus proela fatigabant, cum univerſa familia & ſervis extinctum eſſe peſte. Metum contagii, quod certum plane ſit, ſi quis chartas ex infecto loco auferre, inque iis perluſtrandis ſtudium ponere velit, non minus excuſas plagulas, quam archetypon officinae ſic alligare, ut, dum nemo aut eam intrare, aut quicquam inde petitum manibus contrectare audet, periculum ſit, ne confuſis buſtuariorum, veſpillonum, aliorumve perditorum ſive nequitia, ſive negligentia, prorſus operis aliqua nondum impreſſa pars pereat, & αὐτόγραφον auctoris, cujus deſcriptum exemplar non ſuperſit, intercidat. *Ferrarii* Electa Patavii edita paullo, antequam peſtilentia illas terras infeſtarit, fuiſſe Lipſiam perlata, quorum lectione ſe mirifice delectari, ut & diſſertationum *Perizonii* narrat. Frater quoque meus cum ſuis etiam tunc valebat. Deum precor, ut amiciſſima capita in tantis periculis ſervet. *Ferrarii* Electa ſummopere videre deſidero. *Lambecii* octavum tomum ait ſe accepiſſe. Auctorem Pragae peſtilens lues extinxit. *Perizonio* miſi tuas, & Valerium Maximum, & ab illo litteras habui, quibus rogat, ut apud te tarditatem in reſpondendo tuis litteris ex-

cuſem. Proxime ſe, volentibus diis, officio functurum, ſe nunc a febri ardentiſſima reſpirare, & vires collapſas recolligere. Non tamen binas, ſed unas tantum litteras a te habuiſſe. Dordracenae provinciae eſt cupidiſſimus. De ceteris proxime. Vale, vir ſumme & me ama. Trajecti d. VIII. Octob. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCXL.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Viennam.

PRolixas hodie daturus eram ad te, quas tuis binis noviſſimis reponerem. Sed cum prandium ſit accelerandum, & a prandio ſtatim prodeundum paucis his verſibus, pro tuo in me ſtudio, contentus eris, ſubitiſque, quae nec opino ſupervenerunt, occupationibus ignoſces. *Cornelium Schultingium* Lugduni, & *Francium* Amſterodami graviſſima febri fere confectos jacere heri ex amicis accepi. Deum quaeſo, ut utrumque ſervet. De puero nummos pro venditis libris magiſtro auctionis numerante, antequam exploratum & perſpectum habuit, qui deſiderentur, merito quereris. Illius hominis videtur culpa eſſe, qui libros adportat & recondit, quod nonnulli intercidant. In poſterum inſpiciendi erunt libri, num adſint, pro quibus nummi ſunt pendendi, antequam pendantur. Mihi non ſemel in paucis numero libris mihi vindicatis idem accidit. Reliqua, quae tibi debentur, a me ipſo recipies, cum te videro. Politiani opera in Ratingiana auctione Baſileae prodierant, non apud Aſcenſium. In Catullo pulchre reſtituiſti

Cum rogaberis nulli, ſceleſta, noctem.

Nihil verius. Apud Martialem, valde probo *Judaeum nuda qui cute pondus habet.* Hoc eſt, qui habet recutitam mentulam, utpote Judaeus religione. Sed in ſequente diſticho puto retinendum omnino eſſe *vera mentula.* Non enim dixit ſervum Lecaniae fuiſſe Judaeum, ſed cum lavaretur inter tot nudas mentulas, etiam Judaicas, ſolam tamen ſui ſervi mentulam eam texiſſe, ideoque quaerit, an credat illam ſolam veram eſſe mentulam, ceteras, quas quotidie ſenum juvenumque oculis devorabat, non eſſe veras mentulas, ſed inania pondera. In ſequente verſu mallem utique, ſenſu poſtulante, *quin tu*, ſi libri veteres annuerent, a quibus propius abeſt, *at quin. Referre* apud Catullum recte quoque vidiſti non ſic capiendum eſſe, cum *Statio* ut *referre expenſum*, ſed *referre expenſum datum in lucello* eſſe, reportare donum expenſum. In Catulli epigrammate 96. *cavas Atacis ad undas* omnino tecum ſcribendum. Sed quid *undae cavae* ſignificent, velim expoſuiſſet *Statius.* In memoriam mihi hae revocant locum corruptiſſimum apud Lucianum, in quo legitur κοίλη Ἀρραβίη. Is me diu fatigavit & exercuit cum noſtro *Cupero.* Sed tandem deprehendi vitium, quod ibi latet, de quo alias plura. Nihil etiam vidi melius, aut quod minus diſcedat a librorum veterum veſtigiis, quam quod tu ſcite hercle excogitaſti:

At

At Voluſi annales Aduam morientur ad ipſam, quamvis praeſtare nolim eam eſſe ipſius Catulli manum. Nec diſplicet

Pentheos in triplices funera lata rogos.

In Martiali *olidos cocos*, ſi vulgatum non fers, probo prae *ſolitis*. Sed nondum perſuaderi potui *ſoli* reſcribendum eſſe. Quamvis non ſoli coqui redimant chartas, ſed & inſtitores cetarii, aliique: verum haec dicuntur ad augendam invidiam, ut ſaepe alias factum. Sportam hanc male clauſam cum libris heri attulerunt nautae Leidenſes, cum abeſſem domo cum his *Ryckii* litteris. Nautis pendendi fuerunt duodecim oboli. Spero omnia tibi ſalva eſſe. Praeter *Francium Daniel Elzevirius* quoque febre infeſtatur, cum quinque familiaribus. Vale, vir maxime, & a noſtris ſalve. Trajecti d. XII. Octob. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCXLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

FUneſtiſſimus hodie nuncius ad nos perfertur de morte veteris amici communis, *Danielis Elzevirii*, quam heri ſub meridiem obiit. Magnam jacturam fecit res litteraria, majorem familia, cujus major pars dicitur quoque lecto affixa eſſe. Febres iſtae, quae infeſtant praecipue Amſterodamum & Hagam, non tam magnam ſtragem edunt, quamvis non paucos noſtros familiares extinxerint, quam maximam vim hominum affligunt, & diu vexant. Deus te diu ſalvum & incolumem ſervet, φίλτατον κάρα, in quo uno nunc, vetuſtiſſimis neceſſitudinibus amiſſis, conquieſco. A *Juſtello* heri litteras habui & *Schnabelio*. Ille ſignificat Flori exemplar, quod ei dono miſeram, ſibi traditum eſſe. Novorum librorum, nihil dignum viſu prodiiſſe. *Schnabelius* prolixa epiſtola narrat, quos in Anglia viros doctos viderit, & quid moliantur. Compellavit etiam *Iſaacum Voſſium*. Apud *Thomam* Gale vidit λεξικὸν τοῦ Ἁγίου Κυρίλλου Ἀλεξανδρείας ἀνέκδοτον, qui & luci parat Pentateuchum Alexandrinum, Epiſcopus Oxonienſis *Joannes Fellius* novam Cypriani editionem adornat. Ipſe *Schnabelius* contulit paſſionem Perpetuae & Felicitatis cum codicibus MSS. Canonicorum Salisburienſium, quorum copiam ei fecit epiſcopus. In eodem codice eſſe Paſſiones Soteris ſub Diocletiano, Maximiliani Carthaginienſis Maxilli centurionis, quam valde piam eſſe, & Polycarpi veram, quae dignae ſint, quae deſcribantur. *Thomas Marſchallus*, qui edidit Novum Teſtamentum lingua Saxonum, propediem Novum Foedus lingua Aegyptiaca edet. *Bernhardus* in tertio libro Joſephi verſatur, vireſque acquirit eundo, in cujus Muſaeo viderit ἐπιμερισμοὺς Ἡρωδιανοῦ, ſaepe laudatos a magni Etymologici auctore, ſed nondum a quoquam publicatos. Joannem Antiochenum paratum eſſe proelo, ſub quo nunc ſudent apud Oxonienſes: *Pocockii* commentarius in Δωδεκαπρόφητον, Saxonicum, Pſalterium Aegyptiacum, Ptolemaei Harmonica. De te ille

haec: *Nobiliſſimum Heinſium de ſuo d. Acherio rogare miror, cum de illa re diu nihil plane cognoverim, neque ullus ſit, qui mihi hos libros apportarit, quemadmodum multoties deſideravi. Nam ipſe mihi illos ſumere decreram, tomoſque illos, quos deſiderarat, meis nummis comparare. Credidi igitur mutaſſe ſententiam Heinſium. Si modo ſignificavit reduci in Belgium, cui commiſerit, per amicos curabo, ut deſideriorum compos fiat. Ego poſt hos quinque dies Lutetia diſcedere, & per Sedanenſes, Namurcum, Trajectumque ad Moſam ad vos properare conſtitui.* Haec *Schnabelius.* Forte d' Acherii tomi, quos Lutetiam curaveras, cum meo Floro ſunt perlati. *Schnabelius* ubi ad nos cis paucos dies venerit, ſi tempus & valetudo ſiverit, ad te excurremus. Apud Senecam epiſtola XVIII. locus eſt vexatiſſimus, in quo ſe exercuerunt *Lipſius, Turnebus* & *Scaliger: Non eſt quod exiſtimes me ducere te ad modicas coenas, & pauperum cellas, & quicquid aliud eſt, per quod luxuria divitiarum taedio ludit. Modicis coenis*, quae a *Mureto* ſunt, hîc nullus locus. MSS. & edd. vett. quas & ipſe habeo, *admoveas coenas*, aut *moncas coenas.* Mihi videbatur legendum eſſe *ad micas.* Quod cum non intelligerent, hinc varie fuit corruptum. Si verum eſt, quod *Muretus* dicit, libros quoſdam veteres habere *medicas coenas* minus dubito de mea conjectura. Poſſet etiam legi *modicas micas.* Nam, quia vocabulum eſt inſolentius, id abſorpſit praecedentis χῦσις earumdem litterarum. Dein cum *modicas* ſine ſubſtantivo nullam efficerit ſententiam, adjecere *coenas.* Locum Plinii in epiſtolis, cui hoc vocabulum quoque reddidiſti, heri diu fruſtra quaeſivi: ſicut & illa loca, quae pertinent ad *marmoreos hortos.* In Juſtini libro IV. 4. *omni ſqualoris habitu ad miſericordiam commovendam acquiſito concionem deformes adeunt.* Crediſne Latine dici *omnem ſqualoris habitum* ad miſericordiam commovendam *acquirere?* mihi non videtur, quod recte *Schefferus* quoque obſervavit. Legendum forte: *conquiſito:* ille mallet *accito.* *Virens focus* eſt in epigrammate 32. lib. XII. ubi quoque eſt odor ille *impudicus*, qui noſtras ferit nares,

Foco virenti ſuberat amphorae cervix.

Sic edidit ex antiquis libris *Scriverius.* Probaſne illius explicationem? Sed nimius ſum, & te obtundo. Vale, maxime virorum & amicorum ſumme, & a noſtris ſalve. Trajecti d. XIV. Octob. CIƆIƆCLXXX. Audio *Iſaacum Gruterum* quoque Rotterodami deceſſiſſe: ſed haec nondum mihi ſunt explorata.

EPISTOLA DCXLII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DAnielis filius cur hodie ad vos ſe non receperit, uti prae ſe ferebat, & tibi me ſignificari gaudebat, haec eſt cauſſa. Huc a matre miſſus fuit, ut exequias ſororis *Ludovici*, quae ante hos ſex dies ſine liberis vidua obiit, proſequeretur, ſimulque hereditatis curam gereret. Sed a *Petro*, qui in poſſeſſionem bonorum, quaſi iſta hereditas ſibi ſoli veniſſet, ſe ipſe miſit, tam male

fuit

fuit acceptus, ut veſpertinam in ſcapham ſe conjiciens citato itinere ſibi Amſterodamum remeandum eſſe, & cum matre aegra deliberandum ſtatuerit, ut ejus auctoritate munitus ſub noctem hodie redeat, & jus ſuum perſequatur. Haec tibi ſignificanda duxi, ne credulitatem meam accuſes. Heri τῷ παιδὶ ξ Δανιῆλ@ fixum erat ad vos excurrere; ſed poſt mutavit. De tua valetudine certior fieri per quam cupio. Spero jam meliuſcule fractis doloribus, tumore ſedato, eſſe. Faxit Deus ut plane brevi convaleſcas. *Bigotius* nihil novi mihi ſignificat, ſed me rejicit ad tuas litteras. Vehementer dolet ſe *Snabelium* non niſi paucis diebus, antequam diſcedendum ſibi ſit, Lutetiae vidiſſe. Hoc praecipuum argumentum iſtius epiſtolae, niſi quod narrat, Floros tandem allatos eſſe, quos amicis ſit aut ipſe, aut per *Algerium* traditurus. *Spanhemium* nondum bene ſe habere, ideo rure cauſſa curandae valetudinis agere. Vale, ô decus meum. Trajecti d. xx. Octob. Julian. CIↃIↃCLXXX. Noſtri omnes te ſalutant plurimum.

EPISTOLA DCXLIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NIhil verius eſt, quam quod de tuis ſcripſi dixique epulis. Nuſquam lautius nuſquam libentius edo biboque. Tuas enim dapes condis tot ſalibus, tantis leporibus ac veneribus, tam doctis fabulis, ut regiae lautitiae prae tuis deliciis mihi ſordeant. Meam infantiam cum tu laudas, mirifice mihi placere, magnoſque ſpiritus ſumere incipio. Tantum virum enim, cui principatum ingenii omnes politiores homines lubentes deferunt, non poſſe falli, niſi velit ipſe ſuae famae labem foedam aſpergere, mihi perſuadeo. Sed tamen cum me ipſe exploro, & curtam meam ſuppellectilem recognoſco, criſtas quidem, quas erexeram, abjicio, ſed amor quid poſſit, & quantas nebulas etiam perſpicaciſſimis oculis poſſit offundere, tacitus cogito mecum & miror. Quamvis autem eloquentiae opinionem abjecerim, me tamen non minus amo, quia ab *Heinſio*, ad cujus os non Graeci, ſed omnes Europaei cultiores ora obvertunt ſua, amari me ſentio. Non poſſunt enim non οἱ χαρίεντες exiſtimare me aliquid eſſe, cum tu me amas. Per te igitur ſublimi ferio ſydera vertice. In Manilio divine tu, *ſomnoſque in membra vocamus*. Sic ſcripſit Manilius ſine dubio. *Huetius* non videtur mentem *Scaligeri* cepiſſe. Non enim hoc agebatur, num Latine dicatur *ſomnum in membra, aut membris locare*, ſed num *locare ſomnum* recte dicatur. Quod nemini Latina docto perſuaſerit. Aliud apud Plautum eſt *collocare in ſoporem*, pro facere, ut quis dormiat. Expreſſit enim Plautus Graecum καθίζειν, qui dicunt καθίζειν κλαίοντα, εὕδοντα. Sed quis dixerit nos locare ſomnos in membra, cum ſopimus. Poſſet forſan uſurpari de medicamento, quod ſomnum nobis conciliat: ſed de ſomno, qui nos corripit per ipſam rei naturam, in ulla lingua non poteſt uſurpari. Sed ego nimius ſum. Si omnes tuae conjectu-

jecturae tam certae ſunt, quam haec, non os ſolum occludes amico noſtro, ſed omnibus, qui in Criticos invehuntur. *Vaillantius* triduum tantum exegit apud Batavos, confeſtim ad ſuos lares revolans, febri credo ἐπιδημίᾳ, quae Batavicas urbes infeſtat, deterritus a longiore mora. A *Schultingio* nihil etiam nunc reſponſi tuli. Vale, princeps ingeniorum & amicorum. Trajecti d. XXIX. Octob. Jul. CIƆIƆCLXXX. En tibi litteras & panegyricum *Francii*.

EPISTOLA DCXLIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

LAetabar ſane, cum tuam manum viderem, magna levatus ſollicitudine, quam tuum ſilentium, cum nullas heri a te accepiſſem, mihi attulerat. Doleo tamen nondum te firmiore uti valetudine, vireſque fractas nondum a te recollectas eſſe. Tu ſervi, quantum potes, valetudini, ut quamprimum te incolumem poſſimus complecti, & a te ſive coram ſive litteris illis plenis nectaris & favi Attici erudiri. Habes hîc faſciculum, quem hodie Lugduno accepi a *Schultingio* tibi mittendum. Ipſum rogaveram, ut mihi ſignificaret, quomodo ſe haberet editio Lugdunenſis Harpocrationis, reſpondit perventum eſſe ad vocem κληροῦχος p. 216. ſed jam diu ceſſare operas in illo detexendo, quia typographus decoctor & ad paupertatem redactus abruperit quaſi illam telam ἑκὼν ἀέκων. Quid ergo fiet Harpocratione Valeſiano, qui ut & exemplum notarum ex illo deſcriptarum penes me eſt? Non poſſum auctor eſſe heredibus Elzevirianis, ut ante proelis committant Valeſiana, quam Lugdunenſes progreſſi fuerint in ſuis excudendis. Nam ſine commentario *Mauſſaci* frigebunt illa, ut nunc eſt, quia tota Graeca fere ſunt, quae a quam paucis appetantur, tu non ignoras. Neſcio igitur, quid conſilii capiam. Num ipſum Valeſianum exemplar *Prouſtello* remittendum ſit, ut ipſe flagitat, an diutius retinendum, ut conſulatur in locis dubiis, cum editio adornabitur. Sed ejus potiundae ſpes fere decollavit, niſi alius bibliopola hunc expoſitum infantem quaſi reſpexerit. *Schnabelium* indies expectamus, & miramur, ubi tamdiu deſideat in itinere, ſi dictis facta reſpondebunt XXIV. Octobris Gregoriani itineri Sedanenſi ſe dedit. Simul ac appulerit ad nos, te certiorem ejus adventus faciam. Habui litteras a *Magliabeckio*, nullius fere rei dignae ſcitu nuncias. Inter alia rogat, ut tibi, pro jure illo amicitiae, quod inter nos intercedit, ſignificem in praefatione tua in Virgilium, te male Carpenſem Cardinalem appellaſſe *Ludovicum*, cum ei nomen ſit *Rodulpho Pio*, uti conſtet ex plurimis monumentis, quae viri docti ei inſcripſerint, ſicut ex Apologia *Stunicae* contra *Eraſmum*, nonnullis libris *Panvinii*, aliiſque pluribus. Praeterea librum illum nunquam fuiſſe *Achillis Statii*, quod tu affirmes, ſed a Cardinale Carpenſi legatum teſtamento bibliothecae Vaticanae, ex qua mala manu fuerit ſublatus, idque conſtare ex ortagraphia *Aldi Manutii*, in qua legatur: *Qui liber pridem aſſervabatur a Rodulfo*

dulfo

dulſo Pio Cardinale Carpenſi, nunc bibliothecae Vaticanae ab eodem teſtamento legatus, ubi ſit, plane ignoro: nec enim cum video in bibliotheca Vaticana cuſtodiri, & opinor ab aliquo furto ſurreptum, & quae ſequuntur. Extare quidem elegans epigramma *Statii*, quibus libri illius vetuſtatem commendet, ſed inde non poſſe colligi Statii fuiſſe, quia *Statius* in commentario ad Catulli Phaſellum illum librum laudet, non tanquam ſuum, ſed quo beneficio Cardinalis fuerit uſus. Rogat itaque, ut tecum haec communicem, ut, ſi tibi videatur, in tua haec emendes praefatione. Pridie dono mihi miſſus fuit ab amico Colonia Virgilius manu exaratus, ſatis antiquus, qui tamen libros tantum Aeneidos complectitur, quem videbis, cum te videro. Inventus fuit in taberna, in qua vendebantur veteres membranae. Rationes nunc feſtinans inveniebam. De iis proxime. Vale, ingeniorum & amicorum prime. Trajecti poſtrid. Kal. Novemb. CIↃIↃCLXXX. Julian.

EPISTOLA DCXLV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PRidie novum nomen in accepti tabulis mihi fuit ſcribendum, cum me dimiſiſti gravem animi & corporis deliciis. Quid vero tandem de me fiet, cujus tanto aeri alieno, quod apud te contraxi dudum, novus indies cumulus accedit, cum uncia nulla ſuperſit, qua tecum decidam? Ingato nimirum vivendum & moriendum erit, niſi voluntas egregia tibi pro re fuerit. Hanc diis hominibuſque teſtibus ſemper prae me feram, nec eam ulla dies, quae me cunque ſors manet, unquam immutabit. Epiſtolam tuam, quae heri hora ſexta veſpertina tradebatur, illico curavi ad *Schultingium*. Cum placida quiete ſopitus ſuperioris diei noctem tranſegiſti, gaudeo incredibiliter, proque laeto augurio habeo meliorem valetudinem brevi recuperandi, pro qua vota nuncupo quotidie, Deum veneror, ut illa mihi reddere liceat. Triumphabimus ſane, feſtumque diem indicemus huic domui, cum hic nuncius ad nos perferetur. Domum regreſſus inveni Harpocrationis Lexicon Valeſianum, cum exemplo ex illo deſcripto, quod, ſimul ac occupationes tulerint, cum exemplari committam. Si Lugdunenſes non ceſſaverint in ſuo Lexico publicando, haec ſtatim quoque proelis Amſterodamenſibus committentur. Aliud quod narrem nunc non inveniebam. Nam tua Catulliana mirifice placent. Vale, virorum maxime, & tuam valetudinem diligenter cura. Mea meique omnes te plurimum ſalutant. Trajecti IV. Novemb. Gregor. CIↃIↃCLXXX.

EPI-

EPISTOLA DCXLVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

BInis tuis reſponſum debeo nimis diu. Et occupationes & vocationes cum publicae tum privatae ſolito crebriores ſuperiorem mihi exemerunt hebdodem, ne nunc quidem liber ſolutuſque ſum, ut tuae pulcherrimae doctiſſimaeque epiſtolae reſpondere poſſim. Quaeſo itaque te, ne iniquo feras animo vadimonium hoc a me differri in craſtinum aut perendinum diem. Hodie *Fagelii*, qui fratris Syndici filius eſt, ſollemnibus epulis inaugurabitur, relatus in doctorum Juris decurias. *Dictum feliciter*, *ingens coena ſedet*. Interea videbis noſtrum *Schnabelium*, qui nunc ad vos contendit, heri ex Galliis ad nos inviſit. Mihi quidem amicorum, quorum mentionem fecerit *Bigotius*, litteras attulit plenas verborum honorificorum, ſed inanium rebus novis. Nec de ſuis, nec de aliorum operibus quicquam meminerunt. De Harpocrationis lexico videndum eſt, num alius perſuaderi poſſit, qui id conſummandum ſuſcipiat, bibliopola. Exemplar Valeſianum nobis diutius retinere vix licet. Binas habui epiſtolas a *Guilielmo Prouſtello*, quibus vehementer urget, ut hunc librum propediem recipiat, inter omnes, quos e Valeſiana bibliotheca emit, ſibi cariſſimum. Vale, vir maxime & me ama. Trajecti Batavorum d. VIII. Novemb. CIↃIↃCLXXX. Rationes, ut nuperius ſubduximus calculos, puto conſtare. Nimirum tibi hîc reliquos eſſe tres florenos tres obolos, quos, ubi juſſeris, tradam bibliopolae.

EPISTOLA DCXLVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

MIrifice gaudeo *Carpzovium* etiamnunc in vivis eſſe, quod & de fratre meo licet augurari. *Thomaſium* tamen extinxiſſe vim luis cum filio doleo. *Thomaſius* vir erat doctus, quem a teneris annis amavi & colui. Is unus cum *Franckenſteinio* ſupererat; cum biennio Patriam viderem, quos adoleſcens litteris operatus Lipſiae cognovi. *Neſſelium* ignoro. *Obrechto* deſponderi cathedram Upſalienſem Schefferianam laetor. Dignus eſt, qui ex illo incendio, quod imminere videtur Argentorato, ſalvus & incolumis evadat. Velſeriana epiſtola non ad *Lipſium*, ſed ad *Gothofredum Jungermannum* eſt exarata. Hac die conſtitui forulos excutere, ut illam *Arnoldo* noſtro mittam. *Schnabelius* tibi plurimas apud me gratias egit. *Petiti* obſervationes proxima hebdomade, cum Amſterodamo redierit Delphos, habebimus. Pecuniam cras a me bibliopola accipiet. Hodie enim ſupplicatio in iſta dioeceſi habetur. Ad *Prouſtellum* litteras

teras dabo, eumque obteſtabor, ut ſaltem per hanc hyemem nobis uſum libri Valeſiani indulgeat. Proximis feriis exemplum deſcriptarum notarum componam cum ἀυτογράφῳ. A *Menagio* heri litteras accepi, quibus ſignificat, ſe tua valetudine ſummopere cruciari, & proxime ad te ſcripturum, miſſurumque aliquot exemplaria ſuorum poëmatum denuo editorum. Genevae recuditur quoque Etymologicum ejus Italicum. Optat, ut noſtris bibliopolis poſſit perſuaderi, ut novam etiam commentarii ejus in Diogenem Laërtium editionem velint adornare. Scribam hoc nomine ad Amſterodamenſes & Leidenſes bibliopolas. *Virentem focum* apud Martialem optime expoſuiſti. Scriveriana explicatio non convenit illi Iro; nam divitum eſt luculentus focus. De reliquis cras, Deo dante. Nunc ſacra vocant. Vale, unicum ſeculi hujus ingenium. Trajecti d. XI. Novemb. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCXLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

MUltis leporibus, multa doctrina conditae ſunt litterae, quas a. d. v. Novembris exaraſti. Ex interiore Muſarum penetrali petiiſti, quae de *virente foco*, de *& verus*, de *curtis Judaeis*, de *cavis Atacis undis* diſputaſti, nec non de *Marmoreis hortis*, de *Cadmeis Bacchis*, deque *Baccheo ſanguine*, quanquam *Pentheo* in codice antiquo legi teſtetur *Barthius*, ſed pro tua ſtat ſententia vetus interpres, aliique codices. Recte vero exponis de vitulorum haedorum aliorumque animalium, quae dentibus lacerabant, ſanguine. Nota eſt Baccharum ὠμοφαγία, quamvis & de Baccharum ſanguine poſſit intelligi, ut tecum ſentit ille Statii antiquus ſcholiaſtes. In Plinio valde placet: *quotidiana mica, ac meorum coenatio.* In Juſtino vereor ut ferri poſſit, *omni ſqualoris habitu acquiſito.* Longe aliud eſt *vires acquirere eundo* apud Virgilium; nimirum invaleſcere, vires parare. Sicut autem nemo, puto, loquens emendate dixerit, *vires adſciſcere*, niſi forte ubi vires ponuntur pro copiis, aut exercitu, licet ne in hac quidem notione ullum ſuccurrat exemplum, ſic nec commode dicas *habitum acquirere* pro adſciſcere. In Martiale nondum poſſum damnare, quod in editis & MSS. extat, *an ſola eſt ſervi mentula vera tui?* Si inter nudos Judaeos lavari fuiſſet ſolita Lecania, hoc deſideraretur acumen. Verum cum Martialis dicat illam in balneis inter nudos viros fuiſſe verſatam, interque ſervos nudos, qui non erant verpae, & recutiti, miratur Lecaniam ſolius ſui ſervi mentulam obligaſſe, illamque propterea atro ſale perfricat poëta petulans, quaſi crediderit Lecania, ceterorum mentulas non eſſe veras, quae poſſint ſine pudoris jactura adſpici, ſervi vero ſui mentulam ſolam pro vera habuerit. Sic *verum rus* lib. III. ep. 57. *vera ſtatua* apud Auſon. ep. 44. & 46. Difficultas eſt omnis in hoc verſu:

Judaeum nulla ſub cute pondus habet.

Sub cute pondus habere quid ſit, vix exputo. Recutitum non puto intelligi, alioquin ipſe quoque Martialis recutitus fuiſſe credendus eſſet. Hoc enim neceſſario colligendum eſſet ex his verbis. Sed meus ſervus, qui verpa eſt, tecum nudus lavatur, ut de me taceam, qui ſcilicet & ipſe ſum Judaeus. Hoc niſi dicat, inepta eſt oratio. Ut omnia magis cohaereant, ſic videtur ſcribendum, *Judaeum nullus ſub cute pondus habens. nullus* pro non, qui non habet Judaicam mentulam ſub cute, licet retrahas & inſpicias cutem. Solebant enim Judaei originem ſuam celaturi praeputium retrahere, quod Apoſtolus vocat ἀνασπᾶσθαι, de quo multa viri Hebraica docti. Sententia igitur epigrammatis haec eſt. Tu, quae inter nudos viros juveneſque lavaris, ſolius ſervi tui tegis pudenda, quaſi illius mentula ſola ſit vera, ceterorum mentulae aut nullae aut nullius loci. Etſi vero nudos viros ſaepe in ſpectaculis viderent matronae Romanae; nullae tamen niſi proſtituti pudoris cum viris lavabantur. Petronii locus non videtur multum ad rem facere, potuit enim ſcire Fortunata ſervum ſuum recutitum eſſe, licet non videret, quia non diſſimularit religionem; Judaei autem, non tam quod verpae eſſent, inviſi erant pleriſque gentibus omnibus, ut clare Tacitus in Hiſtoriis, ſed quod haberentur deorum & religionum contemtores. Stertere autem ipſum ideo fuit conqueſta, quod ceterae familiae ronchi ejus eſſent moleſti. Nihil cauſſae video, cur hic abeamus ab iſta ſimplicitate. In ultimo verſu probo: *Quid ni?* Pro tua invitatione heſterna gratias tibi denuo agimus: ſed quando par pari licebit referre? Semper ego coenator, nunquamne reponam? Potes jam, ſi modo velis, ad nos excurrere. Fac igitur, ut excurras quamprimum. Trajecti d. xv. Novemb. CIↃIↃCLXXX. A noſtris omnibus ſalvebis.

EPISTOLA DCXLIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EN lepuſculum, cui mattearum principatum tuus tribuit Martialis, heri mihi dono miſſum! Maluiſſem in meo triclinio per valetudinem tuam me illum apponere tibi potuiſſe, ſed cum vocationes meae toties fuerint irritae, non potui, quin, quod coram mihi non licuit, abſenti, ut ita dicam, propinarem. Te volo libenter eſſe, & quicquid ſupereſt, moleſtiarum expuere penitus. Ex Holſatia hodie litterae ad me perlatae ſunt, quas ad me miſit negotiator Amſterodamenſis, qui & Lipſienſium litteras curat. Is mihi ſignificat ad ſe Lipſia d. xx. hujus menſis Gregorianae epochae ſcribi, peſtilentis luis vim ita fractam eſſe, ut vix quatuordecim aut quindecim quotidie eant, cum antea quadraginta, imo quinquaginta numerum exceſſerint. Spero Deum ſanitatem iis reſtituturum, & noſtros amicos ſervaturum. In Lactantii libello de mortibus perſecutorum Cap. 1. pag. 2. legitur; *Nunc placatus ſervorum ſuorum Deus jacentes & afflictos coeleſti auxilio ſublevavit.* In his nihil eſt, unde pendeat *ſer-*

vorum ſuorum. Cenſeo itaque legendum: *Nunc planctus ſervorum ſuorum Deus, nunc jacentes & afflictos coeleſti auxilio ſublevavit.* Cap. VIII. pag. 71. eſt locus contaminatiſſimus: *Hoc ſolum differebant, quod avaritia minori altero fuit plus, majori vero minus, ſed plus timiditatis, plus vero animi non ad bene faciendum, ſed ad male.* His nulla ſubeſt ſententia. Vide num tibi probari poſſit haec conjectura. Verba videntur eſſe tranſpoſita vitio librariorum; & ſic ordinanda: *Hoc ſolum differebant, quod alteri major avaritia, ſed & plus timiditatis, alteri minor avaritia, plus vero animi, non ad bene faciendum, ſed ad male.* Diocletiano dicit majorem avaritiam fuiſſe, ſed & majorem timiditatem. Inde paullo ante dixit, illum *orbem terrae ſimul & avaritia & timiditate ſubvertiſſe.* Propter illam timiditatem tres in conſortium imperii adſcivit, qui multiplicatis exercitibus exhauſerunt imperium Romanum. Dein ſubjunxit avaritiae exempla: Maximianum autem fuiſſe magis avarum, quippe qui fuerit prodigus, ſed animoſiorem in male agendo, nimirum in locupletiſſimis ſenatoribus interficiendis, & virginibus abducendis. Tu ſi quid noſti rectius, imperti, & vale, ac ſalve a noſtris omnibus. Trajecti d. XVII. Novemb. CIƆIƆCLXXX. Lepus ſtatim erit exenterandus. Haec ſcripſeram, cum tuae acceptiſſimae mihi traduntur. De Martialis loco nolo diutius ſerram ducere. Nondum poſſum ullum videre acumen in hoc epigrammate, ſi *verpa* legatur. Recte haec tu: *Sed meus ſervus, qui recutitum penem habet* (recipio enim *nuda qui cute*, ut partim ex codice Thuanaeo, partim ex conjectura hunc locum bene conſtituiſti) *utpote Judaeus, tecum lavatur nudus, ut de me ipſo nihil dicam, qui aeque nudus tecum lavor: ſed juvenes pariter ac ſenes tecum lavantur nudi*, vide nunc an ullum ſit acumen, ſi ſequatur: credisne ergo tuum ſolum ſervum eſſe recutitum & habere mentulam erectam? An non acutius eſt & venuſtius, ſi ſic ſcripſit, cum laveris inter juvenes & ſenes, & recutitos quoque, ſolius tamen ſervi tui cum mentulam velas, credis, nec juvenum, nec ſenum, nec Judaeorum veras eſſe mentulas, ſed tui ſervi unicum penem eſſe verum, indignumque, qui a te videatur, cum ceterorum poſſint ſine ſtomacho videri, ac ſi non verae eſſent mentulae, aut in mentularum cenſum referendae. In altero Martialis epigrammate in tuam deſcendo ſententiam *arca* legendum pro *atque*. Quamvis durum ſit ter *nec* repeti, & poſtea omitti. Meminiſtine alius exempli? *Dignitates, gratias, benevolentiam acquirere* perinde bene dicitur ac *acquirere nummos, agros:* ſed *acquirere habitum* vel *veſtem*, pro ſumere, aut adſciſcere, neſcio an Latinis auribus probetur. Placet confirmatio tuae emendationis: *Non deeſt hinc oculis & inde lippis.* Iterum vale. Mitto tibi quoque perluſtrandum meum codicem Virgilianum.

EPISTOLA DCL.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DE *mica* apud Senecam merito dubitas. Apud Vitruvium iſta vox non extat, ut verear, ne ante Domitiani tempora Romanis ignorata fuerit. Ceterum pervenuſta ſunt ac pererudita, quae de micis & pauperum cellis contra *Scriverium* notaſti. Si vox *mica* ante Domitianum fuiſſe uſurpata, inveniretur apud antiquiorem hoc Caeſare ſcriptorem, nondum conjecturae hujus meae in Senecam me poeniteret. Sententiae illius loci valde eſſet accommodata. De τῷ *acquirere ſqualoris habitum* nolim tecum diutius contendere. Varie haec vox accipitur, & ad multa transfertur. Sic apud eundem Juſtinum lib. XI. *acquirere divinitatem originis:* ſed tamen *acquirere ſqualoris habitum* mihi valde videtur inſolens, & a nitore Juſtini alieniſſimum. Licet enim Juſtinus ſcriptor ſit deteriorum temporum, videtur tamen ex Trogo non tantum res ſed & verba excerpſiſſe, tam emendatus eſt, & terſus, ac elegans ſupra ſui ſeculi captum. Pauciſſima in illo reperias poſteriorum temporum veſtigia. Floro ſane & nonnullis aliis antiquioribus longe Juſtinum praefero. Locum perditiſſimum Martialis lib. IX. ep. 84. divine reſtituiſti. Nec ipſe Carneades de hac tua dubitare poteſt emendatione. In libro X. ep. 20. quia libri addicunt veteres, in quibus *loci* legitur, valde quoque probo tuam conjecturam, *quocunque loci.* Animatur quaſi epigramma hac lectione. In Lactantio repudio meam conjecturam viſa tua longe veroſimiliore emendatione: *nunc placatus peccatis ſervorum ſuorum Deus.* Nec in capite octavo male conjicis. Faſces tibi & hîc & ubique ſubmitto lubens meritoque. Cap. IX. vide num probare poſſis meam conjecturam. *Erat mater ejus Deorum montium cultrix, mulier admodum ſuperſtitioſa. Quae cum eſſet dapibus, ſacrificabat pene cottidie, ac vicariis ſuis epulis exhibebat.* Videntur eſſe luxata & corrupta, ſic vero conſtituenda. *Erat mater ejus Deorum montium cultrix; quae cum eſſet mulier admodum ſuperſtitioſa, dapibus ſacrificabat pene cottidie, ac vicinos ſuis epulis exhibebat*, hoc eſt alebat, ſuſtentabat victimarum, quas quotidie offerebat, carnibus. *Perizonii* cauſſam mihi cordi eſſe velim tibi ſit perſuaſiſſimum. Heri litteras ab illo habui, quas mitto legendas cum ſceda, quam *Bilderbeccius* ex *Fabricii* epiſtola ſuae inſeruerat, quam credo viri doctiſſimi cauſſa non invitus leges. *Faber* argentarius, apud quem nummi aurei proponebantur, domo abeſt: ſed hodie revertet. Si nondum eos vendidit, voti proxime compotem faciam. In *Blaeſpilio* certum amicum amiſi. En tibi aliam ſcidam pro illa, quam nuper feſtinans ſubjeceram. Expecto quas promittis in Martialem conjecturas. Vale, decus noſtrum unicum. Trajecti d. XXX. Nov. CIƆIƆCLXXX. Cometa hiſce noctibus eſt viſus. Orationem meam de cometis recudent.

EPISTOLA DCLI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SIlentium tuum me tenet anxium, & mire ſollicitum habet, verentem, ne forte adverſa valetudo te retardet. Quis enim mortalium in ſcribendi officio perſolvendo tuam vincit diligentiam? Libera me quaeſo vel tribus verbis angore iſto, quo differor, aut ſi tua manus impar ſit huic operi, quod omen Deus avertat, vel vicaria utere. Habes hîc litteras *Wetſteinii* apertas, ut ad me miſſae ſunt. Miror, ubi deliteſcat *Schnabelius*, quod nec ſcribat, nec Petiti Obſervationes mittat & quae alia mihi attulit. Ampliſſimus *Paetſius* mihi ſignificavit, ſuam auctoritatem propter adverſariorum potentiam nullam nunc eſſe in ſenatu ſuae patriae, quin magis *Perizonio* ſuffragationem & commendationem ſuam obfuturam. Per alios hoc urgendum negotium, ſi ex ſententia id velimus expetere. Se cum ſuis neceſſariis commendantibus acceſſurum. Nunc igitur per *Hertſcampium Voetii* & *Lantmanni* affinem, qui noſtrae urbi eſt a ſecretis, hoc ago. Sed incerta ſunt omnia. Vale, ô decus & praeſidium meum. Trajecti d. XXIV. Novemb. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCLII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

INcredibiliter gaudeo dolores eſſe ſopitos, febrique te carere; vires attritas ſpero quoque te brevi recollecturum, idque ut propediem fiat, Deum precor. De apotheoſi Homerica haec ad me *Cuperus: Apotheoſis mea propter Bomii mortem non ex voto procedit, paucis tamen abhinc diebus proelo ſubjicietur.* Sic ille. Litterae tuae ad *Perizonium* diligenter curabuntur. Nuperius, ni fallor, ſignificavi, illuſtrem *Paetſium* nobis reſpondiſſe ſibi, ut nunc eſt, nullas conſiliorum partes relictas eſſe in patria urbe, adverſa factione numero longe ſuperiore. *Hertſcampius* quoque, qui Hagae fuit, recepitque ſibi *Perizonii* cauſſam futuram commendatiſſimam, reverſus nunciat, omnem ſe lapidem moviſſe, ut amicus noſter votorum compos fiat, ſed Conſulem quendam valde potentem urgere alium, cui obniti ceteri non poſſint. Habes hîc indicem * octo nummorum aureorum, qui hîc proponuntur jam a longo tempore. Plures auri faber ille habuit, ex quibus is quoque fuit, quem nuperius tibi oſtendebam, & quem tu habebas pro ſuppoſititio, ut non putem, ex tuis illos theſauris petitos eſſe. Mirum ſane, ſi ad eundem ſcopulum impegerint utriuſque picatae manus, ſi tuum denuo eſt compilatum gazophylaceum, hoc eſt, ſi eidem homini venditi ſint, quos erant ſuffuratae numos. *Fervens aurum* apud Mar-

tialem lib. x. Epig. 74. qui exponunt radians colore rutilo, nugantur, cum potius aurum dicatur *pallere* poëtis. Nihil autem nunc extrico appoſiti ad hunc locum. Cogitabam quidem *furentis auri*, quod homines & ipſum ſcortum ſui cupiditate furentem reddat ut *pallida mors*, ſed ipſe damno hanc conjecturam, & tuum expecto reſponſum, Sibyllae foliis certius. Tu enim *irreprehenſa dabas populo reſponſa petenti. Schnabelius* Delphis mihi VI. Decemb. ſcripſit, ſe ad nos illa die faſciculum miſiſſe, ſed is nondum perlatus eſt. Vale, Princeps ingeniorum & amicorum. Trajecti d. XXX. Novemb. CIↃIↃCLXXX.

* 1 In adverſa parte hanc habet inſcriptionem TURPILIANUS III VIR TER.
In averſa parte coronam civicam, cui inſcriptae ſunt hae litterae
O. C. S.
& ſuperius AUGUSTUS, inferius CAESAR.
2 in alterius averſa parte eſt. AGRIPPINA MAT. C. CAESAR. AUG. GERM.
In averſa parte C. CAESAR AUG. GERM. P: M. TR. POT. eſt hic nummus pulcherrimus.
3 In adverſa PATER AUGUSTUS DIVI F.
In averſa parte C. CAESAR. AUGUR.
4 In adverſa parte MAG. PIUS. IMP. TER.
In averſa duo capita, & PRAEF. CLASS. ET ORAE MARIT. EX SC. hic mihi videtur ſuſpectus eſſe.
5 T. CAES. IMP. VESPASIANUS. in averſa: PAX. AUG.
6 In adverſa: M. AGRIPPA COS. TERT. LENTULUS COSSUS.
In averſa AUGUSTUS COS. XI. hic quoque mihi ſuſpectus eſt.
7 TI. CAESAR. IMP. AUG. F. AUGUSTUS.
In averſa TR. POT. XVIII. IMP. VII.
8 AUGUSTA FL. HELENA
In averſa: SECURITAS REIPUBLICAE. Inferius ΕΩΣ Hic mihi quoque ſuſpectus, ſed quia illa aetate non tam nitidi erant, poteſt eſſe genuinus, imo pro genuino habeo.

EPISTOLA DCLIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NON abhorret a vero, Martialem ſcripſiſſe, *frequentis auri*, ſicut *frequentes litterae*, quae frequenter dantur & accipiuntur. Nihil equidem adhuc potui melius & appoſitum magis exputare. In altero illo loco lib. VII. Epig. 31. pulchre tu, *per varias artes*, *omnis quibus area fervit*. De epigrammate 29. Apophoretorum in libro non memini nos agere, ſaltem litteris: forte coram tuam de illo loco ſententiam mihi aperuiſti aliquando, ſed quam fugitiva oblivio meae ſubduxit memoriae. Si me amas, quaeſo te, ut mecum denuo non graveris communicare; quomodo tibi iſte verſus, Cimmeriis tenebris mihi obſcurior, videatur illuſtrandus eſſe. *Salmaſii* conjecturam dudum eſt cum damnarim. Veriorem tamen ipſe non inveniebam. Tu, ſi capillum promiſeris, nullus dubito, quin veridicis reſponſis omnes Pythias ſis ſuperaturus. Nummos videbo, ſi non interea invenerint emtorem, ut mecum feram ad vos proficiſcens,

cens, quod iter ſuſcipiam cum *Maerſebroekio*, qui tibi ſalutem dicit, ſimul ac glaciei licebit ſine periculo noſtra capita credere, aut naves erunt in aqua. In Lactantio emendando tuam quoque agnoſco & admiror ἀγχίνοιαν, Meam conjecturam valere juſſi, tuam amplector & exoſculor. En tibi duos librorum indices. A fratre meo & *Carpzovio* litteras accepi. Uterque tum cum ſuis valebat, niſi quod lues uxorem fratris *Carpzovii*, qui praeconem agit verbi divini & Hebraicas litteras docet in Academia, variaque in illo doctrinae genere publicavit plena variae & non protritae eruditionis, extinxit. Epiphanium & Clementem Alexandrinum, ſimul haec procella deſaevierit, Lipſienſes edituros eſſe promittit, praeſertim ſi quid ex patris tui τοῦ πάνυ ſchedis ornamenti ad hanc novam editionem ſibi promittere poſſint. Reineſianarum inſcriptionum ſex priores claſſes eſſe typis deſcriptas narrat, quas ipſe munitus antidotis, ex officina & domo, in qua omnes, quotquot fuerunt, peſtilentia obierant, cum αὐτογράφῳ petierit, & quaſi ex gravi tempeſtate & ab ipſius interitus limine in portum ſubduxerit. Tandem addit, *Vale, vir celeberrime, & cum conjunctiſſimo Heinſio tuo, cujus nominis memoria me erigit, ſoſpes ac incolumis age, ac diſſimili a noſtra fortuna utere. Multum ſalvere ſummum hunc virum, quem optime mihi cupere certe novi, jubeo, & ut pedibus manibuſque aeque ut ingenio valeat, Deum aſſiduis votis precor. Nam cum alia re non poſſim, pietate tamen & bene cupiendi conſtanti propoſito, quae ſola nobis relicta eſt facultas, officium facere non deſinam. Valete.* Mitto tibi has duas *Perizonii* epiſtolas. Meis reſpondi, mihi non tantum familiaritatis intercedere cum ſyndico magno, ut auſim eum vel mei negotii, ſi quod ſit, cauſſa interpellare: nec me poſſe mihi perſuadere, te tantum virum de ſcholaſtica functione eſſe allocuturum: ſed tamen me tecum eſſe acturum. Vale, vir magne, me ama, & nova, quae ex Italia accepiſti, mecum communica. Trajecti d. III. Decemb. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCLIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUmmos antiquos ex auri fabri manibus ſine recentibus nummis nunquam poterimus reglutinare, difficulter quoque reſcire, unde illos habuerit. Nam ante hos quinque ſexve menſes, cum quatuor aureos venales mihi praetereunti ejus tabernam offerret, quos emebat poſtea Danus, mihique unum, quem vidiſti, dono dabat, ſummo ſtudio inquiſivi, a quibus tam pulchros acciperet nummos, reſpondit urgenti ſaepius, ſe aliis nolle viam aperire nummos hos antiquos inveniendi, illoſque fontes recluſurum, ex quibus ſibi certa ſpes eſſet plures hauriendi. Cauſſam nullam eſſe, cur aliis id in indicando ſibi ipſe invideat iſtud compendium. Poſſe hos nummos apud ſe videri & emi. Homines eſſe fide dignos, qui ei illos vendant. Sic quidem & tum ille, & ſaepius poſtea a me ſollicitatus, & nonnunquam longe ferocius. Eſt enim homo

vi-

violentus, alioquin, quantum mihi conſtat, bonae fidei, cui & Senatores commiſerunt magiſterium corporis auri fabrorum. Mihi conſultiſſimum videretur, ut aut ipſe, ſi per valetudinem poſſes, nunc trahae impoſitus ad nos excurras, aut, ſi hoc nulla ratione fieri poteſt per virium debilitatem, ſpe emendi, & pro viae ſumtibus promiſſa certa pecunia, auri fabrum ſollicitares ad iter ad te ſuſcipiendum, tibique nummos offerendos. Sigillatim nullum vendet. Nam jam dudum unum atque alterum mihi vindicaſſem. Aliam nullam video viam explorandi tibi & coram inſpiciendi iſta numiſmata. Vix ab ullo mortalium expugnabitur ὁ δεῖνα, ut per paucas horas ullius fidei eos credat. Tua igitur juſſa expecto, quae mihi capeſſere fas eſt. Si quam aliam rationem haec perveſtigandi, quae tua ſane intereſt, excogitare potes, mihique eam oſtenderis, nec operae, nec laboris quicquam mihi reliquum faciam, ut votorum compos fias. Heri ad vos excurrere mihi non licuit per valetudinem. Decem ipſos dies conflictatus ſum gravedine & deſtillationibus, nec non febricula, ut tum ſub brumae intractabilis imbrem viae me committere non ſuſtinerem, veritus hoc frigido Jove malum exaſperari. Heri litteras habui a *Schnabelio*, qui miratur libros nondum ad nos perlatos eſſe, ſe tamen daturum operam, ut quamprimum recte curentur. In Martialis epigrammate *mantatum* Salmaſianum recte ὀβελίζεις. Tuam conjecturam exoſculor. Nihil mihi videtur verius, niſi forte aliud nomen lateat ſub his corruptis verbis. Vix tamen aliud propius accedet ad veterum membranarum ſcripturam. In primo verſu *tecum ſpectabo* legitur in emendatioribus editionibus, & ſic quoque laudatur a *Salmaſio*. Vale, grande decus meum. Trajecti d. VI. Decemb. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCLV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUmmi aurei a *Servaeſio* emti ſunt centum quinque florenis. Ipſe venditor eos emit ab auri fabro, qui *Willers* vocatur. Apud hunc hac veſpera inquiretur a certis hominibus, unde illos acceperit. Nihil induſtriae nobis reliquum faciemus, ut omnia perveſtigentur. Tu interea cautius & non nimis calide age, & vide ne ſuſpicionibus oneres forte inſontes, quamvis nihil auſim pronunciare. Si nihil furtivi in aniculae arca deprehenderis, quanta fabularum materia praebebitur loquaciſſimis hominibus veſtris. Sed tantum ego mihi non arrogo, ut tibi praecipere ſuſtineam. Vale, vir maxime & me ama. Trajecti d. IX. Decemb. CIↃIↃCLXXX. Plures jam aurifabrorum tabernas perambulaſſe hos nummos, antequam in iſtius manus pervenerunt, certum eſt. Spero tamen nos tandem auctorem hujus furti inventuros.

EPISTOLA DCLVI.
JOH. GEOR. GRAEVIUS
Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri ſignificavi ab Ampliſſimo *Servaeſio* nummos illos aureos octo centum & quinque florenis redemtos eſſe: tandemque nos ex aurario intellexiſſe, haec octo, & priora quatuor numiſmata, quae emit *Klaumannus* Danus ſuperiore vere, ſe habuiſſe ab alio auri fabro, qui & *Willerſius* vocatur, & ipſe non longe a meis dicitur habitare aedibus, & longe plura habuit tam aurea, quam argentea. Aurea non pauca ab iſto fertur emiſſe Senator hujus urbis, qui vocatur *van der Voôrſt*, qui & his, quae nunc recuperabimus, fuit inſidiatus. Venalia quoque haec ante aliis auri fabris fuerunt oblata. Nam quidam *vaen Loon*, qui & ipſe hanc artem facit, nuperius inter ſuae ſortis homines, cum de his numiſmatis ageretur, dixit ſibi jam pridem illa fuiſſe oſtenſa, ſed ſe ea noluiſſe liceri. Ille vero *Willerſius* nuper paſſus eſt ſibi vocem, ut audio, excidere, ſe a foemina illa accepiſſe omnia, & quidem, ut tum prae ſe tulit, Gorcomenſi, ſed plura in poſterum non eſſe expectanda; Senator pro Anglico, ut loquuntur, auri *Willerſio* expendit imperialem nummum, quantum & hîc auri faber *Buſchius* eidem *Willerſio* pro his, quos tenemus, ſolvit. Queſtus vero nomine, quod tanto tempore ea *Buſchius* poſſederit, pro Anglico fuerunt ei numerandi quinquaginta quatuor oboli, cum quinquaginta ſex poſceret. Quinquaginta ſaepe ipſi *van Voôrſt* repraeſentari voluit. Haec heri ſumus expiſcati, & *Buſchio* praemium promiſimus, ſi poſſet explorare accuratiſſime, quaenam illa fuerit mulier, vetula an juvencula, quae nummos antiquos toties expoſuit, numque illam cogniturus ſit, ſi viderit. Fidem dedit maritus & uxor ſe id perſcrutaturos. Uxor heri ſero ad nos inviſit, praefata *Willerſium* afuiſſe domo: ſed hodie ſperare, ſe aliquid liquidi & explorati nobis relaturum. Hoc tempus praeſtolandum cenſeo. Si defugerit *Willerſius* auctoritatem, & noluerit indicare, quaenam illa foemina ſit, quae toties ei nummos vendidit, litteris erit compellandus conſul noſter *Voetius* (cui de conſulatu nuperius inito poſſes gratulari eadem opera) tui ſane quam ſtudioſus, & percupidus, qui ſaepe mecum egit, iter, quod ſemel ad te fecimus, remetiendum eſſe, tantam ex tuis ſermonibus ſe voluptatem cepiſſe. Quin & diu varia agitavit, qua ratione poſſes perlici ad ſedem in hac urbe noſtra figendam. Quod ſane meum quoque votum eſt, non tam mei cauſſa, quamvis tua conſuetudine quotidiana nihil mihi poſſet in rebus humanis optatius accidere, quam tui, quem vellem ab iſta maledicentiſſima urbe, & dicaciſſimis & maleficentiſſimis hominibus avelli. Sed puto quoque tuae valetudinis & ſalutis intereſſe, ut in illo loco verſeris, ubi te reſpiciant amici, tuique curam gerant, neve quibus libet omnia in te tuaque liceat, aut tot injuriis perditorum hominum pateas. Vale, vir maxime, & me ama, & te tuamque valetudinem cura. Trajecti d. XI. Decemb. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA DCLVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Aveo reſcire, quid apud vos rerum geratur. Iſthinc nihil tibi narrare poſſum, quam me conveniſſe hac die tam *Willerſium*, quam *van Loon*, auri fabros. Ille paratus eſt, ubi ei denuntiabitur, ad vos contendere, quod fiat ſine ſuo ſumtu & incommodo. Mulieris nomen ſe maritique ignorare, quae vendidit nummos, ſed ipſius os optime noſſe. Plus quam triginta nummos aureos diverſis vicibus ab illa ſe emiſſe. Alter *van Loon*, ait ſemel tantum in ſua taberna mulierem illam viſam, ut certo non norit, credere ſe tamen ſe illam, ſi denuo videret, cogniturum. Haec illi. De muliere, quae tibi poſſit in re domeſtica navare operam, hodie accepi, poſtquam ſtudioſe inquiſivimus, eſſe in vicino agro foeminam quadraginta annorum; cujus fides ſit ſpectatiſſima, quippe quae novem annos habitavit apud *Weſtrebnium*, & non ita pridem nupſerit marito, quem brevi poſt acerba ei eripuerunt fata nullis liberis ſuſceptis. Sed de his cras aut perendie certiora. Vale, vir magne, & rem bene & ſtrenue gere ex voto. Cave τ͂ δεῖνα temeritate & audacia perterrearis. Sed fac ſemper tibi praeſto ſit vir probatus. Iterum vale, & a noſtris ſalve. Trajecti d. XIII. Decemb. CIϽIϽCLXXX.

EPISTOLA DCLVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Deſideratiſſimae tuae heri veſperi mihi ſunt redditae. Patronum cauſſarum ad vos contendentem hodie monendum duxi, te ut compellaret. Nec dubito, quin officio ſit functus. Indies furti magnitudinem magis magiſque detegi, dolorem meum, quem ex tua jactura cepi, exacerbat. De Harpye nihil hîc reſcire potui, quamvis ſubornarim, qui ejus latibulum explorent. De viatico matris, filiam comitantis, non puto me quicquam ſcripſiſſe, ſed volui illa intelligi de filiae viatico. Quamvis tota iſta res tuo pendebat ab arbitrio. Nihil enim convenerat. Res tuas turbatas ſpero te brevi compoſiturum. Interea noli te moerori dare, ſi te & nos amas. Nam dolor nimius nihil facit ad damnum reſarciendum; ſed vexat valetudinem infirmam, & animi noſtri imbecillitatem in ferendis caſibus, quibus homines ſumus obnoxii, prodit, cum non ipſos ſemper debeamus armare contra has fortunae injurias, quibus ludit de noſtro corio. Sed haec Philoſophia eſt intempeſtiva, cum tua epiſtola documento ſit, te animo eſſe ſereno. Quî enim poſſes tam cultas exarare litteras tot pulcherrimis obſervationibus & emendationibus, quas ne Pyrrho in dubium auſit

vocare, plenas, niſi animo eſſes ſoluto & defaecato. Proderunt tamen moleſtiis, ſi quae reſident, colloquia amicorum: cum ſolitudo eas foveat & augeat. Quare noli tuum ad nos adventum differre. Biduum aut triduum hoc, quod nobiſcum exiges, tuis rebus reſtituendis nullam moram objiciet. Itaque rogo te per noſtrae amicitiae immortalis religionem, ut hac hebdomade ad nos excurras. Nemo mortalium te nobis deſideratior venire poteſt. Facile invenies, quae interea temporis cum tua domi ſervet. *Trelſchius*, a quo litteras habui hodie, te juſſit ſalutare plurimum, ſicut & noſtri omnes, qui tuum adventum expectant cupidiſſime. Vale, vir incomparabilis, & veni. Trajecti a. d. x. Kal. Januar. Julian. CIϽIϽCLXXX. quem tibi feliciter decurrere volo, reddita valetudine firmiore, & penſata jactura luculentioribus commodis. Deus te ſervet. Has heri exaraveram. Hodie tuae mihi traduntur. *Goeſii* fratres te hac die aut cras mane videbunt, ut intellexi. Sed cum eodem die reverſuri ſint Lugdunum, tantum abeſt, ut hoc iter tuum ad nos poſſint remorari, ut potius hos comites calcar tibi addituros exiſtimem ad id accelerandum. Si craſtinum diem, quod vix credo, tecum exegerint, perendie ſummum in prandio te expectabo. Cum *Goeſio* natu grandiore poteris de tua cauſſa agere. Praetor inſciis ſcabinis nihil audet ſuſcipere, aut gerere. Scabini feriantur. Non poſſunt convocari, niſi quis extra ordinem ſuis ſumtibus eos convenire velit. Haec omnium, quantum ſcio, judiciorum lex eſt, niſi atrocitas criminis aliud ſuadeat. Itaque, ſi vis tua maturari, a Praetore aut Conſule petendum eſt, ut conſilium judicum cogant. Pro locis de τῷ *peragere* vi multas tibi ago gratias. Placent omnia, ſed quid ſit in Columella *fabam peragere* nondum poſſum perſpicere. Nam certum eſt ibi *fabam peragere* debere eſſe fabam ſerere, ſpargere, id num ferat notio vocis, videndum eſt. Iterum iterumque vale.

EPISTOLA DCLIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DEO immortali, Chriſtoque Servatori laudes grateſque dico, cum iſtius Lavernae facinora & ſcelera ſunt detecta. Nam procul dubio longe graviora molita eſt, ut plane mihi perſuadeam tuo capiti venenum fuiſſe paratum. Nam id ejus verba, quae duas treſve ante hebdomades effutiit apud meam uxorem, tibi imminere fatalem diem, id ſibi eſſe exploratiſſimum, praeſagiis ac oſtentis hoc ſibi fuiſſe denunciatum. Sed nondum omne tuum inſtrumentum cum pulviſculo everrerat. Tam diu differendum fuit ultimum ſcelus. Nunc te ſervavit Apollo. Si non poteſt excetra ex fuga retrahi, publico edicto Senatus urbani eſt revocanda, & tabulis novarum rerum nunciis inſerendum ejus nomen, ne tam atrox facinus impune ferat. Mea uxor ait ſe non meminiſſe ſibi ante biennium aliquid arcani ab illa proditum fuiſſe. De ancilla,

cujus in ſuperioribus litteris memini, ſcriptum eſt Grinnes, (nobis *Rhenen*) ubi nunc habitat. Simul reſponſum ad nos perferetur, ſimul audies. *Mollium* conſulendum ſuadeo, de hoc negotio, niſi forte cognatione tangat illos homines, quia Vianae natus eſt, ut puto, quorum opera & miniſterio uſa eſt venefica, quam elapſam eſſe doleo, utinam ſtatim in vincula eam compegiſſes. Sed vide, num poſſit reprehendi. Vale, meum decus unicum. Trajecti d. xxv. Decemb. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA DCLX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NIſi languor iſte totius corporis, & nonnullorum artuum dolor me refraenaſſet, jam dudum apud te eſſem. Vix enim diutius fero tui deſiderium, quod gliſcit indies, memoria ſuaviſſimarum doctiſſimarumque fabularum, quas ex tuo haurio ore, cum mihi tecum licet eſſe, id accendente quotidie. Cras tamen Amſterodamum iter molior, ſi per gravedinem licuerit, comitibus civibus nonnullis noſtris, qui eo contendunt. Tuorum memor ero juſſorum. Mulier, quam conduxiſti, proximo die lunae feret quoque aromata. Negotium, quod te nunc exercitum habitum, ut brevi conficias, ut commodiſſime confici poteſt, opto. Si excetrae illi nota inureretur publice, plurimum id faceret ad os obſtruendum faeci plebis, quae miras de nequiſſimae mulieris facinore ſpargit undique fabulas. Ampliſſimus *Naeldvicius* te, cujus ſaluti aliquot pocula libavimus, plurima impertit ſalute, & tua cauſſa omnia vult, nihilque addit obſtare, quominus negotium Hagienſe provenerit adhuc ex ſententia, quam anguſtias aerarii, & parcimoniam, quam nonnulli urgent acerrime. Praecipuos proceres tuos eſſe, in primis *Blyſwykium*, qui non patiatur id frigere. Plus tamen momenti ad omnes difficultatum nodos expediendos allaturum te praeſentem, ſi Hagae commorareris. Haec ille. Locum perditiſſimum Martialis ingenioſe, ut ſemper ſoles, emendaſti. Ex editis nulla poteſt tolerabilis ſententia vel fidiculis exprimi. Non tamen auſim adfirmare hanc manum eſſe Martialis. Minus haererem, ſi ex ullo antiquitatis loco conſtaret vias publicas lacunis fuiſſe foedatas, & lacunis illis praetextas fuiſſe catenas. Dum tamen aliquid melius extricetur, aut auctoritate firmetur tua conjectura majore, tibi ſubſcribemus haut inviti. Vale, vir perilluſtris, & me ama. Trajecti ὡς τάχιϛα. d. VI. Januar. CIƆIƆCLXXXI.

EPI-

EPISTOLA DCLXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PRidie reverti, Amſterodamo ſoſpes, ſed heri reducem infeſtavit tanta vis gravedinis & catarrorum, ut pedem cubiculo mihi efferre non licuerit, nec etiamnum liceat, accedente febricula, ut fit, quae me non nihil exercitum habet. Simul ac reſpirabo, ad te volabo. Non potero enim diutius tui deſiderium ferre. Interea mitto duas libras mactearum Indicarum, quas petebas, optimae, ut ajunt, notae, pretio duorum Philippeorum emtas. Vinum Hiſpanicum cur non ſimul accipias, non mea culpa eſt, ſed *Elzevirii* junioris. Cum nullum noſſem oenopolam, praeterito die lunae illum conſulebam, ubi vinum hujus generis auſterius poſſit inveniri. Fidem dabat ſe a prandio ſtatim curaturum, ut tuis meiſque votis ſatisfieret. Jubebam cadum minorem, ſi inveniſſet, quale tu deſiderabas, in meas aedes perferri, pretium me repraeſentaturum vinario. Cum nihil apportaretur ſequente die denuo conveni eum, rogavique, num memor fuerit promiſſi. Regerebat interceſſiſſe negotia moram non ferentia, quae eum non ſiviſſent animo ſuo & nobis morem gerere. Jam jam vero ſe proditurum, & noſtris deſideriis ſatisfacturum. Rogavi vehementer, ne inanis dimitterer, ſi ipſe harum rerum curam nollet in ſe ſuſcipere, me alios conſulturum. Cras mane me reditum adornare ad lares domeſticos. Oſtendebam illi epiſtolae tuae verba, quam mecum tuleram. Jubebat me ſecurum eſſe, ſe invigilaturum, ut cis duas treſve horas, ſummum ſub veſperam mihi vinum afferretur expetitum. Sed cum & haec ſpes me fruſtraretur hiantem, illa ipſa veſpera vehementer de hac negligentia queſtus ſum apud cognatos *Elzevirii*. Apud illos enim plures horas in diverſorio dominico, ut vocant, tum tranſegi, qui praetorium Elzevirianum agri Comitatenſis ibi tum vendebatur, id emente *Wolzogio* ſepties mille florenis, in quod condendum & inſtruendum *Ludovicus* impendit plus vicies quinquies mille florenis. Sed de his aliiſque coram plura. Omnia praedia Elzeviriana ſunt proſcripta. Videntur res eſſe heredum impeditiores. A *Wolzogio* & *Francio* ſalvebis, cujus Panegyricum Princeps optimus remuneratus eſt congiario quadringentorum nummorum uncialium, & epiſtola plena ſtudii & amoris. *Wetſteinius* graviter etiamnunc febri laborat, ut non auſus fuerim, cum tot etiamnunc homines hebdomatim leto dentur, ejus fidei credere *Petiti* Obſervationes. Si confirmaverit ſe, accingetur operi. De Muſis nihil novi. Videtur haec hyems ipſam quoque Hippocrenen conſtrinxiſſe. Magna pars bibliopolii Elzeviriani haſtae ſubjicietur. Hae litterae hoc mane ad nos perlatae ſunt. Si ſunt illo die datae, quo eae, quibus erant involutae, diutiſſime in itinere ſubſederunt, neſcio ubi. Negotium cum excetra ſpero tandem te confecturum, ſi non, ut velles, ſaltem ut nunc potes, ne te diutius hae curae macerent. Vale, meum ſeculique decus immortale. Trajecti d. XIV. Januar. CIↃIↃCLXXXI. Julian.

EPISTOLA DCLXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

MIror praetorem tantas moras nectere, & neſcio qua perverſitate actum quaſi praevaricari. Spero tamen in officio eum futurum tandem, & proximo die lunae Harpyiam infeſtaturum. Uxorem & ipſe accuſavi, cum inani timore percita furcifero illi hoc argentum numeravit. Columbi munuſcula expectavimus. Me, quominus ad te feſtinem, invitum admodum retardat infeſtiſſima gravedo & tuſſis. Praeterita nocte febricula quoque conflictabar. Sed & tempeſtas iſta nubila & nebuloſa non ſinit me meo gerere morem animo, & deſiderium tecum fabulandi tua optatiſſima conſuetudine explere. In Juſtini loco videris nimius eſſe mutationis. Corruptum illum eſſe nullus dubito. Vorſtius qui *cereos ignes* exponit *faces cereas* ineptit. *Schefferus* reſcribendum cenſet: *Tunc Hamilcari aris, poſitis ignibus Cereris, tactiſque.* Mihi omnia reputanti apud animum videtur commodiſſimum, ſi legatur: *Tunc Hamilcari, aris repoſitis & ignibus Cereris, tactiſque*, i. o. p. 1. Nam in Cereris templis jusjurandum ſolebat exigi a jurantibus, ut pluribus docet *Gronovius* & *Vorſtius* in notis ad hunc locum. Videtur *&* excidiſſe ſuo loco, & adhaeſiſſe τῷ *poſitis*. Quod cum nullam efficeret ſententiam, natum inde eſt *expoſitis*. *Inſigni cerimonia* neſcio an hîc ferri poſſit. Erat enim ſollemnis jurantium cerimonia ignes accendere, & aras tangere. Si quae alia in hoc ſcriptore caſtigaſti, multum te amabo, ſi ea mecum communicaris. Te cum grato homine & tua merita praedicaturo ea communicaturum nullus dubitas, credo. Litteras tuas curabo hac veſpera. *Perizonii* te heri accepiſſe ſpero. Habui epiſtolam Lutetia a *Valliantio*, qui proximo vere in has terras ſe recurſurum promittit; teſtatus ſe ſuperiore autumno praeter opinionem filiorum binorum crurifragio revocatum eſſe. Vale, vir incomparabilis, & me ama. Noſtri omnes, uxor liberique tibi plurimam ſalutem dicunt. Trajecti Batavorum d. XXII. Jan. CIƆIƆCLXXXI.

EPISTOLA DCLXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUllum acceptius mihi litterarum argumentum arripere potuiſti, quam quod noſtrae litterae ſuggeſſerunt. Conjectura tua in Coeliana epiſtola, *laudo Domitium*, arridet valde, quamvis magis blandiatur illa tua prior. *Caute Domitius.* Verum in lib. IX. ep. 16. ut *billis* mihi non improbatur, ſic *delinitari* Ciceronem ſcripſiſſe in animum inducere non poſſum, cum a verbis inſolen-

lentioribus, tanquam a ſcopulis abhorreat. Ferrem, ſi alicubi Cicero uſus eſſet, aut alius quoque illius aetatis ſcriptor, hoc loquendi genere, *delinior hoc cibo*, pro libenter hoc cibo veſcor. Non longe quidem *delinitari* abit a veſtigiis veterum librorum, nec dubito *delectari* eſſe ſuppoſititium, quod tamen admittendum duxi, donec meliores libri reperiantur, ex quibus vera Ciceronis ſcriptura poteſt erui. Mirum hominem illum etiamnunc praevaricari. Quas nunc trahendi diutius judicum cauſſas poteſt invenire? Sed hera ſpero ipſum in officii gyrum reducet, ſi perget tergiverſari. Heri Ampliſſimus *Cuperus* me inviſit hic, tranſiens Hagam, ut locum ꝗ μακαρίτȣ *vander Burgii* occupet. De tribus candidatis provinciae, quam ejuravit, agi apud ſuos collegas narrabat, de *Perizonio*, *Rulaeo*, & *Coetierio*, litterarum humaniorum doctore apud Hardervicenos, ſed qui poſt bellum Gallicum Arenaci in patria litteris incubuerit. *Perizonium* ceteris quidem doctiorem, ſed a multis conſulibus non amari, qui ei ſint modis omnibus adverſaturi. *Coetierium* a multis commendari: ſed *Rulaeo* quoque, qui faveant, eſſe. Utinam *Perizonium* poſſem alicubi collocare, ne tam inſigne ingenium pereat! Egi ſane cauſſam ejus acerrime, nec videor tamen multum profeciſſe. Urgebo tamen pluribus hoc negotium. Me tuſſis & deſtillationes adhuc retardarunt, quo minus tua deſideratiſſima conſuetudine potuerim frui. Simul ac per valetudinem & tempeſtatem potero, advolabo. Interea ſalvebis ab uxore & meis omnibus. Excerpta codicis Anglicani paſſionis Perpetuae & Felicitatis videre geſtio. Si illorum mihi copiam feceris, margini mei libri varias lectiones adſcribam, tibique tuas ſcidas reddam. Vale, grande meum & ſeculi decus. Trajecti xxv. Januar. CIƆIƆCLXXXI.

EPISTOLA DCLXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Iraſcor & valetudini & tempeſtatis hujus incerto, quae me tantopere deſiderato conſuetudinis tuae dulciſſimae fructu privant. Brevi tamen, ſi Deus dederit, omnia perrumpam. Tuis enim ſermonibus & optatiſſimo complexu diutius carere non poſſum. *Delectari* apud Ciceronem irrepſiſſe ex interpretationem agiſtri nullus equidem dubito. Non potuerunt enim in verbo tam vulgari tam nequiter hallucinari librarii. Nihil quoque propius accedere ad veterum librorum veſtigia quam tuam *delinitare* fateor. Non autem, quo minus in tuam deſcendam ſententiam, tam me movet verbi *delinitare* inſolentia, quam locutionis. Si enim *deliniri cibo hoc* aut *illo* legatur, aut apud meliorem ſcriptorem reperiatur, ut *capior cibo hoc*, herbam illico pergam. In altero illo loco libri illius aſſentior, & acclamo εὖγε, σοφῶς. Nihil verius, quam *ad aquas ſedere.* Sic voce utitur cum alibi Tullius, tum in hoc ipſo libro epiſt. 17. *Iis enim ventis iſtinc navigatur, qui ſi eſſent, nos Corcyrae non ſederemus* Apud Silium Italicum non longe ab initio XII. 65. *ad portas* valde quoque placet. In Juſtino libro

libro XXII. cap. 6. legitur in omnibus libris. *Si prius quam proficiſcerentur, factum eſſe, crediturum adverſum profecturos prodigium eſſe.* Tu ne credis Latinos dixiſſe *prodigium eſt adverſum te?* ſane haec clauſtralem locutionem ſapit. Legendum credo: *adverſum profecturis prodigium eſſe.* In Lactantii libello nuperius edito Cap. XI. pag. 11. legitur: *tamen illud editiſſimum paucis horis ſolo adaequarunt.* Quid *tamen* hîc ſibi velit, nemo dixerit. forte legendum: *culmen.* Pag. 161. ſcribendum ſententia poſtulante: *Cum inde ſibi aut nihil praeter nomen, aut non multum videret accedere. non* omiſſum eſt in edito. Cap. XXXI. pag. 28. videtur legendum: *Venia non habentibus nulla abſtinendi multiplices cruciatus.* Sequentia hanc ſcripturam confirmant. Vale, vir immortalis & me ama. Trajecti prid. Kal. Febr. Julian. CIƆIƆCLXXXI. Lavernae diem dictam eſſe tandem poſt tantam procraſtinationem gaudeo.

EPISTOLA DCLXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PRidie non modo me accinxeram itineri ad vos, ſed jam ingreſſus id eram. At in ipſa via me deterrebant ab hoc inſtituto complures, qui glacie non poſſe nunc ſine periculo tranſiri oſtendebant, idque non ſine capitis diſcrimine jam multos tentaſſe narrabant. Magna igitur cum indignatione domum me recepi, nec potero ad vos excurrere, ante quam naves in aqua fuerint. quod ut brevi fiat, Deum quaeſo. Tanto enim tui deſiderio flagro, ut quî id diutius ferre poſſim ignorem. Auget hanc tui videndi cupiditatem febricula, qua te conflictari ſcribis. Sed brevi illam deceſſuram ſpero. Novi enim tuam in curanda valetudine diligentiam, de qua cave quicquam nunc remittas. Nam in tuo capite non ſolum mea, ſed ipſa Muſarum ſalus vertitur. Ferias has mihi exemiſſe adverſam valetudinem, ut tuis ſuaviſſimis doctiſſimiſque fabulis, & conſuetudine longe jucundiſſima curas & ſollicitudines hujus vitae non potuerim diluere, gravius, mihi crede, fero, quam verbis poſſim exequi. Sed haec quoque inter alias moleſtias & incommoda ſunt concoquenda, cum non ſint τ' ἐφ' ἡμῖν. In Silio nihil puto deſiderari; tantum pro *ad portus*, mallem tecum *ad portas.* Sic enim loquuntur de obſidentibus. Aliud verbum requirere τὸ *ſedere ad portus* quam *ſperare* verum eſt. Sed ſaepe antiqui ſcriptores verbum apponunt, quod ultimae tantum voci aut primae accommodari poteſt, cum ad praecedentes aut ſequentes aliud ſit intelligendum & animo quaerendum. Phaedrus lib. IV. fabula de canibus, Juppiter ait: *Non veto dimitti, verum cruciari fame,* ſcilicet jubeo. Terent. Andr. III. 5.

Namque hocce tempus praecavere mihi me,
Non ulciſci te ſinit.

Praecavere mihi me jubet ſcilicet. Plura notavi ad Flori III. 21. Sic hîc apud Silium ad *portas ſedere* nimirum *cogebat*, & *vetabat aditus ſperare.* Virgilius

cum

cum quoque tactum arae & ignium conjungat, in illo verſu *Tango aras, medioſque ignes, & numina teſtor*, nondum auſim recedere a vulgata lectione & librorum omnium ſcriptura. De ruduſculo miror te verbum unicum tuae inſeruiſſe epiſtolae. Quid me fiet, qui in tanto tuo aere ſum, ut, quoties cogito, me mei pudeat pigeatque. Litterae tuae heri Hagenſi tabellario ſunt traditae. Nihil nobis negotii faceſſis, cum tantilli officii partes nobis imponis. Quicquid mandaveris, a nobis recte diligenterque curabitur. Nihil enim, quod tibi gratum eſſe novimus, ſine nefario ſcelere poteſt a nobis omitti. Excerpta Snabeliana vetuſti codicis B. Perpetuae ac Felicitatis inſpiciam, ſimul ac recenſione Juſtini fuero perfunctus, quod ſpero hac hebdomade futurum. A *Menckenio* Profeſſore Lipſienſi litteras habui, quae tibi ſalutem dicunt plurimam. Haeret etiamnunc Oldenburgi, ſed nunc domum itionem adornat, peſtilentia Lipſiae ſedata. Res Anglorum nutant. Ordinum nuperius diſſolutorum alius conſeſſus cogetur ad Kalendas Aprilis Oxoniae: invitis plurimis. Londinenſes omnes aditus urbis acribus vigiliis & ſtationibus munivere, & peregrinos recognoſcunt accurate. *Eſſexius* Comes & *Templius* gratia Regis exciderunt, & e Conſilio illius ſecretiore ſunt amoti. Frater Regis facultatem dicitur eſſe conſecutus in Angliam redeundi cum praeſidio ſex millium Scotorum. Haec ex litteris ſecretioribus palam jactantur. Cetera tegunt proceres. Vale, vir incomparabilis, & me ama. Trajecti d. III. Febr. Jul. CIↃIↃCLXXXI. *Servaeſius* & noſtri omnes te ſalutant.

EPISTOLA DCLXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

INgentes tibi gratias ago, cum tam egregia me doces. Quam invitus tibi repugnem non ignoras, qui hoc ingenio ſum, ut etiam ignotorum aut iniquiorum obſervationes majore cum voluptate laudem, quam carpam, ac rejiciam. Mihi ipſe ſuccenſeo, cum animo non poſſum perſuadere, ut tuum *delinitari* in Tullio probet. Tranſlationes ab animo ad corpus, aut e contrario a corpore ad animum frequentes ſunt. Sed nondum video, quam bene poſſint dici *cibo deliniri*, aut *demulceri*, qui illo cibo delectatur. Demulcentur ac deliniuntur animi blanditiis, voluptatibus, ſed gula non dicitur *demulceri* ac *deliniri* deliciis. Eſt ſane contra uſum recte & emendate loquentium & ſcribentium. Delinimenta recte dicuntur philtra, quia iis incantantur quaſi amatorum mentes. Nam *deliniri* ſaepe pro incantari accipitur. Sic apud Plautum Ciſtell. II. I. 45. *Tu me delinis, propter te haec pecco.* Macrob. V. Saturn. 19. *Et in his maxime ſacris, quibus delinire aliquos aut devovere, aut denique exigere morbos ſolebant.* Plaut. Amphit. 2. 214. *Delinitus ſum profecto ita, ut me, qui ſim, neſciam.* Hinc delinimenta ſunt blanditiae, philtra, forma, obſequium, quibus dementantur amantium animi. Livius XXX. 13. de Sophoniſba: *Illa furiam peſtemque omni-*

bus delinimentis animum ſuum avertiſſe atque alienaſſe. Idem lib. XXXIX. 11. *Hiſpalae concubitu carere eum decem noctes non poſſe: illius excetrae delinimentis & venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec Deorum verecundiam habere.* Inſignis eſt locus Afranii: *Si poſſent homines delinimentis capi, omnes haberent amatores anus. Aetas & corpus tenerum & morigeratio; haec ſunt venena formoſarum mulierum.* Quae *venena* vocat, paullo ante dixit *delinimenta.* Apud Tacitum Agric. XXI. *delinimenta vitiorum* ſunt vitia, quibus homines deliniuntur, & alienantur a ſeveriore vivendi ſecta. Illa vero ſunt, ut Tacitus commemorat, porticus, balnea, conviviorum elegantia. Nihil igitur haec ad *deliniri cibis*, quod non magis frequentatum puto, quam *demulceri cibis.* Hoc ſi poſſem inducere in animum, ut crederem, veteres uſurpaſſe, nullam moverem controverſiam τῷ *delinitari.* De locis Lactantii alias. Apud Juſtinum legitur XLI. 1. *Praeterea cum gravibus Scythicis, & vicinalibus bellis aſſidue vexati, variis periculorum certaminibus urgerentur.* Legiſtine *vicinalis?* Meae ſane memoriae non occurrit. Forte ſcripſit Juſtinus: *vicinorum bellis.* exciderat *orum*, & ex ſequentis vocis initio *bellis*, videtur natum *alibus.* Sed nihil definio, nec mihi ſatisfacio. Vale, vir maxime. d. v. Februar. CIↃIↃCLXXXI. Forte cras te videbo, ſi valuero & glacies permiſerit. Sed nihil certi promitto. Aveo ſane in tui complexum ruere.

EPISTOLA DCLXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HAS heri tibi ipſe tradere conſtitueram, ſed retardatus ſum valetudine, qua heri parum proſpera utebar, ut viae me committere non auderem. Hodie denuo verſandum fuit noſtrum dolium. Interea ſpero, hos Zephyros glaciem ſoluturos, & ſcaphis viam denuo ituris ad vos patefacturos, quod etiam atque etiam opto, ut brevi fiat. Diutius hercle durare non poſſum, tantum tui eſt deſiderium. Geſtio tecum cum de aliis, tum de praevaricatoribus veſtris garrire. Quae illos cepit dementia, quod tantae Harpyiae faveant? O auri ſacra fames! Quid enim aliud cogitem neſcio. Secundo pedatu illam citatam eſſe veſtri homines, qui litteras ferunt, mihi nunciavere. Utinam brevi his tricis & moleſtiis expediaris. Excuſſi heri varias lectiones paſſionis Felicitatis & Perpetuae, & deprehendi codicem Anglicanum longe praeſtantiorem eſſe illo, quo Holſteinius eſt uſus. Vix ulla eſt diſcrepantia in Anglico, quae non in contextum ſit admittenda, pauciſſimis exceptis. Apud Lactantium p. 11. excidiſſe aliquod vocabulum non invitus tibi aſſentior. Sed nec *tamen*, nec *tandem* illic locum habet, pro hoc igitur aliquid ſubſtituendum appoſitum huic loco. Alter locus recte a te eſt purgatus: *venia non habentibus nulla: ſuſtinendi multiplices cruciatus.* Probo quoque pag. 30. *odor it autem.* ego cogitaram: *odoris diritas*, ſed damno viſa tua veriſſima, ut ſentio, conjectura. Reliqua omnia quo-

quoque valde arrident, praeſertim *repercuſſis medelis*. Hic etiamnunc dubito, nec tamen melius quicquam reperiri adhuc potui. pag. 28. *Quae promiſerat reddderet*, forte *reddere*. Sed in hac pagina multa ſunt, quae tuum ingenium implorant, meum fugiunt. Quid hoc: *Etiam in nomine vicennalium, ſecurim alteram afflixit*. Sed in hoc minus difficultatis. Dein qui ſunt *officiorum omnium milites?* nec haec intelligo: *cui prius ſatisfieret incertum*. Tenebris plena haec quoque mihi videntur: Frequens ſuper iiſdem *hominibus*, vel ipſis *judicibus*, vel militibus *judicum* pugna. pag. 29. legendum cenſeo: *Licinio jam ſecunda manſione tendente, diſtante milia totidem collectiſque ex proximo, quantis potuit militibus, pergebat obviam Maximino*. Vale, vir magne, & me ama. Trajecti d. VII. Februar. CIↃIↃCLXXXI. Varias lectiones ipſe referam, ut & nummos, qui tibi debentur de quatuor Philippeis, quos mihi miſiſti. *Vicinalia bella* in Juſtino, Livii auctoritate, quam mihi oſtendiſti, motus, retineo, praeſertim cum hujus vocis uſum comprobet quoque Ulpianus. In nuperius reperto Lactantii libello gaudeo tibi non diſplicere meam conjecturam, *repercuſſis medelis*, eamque loco ſimillimo a te firmari. pag. 28. arridet *inani nomine vicennalium*. Sed *afflixit ſecurem* puto tolerandum. Cic. pro Planc. dixit, *gravem reipublicae ſecurim infligere*. videtur *adfligere* poſitum eſſe pro *infligere*. Recte quoque exponis: *officiorum omnium milites*. pag. 30. optime conſtituiſti locum corruptiſſimum, idque *Cuperum* quoque vidiſſe, cum non ita pridem hîc tranſiret, ex eo intellexi. pag. 39. neſcio quomodo etiam nunc mihi blandiatur, *ſecunda manſione tendente*, vel *in ſecunda manſione tendente*. Nam in pervulgata locutione *manſionem tenere* non videntur lapſi eſſe librarii. Illud vero *tendere* cum minus tritum ſit in hac notione, hallucinationis occaſio fuit. In ceteris illius loci corrigendis tibi aſſentior. In Creta nulla reperiri noxia animalia multi ſcriptores prodiderunt: verum nullam herbam noxiam ibi naſci aut venenatam non memini legere. Herbarum quidem ſaluberrimarum eſt feraciſſima, Aconitum tamen in illa exiſtere praeter Lucanum auctor eſt Theophraſtus Hiſt. Plant. IX. 16. τὸ δὲ ἀκίνιτον γίνεται μὲν, ὥς φασι, καὶ ἐν Κρήτῃ καὶ ἐν Ζακύνθῳ, πλεῖστον δὲ καὶ ἄριστον ἐν Ἡρακλείᾳ τῇ ἐν τῷ Πόντῳ. De *Aethalide maſſa* cum vacare poteris expecto, quae chartis mandaſti. Militem Germanum jam mei toties fruſtra per omnes vias quaeſiverunt. Si ei litteras tuas ad me perferendas dederis, non poterit me effugere. Videbo ut & potu & ſpe praemii alliciam ad inquirendam Lavernam, ſi apud nos deliteſcit. Cum plures aedes ſint circa Baſilicam majorem, difficulter explorari poterit ejus latibulum, niſi veſtigia quaedam fuerimus odorati. Nec videtur e tua re eſſe cum praetore agere, ante quam exploratius aliquid cognoverimus. De pecuniola pro oryzo expenſa, cum ad vos venerimus, agemus, ut & de naulo faſciculi Amſterodamenſis. In *Montani* bibliotheca tibi ſtudium meum erit praeſto, nec committam, ut fruſtra meum implores, etſi librorum illorum, quos deſideras, eſſem cupidiſſimus. Cum promiſſi religione te teneri ſcribis, in fabulis Homericis ad Cl. *Columbum* mittendis cupiditatem hanc meam leniam expectatione occaſionis ſecundioris illam explendi. Tu vale, Heinſi, grande decus & praeſidium meum. Uxor & liberi ſalutem tibi

Vvvv 2

tibi dicunt. Trajecti VII. Febr. CIↃIↃCLXXXI. Rumor hîc circumfertur Tingi Regem Britanniae Gallis vendidiſſe quadringenties centies mille coronatis. Sed non poſſum in animum inducere, ut faciles aures praebeam huic famae. Videtur enim omnem fidem ſuperare. Si vera eſt, de ſuo ludit Rex capite, & de ſuorum civium ſalute.

EPISTOLA DCLXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SI tanta in me vis eſſet dicendi, quanta tibi facultas prolixaque bene de me meiſque merendi voluntas & ſtudium, dignas nunc tua benignitate, qua denuo pridie tam laute muſiceque nos accepiſti, gratias perſolverem. Nunc invitus licet cogor fateri, nec res nec verba ſuppeditare, quibus tuam liberalitatem poſſim aſſequi. Si legibus mecum vis experiri, intercedere nec poſſum, nec volo, quin in nexum tibi addicar, ſed non eſt, ut in jus ambulemus. Jamdudum mihi ipſe legem indixi Solduriorum ritu tibi ſerviendi. Tecum vivere amem, tecum moriar lubens. De negotio meae curae mandato agam cras cum *Servaeſio*. Nondum enim diſtrictum domeſticis forenſibuſque tricis vidi. Cave dubites eam rem minus cordi nobis futuram, quam quae maxime pertinent ad nos. In ſcapha, cum domum reverterem, narrabatur Megaera illa Hagae nunc deliteſcere. Id veſtrae Dominae conſiliarius, qui in hac tamen urbe degit, ſe audiſſe ajebat. Si hîc moratur, ſpero nos latebras ejus detecturos. De *maſſa Aethalide* ſi locum Lucani indicaris, cum uno atque altero exemplo, quo tuam firmas emendationem, mirifice me novo beneficio tibi devincias. Vale, flos eruditorum & me ama. Trajecti Batavorum d. XXIV. Februar. CIↃIↃCLXXXI. En tibi novum catalogum, & mala ſerica, quae Senator *Servaeſius* tibi dono mittit. Excuſſi meam bibliothecam, ſperabamque me in ea inventurum Procli Lycii libellum Latinum de fabulis Homeri, quem olim quidem habui, ſed periit illius negligentia, cui *Cuperus* eum mihi reddendum commiſerat, credebam tamen me illum recuperaſſe ex alia bibliotheca, ſed ſpe falſus te obteſtor, ſi ſine fraude tui amici, cui deſtinaſti illum, fieri poterit, mihi ut eum addicas. Suiberti vita tibi pro illo debebitur. Pro Aurelio victore Schotti Duaceno aliud reperiemus. Vale, iterum iterumque. Debeo tibi octo obolos, pro aromatibus enim uxor tantum expenderat quinque florenos octodecim obolos, quum tu mihi quatuor miſiſſes Philioppeos. Eos hîc accipies. Nuper oblitus hujus nominis eram.

EPISTOLA DCLXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS
Nic. Heinſio.

Vianam.

NOndum te plane viribus inſtauratis convaluiſſe perquam ſane doleo, Deumque obteſtor, ut hac imbecillitate ſublata te jubeat incolumem eſſe, & doloribus moleſtiiſque omnibus vacuum. Locum Caeſaris quin feliciter emendaris, nec ipſe Pyrrho in dubium vocare poteſt. Nam *τὸ certe* hîc nullius eſt rei. Denique omnia ſalva ſunt, & plena vigoris, cum jacerent antea, frigerentque, nec commodam ſententiam parerent. Tibi pro hac emendatione, quam mecum communicaſti, plurimum debeo. De eteſiis *Salmaſius* in Plinianis Exercitationibus, & *Paulus Manutius* in commentario ad Ciceronis epiſtolas, quas vulgo familiares vocant, egit pluribus. Cum *Daniele* vereor ne familiae Elzevirianae laus, qua per tot annos floruit, editis nitidiſſime plurimis libris, conciderit. Catalogus, quem nuperius tibi miſi, librorum, qui vendentur Lugduni, partem complectitur librorum Elzeviriorum, quod ſtatim ſubodoratus ſum, cum compactos maximae formae percurrerem; ſed poſt fama confirmavit. Quae tuis uſibus velis parari ex *Montani* bibliotheca, commiſſa ſunt pueri fidei. Rationes nunquam ille conficere poteſt, ſed praefectus auctionum. Unum alterumve libellum inter plures, quos tu non deſiderabas, carius venditum, nonnunquam, idque meo juſſu, emit, quorum pretium ex ipſo mihi cognoſcendum eſt: reliquorum docent rationes magiſtri. Libros minores pleroſque heri inſpexi, quos notavi. Incompacti plurimi peſſime ſunt habiti. *Twyni* antiquitates Oxonienſes, quos emi volebas, delevi, quia non tantum primum folium, ſed & alia in libro illo deſiderabantur, ut & in *Capelli* defenſione. Inter compactos Chryſoſtomus de ſacerdotio foede eſt maculatus a puero, cui aliquot ſermones videtur magiſter explicaſſe. Illius libri duo habeo exemplaria. Facile tu in tua bibliotheca invenies, quo unum tibi vindices. Cyrilli catecheſis pulcherrime quidem eſt edita, ſed lector quoque ſubductis undique verſibus iſtum librum deturpavit. Margines tamen, niſi fallor, puri ſunt. Plures tu libros annotaveras, quorum magno flagrabam deſiderio, ſed mea cupiditas tuae voluntati non obſtabit. Tibi uni cedo, cum in nonnullis aliis, tum in *Andreae Patricii* libello rariſſimo, quem praeter te nemo mihi eriperet. Tuae ad *Snabelium* recte curatae ſunt. De loco Lactantii *ſecunda manſione tendente* non ulterius tecum contendo. Quamvis qui in manſione tendit, utrique manſionem inſidet, eamque tenet, ſi veteres ita ſunt locuti: *Manſionem tenere.* Exempla ſane non ſuccurrunt. In Juſtino *vir tantis rebus* vereor ut probaturus ſis Latinis hominibus. *Vir tanta probitate, tanta virtute* ſunt pervulgata. Sed *vir tantis rebus, tantis facinoribus* non puto, invenies quenquam dixiſſe. Vale, maximum meum decus, & me ama. Trajecti poſtrid. Kal. Mart. CIƆIƆCLXXXI.

EPISTOLA DCLXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUid referam tibi, & quo te remunerabor dono pro pulcherrima emendatione Lucani, qua Sibyllae folia nihil certius habent, nihilque ingenioſius a quoquam excogitari poteſt? Hauſta eſt ex reconditis Muſarum penetralibus, ad quae non niſi epoptis pervenire datum, cujuſque elegantiam vulgus, quod tamen doctrinae nomine cenſeri vult, non capit. Hanc unam emendationem praetulerim multis adverſariorum non capitibus, ſed libris. Quam egregia, quam docta, quibus illam firmas! In Naſone valde placet, *Uritur Idaliis alba columba focis*. In Lucani eodem loco potuit ſcripſiſſe, fateor, *Fudit & argenti lamnas*. Verum hoc nimis recedit a librorum veterum ſcriptura. Illud vero loquendi genus, *fudit & argentum lamnis* non poſſum probare. Heri nova muſtei Lactantii libelli editio ex Anglia ad me perlata eſt, in cujus praefatione ajunt *Iſacum Voſſium*, & epiſcopum Aſaphenſem, & ipſum editorem, cujus nomen latet, (mihi videtur eſſe *Bernhardus*, qui dono illum mihi miſit,) non pauca conjectando reſtituiſſe corrupta loca: Nondum mihi per negotia licuit libellum hunc evolvere. Fugitivo tamen oculo notas percurri, in quibus nihil vidi *Voſſio* dignum, & quod tibi mihique ſit praereptum. Sed de hoc cras coram, ſi per tempeſtatem & valetudinem licuerit. Etiam nunc conflictor gravedine. Hac hebdomade acrius denuo me exagitavit. Coeli injuria exaſperatur iſte morbus, ut noſti. Niſi clementior aura flaverit, non ante proximam Saturni diem te videbo. Tum & de locis Juſtini agemus. Nondum in animum inducere poſſum *tenere manſionem* Latine dici, quamvis de toto loquamur exercitu. *Locum tenere* optime ſe habet apud Virgilium. Sic & *regionem*, *inſulam tenere* frequenter legitur apud meliores. Sed haec differamus in noſtros ſermones. Rationibus exſcribendis vacare nondum potuit magiſter. Proximo die lunae eas habebis. Puer, cujus opera ſumus uſi, pleroſque tibi addictos eſſe, quos deſiderabas, ſignificat. Vidi heri, & legi catalogum craſſum & inſignem Gruterianae bibliothecae. Verbi divini praeco eum ſecum Roterodamo pertulit, mihique mutuum dedit. Nullum adhuc exemplum eſt aliud in hac urbe. Non paucos ibi deprehendi libros rariores. Vendentur Roterodami d. XIV. Aprilis. Operam dabo, ut & tibi & mihi hos indices mittant. Vale, decus meum. Trajecti Batavorum d. V. Mart. CIↃIↃCLXXXI. Ad *Francium* veſperi litteras dabo. Tuae heri recte curatae ſunt. Lactantii libello ſubnectunt Angli Paſſionem Perpetuae & Felicitatis, nec non S. Maximiliani & S. Felicis.

EPI-

EPISTOLA DCLXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUnquam quidem a te diſcedo, niſi auctus multis bonis rebus, quibus & corpus & animum paſcis, praeterita tamen ſolis die tam laute & ſuaviter a te fui acceptus, ut ejus diei memoria etiamnunc animo meo ſemper obverſetur, mirificaque voluptate perfundat. Saepe doleo fata nos ſejunxiſſe. Si fixiſſes in hac urbe ſedem, a tuo latere nunquam me paterer divelli. Tibi ambitioſius hedera dies noctesque adhaererem. Sed nunc ferenda eſt ſortis hujus iniquitas, donec dies optatius quid vehat, & votorum me compotem reddat. Habes hîc rationes magiſtri. Quibus ſtellae ſunt praefixae a me, mihi ſunt emti. Inter eos eſt *Hauchenii* paſtorale in quarta forma, ut loquuntur, quod cum tu deſideres, tibi id mitto. Paucos libros video tibi invidiſſe nonnullorum emtorum inſaniam. Sed unum audio furto eſſe ſubductum, quem maxime deſiderabas. Cum heri libri ad me adferrentur, illico videbam eum non inter ceteros haberi. Noram enim ejus formam, quippe qui pridie, quam libri praeconi ſubjicerentur, diligenter eum inſpexeram, ut ex me ipſe audiiſti. Nec in indiculo librorum nobis vindicatorum comparebat. Arceſſii illico puerum nobis ſervientem. Evolvebat catalogum, inveniebat margini libri adſcriptum: hic liber non poterat inveniri. Cum non ſatis ei fiderem, adii pomeridianis horis ipſum magiſtrum, inſpexi tabulas, & ſic ſe rem habere comperi. Pereat iſte Autolycus, qui tibi hoc gaudium invidit. Nec poſſum ego divinare, quiſnam hujus libri fuerit tam cupidus, qui novi ingenia noſtrorum hominum. Sed quicunque ſit, homo ſane fuit nequiſſimus, quem dii deaeque perdant. Libri emti penes me ſunt; Expecto juſſuruſne ſis per foeminam litteras ferentem, an per nautam proximo die Saturni ad te eos curari. Rationes ſubduxi. Reliqui tibi ſunt apud me quatuor floreni tres oboli. Litteras habui a *Magliabechio* cum epiſtolis duabus Italicis de Cometa nupero ad ipſum ſcriptis a Profeſſore Matheſeos Bononienſi: Cum has exaraſſem tuae acceptiſſimae mihi redduntur, reverſo ex acroatorio. A prandio dabo illico operam, ut libri, quos cupis, ex hodierna auctione tibi emantur, modo illi, qui minoris ſunt formae, non jam alios invenerint dominos. Spero quoque me reperturum, cui poſſimus coemendorum Roterodami librorum poteſtatem committere. De quo cras forte aut perendie. Vale, vir magne & me ama. Trajecti d. VIII. Mart. CIↃIↃCLXXXI.

EPI-

EPISTOLA DCLXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

ANtequam tuae mihi reddebantur, conveneram *Montani* filium, quem olim vidiſti, de Hincmaro Buſaei; & ſi fugitivus iſte poſſit retrahi, omnia ſum expertus. Nam cum tanta hujus libri cupiditate te flagrare nuperius coram intellexiſſem, vehementer, pro meo in te ſtudio, dolui, non licuiſſe per furaces manus nobis tuum deſiderium explere. *Montanus* regerebat, ſe nulla ratione potuiſſe expiſcari, a quo hic & non nulli alii, qui deſiderati ſint emtionis die, fuerint tibi erepti. Sancte jurabat a ſe ſuiſque hunc librum non fuiſſe excerptum & retentum. Libros, qui hodie venduntur, heri inſpexi. Gemnadius eſt libellus paucarum paginarum, cui non modo nihil acceſſit, ſed cujus ultimae duae paginae, cum tantum ſit conſutus, & in loco humido videatur aliquando abjectus jacuiſſe, fere computruere. Reliqui ſatis bene ſe habent. Sed audio libros iſtos care vendi. Obvium ſane habui patronum cauſſarum, cum mihi ſub meridiem eſſet prodeundum, qui Apes urbanas Allatii emerat obolis triginta. Qui tibi ceſſerint, nondum reſcivi. Junianae auctionis libros non omnes, qui tibi debebantur, ad te perveniſſe pulchre memini. Magiſtri & ejus operarum haec quidem culpa eſt, ſed nummi erant refundendi; quos num exigere neglexerit puer, ignoro. Tum temporis ſane monui eum videret, ut haec jactura ſarciatur. Meum quoque hoc fatum fuit plus vice ſimplici. Vidi tamen me nec conviciis, nec minis quicquam profeciſſe apud praefectum auctionis. Nummi illi ſunt pendendi, antequam libros nobis licet arceſſere, cum ipſi libri ſerventur ab heredibus. Praetoris veſtri iniquitatem deteſtor, illamque omnes boni execrantur. Aliorum injuriae vide ne te nimis crucient. Multa ferenda eſſe magno tuo malo toties expertus es in vita humana. Nullus dubito, quin nunc quoque moderate ſis toleraturus tanta hominum ſcelera. Lactantii libellum tibi perlegendum mitto. Puer iſte, cujus hic opera utimur, iter affectat non ſolum Lugdunum, ſed & poſt Roterodamum. Tu cogitabis, num ejus miniſterium tuis commodis ſit aptum. Ego quoque circumſpiciam, num quis praeter hunc, cujus fides ſit explorata, inveniri poſſit. Vale, vir magne, & ſalve a noſtris omnibus. Trajecti d. IX. Mart. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

P*Etiti* liber jam pridem exerceret praela, niſi *Wetſteinium* febris diuturna lecto affixiſſet. Ne nunc quidem plane convaluit. Ipſe quoque non deſinam

nam urgere hominem, ut manus operi quamprimum admoveat, ne diutius fallat ſpem, quam fecimus eruditiſſimo viro, pulchri hujus foetus parenti, & vota rei litterariae. *Menagii* Diogenem Laertium, cum nuper Amſterodami eſſem, meminiſti, credo, quanto ſtudio commendarim edendum bibliopolis celebrioribus, id enim tibi narravi reverſus, obtulerimque centum octoginta florenos *Menagii* nomine ad impenſas correctionis accuratae ferendas; ſed morte & morbis *Elzevirii* aliorumque complurium ſui ordinis deterriti fidem ſuam noluerunt nobis obſtringere. Pridie *Leerſium* hoc nomine compellavi, a quo reſponſum expecto. Viris ſummis, cum ad eos litteras dederis, quaeſo ut viciſſim ſalutem dicas verbis amantiſſimis. Tuam & *Menagii* epiſtolam heri Lipſiam curavi. Libros tuos hodie haberes, niſi in auctione noviſſima tibi paratos, qui tamen pauci ſunt, ut puer mihi ſignificavit, nos juberet expectare intempeſtiva magiſtri mora, a quo ante proximum Lunae diem rationes non potuimus extorquere. Illo igitur aut poſtero die Martis mittentur. *Arnoldo* ut ſatisfiat, proxima hebdomade mihi curae erit. In Anglicana Lactantii editione pauca te credo inveniſſe, quae probares. In paſſione S. Maximiliani ſunt, quae merentur illuſtrari. Nunc quod tibi aliud ſcriberem, non inveniebam. Vale, vir maxime. Trajecti d. XXII. Mart. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NIhil a *Schelii* obitu me magis exanimavit, quam iſta fama de conclamata ſapientiſſimi Principis valetudine. Quando enim talem, aut ubi talem reperiemus? qui in tanto dignitatis faſtigio triſtes Muſas reſpiciat tam benigne, non vana captus ambitione, ſed qui ipſe omni doctrinae genere ſit perpolitus? ut paucos habeat inter eos, qui in Schola quaſi nati ſunt, & omnem aetatem in umbra illa Muſaei ſui conſumſerunt, pares, ſuperiorem fortaſſe neminem. Nondum quidem certi nuntii de ejus obitu ad nos perlati ſunt, vereor tamen, ne votis noſtris citius & celerius feriant aures noſtras ferales hi κακῶν ἄγγελοι. Si precibus, votis, lachrymis fata poterint exorari, multi de plurimorum hominum annis vitae magni principis propagandae addentur. Tot ſunt non ſolum inter cives, ſed etiam apud exteros, qui pro ſalute ejus vota ſuſcipiunt. Inter quos nomen profiteor in primis. Mythologos *Munckeri* nondum vidi. Nullus dubito, quin tibi nobiſque omnibus ſit probaturus operam, quam poſuit in illis ſcriptoribus illuſtrandis. In Martiali perplacet, *quoties calidis tota foveris aquis.* Eſt digna *Rutgerſii* & *Heinſii* ingenio emendatio. En tibi rationes & libros, qui in auctione Leidenſi tibi ceſſerunt. Cui ſtellam praefixi, ad me pertinet. Ceterum fides pueri mihi eſt ſuſpecta. Nam aut illo pretio, quod conſtituimus, aut majore libros comparavit. Sed de his brevi

coram, ſi deus dederit. Habui hodie litteras a *Schnabelio*, qui ſignificat ſe Brema reducem noſtras inveniſſe, & his feriis ad nos excurſurum eſſe, & nobiſcum acturum coram de omnibus. *Wetſteinius* hodie me inviſit ex Geldria domum revertens. Ejus fidei credidi *Petiti* miſcellanea, quibus propediem manus admovebit. In Ovidii I. Metam. verſ. 598. omnino probo Vaticani codicis ſcripturam, *Lirceia liquerat arva.* Nam locus eſt *Lirceus*, inde *Lirceius.* Apud Florum I. 9. de Mutio Scaevola lego, *reſciſſo ponte* pro vulgato *reciſo ponte.* Aliud eſt *pontem recidere*, hoc eſt minorem facere, aliud *pontem reſcindere.* Vale, decus meum unicum & praeſidium certiſſimum. Trajecti d. XXII. Mart. CIϽIϽCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SErius quidem gratias tibi ago, pro nuperrimo gaudio, quod nobis te viſentibus faciebas, ſed tamen verbis ago conceptiſſimis, tibique confirmo ejus memoriam nunquam ex animo meo dilapſuram, ſed id quoque in accepti tabulas me relaturum, in quibus tuum nomen utramque paginam facit. Hodie ad me Amſterodamo miſſum eſt argenteum numiſma *Schefferi*, cum litteris *Rumpfii*, quibus ſignificat penes ſe eſſe duos libros poſtumos *Schefferi* de Suecia literata, & de Regni Sueciae inſignibus, quos quamprimum ad me ſit curaturus: Hominem enim, qui nummum ferat, gravari faſcem librorum. Nullus dubito, quin & quae tibi deſtinata ſunt, curaverit. Habui quoque litteras Lubecca, quibus mortem *Trelſchii* mihi ſignificant, praefatas, rumorem ibi ſpargi τ̀ν μακαρίτην Duci Holſatiae, cui ſervierat, omnia bona legaſſe: pleroſque vero opinari ſine ultimae voluntatis & judicii declaratione illum obiiſſe, miniſtros vero Principis Domino vindicaturos eſſe omnia tanquam vacua bona, & teſtamenmentum, ſi quod inveniatur, abjecturos & occulturos. Sed certiora brevi nos dies docebit. Ego tamen, qui optimi viri ingenium novi, plane perſuadeor ſine ſupremi judicii teſtatione illum obiiſſe, quia nunquam de tabulis teſtamenti quenquam volebat audire. Heri veſperi ad me inviſit *Snabelius.* Cras deo dante, aut perendie ad te certum eſt nobis excurrere, niſi quid ἀπὸ μηχανῆς. Vale, Princeps ingeniorum, & amicorum unice. Trajecti d. XXX. Mart. CIϽIϽCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

MIror & indignor nondum de Roterodamenſi venditione quicquam ad me perlatum eſſe, praeſertim cum hebdomade ſuperiore litteris alteris ad illum hominem, cujus operam imploravi, adjunxerim *Timonis Geſſelii* librum poſtumum de diſtractione imperii & eccleſiae, cujus edendi curam in ſe ſuſceperat. Audio & *Diemerbroeckium* ei partes impoſuiſſe libros aliquot emendi, ſed nec is fertur quicquam reſponſi accepiſſe. Hominem ajunt eſſe in ſcribendis litteris lentiſſimum, ut ne nunc deſperem de noſtris votis. Heri denuo illum compellavi. Convicio quotidiano reſponſum, ut ſpero, extundam. Princeps, cui beatus *Trelſchius* noſter, cum in vivis eſſet, apparuit, omnem ejus hereditatem ſibi velle videtur vindicare, de quibus propediem plura. Res *Elzevirii* ſunt conclamatae. Tutores noluerunt hereditatem cernere, niſi interpoſita auctoritate Senatus Batavici, ne ſibi fraudi eſſet hereditas, ſi non par ſit expungendis nominibus, ſive, ut noſtri JCti loquuntur, non niſi inventarii beneficio ſe heredes ſunt profeſſi, ringentibus ceteris bibliopolis, quorum fides per *Elzevirii*, qui hujus corporis princeps erat, latus labefactatur. Hinc & alieniſſimi ſunt ab omnibus grandioribus operibus publicandis. De re litteraria novi nihil habeo. A *Maliabechio* litteras hodie accepi, ſed perbreves, qui dolet nondum meum Florum in Italiam eſſe perlatum, de re litteraria propediem ſe pluribus acturum. Promiſit ſe brevi miſſurum Columellam manuſcriptum, & antiquiſſimam editionem, nec non grande volumen *Noriſii*, quibus explicat inſcriptiones Piſanas, ac nonnulla alia, quae in illum faſcem ſit conjecturus. In Italia duos eruditos ſuos amicos fatis conceſſiſſe Albintimelii *Patrem Angelicum Aproſium*, Veronae autem Marchionem *Pindemontem*, quem ignoro. Vale, vir maxime & me ama. Trajecti XIV. April. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NON meas litteras, ſed me ipſum hodie vidiſſes, niſi incidiſſet negotium nec opinum in Academia, quod pedem urbe me non ſinit efferre hac die. Cras tamen, ſi valeo, Deuſque ſinit, te videbo. Nam diutius deſiderium tui ferre non poſſum, praeſertim hoc tempore, quo ingentem formidinem & ſollicitudinem mihi incuſſerunt tuae litterae. Nam cum te frangi vi morbi, ſic ut faſtidias illas tuas veteres delicias, libros & Muſas, ſcribis, facile video te graviſſime laborare, quo nihil mihi triſtius & acerbius poteſt accidere. Sic

enim decrevi, in tuo capite non ſolum litterarum dignitatem, quam unus in Batavia ſuſtines, verti, ſed & meam ſalutem ab eo pendere. Nam in te uno conquieſco, tu unus es, in cujus amicitia certa & vera omnis fortunae praeſidium mihi poſitum eſt, ac omnis ſuavioris vitae ſpes, in cujus denique amore mihi omnia ſunt. Utinam poſſem invenire aut remedium, quo torporem iſtum corporis pellere, aut oblectamentum, quo jacentem animum quirem erigere! Sane quod mihi unice relictum eſt, non deſinam Deum precibus fatigare quotidianis, ut te valere jubeat animo corporeque. Interea dies noctesque trepido, & angor. Nam caſus amiciſſimorum hominum, quos acerbitas fatorum paucis his annis mihi eripuit, me metuentiorem reddunt, & ſollicitudinem exaſperant. Sed non ſpero me tam inviſum eſſe ſuperis, ut illo me ſpolient capite, *pro quo non metuam mori.* Roterodamo tandem allatae ſunt litterae a *Leerſio*, cum libris, qui nobis pauci ceſſerunt. Cariſſime omnes ſunt venditi. Narravit mihi Conſul urbis noſtrae *Voetius*, ſe noſſe, qui mille florenos juſſerit impendi libris in hac auctione emendis, ſed vix 70 florenos potuiſſe propter emtorum inſaniam impendere. Tres, quibus ſtellulam praefixi, mihi ſunt parati, ceteri tui ſunt. In Ciceronis loco lib. IX. Ep. 26. nihil cenſeo contra omnium librorum fidem mutandum. Ibi enim Cicero Paetum quaſi ſibi obloquentem adducit. Objicies mihi: non in conviviis, ſed litteris tibi, Cicero, vivendum eſt, illarum ſtudiis angores & cruciatus ſunt pellendi. Cicero cum narraſſet ſe in illa temporum triſtitia convivatum eſſe, ſubjicit, ſi hoc miraretur, pöetas rogare ſe, ut ſibi tanquam Philoſophis conſilium det, quid faciendum ſibi ſit. Hoc conſilium quaſi praecipit ipſe Cicero nomine Paeti, qui ſuadet: *Vivas in litteris. ut* non video quomodo commode poſſit huic loco ſervire. In loco Hygini non diſplicet *Euhemerus*, qui de natalibus & ſepulchris deorum ſcripſit. Apud Ovidium II. Metam. 238. pulchre veteres editiones: *quaerit Boeotia Dircen. Quaerere* enim illa dicimus, quae deſiderantur, abſunt. Cetera in noſtrum conventum differo. Faxit Deus, ut te valentem hilaremque complecti mihi detur. Trajecti d. XVI. April. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NUnquam a te diſcedo, niſi moeſtus, ſuavitate tuorum ſermonum, miro lepore doctrinaque conditorum, & epularum dulciſſimarum, quas bonus ille vultus in tanto animi languore & corporis torpore longe reddit dulciores, ineſcatus. Utinam ſuperi tibi hanc mentem duint, ut relicta illa tibi infeſta faece, ad nos ſedes transferres! a tuo nutu oreque totus & aſſiduus penderem, nec facile me paterer a te divelli. Sed quis ſcit, quid ſerus veſper vehat. Valeamus mode uterque, ſpero amica fata ut arctiſſime conglutinarunt animos, ſic & corpora noſtra in eadem urbe conjunctura, quo nihil mihi poſſet accidere gra-

gratius & deſideratius. Nunc animum paſco in primis rememoratione multarum fabularum jucundiſſimarum, quas nuperius nobis narrabas; de iis quae Romae, & Florentiae, tum & apud Reginam Chriſtinam tibi acciderant. Sed cum memoriae meae fides valde vacillet, velim ſane illa litteris a te mandari, & commentarium vitae tuae ſi non in aliorum, ſaltem in meam gratiam deſcribi. Multis magniſque olim beneficiis me tibi ſic devinxiſti, ut nulli mortalium plus debeam, ſed hoc officio majus gratiuſque nec tu, nec quiſquam praeſtare poterit. Omnia habebo, ſi hoc a te impetraro. Tribue igitur, ſi tantum apud te poſſum, quantum me poſſe mihi perſuaſi, hoc mihi, hoc eſt homini tui omnium, quotquot ſunt, ſtudioſiſſimo & obſervantiſſimo, & horas aliquot ſubſicivas impende huic curae litteris conſignandi, quae plurima memoratu digniſſima vidiſti & accepiſti. Et tua & mea & rei litterariae maxime intereſt haec non tenebris ſcpeliri. Scis quanto ſtudio conquiras hominum eruditorum vitas. Libros Rotterodamenſes mitto. Rationes nondum potui variis negotiis diſtentus diſpungere, ſed a meridie fiet. Apud Ovidium lib. II. Metam. 165. videtur ſane legendum:

Sic onere aſſueto vacuus dat in aere ſaltus
Succutiturque alte, ſimiliſque eſt currus inani.

Vacuus ſcilicet *currus.* Nam quid *ſaltus vacui* ſint, fateor me non intelligere. Alii ſunt *vacui morſus canum*, cum non tangunt, quod appetunt. Aliud, quod ſcriberem, nunc non erat. Nam foras nihil accepi tuis auribus dignum. Vale, vir maxime, & me voti hujus de commentario tuae vitae compotem redde. Trajecti d. XIX. April. CIƆIƆCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DE vitae tuae commentario litteris conſignando non deſinam obtundere, donec expugnaro. Ab imprudentiae nota, quam adverſarum rerum cumulos tibi inuſturos putas, facile te levabit omnis tua vita ſapienter, & tanto cum eruditorum & ſummorum Principum applauſu acta. Non potes hoc officium mihi & poſteris debere. Nec dubito quin propediem manus ſis admoturus tam deſiderato operi, idque ut quamprimum facias te per omnia Muſarum ſacra obteſtor. Apud Naſonem ſi optimi quique libri *queritur* prae ſe ferunt, non pugno, quamvis, ut ingenue fatear, *quaerit* mihi longe videatur venuſtius eſſe & elegantius. Quid ſint *ſaltus vacui onere aſſueto* non intelligo. Quando enim ſaltus habent pondus, quando aſſuevere ponderi? Currus aſſuevit ponderi. Is nunc vacuus illo aſſueto onere dat ſaltus. Itaque haec ſcriptura non poteſt, mea quidem ſententia, defendi, niſi dura hypallage. *Salmaſii* emendationem epigrammatis Martialis jure damnas & rejicis. Illum locum optime a te conſtitutum olim memini. Veſtram Lavernam ſcelerum pretium tuliſſe gaudeo.

Utinam & quae intercepit, aut ſaltem pars jacturae poſſet recuperari: Sed ſpero eorum ſcelerum conſortes etiam in poenae conſortium venturos. Comes *Ruthenius* tibi ſalutem dicit, & proximo Saturni die te inviſet, perluſtrabitque tuam bibliothecam, quod tuo commodo fiat. Vale, prime virorum & amicorum. Trajecti XXI. April. Dionyſ. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EN tibi indicem e bibliotheca Gruteriana redemtorum nobis. Si recte calculos poſui, tibi apud me reliqui ſunt duodecim oboli. Accipis hîc alium catalogum librorum, qui proxima hebdomade hîc vendentur: inter quos nullus dubito quin ſis inventurus nonnullos, quos velis tibi aſſeri. Cedo Morinianis, ſi tu ea deſideras. Alioqui nullus mortalium mihi ea eriperet. De loci Ovidiani ſententia non diſſentio a tua mente. Currus onere aſſueto vacuus dabat ſaltus, & quidem *ſaltus leves* ut libro tertio ejuſdem operis ingenioſiſſimus poëtarum loquitur. Sed fateor me nondum capere, qui ſint *ſaltus vacui onere aſſueto*. Currum quidem vacuum onere aſſueto novi ſaltus dare, ſeu alte ſuccuti, quod idem eſt. Cum currus multo gravati ſunt pondere, non poſſunt facile ſuccuti, aut ſaltus dare, ſed everti poſſunt: itaque ſaltus non ſunt oneri aſſueti, ſed currus, ne ſaltus dent: inanes utique ſubſultim ferri nemo dubitat. Verum num recte poſſit dici de curru aut navi non bene ſuburrata, illam onere aſſueto vacuos ſaltus dare, qui meus ſtupor eſt, nondum video, forte quia non ſuccurrunt nunc memoriae ſimilia hujus poëticae locutionis & figurae exempla, quae ſi in memoriam mihi aut revocabuntur aut recident, aliquando aliter ſentiam. Litteras ex Cimbrica Cherſoneſo denuo habui, & Lubecca, de obitu amiciſſimi *Trelſchii*. Sed de ejus ultimo judicio nemo quicquam explorati potuit reſcire adhuc & docere. Floros meos in Italiam non fuiſſe perlatos, quos anno ſuperiore *Danieli* τῷ μακαρίτῃ commendaram, nuper, credo, ſignificavi. Florentini petunt ſibi ſignificari nomen navis & nautae. Scripſi hoc nomine ad *Ludovicum*. Is reſpondet ſe Procuratorem Magni ducis Amſterodami compellaſſe, qui prae ſe ferat ſe ſtatim faſcem illum navibus, quae primae illuc concurrerunt, commiſiſſe, ſed nomen ignorare, aut id excidiſſe memoria. Hodie ad ipſum *Guaſconium* litteras dabo. Sed vereor, ut in taberna noſtri perierint. Idem fatum fuit Tullianarum epiſtolarum. Vale, vir maxime. Trajecti d. XXIII. April. CIↃIↃCLXXXI.

EPI-

EPISTOLA DCLXXXI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DE rationibus noviſſimae auctionis ſcripſi Lugdunum veſtram. Si fidem hic fefelliſſe deprehendatur, alius omnino eſt quaerendus, cui ſpes noſtras Roterodamenſes commendemus. Princeps Monaſterienſis meliuſcule fertur habere. Deus & ab ejus & a tuo capite avertat omne periculum, faxitque, ut diu ſitis ſuperſtites. Martialem non inſpexeram, cum litteras illas praecipiti ſtylo exararam. Recte autem tueris vulgatam. In Floro tibi probari meam conjecturam gaudeo. Mythologos Latinos geſtio videre, cum te videro. Meditor autem excurſum ad vos proxima die Saturni aut Solis. Apud Fulgentium videris mihi rem acu tetigiſſe, cum emendas *Reatinis atque Arcadicis ſenſibus.* idque maxime firmat alter locus ex Fulgentii libro de continentia Virgiliana, in quibus *Arcadicae aures* legitur, & proverbium Graecum apud Diogenianum, Ἀρκάδιον βλάστημα, ἐπὶ τῶν δειλῶν. Placet quoque: *At averruncaſſit Juppiter tam Reatinas hominum mentes. Merceri* editio prae ſe fert: *Aricinas hominum mentes*, inepte, mea quidem ſententia. Fabulas de furcifero & harpyia ex te aveo cognoſcere, ut & de veſtrorum Areopagitarum tricis & calumniis, quae mihi narrare decreſti. Plura non licebat attexere. Vale, vir magne & me ama. Trajecti Batavorum d. XXIV. April. CIƆIƆCLXXXI. Noſtri omnes & communes amici tibi ſalutem dicunt plurimam.

EPISTOLA DCLXXXII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

AD te excurrere & ſuaviſſimum tuum os oſculari hodie mihi certum deliberatumque erat. Sed vide, quid inſtitutum iter ruperit, ſpeique & deſiderio tui complexus hoc die potiundi interceſſerit. Heri ad me perlatae ſunt ex Cimbrica Cherſoneſo litterae a Comite *Broecdorfio*, quibus negotium mihi mandat, ſatis a mea perſona aut ſaltem ſcientia alienum, qui nunquam colui agrum, ſed quod declinare nefas duxi, cum viro iſti illuſtri ſingulari ſtudio plurimiſque, quibus me biennio cum illo in Germaniam proficiſcerer, cumularit officiis & meritis, ſim devinctus. Cras igitur in ejus praetorium, quod trium horarum ſpatio diſtat ab hac urbe, mihi eſt proficiſcendum, ut ei ſatisfaciam. Jacturam tamen, quam nunc facio, tuarum ſuavitatum dies, ſpero, brevi penſabit uberrime, cum non unam alteramve horam, ſed diutiſſime a tuo pendebo ore, nectar illud muſicum, quod nobis large & perquam benigne propinas, plenis faucibus inde hauſturus. Ampliſſimus *La Meerius*, quem olim apud

apud Danorum regem res noſtrorum magiſtratuum procurantem vidiſti, nunc perfunctus hac provincia ſedem apud nos fixit, tibi ſalutem dicit plurimam, brevique te viſurum ſe pollicetur. Mira mihi narravit de *M. Meibomio* affine ſuo, qui nunc Hagam ivit habitatum, de quibus coram aliquando. De re litteraria nihil habeo, quod narrem. Modo mihi perferuntur ſex Philippei. A meridie rationes ſubducam cum puero, libroſque jubebo peti, ut hebdomade proxima eos habeas. Vale, decus praeſidiumque noſtrum. Trajecti prid. Kal. Maii. CIↃIↃCLXXXI. A noſtris ſalveto.

EPISTOLA DCLXXXIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

UT vehementer gaudeo generoſiſſimam foeminam te reſpicere, hominumque iniquiſſimorum injuriam a te defendere: ſic vehementer doleo te febricula, quam articulares moleſtiae pepererunt, denuo laborare. Spero propediem te his incommodis perfuncturum, ut, cum te ſalvum viderimus, laetemur. Libros jam haberes, niſi puer afuiſſet domo. Hodie reverſus illos petiit per fratrem natu minorem, ſed cum in iis deſideretur Onus eccleſiae, nolui illos recipere, ſed aut omnes referre magiſtro auctionis, mihi jubere reddi pecuniam, aut hunc librum mihi emtum procurare. Quod ſi antequam veſtra mulier diſceſſerit, eum accepero, tu quoque hodie videbis eos: Sin, cras mittentur. A *Lemonio* has hodie accepi, quae tibi ferunt Bigotianas, in quibus quid novi de re litteraria perferatur ad te, aveo intelligere. Ego dudum nihil audio. Daventriae provincia *Cuperi* mandata eſt *Coetierio* Arnhemenſi. Noſtri *Perizonii* fata deploro ſane, nec ſat ſcio; ubi eum nunc poſſimus collocare. Vereor ne animum deſpondeat, & litterarum ſtudium abjiciat. Vale, vir Excellentiſſime & me ama. Trajecti d. IV. Maii. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXXIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DE tua valetudine, quae filius mihi referebat, meam ſollicitudinem mirum in modum augebant. Heri tamen *Crucius* nonnihil me recreavit. Spero Deum optimum maximum te in tanta clade amicorum ſervaturum, & vires valetudinemque refecturum eſſe, ut brevi te hîc valentem ſimus complexuri, idque ut fiat Chriſtum Soſpitatorem non deſinam aſſiduis precibus fatigare. *Thomae Munckeri* mors mihi peracerba fuit, doleoque cum jacturam, quam in ejus capite fecerunt litterae politiores, tum meam vicem, qui amiſi doctum amicum. Meam tarditatem accuſo, qui ante fata non hac voluptate eum per-

perſudi, quam cepiſſet ex virorum doctorum de illius mythologis judicio. Id enim ei ſignificare de die in diem diſtuli, quam praeclare omnes, quos ego vidi, de notis iſtis, quas modo publicavit, ſentiant. ego ſane eas facio plurimi, nec ullam praetermitto occaſionem aliis laudandi & commendandi De *Perizonio* ad Ampliſſimum *Blyswyckium* litteras dabo, nec te credo iſtam occaſionem eruditiſſimo viro commodandi praetermiſſurum. Tua enim commendatio magni erit ponderis. Uxor melius hoc die ſe habet corpore mundato; nondum tamen omnibus incommodis eſt perfuncta. In Juvenalis loco videris mihi rem acu tetigiſſe, planeque tibi aſſentio. In vulgatis ȣδὲν ὑγιές. In quibuſdam editionibus lectum olim fuiſſe *naturae*, pro *nativae Joannes Britannicus* docet, ſed puto alterius eſſe interpretationem. *Hiltenius* te ſalutat, & cum accingatur itineri, magno flagrat deſiderio promiſſa videndi. Si jam a verſibus ſcribendis alienus es, poteris dono libelli, quo aequo animo carere potes, defungi inſcripto tantum tuo nomine. Vale. ὡς τάχιςα. Trajecti xv. Maii. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXXV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PErizonius a *Ryckio* certior factus de *Munckeri* obitu noſtram implorat opem & fidem, rogatque, ut proditum a ſuis commendemus magiſtratibus Delphenſibus, ut haec vacua ſparta ei mandetur, fidem quoque dediſſe ſibi *Ryckium* ſcribit, ſe eum traditurum proceribus nonnullis, cum quibus ſibi intercedat amicitia. Petit id etiam *Phorbaeus*. Credo nos utrique poſſe commodare, ſi invigilemus. *Phorbaeum* aliis rectoribus lyceorum praeferemus, ſi quaerant talem, cujus ſpectata jam ſit fides & opera in moderando ludo litterario, ut fecerunt Dordraceni, ſin is non poſſit perſuaderi, aut forte alium malint, neminem *Perizonio* eſſe antehabendum. Uterque tibi ſalutem dicit plurimam. Hodie ſpero me intellecturum, num ex Sicambris redierit *Blyſwyckius*. Heri me inviſit *Wetſteinius*, qui ante hyemem valetudine impeditus, cui curandae iter ſit ſuſcepturus propediem in Bajas Germanorum, non poteſt manum admovere Miſcellaneis *Petiti*. Ea mihi remittet. Si poſſemus interea, moram hanc non ferente *Petito*, alium invenire, qui hos libros velit edere, ſe id non aegre laturum, ſin, ſe proxima hyeme, quae promiſiſſet, executurum. In Juvenale veriſſimum eſt *a fonte Hammonis*, & ſic legiſſe *Britannicum* ejus notae fidem faciunt. Probo quoque *delicias viduas* in Sat. IV. *aſpernatur* prae ſe fert editio Pariſienſis major, quod male mutarunt recentiores. Sed in eadem Sat. verſ. 8. a librorum veterum lectione non videtur diſcedendum, & quia nuſquam in Satyra illa Criſpinus pro delatore traducitur, & quia *corruptor* in hac notione occurrit apud Horat lib. VII. Sat. 7. verſ. 61.

Eſtne marito

Matronae peccantis in ambos juſta poteſtas?
In corruptorem vel juſtior? illa tamen ſe
Non habitu, mutatve loco, peccatve ſuperne.

Sic *corrumpere* matronas, puellas, ut Graecis διαφθείρειν ſaepe legitur. Plurimum tibi debeo, cum haec mecum communicas tam pulchras & eruditas obſervationes. Nunc temporis anguſtiis excludor, ne aliquid mearum nugarum reponam tuis ingenioſiſſimis conjecturis. Valetudinem tuam ſpero ſic confirmatam eſſe, ut te perendie ſummum hic poſſimus complecti. Non ego μακάρων νήσους praetulero his aedibus, ſi te hoſpitem habuerint. Vale, princeps ingeniorum & amicorum & veni. Id mei omnes ardenter deſiderant, & optant, qui tibi ſalutem dicunt, & vires & incolumitatem precantur. Trajecti d. XIX. Maii. CIϽIϽCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXXVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Joh. Geor. Graevio.

Ultrajectum.

PErizonii noſtri negotium jam commendaſſem Ampl. *Blyſvicio*, niſi is hac tranſiens diebus proximis indicaſſet iter ſibi publico nomine in Geldricam provinciam eſſe capeſſendum, neſcio quibus de cauſis: unde rediiſſe nondum potuit. In Juvenale complura etiamnum ſuperſunt loca depravata, quae manum medicam poſcunt. Tale illud Sat. x. verſu, plus minus quinquageſimo ante finem carminis:

— — — fiet adulter
Publicus, & poenas metuet quaſcumque mariti
Irati debent.

Neſcio an ſatis Latine. Debent enim poenas, qui diliquerunt: hoc eſt adulteri maritis, non mariti adulteris. In MSS. pluribus invenias, *mariti exigere irati.* quod amplexus eſt *Gronovius* noſter Obſerv. II. 14. Ego arbitror potius eſſe, ut Juvenalis dederit,

— — Poenas metuet quaſcumque marito Exigere irato.

Qualeſcunque poenas metuet perſolvere marito irato. *Exigere* enim *poenas* eleganter hoc ſignificatu jungitur cum tertio caſu. Noſti Naſonianum illud,

Exige laeſe pudor violate Sychaeo,

Seneca Hercule Oeteo verſ. 1471.

Neſſuſque nunc has exigit poenas ſibi.

& ibidem,

Lux vilis, iſtas exigam poenas tibi.

Plura nos ad Claudianum VI. Conſ. Honor. v. 113.

EPI-

EPISTOLA DCLXXXVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

BLyſvicium ex Sicambris domum rediiſſe neceſſarius ejus hodie mihi dixit. Litteras ſi ad illum curatas velis, recte a me curabuntur. Incredibiliter doleo mihi tuae ſuaviſſimae conſuetudinis fructum invidere in hac urbe; tuam valetudinem, quam Deus ut confirmet precor. Sed ſi tantilli itineris moleſtias non fers, quid fiet de Hagenſi excurſu, quem meditaris. Te tamen, ſi hîc non licuerit, ut videam hebdomade proxima domi tuae operam dabo. In Senecae controverſiis *corruptor* quoque hoc ſenſu accipitur, quo legitur apud Juvenalem. Sed nunc properanti locus non ſuccurrit. *Aequantem inſane* in eadem Satyra legendum eſſe propitiis Muſis vidiſti. Nihil certius. *Sane* illud friget. In Satyra VI. verſ. 127.

Parce precor, Paean, & tu depone ſagittas

legitur. quem per *tu* intelligit? Omnino ſcribendum cenſeo:

Parce precor, Paean, & tu Dea pone ſagittas.

Nimirum Diana. Vale, vir incomparabilis, amice unice. Trajecti d. XX. Maii CIϽIϽCLXXXI.

EPISTOLA DCLXXXVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EN tibi litteras a *Perizonio*, & alteras cum apertis *Langermanni*. Quae ad me datae ſunt, ubi videbitur, remittes. De Ammiano *Lindenbrogii* & editionis novae exemplaribus aurem vellicabo *Valeſio* & *Bigotio*. Fidem quidem hanc nobis dedit *Elzevirius*, ſed quam, ſpero, praeſtabunt Pariſienſes. In Juvenalis Satyra IV. valde blanditur tuum *pacta mercede*: nam ſalſius & acerbius eſt vulgato. Nec tamen auſim ſacramento contendere hanc eſſe Juvenalis manum. Nam Mureti *Pharia de merce* non eſt otioſum, quia *municipes ſiluros* adjunxit: Commeatus Alexandrinus plurimas advehat orientales merces pretioſas, vide Suetonii Auguſt. c. XCVIII. Itaque dicit in tanta copia mercium Alexandrinarum, ſic eas nominat Tranquillus, ille fuit propola viliſſimorum ſilurorum, quos magna voce per vicos & plateas venum propoſuit. Quod non erat niſi ultimae ſortis hominum. Si tibi tamen tua magis arridet conjectura, non repugnabo. Praefecto *Rutheni* Comitis nomen eſt *Georgio Zachariae Hittenio*. Is triumphat, cum xenioli ſpem facis. Cis duos treſve dies, ſi valeo, te videbo. Vale, meum decus unicum. Trajecti d. XXIII. Maii. CIϽIϽCLXXXI. Has heri exararam, ſed cum illas obſignaturus eſſem, compellabar a Nobiliſſimo *Selemio*,

cum quo tres ipſas horas confabulatus ſum. Salutem is tibi dicit plurimam, & gaudet ſe te complexurum eſſe Hagae brevi. Hanc ei ſpem feci. Proximo die Jovis, ſi valeo, ad vos excurram.

EPISTOLA DCLXXXIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HEri Amſterodamo reverſus inveni varias epiſtolas *Pruſtelli* Aurelianenſis Antiqueceſſoris, *Juſtelli*, *Petiti*, *Rulæi*. *Juſtellus* narrat *Waliſium* edere Harmonica Ptolemaei nunquam antehac edita Oxoniae. *Petitus* urget Miſcellaneorum ſuorum publicationem, ſicut *Pruſtellus* reſtitutionem Harpocrationis Valleſiani. Difficillime nunc inveniemus, qui operam ſuam nobis addicent in his libris divulgandis non ſolum, quia ab iis deterrentur morte & triſti caſu *Elzevirii*, ſed & quia palam dicunt, ſe nummos, quoſcunque corradere poſſunt, ſervare in auctionem *Elzevirii*, in qua Liviis, Senecis, Tacitis, Juſtinis, Tulliis ejus inſidiantur. *Petiti* Miſcellanea retuli. Hîc forte perſuadebo bibliopolae, ut ei libro manum admoveat: ſed cum correctoribus perſpicacibus careant, vereor, ne nimiis mendis foedentur, quas maxime metuit *Petitus*, ideoque noſtrae curae diligenter hunc foetum ſuum commendat. De te haec ille: *Sed & mihi ſimilem ſpem ſui fecit clariſſimus & ſingulari humanitate praeditus Nicolaus Heinſius, epiſtola ad me de ea re ſcripta, quam cum aliis ejuſdem, ut amicitiae tanti viri pignus ſtudioſe aſſervo. Nihil igitur reſtat, niſi ut denuo vobis, viri praeſtantes & de me optime meriti, hanc editionem commendem, veſtrique arbitrii faciam, quid in meo ſcripto mutandum, quid relinquendum judicetis.* Haec ille. Nunc nobis laborandum eſt, ne ſpes, quam de nobis concepit, eum fallat. Cras ſane noſtros compellabo bibliopolas. *Francium* non vidi, fruſtraque eum bis quaeſivi. De locis illis Juvenalis, quae mihi videbaris reſtituiſſe eleganter nuperius, aurem tibi vello. Memini olim te mecum egiſſe de *arenario*. Apud Symmachum & nonnullos alios accipitur pro beſtiario, ac confectore. Sed, niſi fallor, *arenarii* dicebantur, quicunque operam in amphitheatro praeſtabant muneratoribus. Vale, vir illuſtris, & me ama. De Delphenſi negotio nihil audivi. Iterum vale. Trajecti d. XXVIII. Maii CIↃIↃCLXXXI. *Rulaeus* mihi miſit legendam epiſtolam plurimorum foliorum, ut fere codex dici poſſit, exaratam ad Epiſcopum Oxonienſem de variis locis Graecorum Latinorumque ſcriptorum, quae pervenuſte aut emendat, aut illuſtrat, multaque adſperſit Chronologica de libris Tertulliani contra diſſertationem *Alixii* de vita & ſcriptis Tertulliani.

EPI-

EPISTOLA DCXC.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

INdices nuperos recte tibi ſpero redditos eſſe. In Lopeſiano video non paucos Mathematicos, quibus te inſidiaturum, niſi jam eos habeas, credo. Hypſielem *Mentelii*, memini apud te videre. Hinc ſpero te meis commodis, ſpei & votis non interceſſurum. Illum enim mihi velim addici. Sunt inter illos, qui ſunt formae quartae, ut loquuntur, Euclidis data cum notis Marini. In Juvenale *Pacta mercede* magis magiſque incipit allubeſcere. In fragmento Traguriano Cap. XLV. *carnarium*, fateor, ferri non poteſt, & tua conjectura proxime veſtigia veterum librorum accedit, ſed tamen velim eam alterius loci auctoritate firmari. Nam ſi nuſquam *arenarium* legatur pro arena amphitheatri, difficulter fidem inveniet emendatio tua cordatos apud lectores. De *tertiario* tibi aſſentior. Sed, niſi memoria me decipit, nuper ſuggerebas alia loca, in quibus fit mentio *tertiariorum*. *bardubatta* non improbo. Sed *equites de ſilicernio* non arrident. Quî enim illi male vivi poſſunt dici gallis gallinaceis ſimiles; cum nihil ſit gallo vivacius, animoſius, & in omne genus proelii acrius? *Nervia* legitur in fragmento ſcriptoris antiqui de limitibus p. 218. editionis Goeſianae: *Cujus ex omnibus corniculis expenſa ponderibus, & inter ſe comparata filia ſeu nervia ita perſpicere.* & forte ſic quoque legendum apud Gellium; in gloſſis autem omnino probo *nervia*. Egi cum *Klinjetio* praefecto tabellariorum de epiſtolis Gallicis. Fidem dedit ſe ſcripturum ad fratrem ſuum Lugdunum Batavorum, ad quem omnes epiſtolae Gallicae perferantur, antequam ad ſe, ut epiſtolas tibi inſcriptas accipiat, & recta curet Vianam, te quoque tuis amicis ſignificare debere, ut ad illum *Klinjetium* mittantur, quae tibi velint reddi. Vale, vir magne, & meae tarditati ignoſce. De die in diem ſcriptionem hanc diſtuli. Trajecti Batavorum d. XI. Jun. CIϽIϽCLXXXI. Noſtri omnes tibi ſalutem plurimam dicunt.

EPISTOLA DCXCI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

VIdeo te punire ſuperioris hebdomadis ſilentium meum: nec poſſum queri. Mea culpa hoc malum mihi contraxi, quod opinione longius mihi carendum eſt tuarum litterarum acceptiſſimarum ſolatio, in quo unice conquieſco. Non poſſum tamen non tibi ſignificare puerum *Trelſchii* fidiſſimum huc veniſſe ad nos. cujus operam tibi utiliſſimam futuram cenſeo. Meliorem nunquam invenies. Si velis illum conducere, vide quaeſo, ne diu deliberes, ne

aliis te occupantibus eam locet. Tredecim annos *Trelſchio* ſerviit, qui ei legavit ter mille florenos. Haec ſcripſeram hebdomade ſuperiore, antequam tuas noviſſimas traderet *Goeſius*. Interea perlatae ſunt ad me litterae *Carpzovii*, cum faſciculo librorum recens editorum Lipſiae, inter quos eſt Paulinus Petricorius, *Menagii* amoenitates juris, *Thomaſii* variae diſſertationes. In meo faſciculo erat alius tibi inſcriptus ejuſdem magnitudinis, in quo credo libros eoſdem tibi mitti. Cum redieris Vianam faxo, ut illico ad te perferatur. *Carpzovius* conqueritur de moleſtiis, quibus conflictetur maximis in edendis *Reineſii* inſcriptionibus. Ducentas jam philuras eſſe deſcriptas typis, reſtare complures. Quas hodie a te accepi curandas Vianam, curavi illico. Nec dubito, quin recte ſint, cui debebantur, redditae. Excellentiſſimum Comitem *Avallis* ſpero litteras meas accepiſſe. Utinam poſſit inveniri occaſio faſciculum mittendi ad Antiſtitem Condomenſem. Litteras proximo nuntio committam. *Perizonii* negotium fac, ut recepiſti, tibi curae ſit. Vide num poſſis Hagenſi bibliopolae perſuadere, ut ſuſcipiat editionem Diogenis *Menagii*. Promittit ſe in correctorem ex ſua arca impenſurum ducentos florenos Gallicos. Lipſienſes bibliopolae inhiant huic libro, ſed mallet is noſtratium proelis edi, quamvis amoenitates ejus tam eleganter in Saxonia & tam nitide ſint impreſſae, ut fere gentis captum ſuperent. *Rulaeum* noſtrum incita, ut epiſtolam doctiſſimam, quam nuperius vidiſti, juris publici faciat. Aveo ex te cognoſcere, ut valeat CL. *Ryckius*, & quid rerum gerat. Eum ubi videris, rogo ut meo nomine ſalutes amantiſſimis verbis, nec non Ampliſſimum affinem tuum, & ejus liberos ac uxorem meo meaeque nomine. *Burmanni* vidua, quam hodie vidi in ejus horto, te quoque jubet ſalvere plurimum, rogatque ut ejus [1] filio faveas, ejuſque cauſſa velis. Fidem dat illum obſervantia & obſequio ſuam in te pietatem tibi ſemper probaturum. Cum redieris apud nos quoque unum alterumve diem te acturum, fidemque dudum datam liberaturum nulli dubitamus. idque ut facias etiam atque etiam omnes noſtri te petunt. Litteris tuis Vianae datis aut reſpondebo, quando te recepiſti in tuos lares, aut etiam citius, ſi longius te commoraturum eſſe Hagae intellexero. Fac quaeſo ut de reditus tui die certior fiam, ut cum curru praeſto ſim ad ſcapham. Praeterito die veneris obiit *Weſtrenius*, ejus uxorem cancer infeſtavit, ut & ipſa peſſime habeat. Illuſtri *Zulichemio*, & *Selenio*, nec non Excellentiſſimo Legato Gallico ut mea deferas officia, ſi quae dabitur occaſio, rogo. Vale, Princeps ingeniorum & me ama. Trajecti d. XIX. Jun. CIↃIↃCLXXXI. Dionyſ.

1 *Carolo Crucio*, ex priore marito *Dionyſio Crucio*, qui tunc *Heinſii* ſororis, & Ampl. Senatoris *Goeſii* filiam *Ermgardim* procabatur, & paullo poſt uxorem duxit; ad quas nuptias cum *N. Heinſius* celebrandas Hagam excurriſſet, ibi oppreſſus morbo menſe octobri obiit. Ibi licuit mihi adoleſcentulo magni illius viri praeſentia & ſermonibus frui, ad quem, ſi Deus longiorem vitam indulſiſſet, me applicandi, & ex doctiſſimi ſenis ore ſaepius pendendi, ſpes tunc erat nata.

EPISTOLA DCXCII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Miror ſane litteras meas, quibus ante octiduum tibi ſignificabam, epiſtolam tuam cauſſidico Vianenſi inſcriptam illico fuiſſe per nautas noſtros curatam, non redditam. In iis litteris de variis aliis rebus tecum agebam. Traditae ſunt xx. hujus menſis, ſuperioris hebdomadis die lunae, a meis praefecto tabellariorum, illi ipſi, cui & noviſſimae, quas accepiſti, commiſſae fuerunt. Has intercidiſſe doleo, quia mea referebat, tibi eas reddi. Vereor, ne idem fatum fuerit illius epiſtolae, quam paucis diebus ante cum oratione de Cometis miſeram ad Excellentiſſimum *Comitem Avallis*. Gratias ei egeram pro libro Epiſcopi Condomenſis, cujus ſpem fecerat, quemque poſt accepi. Si quae dabitur occaſio explorandi, rectene curatae fuerint nec ne, plurimum tibi debebo. Certiorem te feceram de puero beati *Trelſchii*, qui tredecim annis, calculo, podagra, variis febribus exercito ſerviit, cuique animam exhalans mandavit, ex ſuis bonis pendi ter mille florenos praemium fidei tot annos ſpectatae. Hanc pecuniam Princeps ei petiit ſolvi ex his nummis, quos credidit noſtris Ordinibus ὁ μακαρίτης. Iſtius hominis operam te poſſe conducere oſtendi, ſi matures. Sunt enim alii, qui eam expetunt. Fideliorem vix invenies, & qui majores rebus in omnibus tibi praebebit utilitates. Poteris illo uti ad inſtar gladii Delphici. Propter aetatem grandiorem nunquam animum applicabit ad matrimonium, aut aliam artem, niſi quam a te juſſus fuerit facere. In rebus tuis cuſtodiendis, in fovenda valetudine, quam deus avertat, deteriore meliorem non invenies. Nunquam tibi eum commendarem, niſi ejus ingenium mihi eſſet perſpectum a longo tempore. In litteris, quae perierunt, egeram cauſſam noſtri *Crucii*, rogatu matris, quae te juſſerat ſalvere, & in hoc, quod noſti, negotio ex ſententia conficiendo in tua fide & benevolentia plurimum ſibi praeſidii poſitum eſſe perſuaſum habet. Nec dubito te viri egregii, qui procul dubio emerget, & ad ſperatas dignitates brevi evehetur, cauſſa omnia velle. Rogaram, ut in reditu ad nos diverteres per hanc urbem repetitis laribus: utque me de die adventus tui certiorem faceres, ut cum curru ad ſcapham eſſem praeſto. Petieram ut *Ewaldum* Rulaeum perpelleres ad edendam eruditam illam epiſtolam, quam apud me vidiſti. Egeram etiam tecum de Diogene Laertio *Menagii*, ſed interea *Waesbergius* Amſterodamenſis, qui me hîc inviſit, operam ſuam nobis in illo publicando detulit, quod proxime reſciſcet ex me *Menagius*. Significaveram *Weſtrenium* hîc ſideratione lateris, & pedis dextri accedente gangraena extinctum eſſe: *Carpzovium* mihi miſiſſe faſciculum, in quem alius erat conjectus, tibi deſtinatus. Meus complectebatur praeter alia Paullinum Petricorium: credo tibi quoque illum fuiſſe dono datum. Tuum autem ſervo in tuum reditum. Spero, quae apud Ampl.

Fage-

Fagelium egiſti, ex ſententia proventura, idque ut propediem fiat, opto voveoque. De *Perizonio* non male me ſperare jubet Ampliſſimus *Blyſwicius*, quem nudius tertius in meis aedibus vidi. Libavimus poculum tuae incolumitati. Tu videbis, ſi quid poteris conferre ad viri optimi commoda augenda, cujus vicem valde doleo. Meum ad vos excurſum ſufflaminavit Illuſtris *Dyckveldii* & Ampl. *Tollii*, quos de negotio familiari conventos volebam, adventus ad nos, quem indies expectamus. Quamvis & aliae remorae fuerint objectae. Si tamen diutius ibi moras traxeris, animi forte cauſſa brevi iter ad vos faciam, ut te reducam domum per noſtram urbem. Catalogum bibliothecae, quae Amſterodami venum ibit, fruſtra hîc quaeſivi apud Ribbium & alios. *Blyſwicius* tibi ſalutem plurimam juſſit nunciari, aquas Spadanas cum filio ſecutus. Eam quoque & quidem officioſiſſimam rogo, ut dicas meo nomine Legato Illuſtriſſimo Regis Chriſtianiſſimi, ſi forte videris eum, nec non Illuſtr. V. V. *Beuningio*, *Hugeniis* patri & filio, *Slinglandio*, ut & *Goeſio* Nobiliſſimo, totique ejus familiae. Vale, vir magne, & me ama. Trajecti d. XXVI. Jun. CIↃIↃCLXXXI. Dionyſ.

EPISTOLA DCXCIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NON minus me tuum ſilentium ſollicitavit, quam optimum *Bigotium*, cujus litteras ad te miſeram Hagam, quas recte ſpero curatas eſſe. Sed nunc magis me cruciat tuus per hanc urbem tranſitus, me inſalutato. Haeccine fides, quam toties dediſti? Quod tantum ego in me admiſi crimen, quod tam acerbe mihi luendum eſt? Quid enim acerbius mihi poteſt accidere, quam te contemnere hominis, qui te ſuperis aequat, hoſpitium, eumque defraudare magna illa voluptate, quam ſe tua ex conſuetudine & unius alteriuſve diei congreſſu capturum ſperarat, in tanta praeſertim oportunitate, cum haec urbs eſſet permeanda, & poſt tot promiſſa. Heu ubi tuta fides? Ego ſane attonitus ſtupeo, ut, quid dicam, vix inveniam. Utinam in animum inducere poſſis, ut ad nos quam primum advoles, & hanc culpam emendes, meque hac leves cura, quae nunc me coquit & exagitat. Videbis apud me diem feſtum celebrari, ſi te licuerit mihi hîc complecti. Videbis, quam deſideratus ſis venturus. Videbis etiam *Schefferi* diſputationem de inſignibus regni Suecici, & litteratam Sueciam, quas hodie ad me miſerunt Amſterodamenſes, ſed credo ad te quoque libros illos perveniſſe. Vale, mi Heinſi & cras veni. Trajecti ad Rhenum d. XXII. Jul. CIↃIↃCLXXXI.

EPI-

EPISTOLA DCXCIV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

NIſi litteras accepiſſem ex Germania, quae mihi impoſuerunt neceſſitatem amici negotia moram non ferentia curandi, hodie ad te excurriſſem, ut & tibi gratias agerem non verbis tantum, ſed ore & fronte prae me ferrem animum tuorum meritorum & nuperrimarum epularum memorem; & ut Nobiliſſimi *Goeſii* affinis tui conſuetudine fruerer. Verum nunc nec hodie nec cras mihi licet domo efferre pedem: perendie tamen vos videbo. Interea temporis veſtrae libabo valetudini non unam pateram. Si forte Nobiliſſimus *Goeſius* reditum accelerabit ad penates, rogo ne noſtram tranſiens urbem alibi divertat quam apud nos, ſi hanc municipalem tenuitatem non faſtidierit. Quaeſo ut plurimam ei impertias meo meorumque nomine ſalutem. Sed nunc aliud eſt, quod te volo. *Buſchius* litterarum profeſſor Franeckerae diem obiit. Sunt ibi, qui *Perizonio* faveant, iique rogant, ut tuo meoque teſtimonio ornetur. Nulli dubitant, ſi id expedierimus brevi, quin votorum compos ſit futurus. Vide igitur ne doctiſſimi hominis vota moremur. *Maerſebroeckius* proximo die Saturni litteras dabit ad *Harenium* Curatorem iſtius Academiae, & noſtra iis inſeret teſtimonia. Fac quaeſo, ne tuum deſideretur. Vale, virorum & amicorum princeps. Trajecti III. Auguſt. CIↃIↃCLXXXI. Elzeviriani libri, quos edidit, cariſſime ſunt venditi. Centum viginti millia florenorum ex iis ſunt redacta. Tuum Ovidium & meum Heſiodum emit noſter *van Syl.* Ciceronem *Blaevius*, & *Wetſtenius* cum ſociis. Reliquos ignoro. Mitto hîc ſpecimen obſervationum *Petiti* duplex, alterum litteris majoribus deſcriptum, quod perplaceret, niſi ejus decor obfuſcaretur Graecis litteris minoribus, alias autem nullas habet, alterum minoribus eſt impreſſum characteribus. Tuum de his requiro judicium. Proxima hebdomade opus auſpicabitur. Ad *Carpzovium* addito Euchariſtico *Francii* recte curabuntur, quae miſiſti. Iterum vale.

EPISTOLA DCXCV.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

URbanitas & πῖνος litterarum me mirifice exhilaravit. Feſtivitas enim illa & joci pleni facetiarum argumento tibi recte eſſe, nulliſque corporis & animi moleſtiis uri. Quod proprium tibi eſſe volo. Heroinae veſtrae regales epulas & fabulas credo novas tibi vires adſpirare, & novum robur, ut plane revireſcas. De itinere Germanico proximo Saturni die reſciſcemus, ſuſcepturuſne id ſim hoc anno, nec ne. Promiſſor ille tanto hiatu ſi fefel-

lerit noſtram ſpem, video paratam a te mihi eſſe ſalis magnam meſſem, qua perfricabis illuſum. Sed ſi tua te fefellerint auguria, nos videbimus rectius te divinandi artem in Ovidio & Claudiano exercuiſſe, quam in amicorum tuorum negotiis. Pro *Charonda* & *Chabotio* tibi plurimas debeo gratias. *Joannis Roberti* receptas lectiones olim habeo. Redeunt igitur illuc ad te cum Lactantii promiſſo libello. Cras litterae curabuntur ad *Carpzovium*. Si quid ad *Langermannum* volueris, ubi mihi tradetur, faxo ut recte perferatur. In Lactantii libello Cap. 44. pag. 79. legendum eſt: *Fecit ut juſſus eſt, & tranſverſa x littera ſummo capite circumflexo Chriſtum in ſcutis notat.* non *Chriſto*, qui non fuit circumflexus, ſed ſummum caput litterae x. nimirum hoc modo ☧. Vale, mea lux, & me ama. Trajecti d. x. Auguſti CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA DCXCVI.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

UTraſque litteras tuas, alteras perfacetas, alteras plenas variarum rerum, ſcitu dignarum incredibili cum voluptate legi. Cum priores legerem riſu tantum non emoriebar. Nae tu ingenium hominis noſti, & per quam belle nobis deſcripſiſti. Neque id mihi incompertum. Niſi enim opera mea opus habuerit, nihil emunxero, ſed littus arabitur. Verum in nonnullis extricandis, cum nunc hîc habeat neminem, me vix carere poteſt. Itineris tamen Germanici conſilium me anni tempus jubet abjicere, quod vel valetudinis cauſſa non detrectaſſem, ſi ὁ δεῖνα in viciniam noſtram conſtituiſſet mihi occurrere. Sed excuſat uxoris puerperium, & id ſecutam graviſſimam febrim. Motum enim iſtum & anno ſuperiore & triennio abhinc ſenſi ad vitae ſedentariae καχεξίαν diſcutiendam, & valetudinem firmandam facere plurimum. Sed nunc elapſo vacationum aeſtivarum tempore ad res redeundum. Certum tamen mihi eſt cras Ciceronis mei cauſſa Amſterodamum excurrere, & forte Hemskerkam ad *Schnabelium*, ubi tuam cauſſam agam. Interea ſi quae alia curari velis, rogo tempore mihi ſignifices. Sin antequam tuae mihi reddentur diſceſſero, uxor tamen eas ad me mittet, ut perendie illas habeam. Litteras tuas ad *Bigotium* heri ipſe curavi, additis meis non unis. De moleſtiis cave in poſterum verbum. Scis me in hoc omnem curam & cogitationem fixiſſe, ut omni officiorum genere tibi ſine ulla temporis & loci exceptione teſtatum faciam, quantum tibi devinctus ſim innumeris a te beneficiis cumulatus. *Bernardus* ex me primo quoque tempore cognoſcet, quae de tuis Lactantii codicibus eum ignorare nolis. Nec dubito, quin gratiſſimum nuncium ei ſim allaturus. *Stevartii* συλλαγὴν ex tuo dono non poſſideo; ſed illum librum aeſtate ſuperiore aere meo mihi Coloniae Agrippinae comparavi. Unum tamen in illo folium deſideratur, ideoque conſui tantum illum juſſi. Procul dubio in angulo aliquo

con-

conditum erues aliquando, cum aliud quaeres. Ante hos quatuor dies mecum pranſus eſt *Voſſius* Matthaei F. Ad patruum transfretaturus eſt proxima hebdomade. Sperat ſe notas in Catullum ſecum perlaturum. De ἀνεκδότοις αὐτ multa quoque praedicabat. Ad *Petitum* ipſe litteras dedi. Sed in iis ad *Bigotium* juſſi *Menagio* ſignificari, eſſe Amſterodami, qui Diogenem illum velit edere, ſimulac exemplar emendatum ad nos curetur. Publica male ſane ſe habent. Iter εἰς μακάρων νῆσον plane irritum fuit. Οἱ ἄνακες alieni ſunt ab omni bello, nec poſſunt permoveri ad vim τῶν Γαλατῶν refutandam. Illi interim impune graſſantur in vicinia noſtra, & noſtris quoque imminent. Rex Regum dira minatur. Hîc de foederibus percutiendis ad commune incendium avertendum ineuntur conſilia. Sed quia vicinus domeſticis diſſidiis diſtentus abhorret ab armis, vix, credo, quicquam proficietur. Popularium meorum cunctationem noſti. Sed plura, ut ſpero, ubi Amſterodamo rediero. Ante ver proximum nihil turbabitur. Num vero otium iſtud longius trahi poterit, ἐν θεῶν γούνασι κεῖται. Heroinae veſtrae conſilium laudo, & ſpero id tibi ſalutare futurum, Lavernaeque illius ſatellites & receptatores poenas daturos. Vale, Heinſi maxime & me ama. Trajecti XVIII. Auguſti CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA DCXCVII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Lautiſſime & benigniſſime a te nuperius acceptus denuo, quid dicam referamque non invenio. Jampridem tot tantiſque tuis meritis ſum cumulatus, ut bona mihi ſit copia ejuranda, omninoque, ſi legibus mecum agere velis, conturbandum. Ut aliquam tamen grati animi ſignificationem edere poſſim, tibique teſtatum facere neminem in orbe terrarum eſſe, cui plus debeam, & libentius debere velim, rogo, ut, cum Hagam contenderis, ad nos in tranſcurſu divertas. Tu ipſe non ignoras, quam expectatus ſis venturus. *Gordonio* litteras dabo ad amicos Britannos, modo de itineris tempore certior redditus fuero. In notiſſimo apud Ovidium verſu:

Eſte procul vittae tenues, inſigne pudoris,
Quaeque tegis medios inſtita longa pedes.

Qui, quaeſo, ſunt *pedes medii?* Inſtitae enim ſeu ſtolae erant effuſae ad imos pedes. Horat.

Quarum ſubſuta talos tegat inſtita veſte.

Ubi Acron: *matronae ſtola utuntur dimiſſa uſque ad imos pedes, cujus imam partem ambit inſtita ſubſuta.* pedes non video qui *medii* dici poſſint. Ne inpoſterum argumentum epiſtolarum ſit quaerendum, unum, ut olim, alterumve locum antiquorum ſcriptorum examinemus, ſi tuo commodo fiat. Stephano tuo ſigniſi-

nifica, quaeſo, hodie alias litteras a mercatore Lubeccenſi allatas mihi eſſe, quibus narrat faſciculum litterarum noſtrarum, quas Kal. Auguſti Lubeccam curaveramus, xxv. hujus menſis demum ſibi traditum eſſe, nec ſe poſſe exputare, ubi tam diu ille latuerit: ſe autem Sereniſſimo Holſatiae Principi miſiſſe, quae ei & ejus aulicis fuerint inſcriptae. Si proximo Saturni die ad nos perveniret reſponſum, nihil ſane fieri poſſet in hoc negotio oportunius. Nam tum viſet ad hanc urbem perilluſtris *Dyckveldius*, paucos dies hîc commoraturus, quod ὁ δεῖνα ſcire quoque debet. Vale, Vir magne & me ama. Trajecti Kal. Septemb. Julian. CIƆIƆCLXXXI.

EPISTOLA DCXCVIII.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Litteras in Angliam ferendas proximus Lunae dies vobis feret. Heri veſperi ex agro ſuburbano domum redii ſero. Hunc diem vindicarunt ſibi ſollemnia muneris mei penſa. Novi nihil nec de republica nec litteraria habeo quod narrem. Te non recte valere doleo nimium quantum. Sed brevi ſpero te his moleſtiis defuncturum, ut in nuptiis neptis tuae te poſſis hilarem facere, & defaecato animo ac corpore laetus feliciter acclamare. Nunc vide minutias quaſdam in Ovidio tuo. Libro VIII. Metam. verſ. 7. legendum cenſeo:

Praetentatque ſui vires Mavortis in urbe
Alcathoi.

Sed hoc jam te ipſum annotaſſe video & obſervaſſe in notas ad Artem amandi. Itaque haec deleo. Ibid. verſ. 145. omnino ſcribendum:

Nam jam pendebat in aura

non, ut vulgo, *in auras*. Sic enim Ovidius in ſequente verſu 202.

Motaque pependit in aura.

Sed & in verſu 201. rectius legitur:

geminis opifex libravit in alis
Ipſe ſuum corpus.

non, ut prae ſe ferunt editi, *geminas libravit in alas*. Librare corpus in alis, eſt volare. verſ. 260. nullus dubito, quin recte vetus codex *tellus Hennea* pro *Ennea*: *Aetnea*, quod in vulgatis circumfertur, ſaepe, quod tu optime noſti, corruptum eſt & vitioſe ſcriptum pro *Ennaea*. Ne nihil accipias, nugas has accipis. Dum nihil ſuccurrit melius, calamo ludimus. Vale, lux mea. Trajecti III. Septemb. CIƆIƆCLXXXI. Ampliſſimo *Goeſio* ſalutem plurimam dico, & vos hîc expecto.

EPI-

EPISTOLA DCXCIX.

JOH. GEOR. GRAEVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

BInas tuas acceptiſſimas accepi. Sed ὁμηρικῶς ὕϛερον πρότερον reſpondebo. *Mollium*, ſimul tuas legeram, quamvis ipſos quinque dies non prodiſſem, tuſſi deſtillationibus cerebri infeſtinis retentus, illico conveni, & de ſupplice libello formando cum illo egi. Regerebat ſe tantum quod litteras quoque accepiſſe a tuo procuratore, qui ab ipſo petierit, ut non tuo, ſed Praetoris nomine ſupplicem libellum ſcriberet judicibus urbis tradendum. Idque pollicitus eſt ſe facturum. A meridie tabulas omnes ad ſe miſſas, quibus ſceleris illius agitur rea, excuſſurum, & ſummum cras aut ipſum, ſi per glaciem perfidam, & valetudinem liceat, aut per tabellarium miſſurum eſſe libellum, quem deſideratis. Addebat non praetoris hanc eſſe culpam, quod ſibi imponantur partes iſtius libelli componendi, ſed Patroni cauſſarum, cujus conſilio praetor utatur in hac cauſſa, parum in quaeſtionibus & cognitionibus verſati. Itaque ejus ingenium praetorem implorare. Cras igitur, ſi fluvius poterit tramitti, habebitis deſideriorum veſtrorum tabellas. Dominae veſtrae litterae plurimum momenti afferent ad cunctationem veſtrorum hominum recidendam, nec dubito de optato exitu, qualis quidem in hac cauſſa optari poteſt. Nam quod perditum eſt perditum ducendum eſt. Laverna loco, ut videtur, & latebris ſibi cavit. Uxor mea, proci ejus minis perterrita, (ſignificari enim ei juſſit, ſe me, ſimul ac pedem e ſcapha extuliſſem, vadaturum, niſi debiti ei ſex floreni pendantur) hoc nomen expunxit. Litteras tuas Dordracum & Hagam heri curavi. Apud Juſtinum lib. XXII. cap. 2. legendum cenſeo cum Sebiſio, *expoſitis ignibus Cereris, tactiſque*, idque firmat Gronovius IV. Obſervat. 4. In libro XII. cap. 3. recte vidiſti *deſtructa* non ferri poſſe, nec video quid commodius poſſit huic corruptae voci ſupponi, quam *adſtricta*, vel *reſtricta*, quamvis illud magis arrideat. Tibi plurimum debeo pro hac emendatione. nec diſplicet tua in Petronii loco conjectura acuta ſane. In Tullianis epiſtolis tibi conſentio ſcribendum eſſe *Sepuliae tuae*, pro *Epuliae*, quae gens veteribus eſt ignota. Alterum locum, in quo cenſes legendum eſſe *caute Domitius*, accuratius examinare nunc non ſinunt temporis anguſtiae, ſed de illo proxime. Vale, magnum decus meum & ſeculi Trajecti d. XVIII. Decemb. CIↃIↃCLXXXI. Recipis hîc Hamburgenſem epiſtolam. Ammianus Marcellinus, de quo loquitur, non ad me, ſed *Danielem Elzevirium* eſt miſſus, a quo curatus eſt Lutetiam ad *Hadrianum Valeſium*, qui fratris ſui Ammianum denuo praelo ſubjecerat, ut illi accederent Lindenbrogianae notae multis acceſſionibus locupletatae. Stipulatus quoque eſt ὁ μακαρίτης, ut illud exemplar quod nobis creditum erat, cum uno alterove novae editionis exemplis Hamburgum a Pariſienſibus mittantur. Quam fidem dederunt. Nec dubito, quin eam ſoluturi ſint. Ego ſane urgebo, ut promiſſis munent.

1 Nota temporis ſine dubio vitioſa. Nam jam obierat Heinſius; ſed autographum ita exhibebat.

NICOLAI HEINSII
ET
JACOBI PERIZONII
EPISTOLAE.
MUTUAE.

EPISTOLA I.
JAC. PERIZONIUS
Nic. Heinſio.

Hagam.

ALIQUOT jam anni ſunt, vir Excellentiſſime, cum divinas ingenii tui virtutes intra animum admirari & ſuſpicere coepi. Ex quo tempore optatum mihi magis quam ſperatum fuit ad cognitionem tuam aliquando pervenire, tuoſque inter cultores admitti ipſe: enim me noram, nec fugiebat me, quam non eſſem inſtructus iis bonis, quae te praecipue intueri credibile eſt. Et profecto nimium mihi ſumere videbar, ſi ego homo admodum adoleſcens, οὔτ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ, ad te viam affectarem, ad quem alii ἐμεῦ μέγ' ἀμείνονες propter maximas occupationes, quibus dum patriam & Muſas immane quantum tibi obligas, diſtineris, ne aſpirare quidem audent. Verum tamen cum Clariſſimi viri *J. G. Graevius & Giſb. Cuperus* ſaepe numero non modo in te literas interiores, & perfectam eruditionem, ſed inſignem quoque & incredibilem prorſus humanitatem apud me praedicaſſent, in ſpem tandem adductus, ad tuas virtutes meis quoque officiis amplectendas, meaque ſtudia tibi declaranda omni cogitatione ferebar. Itaque cum ſuperiori anno in Hollandiam propter negotia, quae illic habebam, ire conſtituiſſem, te quoque adeundi conſilium ceperam, confirmatus a *Th. Hogerſio*, viro Ampliſſimo, qui ſuis literis aditum mihi ad tuam notitiam patefacere ac munire voluit. Vidi tum te, ſed vidi tantum, idque alieno tempore & loco. Quapropter cum jam iter Lugdunum, celeberrimum bonarum artium quaſi mercatum, *Theod. Ryckii* viri doctiſſimi audiendi gratia venerim, id quod tum temporis coram ita, ut volebam, tecum agere non potui, ſeu ſpatiis excluſus iniquis, ſeu potius ſubruſtico quodam pudore deter-

territus, idem illud nunc per epiſtolam, quae erubeſcere neſcit, audacius agens, etiam vehementer te rogo, me tuorum in numero habere, & quibus rebus pro tua dignitate poteris, ornare velis. Tenet me ingens cupiditas exacto hoc anno longinquas etiam terras ac Italiam praeſertim luſtrandi. Nec tamen ſola me afficit voluptas, quae ſolet eſſe in varietate urbium atque hominum cognoſcenda. Sed praeclara inprimis antiquitatis monumenta uſurpare oculis, & ſi quae praeterea ſtudiis meis aliquando uſui eſſe poterunt, mihi comparare mirum in modum cupio. Sed quoniam ſumtus ad tantam rem neceſſarios de meo facere non poſſum, propter opes, & patris mei morte, & triſtiſſimo hoc bello attritas, id ago, ut ii mihi aliunde ſuppeditentur, ſive ab aliquo legato adhibear ad res & acta ejus litteris conſignanda, ſive ſtudiis alterius juvenis, dum in peregrinatione eſt, praeficiar. Nunc te oro atque obſecro huic noſtro deſiderio, ut arbitror, non reprehendendo faveas adjutorque ſis, & ſi quid hac in re mihi commodare potes, id ut facias, tibi imperes. Neque tamen ea ſum impudentia, ut tuae perſonae oblitus, multum te moleſtiae, curae, operae ac laboris pro me ſuſcipere poſtulem. Illud tantum peto, ut ſi quando meis rationibus conſulendi ſe ultro offerat occaſio, ea uti velis. Quin etiamſi id, quod volo, minus ex ſententia ſuccedet, ſatis magnum tamen mihi decus ac praeſidium in tua benevolentia & amicitia erit poſitum. Qua ſi me complecteris, equidem omnia me adeptum arbitrabor, & ſublimi feriam ſydera vertice. Nec ideo, ut ſpero, me repudiabis, preceſque noſtras rejicies, quod forte minus me commendet ingenium atque eruditio. Nam ſi, non niſi in iis, ὃς φιλεῖ μητίετα Ζεύς, ad honores, & fructus perveniunt pulcherrimae hae artes, quibus a puero deditus fui, brevi tempore earum ſtudioſi ad maximam paucitatem redigentur, atque ipſae tandem vix ullum ſui veſtigium relinquent, cum pauciſſimi ſint, quos aequus amavit Juppiter. Reliqui enim omnes, quos paullo malignior in lucem natura extulit, ad deſperationem adducti, ſtudia nihil vel parum profutura abjicere toto pectore cogitabunt. Atque ita quid vobis, quaeſo, fiet, qui omnium conſenſu, doctrinarum principatum tenetis? Quae meriti veſtri apud poſteros gratia, quae vigiliarum atque eruditionis gloria erit? Ut in quaque re, ſic etiam in his diſciplinis debent eſſe, & qui excellant, alioſque longe poſt ſe relinquant, & qui illorum inſiſtere conentur veſtigiis. Hoc in numero ſi ego quoque habeor, ſatis bene mecum actum exiſtimabo, ita tamen, ut nemini concedam, qui vehementius literas noſtras amet, & majore cum animi delectatione in iis verſetur. Illas ipſas literas, queis ab Heinſio negari quicquam nefas eſſe duco, ad te etiam allegare jam animus eſt, ut de meis ornamentis & commodis tecum agant, meque tibi commendent, quo libentius me in fidem recipias & amicitiam tuam. Quam veniam ſi nobis dederis, equidem ſingulare meum ſtudium in omni genere officii, pietatis, & obſervantiae tibi polliceor. Quamvis enim inde nihil ad te acceſſurum ſciam, πάρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι, Οἵ κέ σε τιμήσουσι, tamen prolixa voluntate, qua etiam θεοί δωτῆρες ἐάων ſunt contenti, animum meum tibi declarare ſtudeo. *Hogerſius* noſter plurimam tibi a ſe ſalutem nunciari juſſit, vehementerque tuas ſe literas dixit

dixit exſpectare, cum ego Daventria diſceſſi: ſi quid habes, quod ad eum curari velis, poterit id, niſi quid tibi ſecus videtur, per me recte fieri. Nuper, ut intelligeres, me jam olim rectam ingredi viam tentaſſe, carmina quaedam apud te reliqueram, minime illa quidem auribus oculiſque tuis digna, ſed certo faſtidium tibi motura. Ne tamen jam defunctum te eſſe putes, ecce alios etiam verſus, quales ego vel Cluvienus. Tu vero pro humanitate tua boni quaeſo conſule, quicquid ego non malo certe animo pro meo captu conatus ſum. Vale, vir Maxime, mihique tibi devotiſſimo bene velle incipe. Lugd. Batav. a. d. XVII. Kal. Sept. CIƆIƆCLXXIV.

EPISTOLA II.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Leidam.

GRatulor ſane patriae meae, nec modice gratulor, quae utcumque difficillimis temporibus, tam lecta gerit pectora juvenum, ad res praeclaras exſurgentium. Quo in numero, quin tibi, *Jacobe Perizoni*, locus debeatur non poſtremus, ambiget nemo horum, quibus quid humaniori in litteratura, quid poëtica in re poſſis perſpexiſſe contigit. Plura deberem huc conferre & majora, niſi tu, addito Epiſtolae tuae carmine pulcherrimo adeo profuſe te exercuiſſes in argumento, quanquam per ſe jejuno ac tenui, mearum laudum, ut ruborem ac ſilentium impoſueris mihi. De te vero opinionem apud rerum peritos excitaveris feliciora praeſtandi, quando materies ingenio tuo parem ſe dabit ac ſufficientem. Sed & illud ordine appoſiteque a te factum eſt, quod quo res tuae ſint loco, quidque cogitationum animo volvas de peregrinandi inſtituto fovendo, ſi detur opportunitas, qua id ſine impenſis tuis ac rei familiaris detrimento confieri poſſit, ignorari a me haudquaquam ſis paſſus. Non intermittam igitur commodis tuis invigilare, & ſi haud longe omnino quaerenda ſit ac circumſpectanda occaſio, qua voti reddare compos, eam equidem tuae in ſpem gratiae ambabus ulnis cupide ſum arrepturus. Venient, ſpero, pacatiora mox tempora, & civibus noſtris minus damnoſa. Quorum res ut ſunt admodum anguſtae atque in arcto conſtitutae, ita ſumptibus neceſſariis parum reſpondent, ut noſti. Nos haec adverſa, quo plures premunt atque infelices reddunt, eo animo conſtantiore toleremus eſt neceſſe, cum publicae calamitatis ſenſum privatum prae ſe ferre non ſit cordati ac boni civis. Vale, Perizoni doctiſſime, meque, ut coepiſti, in tuis numerare perge. Hagae Comitum XXI. Auguſt. CIƆIƆCLXXIV.

EPI-

EPISTOLA III.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

EGO vero & tibi gratias ago, & mihi vehementer gratulor de tanta tua liberalitate ac benevolentia, quam mihi nullo meo merito per literas detuliſti humaniſſime ſcriptas, quae cum mihi redderentur, vix dici poteſt, quanta me extulerint laetitia. Si animum tuum ac voluntatem per alium mihi ſignificaſſes, hac re ego certe a te tanto viro contentus fuiſſem; tu tamen etiam illud humanitati dediſti, ut cum ipſe ad me ſcribendi laborem ſumpſeris, tum quantopere mea cauſa omnia velles, per te declararis. Nihil jam eſt, quod me non aſſecutum exiſtimem, cum mihi videar in aliqua apud te gratia conſtitutus, in qua expetenda me, non tam mea commoda & utilitatem, (nam illud quidem ἐπικήρειον eſt) quam decus & ornamentum inde ad me perventurum, ſecutum eſſe, Dii mihi ſunt teſtes. Si eſt, ut honeſte & ſine moleſtia tua fieri poſſit, quibuſcunque in rebus occaſio dabitur, meis rationibus ut conſulere velis, per communia ſtudia, perque tuam fidem te obſecro ac obteſtor. Sin, multo mihi amplior tua amicitia eſt ipſa per ſe, quam omnia illa, propter quae eam appetiiſſe videri poſſum. Mihi quidem certe in omni vita nihil tam erit propoſitum, quam eam adhibere curam, ne te unquam tuae erga me benevolentiae poeniteat, meque tua exſpectatione tuoque amore non indignum praebeam, ſi id mea in te pietate, obſervantia, ſtudio & diligentia aſſequi potero. *Cuperus* noſter, brevi tempore in has oras forte veniet, ut Amſtelodami typis exſcribantur cum doctiſſimus ac perpolitus ejus commentarius in ἀποθέωσιν Homeri, tum Obſervationes ipſius, multarum rerum ac trium librorum acceſſione auctiores: quas deinde ſequentur Notae in Lucianum & Juſtinum. Viro illi certe, ſi vita contigerit, plurima debebunt, qui reconditas & interiores literas amant. Cujus & aliorum tui ſimilium cum mihi propono exempla, & in veterum monumenta cognoſcenda toto pectore incumbo, accidit nonnunquam necopinanti, ut quaedam in mentem veniant conjecturae, quae ad illorum emendationem pertinere videantur. Ex his unam alteramve politiſſimo tuo judicio ſubjiciam, ſi forte meas nugas eſſe aliquid putare poſſis, Romanaeque fidicinem lyrae in eum locum, unde vi armatis hominibus dejectum eſſe puto, reſtituere conabor. Horatium dico, ut vides, cujus nullam apud Vellejum l. II. cap. 36. mentionem fieri magni criminis loco eſſe duco, cum celebrentur illic omnes iſtius aetatis praeclari poëtae Varro, Lucretius, Virgilius, Tibullus, Naſo, & ſi Diis placet, etiam Rabirius: verum ego Vellejum extra culpam pono, eamque omnem transfero in librarios, qui pro Horatio nobis obtrudunt Rabirium a nemine laudatum, niſi ab Ovidio IV. de Ponto eleg. ult. ubi ſtudioſe id agit, ut omnes, qui ſecum vixerunt, cum aliqua laude nominet, ne in exilio ſuo quenquam praeteriens offenderet, cum tamen l. I. Amor. eleg.

ult. ubi celebriores tantum memorat, Rabirii nullus meminerit. In hac ſententia multum me confirmat, quod in Rhenani codice ſcriptum fuit: *inter quae maxime noſtri aevi eminent principes carminum Virgilius Rabiriuſque.* Quia vero principatum hunc nemo unquam Rabirio tribuit, legere maluerunt alii *Princeps.* Aut ego *Principes* retinere velim, & pro *Rabiriuſque Horatiuſque* reponere, ſi tua auctoritas accederet. Ut enim Virgilius Heroicorum, ſic ille Lyricorum carminum princeps omnium conſenſu fuit, quem a Vellejo praeteritum eſſe mihi non ſit veriſimile, cum ille Auguſtum ſummis laudibus extulerit, ac ei inprimis chariſſimus fuerit. Accedit, quod Petronius etiam tanquam unicos Poëtas conjungit *Romanum Virgilium, Horatiique curioſam felicitatem*, caeteroſque omnes prae illis contemnit. Idem ſit in Dialogo de Oratoribus cap. 20. & 23. Nemini vero, qui MStis evolvendis aliquam operam poſuit, mirum accidet, duos hos codices, qui Vellejum ex parte nobis ſervarunt, in hoc nomine ita aberraſſe, cum notum ſit ſaepiſſime multo plures etiam amplius receſſiſſe a vera ſcriptura, praeſertim in nominibus propriis. Atque hîc contigiſſe potuit, ut primis literis vetuſtate vel alio quocunque caſu obſcuratis, ſciolus quidam, cujus generis homines in Auctoribus optimis plurima corruperunt, ex *ratius* vel *rarius*, fecerit *Rabirius*, de quo forte aliquid legerat vel audiverat. Sed de hoc loco plus ſatis. idem Vellejus cap. 100. de Criſpino ait: *Singularem nequitiam ſupercilio truci protegens.* Exiſtimo in hoc ſcriptore plus loci dandum eſſe conjecturae, quia MStos, quos poſſimus conſulere, pauciſſimos habemus, eoſque corruptiſſimos. Malim itaque hîc legere *ſupercilio triſti.* Eodem enim fere modo Tacitus XIV. Ann. cap. 16. *Qui voce vultuque triſti inter oblectamenta regia ſpectari cuperent.* Sic *triſtem & ſeverum ſenem* Nepos Epam. cap. 2. *In Scipione vita triſtior*, Cic. 1. de offic. cap. 30. *Tetrica & triſtis diſciplina Sabinorum*, Livius l. 1. cap. 18. *Sermonis puri non triſtis gratia ridet*, Petronius Cap. 131. apud Paterculum legitur: *Protegite hunc ſtatum, hanc pacem, eique functo longiſſima ſtatione mortali deſtinate ſucceſſores quam ſeriſſimos.* Non apparet hîc, cui velit dari ſucceſſores. Ideo Magnus *Lipſius* fidenter, ut ipſe ait, addit de ſuo *hunc principem.* Quam bene, viderit ille. *Gerh. Voſſius*, juvenis doctiſſimus, *hanc pacem* mutat in *hunc principem.* Sed propius ad literas accedit, &, ni valde fallor, rectius erit, ſi legamus *hunc ſtatum, hunc ducem, eique functo* &c. Sic enim imperatores Romani etiam vocari ſolebant. Ipſe Vellejus cap. 125. refert milites ſeditioſos, *quaeſiviſſe novum Ducem, novum ſtatum, novam Remp.* ubi *Ducem* & *ſtatum* quoque conjungit, & per *Ducem* Tiberium Principem intelligit, non Germanicum, quem cogere volebant milites, ut inperium capeſſeret, ut narrant alii Hiſtorici, qui de hac ſeditione exponunt. Sic Phaedrus lib. 2. de eodem Tiberio, *Tum ſic locuta eſt tanti majeſtas Ducis.* Ovidius 1. Faſt. verſ. 613. de Auguſto, *Augeat imperium noſtri ducis, augeat annos.* & ſic etiam verſ. 646. Sed pecco ego in publica commoda, qui tua tempora tam longo ſermone moror. De quibus vero hîc tecum egi, velim mihi credas, omnia haec me ita ſentire, niſi quid tu, docte Trebati, diſſentis. Ut enim in conjectura poſita ſunt, & ab homine admodum juve-

juvene profecta, ſic tuo graviſſimo & certiſſimo judicio vel ſtabunt vel cadent. Non ego is ſum, qui mea nimis amare ſoleam, & doctorum auctoritati non lubentiſſime cedere velim, ſcio meo me modulo metiri, cum norim, quam ſit mihi curta ſuppellex. Tu tamen, Vir Magne, quam de his ſententiam feres aviſſime exſpectabo, & quoniam verecundiae fines bis ad te ſcribendo jam tranſii, illud majorem in modum rogo, ut, ſi quando a gravioribus curis otium fuerit, eam vel breviſſima epiſtola mihi ſignificare velis. Quo gratius mihi nihil accidere poterit. Vale, vir Illuſtriſſime, mihique bene velle perge. datae Lugduni Batavorum a. d. 7. id. Septemb. CIƆIƆCLXXIV.

EPISTOLA IV.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Leidam.

Litterae tuae, cum alia mihi cognitu perquam jucunda tulerunt, tum illud, quod de *Cupero* noſtro narrabant, hunc nimirum in eo eſſe, ut typographum circumſpiciat, alteri Obſervationum libello ac animadverſis in Homeri ἀποθέωσιν marmore antiquo comprehenſam: quas lucubrationes inter ſummam temporis anguſtiam, ac calamitatem optimo exemplo ad Colophonem vir doctiſſimus perduxit, dum alii in contemplatu miſeriarum publicarum unice occupantur, ſeque a praeclaris meditationibus totos avertunt. Faxit Deus Opt. Max. ut inſtituto huic longe pulcherrimo ſucceſſus ne deſit, utque rem litterariam hiſce foetibus adauctam atque exornatam propediem videamus. In Paterculo *Rabirii* nomen non auſim ſollicitare: quanquam recte miraris, Horatii nullam ibi mentionem injectam: cujus excidiſſe nomen facile do tibi, dum Rabirium ne amoveamus. Potuit enim Vellejo cum hoc Poëta interceſſiſſe conſuetudo arctior, unde laudibus proſequendum exiſtimarit, ut eſt in adulationem aliquanto pronior. Nam quod Naſo in Amorum juvenili poëmate Rabirium omittit, non potuit medius fidius illum nominare, qui ſub illam tempeſtatem nondum inclaruerat. In Ponticis certe nominavit non ſine encomio, & quidem primo inter omnes illorum temporum poëtas loco, cum magni oris & ſpiritus ſcriptorem dicat. Unde manifeſtum fit, illum ſub extrema Naſonis tempora, rerum jam potiente Tiberio, coepiſſe inclareſcere, hoc eſt totis triginta & pluribus annis, poſt emiſſos in publicum Amores. Laudat & Rabirium Seneca libro VI. de Beneficiis ipſo non longe ab initio: *Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium Poëtam, cum fortunam ſuam tranſeuntem alio videbat, & ſibi nihil relictum praeter jus mortis, id quoque, ſi cito occupaverit* (lege *ni cito*) *exclamare. Hoc habeo, quodcunque dedi. O quantum habere potuit, ſi voluiſſet* &c. Sed & in altero Velleji loco *trux ſupercilium* non eſſe ſollicitandum ferme inducor, ut credam. Etſi memini apud Lucretium quoque *ſupercilium triſte* haberi. *Trux ſupercilium* pro torvo ponitur. Sic Tacitus cap. IV. de moribus Germanorum: *Unde habitus quoque corporum unus omnibus, truces &*

caerulei oculi, *rutilae comae.* *Trux vultus* quoque paſſim apud ſcriptores occurrit. In tertio loco aſſentior tibi *hunc ducem* reponenti. Ago, ut vides, liberrime, auctorque ſum ut in hoc ſtudio te exercere pergas, nihil deterritus hac mea interpellatione, quae ab amico benevoloque pectore profecta, te tui admonere debet, ne pedem primo in proceſſu referas, ſed alacrius propoſitum urgeas, quando ſummis etiam hominibus frequenter contigit a ſcopo aberrare. Vale, mi Perizoni. Dabantur Hagae Comitum CIϽIϽCLXXIV. XI. Septemb.

EPISTOLA V.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MItto tandem jamdudum promiſſum librorum noſtrorum, quorum hîc auctio fiet prid. Non. Dec. apud *Arn. Doudium*, qui has litteras perfert, indicem, cui nunc demum ultima a Typographo impoſita eſt manus. Quae huic negotio inciderunt morae, mihi quidem certe vel eam ob cauſam fuere perquam odioſae, quod propterea in hunc uſque diem differre debuerim literas, quas ad te dare, ſimulac primum gratiſſimas tuas legeram, vehementer cupiebam. Sed jure ac merito veritus, ne dum ego hac ſcribendi voluptate, mihi quidem optatiſſima ſaepius ac temere fruerer, tua abuterer bonitate, moleſtiamque tibi crebrioribus literis exhiberem, aliquam illico (fatebor enim) quaerebam cauſam, quamobrem ad te iterum ſine ſuſpicione impudentiae epiſtolam dare poſſem. Nullam vero aliam cum reperirem, dolui me hercule iſtis cunctationibus me tanta voluptate tamdiu carere. Tuarum literarum humanitatem mirifice ſuo ſermone deinceps ſubſecutus eſt vir Ampliſſimus *Th. Hogerſius*, cum poſtquam te Hagae vidiſſet, hac Daventriam ſe reciperet. Cujus oratio etſi per ſe jucunda, tamen eo nomine mihi multo jucundior fuit, quod illa de tuo erga me animo narrabat, quae auribus meis accidebant gratiſſima. Quod ſententiam tuam de locis Vellejanis, de quibus ſuperiori epiſtola egeram, mihi expoſuiſti, ingentis beneficii loco pono. Quod vero non in omnibus mecum ſentis, nec doleo nec miror, ſed gratias potius tibi ago, quod doctiſſimis tuis literis me meliora docuiſti. Nam ut de meo ſolius ingenio, quod ſcio, quam ſit exiguum, taceam, facile credo commune id eſſe juventutis vitium, ut cum minus judicio valeat, ſaepius eam auferant ſubita atque inconſiderata conſilia, ac in errorem impellant. Nihil igitur mirum, ſi in his nonnunquam labuntur adoleſcentuli, de quibus tamen ſperare licet, eos ipſos, ſimul & ingenii & aetatis maturitas acceſſerit, majoraque doctrinae adjumenta ſibi comparaverint, ultro errorem ſuum agnituros, cum ſaepe etiam magni viri in emendandis auctoribus adeo turpiter ſe dederint, ut incredibile videatur tam abſurdas cogitationes illis in mentem potuiſſe venire. Ut ad Vellejum redeam, *Puteanus* etiam, quod poſtea vidi, *Rabirium* ejicere voluit, & pro eo, *Varium* reponere. Tuae ſententiae lubens equidem ſubſcri-

ſcribo. Unum tamen me adhuc male habet, quod nullam cauſam video, cur ſi Rabirius demum poſt Naſonem inclareſcere coeperit, Vellejus eum cum Virgilio conjungat, & ante Tibullum Naſonemque ponat, niſi forte, quod poſtquam haec ſcripſi, incidit, propter carminis genus, cum alioqui in Poëtis enumerandis, etiam tempora, quibus vixerunt, notaſſe videatur, & aetatum ſervaſſe ordinem, ut qui primum carminum auctores Varronem & Lucretium, dein Catullum, tum Virgilium &, ut ego putaram, Horatium, aptiſſimo certe loco, tandem Tibullum ac Naſonem commemoraverit. Hunc ſi mihi ſcrupulum exemeris, quod facili negotio a te fieri poterit, nihil reſtat, niſi, ut alia omnia relinquam prorſus, & in tuam ſententiam pedibus eam. In tertio loco, te ſecundum me pronunciaſſe, unice ita me Deus amet, gaudeo, quod an etiam Pomponio Melae ſis facturus jam tentare libet, ita tamen, ut ſi aliter rem expedieris, difficultatemque, quae me diu torſit, ſuſtuleris, gratiam tibi ſim habiturus magnam. Agens ille de Boſporo Thracio lib. I. cap. 19. ait: *Deinde priores terrae iterum jacent, exiturique in Pontum pelagi canalis anguſtior.* Vir ſummus *Iſ. Voſſius* contra viros doctos, quos qui ſint ignoro, haec ita explicat, & per *priores terras* intelligit *Europaeas*, & *jacent* pro *adjacent* poſitum dicit. Verum haec expoſitio neque *Graevio* noſtro, ut olim me ex eo in domeſtica inſtitutione audiſſe memini, neque mihi probari poterit, quamdiu nihil affertur ad eam confirmandam. Mela enim de Europaeis terris nullum verbum in ſuperioribus fecit. Legere igitur velim, *Deinde propiores terrae iterum jacent, exiturique* &c. ut dicat, terras ab utraque parte maris jacere ſibi iterum propiores, quomodo ubi de Helleſponto loquitur cap. 18. extremo dicit, *mare fieri arctius, & facere, ut iterum terrae, qua fluit, latera ſint.* Europaea nim. & Aſiatica. Facillimus vero lapſus ex *ppriores* in *propiores* quomodo in MSS. ſcribitur. ſupra etiam cap. XIII. non longe ab initio Pintianus idem vocabulum Pomponio voluit reſtituere, licet in quibuſdam MSS. etiam appareat *prior*, quod tamen *Voſſius* quoque defendit. In bello etiam Alexandrino ſaepe ſcriptum eſt a librariis *prior* pro *propior*, ut vidi in variis lectionibus a te cum V. C. *Graevio* communicatis, quas ego exſcripſi. Haec ſunt, vir optime, quae te nunc volui, & in quibus judicium tuum iterum exquirere viſum fuit. Te ea in optimam partem accepturum ſpero. Si quid ego hîc in auctionibus vel aliis quibuſcunque rebus mea opera tibi deſervire poſſim, gratiſſimum mihi feceris, ſi me uti voles. Ad omnia certe, quae imperaveris, ita adero praeſto, eoque contendam ſtudio, labore, cura & diligentia, ut me non ea, quae poſſum tantum, ſed & quae non poſſum tua cauſa velle ac debere quivis intelligat. Miſi nunc etiam brevem patris mei τȣ͂ μακαρίτȣ laudationem, eo magis, quod a *Cupero* noſtro facta eſt, quem deſideratiſſimo tuo congreſſu jam potitum eſſe credo. Vale, vir Maxime, meque tibi devotiſſimum ama. Datae Lugduni Batavorum a. d. XIV. Kal. Decemb. CIƆIƆCLXXIV.

EPISTOLA VI.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Leidam.

MUltae proximis diebus praeter conſuetum obtulere ſe mihi moleſtiae, qua publicis, qua privatis in negotiis, mi *Perizoni*, quibus acceptum referri par eſt, quod tardius, quam lex neceſſitudinis noſtrae flagitabat, nunc reſcribam ad tuas omni benevolentia ac lepore conditas: quanquam ita nunc reſcribo, ut manum chartae potius admoveam, excuſaturus officii procraſtinationem, quam ut ſolide brevi hoc alloquio ſatisfieri tibi poſſe confidam. Sed & illud ipſum amoris mei argumentum eſto, quod nonnihil mihi in te permittam, quodque multum pollicear mihi (utinam ne vanus!) de ſingulari tua facilitate. Rabirium cum Marone videri poteſt conjunxiſſe Vellejus, ob ſublime dicendi genus, quod in epico expreſſit carmine; unde ut *magni oris* poëtam Naſo eundem quoque commendabat ſub vitae exitum. Poteſt etiam privatae amicitiae nonnihil dediſſe Vellejus, quem morem in ſcriptis ubique profitetur. Ut tutiſſimum omnino fore arbitrer, ſi adverſus auctoritatem vetuſti codicis, qui nobis unicus Vellejum conſervavit, ut noſti, nihil temere moliamur. Locum in Mela Pomponiano probabili conjectura abs te tentatum videri adfirmo. Poteram fortaſſe certius adjeciſſe nonnihil, & majore cum applauſu, ſi Pomponium ipſum praeſto nunc haberem. Quippe cum propoſitum foveam jam pridem, de vita ruſtica ac ſolitaria per tempeſtatem hibernam amplectenda, ut mihi ſoli meiſque ſtudiis, poſt diuturnas avocationes, in tempus pauxillum vacem, bibliothecam omnem rus devehendam curavi, ſic ut omni plane librorum contubernio exutus ac fraudatus nunc vivam. Sunt enim lites privatae ac forenſes tricae, quae me praeter ſpem ac opinionem omnem hac in civitate detinent aliquanto diutius, quam, quod ex ſucceſſu cupito ſolatii mihi promittebam ac voluptatis, indulget: ceteroquin jam ante Octobres Kalendas hinc emigraſſe oportuit. Heſterno die brevem excurſum ad Lugdunenſes veſtros ſum molitus, te etiam compellaturus in via, niſi per imbres intempeſtos fuiſſem ea in cogitatione interpellatus. Habes hîc enotatos codices, e Catalogo Paternae Bibliothecae, quibus comparandis operam mihi tuam ſi addixeris, non parum me debere hîc tibi equidem opinabor. Pretium juſtum adjeciſſe ſingulis quanquam videri poſſum, nolim tamen intra paucorum aſſium, quos ſuperaddi per me licet, anguſtiam te coerceri ſinas. Vale, praeſtantiſſime *Perizoni*, & properatae ſcriptioni pro caetera tua benignitate facilis ignoſce. Poſtrid. Kalend. Decemb. Gregor. CIↃIↃCLXXIV.

EPI-

EPISTOLA VII.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Leidam.

HAbes hîc, *Perizoni* praeſtantiſſime, reſponſi nonnihil ad Gisberti *Cuperi*, amici communis, epiſtolam; quem ſane virum plurimis, uti debeo, nominibus amo tenerrimum in modum. Atque utinam in publicum emiſſa propediem videamus, ſi non omnia, certe pleraque ejus ſcripta praelo jam nunc parata; unde emolumenti commodique non parum res litteraria jam promittit ſibi. De valetudine mea, quando video hanc rem vehementer tibi curae eſſe, vix habeo, quod certi adfirmem. Mutat ea variatque pro ratione temporum, nunc vergens in pejora, nunc confirmatior nonnihil. Si quid ab aura clementiore temporis aeſtivi adflabitur, erit fortaſſe unde praeſidium ac fomenta ſperet. Ob catalogum bibliothecae venalis apud vos ad me proxime miſſum, eſt quod gratias ingentes tibi agam. Occurrunt enim hîc illic in eo quaedam rarioris notae volumina. Numerus 48. in fol. deſignat puta Servium Roberti Stephani, adjectis ſub calcem Pierii Valeriani in Maronem annotamentis. Hunc mihi compararam ante hoc ſexennium, ſed nunc in bibliotheca non comparet, ſubreptus haud dubie a mala manu. vide, ſodes, ſi ſalubri pretio haberi poſſit exemplar non immundum. Nam Valeriani annotamenta plus vice ſimplici in armario meo occurrunt. In Q. N. 192. Homeri & Heſiodi certamen cum notis Scaligeri. Nil notarum Scaliger in hunc libellum dedit. Quod ſi manu illius annotationes iſtae ſunt exaratae in margine codicis, ut ſolebat vir magnus, nolim elabatur tibi liber, niſi pretium ejus in florenos certe quinos aut ſenos excreſcat. Hiſce libris ſi quid addendum putabo, id exhibebit omne pagina ab hac proxima. Vale, mi Perizoni, & ut facis, me demerere perge. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. XXVII. Febr.

EPISTOLA VIII.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUae Daventriae geſta ſint in Rep. illic conſtituenda & ordinanda haud dubie intellexiſti. *Hogerſii*, & omnium, qui cum eo ſenſerunt, nulla eſt habita ratio. Quod quam praeter illius opinionem acciderit, nec ignorare te credo *Cuperus* noſter conſul factus eſt, cui nudius tertius literas tuas miſi, & ſimul de honore, qui apud Daventrienſes ampliſſimus eſt, ſibi mandato gratulatus ſum. Ex libris, de quibus ad me miſiſti, paucos nanciſci potui. A nonnullis impenſum pretium, a caeteris res aliae me deterruerunt. Servius cum Valeriani annotationibus erat lacer & peſſime habitus. Apollonius Rho-

Rhodius non in membrana, ſed in charta erat excuſus. In Octavo n. 68. perverſe ſcriptum fuit Marini Cyrii ſermones, cum eſſent Maximi Tyrii. n. 194. Libellus de Homeri & Heſiodi certamine nullas notas Scaligeri manuſcriptas habebat, ſed in extremo volumine typis impreſſae erant eae, quas vir ille in Homeri vitam dedit, quae tamen vix duas paginas complebant. emptos tibi libros, ſi Hagam mitti velis, ſimulac juſſeris, accipies. Si quid praeterea me volueris, impera. Nihil in meis erga te officiis, ſtudiis & obſervantia deſiderari patiar. Valetudo tua me valde ſolicitum habet, cujus ut diligentem rationem habeas, cura. Vale, vir Maxime, meque amare perge. Leidae Prid. Non. Martiis CIƆIƆCLXXV.

EPISTOLA IX.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Retinui aliquamdiu me, quo minus meis litteris, ut quae nihil, quod ad te pertineret, afferrent, tua iterum tempora morarer, ſubveritus, ne hoc pacto plus mihi apud te ſumerem, quam oporteret. Sed tamen inſigni tua humanitate adductus, quam multis documentis cognitam habeo & plane perſpectam, faciendum putavi, ut non tantum mea amoris obſervantiae & pietatis in te officia conſtare oſtenderem, ſed & pro ſumma tua benevolentia, quam liberalius etiam, quam exſpectaveram, in me contuliſti, gratias tibi diligentiſſime agerem, haberemque quantas maximas memori mente habere poſſum. Crede mihi, adeo cepit me incredibilis tua comitas, & facilitas, qua communem te mihi & tantum non parem praebebas, licet dignitate & eruditione omnium doctorum facile Princeps, ut rationem inire neqeam, quo maxime pacto ſingulare meum tibi viciſſim deſerviendi ſtudium declarem, quamvis equidem multo malim non leviſſimo hoc verborum munere defungi, ſed ſumma potius obſervantia & aſſiduitate me meumque animum tibi probare. Scribo haec cum pudore, vereorque, ne & illam gratiarum actionem, & hanc meae voluntatis teſtificationem non modo non deſideres, ſed etiam vulgari potius aſſentatiuncula, uti nunc quidem in more eſt poſitum, tuam me aucupari gratiam, quam ex animi ſententia loqui credas, ſed ita vivam, ut nihil a me auribus tuis detur, & illa me cura ſemper ſollicitat, ne qua mea culpa aliquid ex tui amoris & benevolentiae abundantia perdam. Nam ut, quem ſemel in fidem & amicitiam recepiſti, ſine cauſſa excludas & ejicias admiſſum, perſuadere mihi nullo modo poſſum, nec dubito, quin, ſi qua meis rationibus conſulendi ſe offeret occaſio, ea etiam non rogatus ſis uſurus. Verum illud quidem in Diis eſt, qui vellem, ſi pulchram & praeclaram negant navigationem, terram ex alto circumſpicientem me a portu non excluderent, ubi hoc, quod ſupereſt vitae, commode & decore tranſigerem. *Cuperi* noſtri Viri Clariſſimi Harpocratem legiſſe & probaſſe te credo, quo ſuo foetu magnam haud dubie eru-

eruditis lectoribus reliquorum tractatuum, quos adhuc premit, exſpectationem dedit vir doctiſſimus. Utinam & tibi per valetudinem & negotia liceret, divinis ingenii tui monumentis litteras etiam amplius demereri! Quod dum dii dederint, non gravaberis interim conſulentibus te reſponſa dare, quae nos quidem tanquam ex oraculo Apollinis profecta accipiemus. Ego certe auctoritati tuae lubentiſſime obtemperabo, cum in omnibus aliis, tum in his, quae cum Petronio legendo iterum operam darem, nihil hujuſmodi cogitanti, inter alia in mentem venerunt. Quae qualia ſint, tuum plane eſto judicium. Cap. XCIII. legitur: *Vile eſt quod licet, & animus errore lentus injurias diligit.* Non capio fateor, quomodo animus *errore lentus* injurias diligat. Petronium ſcripſiſſe puto *laetus* hoc ſenſu: animus vaga venere gaudens, ſeu qui in *nullo quaerit amore moram*, ut eleganter Propert. canit, libenter violat aliorum amores. Sic Ovid. epiſt. Cydippes, *Picta dea laeta pharetra.* & l. III. Faſt. verſ. 814. *Enſibus exſertis bellica laeta Dea eſt.* l. V. verſ. 667. *Laete lyrae pulſu, nitida quoque laete palaeſtra.* ſic l. VI. verſ. 289. & aliis quamplurimis in locis. Vel cum in variis lectionibus videam alia habere exemplaria *lenitus*, forte legi poſſet *delenitus*, h. e. captus illecebris vagae veneris. Cic. XV. fam. ep. 16. *virtuti nuntium remiſiſti delenitus illecebris voluptatis.* ſic l. XVI. *Quos ille latro ſocietate vitiorum deleniet.* Facili negotio primae hujus vocis litterae propter ultimas prioris vocabuli abſorberi & omitti potuiſſent. *Lentus* huic loco convenire nequit, quod faſtum in amore ſignificat. Ovid. XIV. Met. verſ. 761. *Lentos pone, precor, faſtus.* Polyphemus ad Galateam l. XII. verſ. 800. *Lentior & ſalicis virgis & vitibus albis.* Atque ita a te eleganter emendatum eſt in epiſt. Sapphus: *Verſus amor tetigit lentiſſima Pyrrhae Pectora.* Animo vagum errorem tribuit & Cic. 7. de offic. cap. 2. *Non enim ſumus ii, quorum animus vagetur errore.* Et de hoſpitum amoribus inquit Helena ad Parid. *Certus in hoſpitibus non eſt amor, errat ut ipſi.* Plautus Rud. I. 3. 35. *errorem* pro conſilii incertitudine poſuit. *Algor, error, pavor membra omnia tenent*, niſi ibi legendum ſit *horror*, quod mihi quidem veroſimilius videtur. Petronius iterum cap. CXXXVII. *Quiſquis habet nummos, ſecura naviget aura.* Malim, *ſecurus naviget aurae*, quod & in verſu concinnius ſonat, & uſitata eſt locutio. Virg. VII. verſ. 304. *Optato conduntur Tybridis alveo Securi pelagi atque mei*, & ſic paſſim. Illo vero modo nuſquam me legere memini, niſi apud Plautum Mercat. 5. 4. 1. *Ut ſciat, matris iram ſibi eſſe ſecuram* i. e. non amplius timendam. At ita quidem cum nonnullis edidit *Taubmannus*, ſed non tantum *Pareus*, verum etiam Magnus *Gronovius* ex aliis editionibus praetulerunt *ſedatam*. Et ſi vel maxime hoc in loco cum illis, qui *ſecuram* malunt, eſſet ſentiendum, quis tamen ignorat, multa Plautum & illius aequales habere, quae in aliis non facile invenias. Nec equidem *Palmerio*, *Acidalio* aliiſque caetera doctiſſimis accedo, qui, ubi obſoletum aliquid & inuſitatum in antiquiſſimi aevi ſcriptoribus invenerant, quamlibet videntur captaſſe occaſionem, qua illud in aliis auctoribus puriſſimae ſaepe, ſed paullo notiori phraſi aut verbo ſubſtituere poſſent, ſi modo ullam MSti codicis lectionem non procul abire intelligerent: quamvis ab altera quoque parte facile dare ve-

velim, librarios ſaepiſſime ea, quae minus obvia ſunt, corrupiſſe. Cap. CXLI. inquit Eumolpus: *Omnes qui in teſtamento meo legata habent praeter liberos meos, hac conditione percipient.* Legendum, ut alios habere ex variis lectionibus apparet, *libertos*: Eumolpus enim, ut commode mimum apud haeredipetas agerent, fingebatur opulentiſſimus & orbus eſſe ſenex, qui filium, quem habuerat, extulerat, Polyaeno vero & Gitoni, qui pro ſervis habebantur, haud dubie in teſtamento & libertatem & alia legata dare ſe ſimulavit. Levia haec valde ſunt fateor, ſed nihil tam leve eſſe puto, in quo ſi mendum latet, non operae pretium faciat, qui illud tollit. Quod an ego hîc fecerim, Tu, vir Ampliſſime, niſi faſtidis, judica, cui ego in his plurimum defero, ut quem exquiſitiſſimo litterarum judicio uti ſcio. Vale, vir ſumme, meque tibi commendatum habe. Daventriae poſtrid. Non. Decemb. Julianas. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA X.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

QUanquam ſubductus nunc oculis noſtris aetatem agis, opineris tamen volo, ac certe tibi perſuadeas, mi *Perizoni*, partem haud exiguam cogitationum mearum a te vindicari, ceu praeſente. Certe quo apud me ſis loco quantumque tuis deferam virtutibus, cum alii omnes, quotquot me familiariter utuntur, poterunt teſtari, tum noſter *Graevius* in primis, quîcum de te, de fortunis tuis ornandis multus mihi ſermo fuit, cum proxime ambo in ſeceſſu meo diem unum alterumque confabulando tereremus, atque adeo hunc adfectum, quo te ſingulari prorſus amplector, quique tuis in me meritis haud perfunctoriis debetur, rebus ipſis teſtatum tibi malim, ſi detur, quam multo fucatae orationis lenocinio ac figmento oſtentatum, hîc loco plane alieno venditare. Viana nuper huc reverſus ſum, relictis illic libris omnibus, quod diverſa omnia hîc loci nunc curanda mihi incumbant, non ſine ingenti mehercules taedio: qui malim in Muſarum ſinu conſeneſcere. Sed obfirmandus eſt animus adverſus haec incommoda, quae quidem conſtantius a me feruntur, quod complures trahunt & involvunt, & temporum difficultati exortae nonnihil condonandum. De libris omnibus in ſeceſſu relictis notandum duxi, ne tu arbitreris magno comitatu antiquitatis inſtructum me in aulam rediiſſe, atque adeo hiſce contubernalibus conſultis ad quaeſtiones tuas ſatis arduas, ac priſcae eruditionis plenas, ſcito commodoque reſponſo me poſſe defungi. *Animum errore lentum* concinne, ſi quid video, probabiliterque in *laetum* commutas, aut *delenitum*; & *liberos* in *libertos*, *ſecuram auram* pro *tuta* & nihil timenda videtur poſuiſſe: apud Claudianum praefat in lib. 1. de Rapt. de navi,

Litora ſecuro tramite ſumma legens.

Non deſunt fortaſſis alia exempla. Itaque hîc dubitemus ac ſubſiſtamus praeſtat. Ad Ampl. *Cuperum* Decembre menſe vix litteras dederam proxime, cum de

ex-

exceſſu *Octavii Falconerii* perlatus eſt ad me nuntius. Nec multo poſt & a Cl. *Bigotio* litteras accepi, in quibus nonnulla de Luciano, quae ad amicum eundem noſtrum pertinent. E Germania proximis diebus habui laetos nuntios, cum de opere inſcriptionum Reineſianarum typis commiſſo, tum de variis ejuſdem lectionibus poſt primam editionem recognitis auctiſque ſub praelo jam deſudantibus. Vale, Hagae Com. II. Febr. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA XI.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas ad me dediſti litteras, nondum quidem accepi, ſed proxime a *Graevio* noſtro exſpecto, apud quem eas eſſe intellexi. Interim aliquid accidit boni, ut ille ait, quam ob rem has ad te iterum exarare debui. Sylvaducenſes humaniorum litterarum doctorem in ſuam arceſſere ſcholam decreverunt. Haec ſparta ut mihi obtingat optare audeo. Quia Profeſſoris ſum filius, idem munus, cujus caeteroquin obtinendi occaſio rariſſima eſt, mihi quoque mandari vehementer velim. Et magna ſpes eſt, tua ſi acceſſerit voluntas, poſſe me facile ad hunc produci locum. Multo quidem mallem prius aliquam feciſſe peregrinationem, praecipue in Italiam. Sed quoniam id minus ex ſententia ſucceſſit, in eo acquieſo, quod contra quam Medea dixit, multos qui domi aetatem egerunt, propterea non fuiſſe improbatos ſcio. Deinde ſedet animo ſententia, ſi hanc ad me deferent provinciam, aeſtivis feriis in Angliam, dein in Germaniam, tum ſi fieri poſſit, etiam Pariſios in Galliam excurrere. Certe vicina Brabantiae & Flandriae loca diligenter perluſtrarem, ubi multos eſſe ajunt melioris notae codices. Scio, illos etiam de *Jac. Gronovio* ad id munus vocando cogitaſſe, quem me quidem doctiorem nunc forſan eſſe ipſe diffiteri nolo. Sed dum indies diſcendo & docendo longius me proceſſurum puto, non minus commodi in commune ex me ſpero perventurum, quam ex illo, qui omnibus aliis iniquus ſibi ſoli plaudit. Te majorem in modum Vir Optime oro, & obſecro, in maxima hac mea re, ſi quid mihi commodare Hagae poteris, id facere ut velis. Plurimum in hoc negotio tua valebit auctoritas, ſi quem in iſta civitate inter Proceres haberes amicum, cui me diligenter commendare poſſes. Sed omnia commodo tuo fieri velim & pro dignitate perſonae, quam ſuſtines. Caeterum, ſi hanc mihi operam dare ſuſtinueris, maximus ad priſtina tua in me merita accedet cumulus, immortaleſque tibi dum vixero agam gratias. Pluribus hoc a te contendere non audeo, ne, quod minime facio, de tua voluntate mihi exploratiſſima dubitare videar. Vale, ô & praeſidium & dulce decus meum, meque tibi commendatiſſimum habe. Datae Daventria XIV. Febr. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA XII.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

NOlito dubitare, quaeſo, mi Perizoni, quin omnia velim unice quae cupis. Sed adeo in Silva Ducum Brabantorum notum habeo neminem, horum quidem, qui deſideriis tuis queant ſuffragari, ut nullibi gentium minus proſpectum mihi ſit ab amicis. Non deſinam tamen invigilare commodis tuis deſideriiſque, & ſi quid indagando profici poteſt, patronos ac fautores tibi conciliare opera omni ſtudebo. Ejus rei ut ſis certus haſce duxi exarandas, recens utique a graviſſimo morbo. De *Octavii Falconerii* exceſſu ſignificabam proxime, nunc addo *Carolum* quoque *Datum* in vivis eſſe deſiiſſe, maximo meo cum dolore. Vale, Hagae Com. d. IV. Non. Mart. CIϽIϽCLXXVI.

EPISTOLA XIII.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ETſi jam ſaepe tibi gratias egerim, tamen ſaepius id facturus videor: tanta tua eſt humanitas, ea benevolentia, quam mihi in maxima mea re per litteras cumulatiſſime detuliſti & re ipſa praeſtas. Mirari noli, ſi omnes meas fortunas tibi, cum talem te mihi praebeas, lubentiſſime debere velim. Nam multum intereſſe puto, cui debeam, nemini vero debere malo, quam tibi & optimo viro *Joh. G. Graevio*. Multam officiorum commemorationem ſupervacaneam apud te eſſe puto, eoque illam orationis partem praetermitto. Caeterum quamvis certa viderentur, quae de negotio Sylvaducenſi acceperam, tamen quod re non ſatis explorata, ſollicitos vos habui, factum nollem, & in poſterum conſideratius agam. Scito tamen non adeo temere ad hanc me ſpem & cogitationem fuiſſe deductum. *P. Colonius* hinc Sylvam Ducum arceſſitus ad ſuſtinendas ibidem Profeſſoris & Concionatoris partes, affirmabat, cum hîc nuper eſſet, Proceres iſtius civitatis ſecum locutos eſſe de vocando humaniorum litterarum doctore, & ſibi in mandatis dediſſe, ut ad ſe mitteret *Jac. Gronovii* ſupplementa, quod etiam ab illo factum eſt. Adjeciſſe quoque illos referebat, non ſtatim quidem lautum exſpectandum eſſe ſtipendium, ſed curaturos ſe, ſimul rationes ſuas & negotia, quae habent cum publico harum civitatum conſilio, quod Hagae eſt, explicaverint, ne quid & in hac parte deſiderari poſſet. Scripſi heri ad *Colonium*, & rogavi, ut quod ultro in ſe recepit, quamprimum de toto negotio me faceret certiorem. Simulac reſponſi quid ab eo tulerim, confeſtim ad vos perſcribam, ne ſi omnis praeciſa ſit ſpes, amplius de me in hoc negotio laboretis. Quae nuper tecum

egi:

egi de Petronii locis, vellem ibi te inveniſſent, ubi accurate ea potuiſſes examinare. Non enim illa ut me oſtentem, nam levia ſunt, ſed ut de tuo tuique ſimilium judicio certi quid de iis ſtatuam, in litteras conjicio, ſive comprobentur, ſive in medium allatis rationibus rejiciantur. Multa legiſſe eum oportet, qui in ſtudiis his exquiſito & limato poſſit uti judicio. Itaque ego cum nondum omnia perluſtraſſe potuerim, libenter de meis conjecturis aliorum audio ſententias. Facile concedam *ſecuram auram* in Petronio retinendum, ſi ſimili confirmaretur exemplo. Quod ſi habuero, certe ego locum illum intactum relinquam. Nam *ſecurum tramitem* & *ſecuros penates* aliquantulum etiamnum differre exiſtimo. Saepe tribuitur locis, quod convenit in homines, qui in iis agunt, *ſecurus trames* & *ſecura via* commode dici poteſt, per quam qui ingrediuntur, ſecuri ſunt. Nec minus *ſecuri penates* & *ſecura urbs*, in quibus hominibus licet eſſe ſecuris. Similiter *tutus* ſaepiſſime de locis dictum invenitur, in quibus tuti ſunt homines. Terent. Phorm. *Non ſatis hic tutus ad narrandum eſt locus.* Nepos Ages. *Adjunctis de ſuis comitibus locum tutum reliquit.* Dubitabam vero, an illud ipſum, a quo ſibi quis timet, *ſecurum* poſſet dici; Ventos metuunt navigantes, obſeſſi caſtra hoſtium, ex quibus an hoc epitheton addi poſſit, quod per ea liceat ſecure agere, adhuc ignoro. Similem deſidero locum, qui fortaſſe in Poëtis inferioris aevi invenietur, in quibus non ſatis verſatum me eſſe agnoſco; Quod ſi Muſaeo tuo reſtitutus talem mihi oſtenderis, gratiſſimum profecto feceris. Vehementer doleo triſtem *Oct. Falconerii* & *Car. Dati*, quos in Italia litterarum principatum cum *Oct. Ferrario* obtinuiſſe puto. Vehementius etiam me perturbarunt acerba praeſtantiſſimi *Hogerſii* fata. Virum optimi ingenii, ſummae probitatis ac fidei, unice ſemper dilexi ac colui, ut quem non tantum paterna amicitia, ſed & ſumma ipſius bonitas, dudum mihi conjunxerit, ſed durato corde ferenda ſcilicet ſunt omnia, quae hominibus accidere poſſunt. Finem ſcribendi facerem, niſi eſſet, quod minime te celare debeo, tantis tuis de me meritis provocatus, eo magis quod quae tibi eveniunt, ad publicam litteratorum rem pertinere cenſeo. Sunt, qui omni gratia, qua apud Principem Paderbornenſem vales, ſi poſſint, evertere te ſuis criminationibus ſtudent, quaſi illius mandata peſſime curares. Rem ordine exponam. Cum ſuperiori anno N. ad principem, quem modo dicam, inviſiſſet, interrogatus eſt, an tria monumentorum Paderb. exemplaria a te miſſa, & perlata eſſent ad Etruriae Principem, & Cardinalem ac *Magliabequium*. Reſpondit ſe ignorare. Poſt illa domum reverſus ad *Magliabequium* ea de re ſcripſit, qui prolixa epiſtola conqueſtus eſt, duo tantum ad ſe miſſa eſſe, quorum unum Principi, alterum Cardinali traderet. Tertium vero, quod ipſe retineret, nec ſe accepiſſe, nec a te eſſe miſſum, ex litteris tuis ſe poſſe probare. Contra ea non invidiſſe te hoc donum *Carolo Dato* & *Laur. Panciatico*. Addit inſuper ſe audita Epiſcopi voluntate, licet ipſe librum non acceperit, ſed ſua emerit pecunia, brevi tamen litteras ad eum daturum, quibus gratias illi hoc nomine ageret. Hanc occaſionem nactus noſter homo, acerbas & contumelioſas de te ad optimum Epiſcopum exaravit litteras. An jam ad enim

cum dederit, nec ne neſcio. Certe earum exemplum nudius quartus vidi, & ab illo me praeſente recitatae ſunt. ſummis laudibus in coelum effert *Magliabequium*, ut majorem tibi creet invidiam, quod tantum virum hoc decore non volueris ornatum, cum illud Epiſcopus mandaſſet. Deinde te exagitat, quod ad *Car. Datum* & *L. Panciaticum* ea miſeris, quos, *liquido affirmare audet*, *ne paginam quidem in tam eleganti libello legiſſe*, *ut qui inertiae ac pigritiae prorſus ſint dediti*, & addit, *Optime ſe eos noſſe*. Haec licet parum apud Sapientiſſimum Epiſcopum valitura exiſtimem, qui facile malignum animum & perverſum judicium in litteris ipſis deprehendet, in quibus licet aliud agens, tuam tamen exponit diligentiam, quod ſaepius nempe ad *Magliabequium* ſcripſeris, & quaeſieris, num duo illa volumina ſibi ſint reddita: tamen cum hinc N. illinc *Magliabequius* idem viderentur acturi, indicandum tibi duxi, ut quod e re tua eſſet, conſilii caperes. Verum illud diligenter ut cures rogo, ne quiſquam reſciſcat, aut ulla cuiquam oboriatur ſuſpicio, nedum τῷ δεῖνα, me haec ſcripſiſſe. Litteras has, ne in aliorum vel poſt tua fata incidant manus, igni quaeſo conſume. Qui me atque illum ignorant vitio hanc rem mihi forte verterent, cum tamen ab omni culpa me hîc abeſſe putem. Nam quicquid ſcripſi, ab incredibili amore ac benevolentia, quam tibi debeo, ſcripſi. Cum illo nullam mihi conſtitui amicitiam. Ita eo utor, ut quem mox odiſſe debeam, ita cum eo loquor, ut ſi brevi omnium dictorum rationem publice eſſem redditurus Nam cauſam nullam video, cur mihi magis parceret, ſi quando in publicum ſcripto aliquo prodirem, quam aliis omnibus. In nullos eſt iniquior, quam quos ſibi communia ſtudia conjungere deberent, quique ſuis lucubrationibus bene de litteris mereri ſtudent. Si *Graevium* noſtrum & *Magliabequium* exceperim, omnibus pariter obtrectat. Quas litteras ad *Berkelium* de *Munkero* & *Blancardo* dederit, aliunde forſan intellexiſti. *Cuperi* noſtri Harpocraten nihili eſſe, ſignumque ipſum nihil Aegyptii habere affirmat. Obſervationes vero ſuas ex aliis collegiſſe veluti corniculam Aeſopi. Doctiſſimi *Ryckii* gratulatoriam ad Principem, qua nihil elegantius in hoc genere legiſſe me memini, ſi a *Graevio* noſtro diſceſſerim, minime Latinam eſſe calumniatur. Quin etiam cum N. caetera ſibi ſimillimo, nullo modo ipſi convenit. Imo neque N. parcit, quod tales habuerit amicos. Quid agas cum illis, qui nihil rectum putant niſi quod a ſe proficiſcitur? Quis ſperare auſit, cum tali homine diuturnam ſibi fore gratiam? ſed de his plus ſatis. Salvere te jubet doctiſſimus *Cuperus*, cum quo, quae ad me miſeras, communicavi. Vale, vir eximie, meque tibi commendatiſſimum habe. Datae Daventriae prid. Non. Mart. CIƆIƆCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA XIV.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

EX quo poſtremas meas ad te dabam, incidi hîc in nonneminem ex magiſtratu illius oppidi, in quo vacare profeſſionem artium bonarum ferebat rumor. Is idem, quod jam ante intellexeram, mihi aſſeveravit, non ferre videlicet praeſentes aerarii publici anguſtias, ut ea de re cogitaretur. Sed in hiſce talibus conſilia nonnunquam ſolere fluctuare, cum ab arbitrio multorum res tota pendeat. *Högerſii* mortem vix credas, quam indigne tulerim, cujus tantum non ſpectator fui: neque enim non poteram vehementer virum amare, qui me multis in rebus demereri ſtuduiſſet. Sed haec temporum calamitati accenſenda ſunt. Qui me apud Principem Paderbornenſem criminantur ſuper re, quam narras, videant ne livoris ſui manifeſte convincantur. Poſt prolata in lucem monumenta Paderbornenſia ante hoc quidem biennium, operis ejus volumina complura per *Elzevirium* ad me curavit mittenda Princeps optimus, additis & poëmatum recens editorum exemplaribus duplo pluribus, ut ea inter homines litterarum ſtudioſos, dividerem; quos autem inter dividenda eſſent non adjecit, re omni relicta meo arbitrio, cujus rei teſtes habeo Principis ipſius litteras. Ad *Magliabechium* fateor monumentorum nullum exemplar miſi. Quod neque Princeps illum haberet notum, nec vacaret mihi de meo liberali eſſe, qui ne mihi quidem ullum operis praeſtantiſſimi exemplar ſervaſſem, niſi quod *Elzevirii* typographi munificentia ad me pervenire voluit, ob praefationem operis a me conſcriptam. Poëmatum tamen exemplar ad *Magliabechium* alioſque in Etruriam miſi menſe Majo anni proxime decurſi, neque hoc juſſus a Principe, ſed meo impulſu; ſed ſarcinas eo delatas eſſe hactenus non ſum edoctus, quod *Carolus Datus*, ad quem mittebantur, interea diem obierit ſupremum. Rogavi tamen *Laurentium Panciatichum* per literas non ita nuper, a quo *Dati* exceſſum eram edoctus, ut in ſarcinas illas ne gravaretur inquirere, a quo reſponſum propediem expecto. Habes hiſtoriam omnem, ut valde maligno eſſe ingenio oporteat, qui me hoc nomine criminantur. Sed relinquamus eos ingenio ſuo. *Secura aura*, quae ſecuros praeſtat navigantes apud Petronium. Sic *ſecurum teſtamentum*, pro firmo memini me legere, & unde nihil controverſiarum exſpectandum, apud Plinium in Panegyrico. Vale, mi Perizoni. Hagae Com. XXII. Mart. CIↃIↃCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA XV.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

DE negotio Sylvaducenſi neque nullam prorſus, neque tamen magnam ſpem habere me ſinunt litterae, quas nuper illinc a Rev. *Colonio* accepi, quibus ita ſcribit: *Sic eſt, uti Daventriae coram dixi. Noſtrates non tantum de vocando humaniorum litterarum Profeſſore cogitare, ſed & certo conſtituiſſe hujuſmodi virum vocare, ſimul atque civitatis proventus in ſtatum priſtinum redierint. Dilationem eam ipſis diſſuadere nec poſſim nec velim, non enim erit in diem longiſſimum.* Vides hîc non omnem ejus loci ſpem praecidi, ſed tamen in meliora differri tempora, quae exſpectare longum forſan erit. Vellem publica haec patriae noſtrae calamitas aut paullo majorem ejus rei, quam expecto, conſequendae facultatem relinqueret, aut non tanto illius afficeret deſiderio. Sed quo ad plures pertinent haec mala, eo aequiore animo ſingulis ferenda eſſe non ignoro. Nobis certe animum ab hac omnium rerum & totius orbis perturbatione abducere, omneſque moleſtias depellere poſſunt noſtra, in quibus verſamur & acquieſcere debemus. Tibi, quod etiam in hoc negotio mea cauſſa omnia te velle re ipſa oſtendiſti, ingentes habeo gratias, magnique beneficii loco numero. Vale, Magne Heinſi, meque tibi commendatum habe. Daventriae Kal. Mai. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA XVI.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MItto vir Illuſtriſſime, catalogum inſtructiſſimae ac nitidiſſimae optimi *Hogerſii* Bibliothecae. Si quid eſt in eo, quod tibi per me comparari volueris, manda, ſed ita, ut pretium, quo pluris ne emam, praefinias. Antiquam hîc fidem & induſtriam praeſtabo, idque diligentiſſime agam, ut intelligas agnoſcere me, quantum tibi debeam, utque, quoniam referenda gratia nunquam reſpondere potero meritis tuis, hac grati animi declaratione, in exiguis his rebus acquieſcas. Si quid novi ad te, ut ſolet, ab externis locis allatum eſt, quod ad litteratos aut ſtudia noſtra pertineat, mecum communices rogo. Quid agit *Berkelius?* An adhuc quod dudum minatus eſt, in *Tho. Munkerum* incurret? jam dudum nihil de V. C. *Th. Ryckio* audio, cui, ſi quando conveneris, plurimam ſalutem meis quaeſo verbis nuncia. Vale, Magne Heinſi, meque χρήσει ϗ κλήσει tuum amare perſevera. Daventriae a. d. XIII. Kal. Jul. CIƆIƆCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA XVII.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litterae tuae cum mihi redderentur ſecundo auctionis die, omnes jam Theologici, Juridici & Miſcellaneorum maximae formae uſque ad num. 70. & minimae uſque ad num. 60. venierant: ſolent hîc enim, dum frequentes adveniant emptores, a minimae formae codicibus initium facere. Ea cauſſa eſt, quamobrem tibi comparare non potuerim *verſus de corrupto Eccleſiae ſtatu* editos, ut ſignificabas, a Flaccio Illyrico, & duodetriginta aſſibus emptos a *Rein. Vogelſangio* noſtro. Egi quidem cum illo, ut iſtius exemplaris poſſeſſione tibi cederet, ſed impetrare non potui: cauſſabatur ſe dudum hunc libellum quaeſiviſſe, deque eo quamprimum Vianam venerit, coram tecum acturum. Non dubito, quin, ſi volueris, vel per Ampl. *Terborchium*, vel noſtrum *Cuperum*, ſi modo ante ſignificaveris quam vir Clariſſ. ad vos proficiſcetur, quod propediem faciet, inſpiciendum tibi ſit miſſurus. De caeteris codicibus, quos deſiderabas, pauciſſimos etiam nactus ſum, quod plerique omnes in hac auctione venierint quam plurimo. Accepi tamen ea fere ſumma, qua volueras. Quae Clar. *Cuperus* ad te perlaturum ſe recepit. ſingulorum pretia cum eorum, quos dixi, tum illorum, qui pluris ſunt addicti, averſa pagina te docebit. Nobiliſſimi *Zeellemii* mandata cum ad me perferrentur, tertius auctionis dies jam abierat, adeoque duo tantum ex omnibus, quos notaverat codices, ſupererant nondum venditi. Si quid amplius hîc tibi a me praeſtari poterit, in eo admonitus omnium ſtudia, ut debeo, vincam. Vellem & in hoc negotio rebus potius quam verbis ſtudium & diligentiam meam in veſtris mandatis recte curandis declarare potuiſſem. In ſuppellectile tua libraria ſi habes *Caſtalionis diſputationem adverſus praenominis faeminarum aſſertores*, ut eam laudat *Petrus Servius*, commoda occaſione ut mihi utendam paulisper mittas, rogare te audeo. Conſtitui enim illud argumentum de Romanorum nominibus, ſi fata Deuſque ſiverint, accurate pertractare. Ex iis, qui in hac materia jam laudabiliter verſati ſunt, praeter *Reineccium*, *Reuſnerum*, & *Streinium*, quos ignoro, hanc *Caſtalionis* diſputationem deſidero, & ſi quid *Andr. Schottus*, ac *Ubbo Emmius*, de nominibus aut familiis Romanorum memoriae mandarunt. Quae qualia ſint, & num in Batavis haberi queant, me docere ne graveris, oro atque obſecro, ut & ſi quid amplius de *Reineſiano* inſcriptionum opere intellexiſti, cujus editionem in nihilum recidere audivi. Vale, vir maxime, meque tibi devotiſſimum amare perge. Daventriae a. d. XXI. Julii. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA XVIII.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

DOleo equidem non tam mea, quam illuſtris *Hugenii* cauſſa, imo tua potius, cui de *Hugenio* bene merendi occaſionem eſſe interceptam inſigni & prorſus teſtudinea tabellariorum illa tarditate, ferendum eſt prorſus indigne. Dedi tamen jam operam, ut is intelligat, nihil hic officii tui nobis defuiſſe, exaratis eam in rem miſſisque in caſtra litteris. Quos comparaſti meis uſibus libros, eos tanto avidius exſpecto, quod Ampl. *Cuperum* ſpondes horum latorem fore, quem ſane coram intueri ſummo opere exopto. Verſus de corrupto Eccleſiae ſtatu quoniam alteri ceſſerunt, ex Germania ſuperiori per amicos aliunde nanciſcar, curae mihi erit. De Romanorum nominibus argumentum, quod tibi propoſuiſti tractandum, non poſſum non probare vehementer inſtitutum. Multa ejuſdem materiae congeſſit *Reineſius* in opere inſcriptionum antiquarum, cujus editionem *Carpzovius* pridem nos jubet ſperare. *Caſtalionis* diſſertationes de praenominibus feminarum, opinor exſtare in bibliotheca mea, ac tibi ſeponam, ubi dabitur disjectos codices in ordinem redigere. Vide interim ſodes, ſi in face critica *Gruteri* libellus non occurrat, criticis ejuſdem Caſtalionis obſervationibus, ut in editione Romana, adjectus. Habeo & *Reuſnerum* de familiis Romanis, & *Streinium* & *Schottum*, & *Reineccium* & *Emmium* & *Glandorpium*, alioſque. Sed hi nihil ad inſtitutum tuum; index Scaligeranus inſcriptionum antiquarum in nonnullis fortaſſe propoſito tuo conducat. A *Carpzovio* diu eſt, quod litterarum nihil accipio, ut haudquaquam aſſeverare poſſim, pergantne in inſcriptionibus Reineſianis Typographi, an eam cogitationem ſeponant. Vale, mi Perizoni, Hagae Comit. 10. Aug. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA XIX.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ITa eſt, Nobiliſſime Heinſi. Maxime vellem mihi per tabellarios licuiſſet in Hogerſiana auctione cum tuis, tum Illuſtris *Hugenii* mandatis ſatis feciſſe, meumque ſtudium & debita vobis amplius probaſſe officia, de quibus ut nihil equidem ſine magna mea culpa praetermittere poſſum, ita nec iis quicquam mihi prius aut antiquius eſſe ſancte teſtor. Tot tantiſque jam meis in rebus tam clara ac certa benevolentiae & amoris dediſti documenta, ut omnem humanitatem exuiſſe, omnique ſenſu penitus carere mihi ipſe viderer, niſi immane quantum me afficeret tuus iſte erga me animus, & quamvis captare occaſionem ſubigeret gratae in te colendo tibique inſerviendo voluntatis declaran-

randae, quandoquidem deeſt & ſemper mihi deerit facultas meritis tuis ex aequo reſpondendi. Quamobrem, ſicuti ego certus ſum, nunquam te mihi, niſi mea culpa immutatum iri, nec tuam bonitatem in me diligendo, liberalitatem in ornando unquam mihi defuturam, ita te viciſſim meam obſervantiam & ſtudium in omni genere officii erga bonos, doctos, & bene de me meritos non tantum ipſum perſpexiſſe, ſed de eo etiam ultro confirmaſſe per litteras viro dignitate & honoribus florentiſſimo, incredibiliter, ita vivam, gaudeo. Veterum Romanorum nomina, materiam ſane nobiliſſimam, ſed, ut vere dicis, perplexam ſatis & obſcuram, dum ſedulo inveſtigo, non poſſum non ſummo opere dolere tantam in hoc terrarum tractu eſſe Manuſcriptorum melioris notae codicum penuriam, ut qui iis excuſſis auctores edidere, non ſimul cum poſteris communicaſſe omnes praeſtantiſſimorum ſaltem codicum variantes lectiones. Adeo multiplices & graves in hoc argumento difficultates occurrunt, ut ſine illorum auxilio vix quicquam decernere queam, neque certior ſaepe eſſe poſſim, quam ſi cum homine notiſſimae perfidiae in tenebris micem. Affirmare ſine dubitatione audeo, nuſquam magis eſſe corruptos veteres hiſtoricos, quam in propriis nominibus. Nec tamen id tantum in vulgatis editionibus, ſed quod maxime dolendum eſt, etiam in optimis membranis, quae ſaepe cum aliarum erratis adeo conſpirant, ut in hac re nonnunquam contra omnium Exemplarium fidem, quamvis illud durum valde, & temeritati proximum etiam mihi videatur, pronunciandum tamen eſſe putem. Quis veterum, exempli gratia, non meminit *Metti Fufetii*, & *Ati Navii*, Attamen in tot Auctoribus omnes & impreſſi & ſcripti, exceptis forſan hujus generis pauciſſimis, praenomina iſtorum corrupta haud dubie praeferunt, idque etiam antiquitus, quandoquidem ipſe Servius exiſtimavit *Virgilium mutilaſſe Metum metri cauſſa, cum verum eſſet Metius*, quaſi Virgilius Poëtarum more non potius, quam mutilaret, ex eo facturus fuiſſet biſſyllabon *Met-jus*, quemadmodum Horatius II. 8. 21. *cum Servil-jo Balatrone.* Maximopere vellem in lucem exire, quae vir admirandum in modum infinitae lectionis *Th. Reineſius* in antiquas inſcriptiones commentatus eſt, licet quantum ad nomina attinet, ſaepe hallucinetur, dum non ſatis accurate ad judicii trutinam examinat ſingula, quae ex copioſiſſimis ſuis adverſariis colligit. Nec tibi probari poſſe puto, quae ſibi ille in lapidibus atque etiam nummis corrigendis permiſit, in quibus cum ſemel tantum ſtyli acumen ſubierint, ſi tot ineſſent mendae, nihil profecto mirum ea, quae in membranis toties ac ſaepe ab aeque indoctis hominibus deſcripta ſunt, eſſe corruptiſſima. Non nego tamen vel marmorarios, vel eos, quorum beneficio hodie haec monumenta legimus, nonnunquam hîc aberraſſe, & cum viro ſummo in multis neceſſario ſentiendum video, ſed tamen illud inprimis ego quidem malo exemplo ac temere fieri ſentio, quod *Reineſius* in lapidibus, atque alii, qui familias collegerunt, in hiſtoriis, nomen gentis Romanae, nuſquam alibi lectum, illico expungunt, atque aliud ſine ulla dubitatione non alia de cauſſa, quam quod uſitatius eſt, ſubſtituunt. Neceſſe utique eſt multa in his Antiquitatum reliquiis ſemel modo inveniri, & cum infinita fuerit civium

vium Romanorum multitudo, ut quae non una capiebatur urbe, ſed per totum Orbem erat diſperſa, etiam innumeras fuiſſe familias familiarumque nomina, quod & Varronem ſcripſiſſe docet nos Valerii fragmentum. JCtorum vero nominum nonnulla ab aliis unica tantum littera differre certum eſt multis exemplis. Fuerint in his *Icilii*, *Acilii*, *Atilii*, *Aquilii*, *Aquinii*, *Atinii*, *Catinii*, *Vatinii: Mettii*, *Tettii*, *Vettii*; *Balventii: Calventii: Trebellii*, *Tremellii: Decidii*, *Decimii: Navii*, *Novii*, *Naevii.* & ſic plures alii haud dubie fuerunt appellati nomine nobis ignoto, quod proxime acceſſerit ad aliud ex hiſtoriis notiſſimum; incidi nuper in ſchedulam Illuſtriſſimi *Schelii*, majoris, ut videtur, de hac ipſa materia opuſculi, quod cum reliquis illius laboribus magno rei litterariae damno vel non perfectum eſt, vel intercidit, particulam, in qua de duobus Latinorum nominibus ante Romam conditam contra *Salmaſium* diſputare & docere voluit, non fuiſſe illa nomen & cognomen, quod ſtatuebat ἐπάνω, ſed praenomen & nomen: quod veriſſimum eſt. Ubi hanc quaeſtionem moveat *Salmaſius*, equidem ignoro, niſi forte in diatriba de nominibus inedita, quam Notis ad Arnobium praefixiſſe teſtatur Comment. ad Achillem Tatium. Quaeſo te, Vir Nobiliſſime, an prorſus ignoras quid illi factum ſit diatribae? Num itidem perierit, an vero adhuc uſpiam lateat? Quod ſi eſſet, ingenti ejus videndi deſiderio flagrarem. Unicus ille fuit ad has partes recte agendas vir ſummo ingenio, incredibili eruditione, & maximo optimarum membranarum uſu. *Caſtalionem* de praenominibus faeminarum quod mihi miſſurus es, ubi te iis moleſtiis, quibus Hagae teneri te doleo, expedieris, (nec enim ego ante deſidero) maximo beneficio tibi me etiam amplius obligabis. In Lampade Critica nihil illius apparet praeter Variarum lectionum libellos. Spero iſti diſſertationi adjunctam fore, quam ſcripſit idem de praenominibus puerorum, ut laudatur a *Reineſio* Epiſt. 50. ad Rupertum pag. 458. Eam hoc libentius legere velim, quod omnes, quos vidi, *Robortellus*, *Onufrius*, *Lipſius* & *P. Servius* hîc graviter errent, dum relicto Plutarcho & Feſto, malunt Valerii fragmentum ſequi, negantes pueris, ante virilem togam praenomina fuiſſe impoſita. Unus *Sigonius* dubius fluctuat inter haec ſententiarum divortia; ego vero clariſſime demonſtrare poſſum exemplis ab omni aevo petitis, pueros & puellas praenominibus non caruiſſe. Sed, amabo te, quid ſentis de hoc fragmento, atque illius auctore? An in antiquiſſimis Valerii Maximi membranis comparet? Illud miror falſiſſimae ſententiae auctorem tam claris illic verbis laudari Q. Scaevolam, niſi forte aliud lateat, & vel Valerius iſte vel Q. Scaevola reſpexerit ad praenomen Caji & Cajae, quod nonnulli volunt, vel potius ad nominum publicam profeſſionem aut praenominis mutationem, quam virilis togae die factam credo, ſi quando contigerit, ſicuti Tiberii Caeſaris frater primum *Decimus*, poſtea *Nero* fuit appellatus Sueton: Claudio cap. 1. Verum multa tamen praeclara continet e veterum ſcriptis excerpta, propter quae vel maxime emendate legi vellem, & doleam vehementer *Steph. Pighium*, qui accuratis codicibus eſt uſus, illud ſua cura duxiſſe indignum. Tempus tandem eſt, ut manum de tabula. Vale, vir ſumme, meque tibi devotiſſimum amare perſevera. Daventriae a. d. Kal. Octob. CIↃIↃCLXXVI. EPI-

EPISTOLA XX.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

SUperventu morbi perquam incommodi factum eſt, ne ego, quod fieri equidem jampridem debuerat, pretium ad te ferendum curarim, mi Perizoni, codicum eorum, quos tu beneficum in modum nuper facta Hogerſianae bibliothecae auctione mihi addictos voluiſti. Nunc ut reſpiro meque recolligo paullatim ab hac moleſtia, ecce, quod debebatur tibi, ac ſimul meritiſſimam gratiarum actionem pro opera nava ac diligenti cum nuper, tum alias ſaepenumero praeſtitam, quam compenſatam velim non verbis, ſed officio aliquo majoris rei, ſi detur occaſio. Nunc quoque ne verbis copioſius extollam tua in me merita, per valetudinem fit adhuc dubiam, certe non ſatis confirmatam. De nominibus Romanorum veterum quod excutiendum ſuſcepiſti argumentum, eam ego telam non ſine incremento nominis tui detexendam fore confido. Nec intermittam ſubminiſtrare ex armario meo, quicquid facit ad hanc materiam, ſimulatque rebus meis compoſitis bibliothecam dabitur excutere, ut jam antehac ſum pollicitus. Quae *Salmaſius* diſputavit de Romanorum nominibus, ea fortaſſis occurrent in commentario ad Hiſtoriam Auguſtam, nec memini tale quid polliceri indicem poſtumorum ejus, quae Divione adſervantur, a me inſpectum. Valerii Maximi codices ſcripti cum in omnibus fere bibliothecis aſſerventur complures, nullum tamen memini videre, qui aetatem annorum CCCC. vel D. excederet. Unum ajunt in Vaticana aſſervari, pervetuſtum, qui fragmentum iſtud de nominibus Romanorum fors ſit, ut conſervarit nobis: nam ab aliis codicibus abeſſe opinor. Nec pro gemino Valerii foetu habendum reor. Multum me torſit veterum exemplarium inſcriptio, quae *C. Valerium Flaccum Setinum Balbum*, *C. Petronium Arbitrum Afranium* faciunt. Si potes expedire haerentem, fac quaeſo. Vale, Hagae Com. VIII. Octob. CIƆIƆCLXXVI.

EPISTOLA XXI.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

CUM nuperrime in Batavis eſſem, tuas ad me litteras Trajecti apud *Graevium* noſtrum, virum Clariſſimum, inveni, eo majorem in modum deſideratas, quo longiore tempore nullas a te acceperam, contra quam pro incredibili tua humanitate fieri ſolet, Nobiliſſime Heinſi. Quod tamdiu illic haeſerint, ea fuit cauſſa, quod vir optimus etiam ipſe epiſtolam ad me voluerit exarare, nec eo uſque potuerit propter ſummas occupationes, quibus diſtine-

tur quotidie. De pecuniola, quam pro emptis hîc codicibus adjeciſti, nulla profecto erat opus feſtinatione. Eam recte me accepiſſe, ipſe tibi coram ſignificaſſem, niſi, cum Hagae forem, domo affuiſſes Roteraedamum profectus. Qua in re, ita vivam, vehementer fortunam meam incuſavi, per quam non licuit poſt tantum temporis frui exoptatiſſimo tuo congreſſu, & in tam obſervandi mihi capitis amplexus, ſed cum debita veneratione, effundi, praeſentiſque valetudinem, quae propter ingratos de ea rumores diu me habuerat ſollicitum, videre, audire & cognoſcere. Lubens tamen intellexi, ita te eſſe confirmatum, quod & jam ante ex *Cupero* & *Graevio* didiceram, ut incommodas ſane valetudini moleſtias viae perferre poſſes. Maxime vellem, ex ſententia tandem expeditus ſimiliter eſſes iis negotiis, quae te iſtic locorum occupant, forte & macerant ac conficiunt, certe invitum a Muſis & litteris maxima ex parte avocant ſummo cum rei litterariae damno. *Salmaſii* inedita diſſertatio praemiſſa fuit commentario in Arnobium, ut teſtatur & ipſe ad Achillem Tatium, & is, qui vitam ejus ac Epiſtolas edidit. Caeterum Celeberr. *Graevius* docuit me lectum jam & perluſtratum eſſe ab illuſtri *Schelio*, & Doctiſſ. *Gudio*; Idem etiamnum adſervari exiſtimabat in bibliotheca Magni *Gronovii* τȣ͂ μακαρίτȣ. cujus tamen filius *Jac. Gronovius* cum neget ſe quicquam de eo explorati habere, aut uſquam inter patris ſui chartas invenire, forſitan adhuc latebit apud *Marq. Gudium*: a quo ſi qua conditione poſſem conſequi, vehementer id equidem vellem, atque optima fide reſtituerem: ſunt enim multa, in quibus ſummi viri ſententiam ſummo opere cognoſcere velim. Inſcriptiones ſed antiquas, & de quarum aetate conſtare poteſt, plurimum momenti atque adjumenti adferre ad nomina Romana exponenda, omnino tecum ſentio, ac documento ei rei eſt, vel unum Marmor Capitolinum, quod utinam integros nobis exhiberet Faſtos Conſulares. Nunc utcunque mutilum, plurimum tamen me juvat. De nominibus Petronii Arbitri & Valerii Flacci quas poſuiſti quaeſtiones, difficiles ſane ſunt & obſcurae, tacente praeſertim de iis ipſis & eorum parentibus hiſtoria Romana, & fluxa ac dubia ſaepenumero fide membranarum in illis inſcriptionibus, unde neceſſario conjecturis indulgendum, & ſi qua ratione ita verum aut veriſimilitudinem aſſequi queamus tentandum reor. Ad *Valerium Flaccum* quod attinet, cum ſaepe deſcriptoris nomen invaſerit locum & titulum Auctoris, ut Aemilius Probus Cornelii Nepotis, & alii aliorum, quid ni etiam veriſimile videri queat deſcriptoris nomen poſitum forte in fronte operis adhaeſiſſe aliquando nomini Auctoris, atque ita hîc *Setinus Balbus* fuerit nomen librarii, non Valerii. Nam mira profecto forent nunquam his cognominibus, ſi vere ipſius eſſent Valerii, appellari eum a veteribus, ſed ſemper *Flaccum*, cum tamen illis temporibus & praecipue paulo poſt ſecutis, uſitatum eſſet, homines eo ut plurimum vocari cognomine, quod ultimo loco poneretur, & maxime proprium cenſebatur, ut doctiſſime docuit ad Sidonium *Sirmondus*. Quod ſi tamen bona nobiſcum fide agunt codices, quod equidem credere malo, prorſus ſentio hujus poëtae patrem dictum eſſe *Flaccum Setinum*. Sic olim *Lentulus Caudinus*, & poſtea ſub Nerone *Atticus Veſtinus*

tinus & alii plures. Cauſſas ultimi cognominis indagare non poſſumus, quia de eo nihil memoriae proditum. Variae tamen potuerunt eſſe, ſive quod genus e colonia Setina deduxerit, ſive quid memoratu dignum ibi geſſerit ipſe vel majores ejus, quemadmodum Auguſtus in pueritia *Thurinus* eſt dictus, vel *in memoriam majorum originis, vel quod in regione Thurina, recens eo nato, pater adverſus fugitivos rem proſpere geſſerat*: teſte Suetonio in ejus vita cap. 7. Iſta igitur duo cognomina pater reliquit filio, qui inſuper proprio cognomine, quod male Grammatici *agnomen* vocant, dictus eſt *Balbus*, haud dubio a naturali linguae vitio: plane ſicuti in gente Cornelia *Scipio Naſica Corculum*, & *Scipio Naſica Serapio*, duo priora a parentibus, ultimum a populo acceperunt. Cicero in Bruto cap. 20. *P. Scipio Naſica, qui Corculum eſt appellatus. Metellus Pius* etiam utrumque ad filium adoptivum Scipionem tranſtulit, ut patet ex SCto apud Cicer. VIII. famil. ep. 8. Simillimus vero eſt nominibus ipſis, & tempore propior Valerio noſtro *L. Norbanus Flaccus Balbus*, frater *C. Norbani Flacci*, Conſul A. U. 772. quem itidem priora habuiſſe a patre haereditaria apparet, ultimum vero ſibi proprie inpoſitum eadem forte de cauſſa, qua Valerio Flacco. Dicet quis forſan cognomina, a regionibus aut oppidis, non ſolere ad filios tranſire. Fateor equidem ſtante Rep. rarius id factum, ſed nunquam id accidiſſe affirmari minime poteſt. Multi *Fidenates* in gente Servilia, *Regillenſes* in Poſtumia, *Medullini* in Furia, *Camerini* in Sulpicia, & quod notiſſimum eſt, *Meſſallae* in Valeria fuerunt. At vero everſa Rep. ſub primis jam imperatoribus, ubi vanitas hominum multitudine cognominum gaudere coepit, etiam talia a patribus relicta ſtudioſe receperunt, praeſertim ſi aliquid majorum decus praeferrent. *Q. Metellus Creticus Silanus*, *Cretici* nomen a patre adoptivo & ille a majoribus ſuis habuit. Imo nomina potentum ab adoptione formata, qualia *Aemilianus*, *Servilianus* in Reip. temporibus nunquam filiis eorum tribuuntur, tamen imperante Nerone invenio *A. Licinium Nervam Conſulem* A. U. 818. in marmore nominari, *Silianum*, ut & a Phlegonte, cum tamen non ipſe, ſed pater ipſius e gente Silia in Liciniam adoptatus, ac antiquo more *Silianus* ſit vocatus: Ita nihil obſtare puto, quo minus, etiam Valerius noſter a patre ſit cognominatus *Flaccus Setinus*, quibus deinde *Balbi* cognomen adjunctum fuerit, quia forte in pueritia vere fuiſſet balbus; praecipue vero ſe appellaſſe *Flaccum*, & ab aliis in communi ſermone ita eſſe appellatum crediderim, quoniam hoc erat in iſta familia maxime illuſtre & antiquum nomen. *Petronius* vero cum *Afranius* vocatur, vix dubito illud eſſe corruptum. Nam ante illius aetatem duplici nomine gentilicio homines non eſſe uſos certum mihi eſt: niſi quod illo ipſo tempore frequentari coepit, ut adoptati antiquum gentis nomen nulla parte mutatum retinerent, & ſimul novum adſciſcerent, verum tamen utrumque ſemper ponebatur ante cognomen. Sic in lapide *T. Ruſtius Nummius Gallus* Coſ. ſuffectus An. U. 779. Sic Senecae frater a Gallione adoptatus, *Junius Annaeus Gallio*, & Plinius junior ab avunculo itidem adoptatus *C. Plinius Cornelius Secundus* dictus eſt: plura paſſim in inſcriptionibus ſunt exempla. Debuit ergo Petronius vocari, aut *C. Petronius A-*

fra-

franius Arbiter, aut quod verius reor, *C. Petr. Arbiter Afranianus.* Frequentiſſimum enim eſt hoc generis mendae in vett. monumentis. A. Lic. Nervam patrem & filium, de quibus ſupra egi, certiſſimum eſt dictos eſſe *Silianos*, patrem enim P. Silii fuiſſe filium, & ab A. Nerva adoptatum planiſſume exponit Vellejus, filius vero in inſcriptione manifeſte nominatur *Silianus*, & a Phlegonte licet corrupte Ζιλανιανός. Uterque nihilominus in omnibus edd. Taciti corrupte vocatur *Silius Nerva*, pro *Silianus*, nec tantum in IV. Ann. cap. 68. quem unicus codex ſervavit, ſed & XV. cap. 48. Ita apud Plut. in Camillo *Coſſus Licinius* pro *Licinianus*, qui primus eſt, quem adoptatum didici ex nominis mutatione. Sic & *Fabius Rullianus* a pleriſque modo *Rullus*, modo *Rutilius* appellatur. Imo & Auguſtum Florus aliquoties vocat *Octavium Caeſarem*, haud dubie male; niſi ex ſui ſeculi more ita ſcripſerit, quaſi exiſtimaret appellatum eſſe promiſcue vel *Octavianum*, vel *C. Julium Octavium* Caeſarem, quod tamen eum ſenſiſſe mihi non ſit verſimile. Facilis vero lapſus fuit in τῷ *Afranianus* omiſſione litterarum AN, quia jam in eodem vocabulo praeceſſerant & ingrata auribus accidebat earum repetitio. Frequentiſſimae autem fuere illis temporibus hae cognominum formae non ab adoptione tantum, ſed & a materno genere. Veſpaſianus ita a matre Veſpaſia, Domitianus a Domitilla cognominatus fuit. Quin duo fratres filii Scriboniae & M. Licinii Craſſi Frugi *Calpurnius Piſo Licinianus*, ab adoptione, alter *Licinius Craſſus Scribonianus* a matre appellati ſunt, eadem quidem nominum forma, ſed diverſis de cauſſis. *Afranianus* etiam vocatur quidam P. Ligarius in Bell. Africano cap. 64. De his conjecturis ſi, quid ſentias, exponere non fueris gravatus, gratiſſimum mihi feceris. Vale, Vir Summe, meque ama: feſtinante manu Daventriae a. d. VII. Kal. April. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA XXII.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

SPes nobis non ita nuper facta eſt, ab amicis fore, ut in clientelam Aſperenae domus tranſires, *Jacobe Perizoni*, praeſtantiſſime. Sed falſos nos fuiſſe exſpectationis, nec conditionem votis tuis ſat reſpondiſſe, inde colligo, quod altum nunc ea de re inter omnes eſt ſilentium. Salmaſianam diſſertationem Arnobio praefigendam, cum reliquis ejuſdem poſtumis parum abeſt, quin Divione conſervari opinor apud VV. CLL. *Lantinum* & *Marium*, quando in ſcriniis Gronovianis non occurrit. Nam a *Marquardo* Gudio, ſi ad illum pervenit, aegre eam impetrabis, qui cum Batavis omnibus, ex quo luculenta diſcipuli ſui haereditate eſt auctus, omne litterarum commercium penitus abrupit. *Afranii* nomen in membranis Petronii eſſe mutandum in *Afraniani* & ego pridem ſum ſuſpicatus. De *Setino Balbo* rebar id nomen fuiſſe non neminis; qui cum Argonauticôn Valerii Flacci poëma poſſideret, nomen id ſuum fronti volu-

voluminis adjecerit, quod poſtea ab imperitis librariis *Flacci* nominibus ſit adjectum, quaſi is *Setinus Balbus* eſſet dictus. Conſultus ea de re aliquando per me doctiſſimus *Reineſius* reſpondit erudite, ut ſolebat, ſed quae mihi non omnino ſe probarent tamen. Tuas conjecturas veriores duco. Vale, Perizoni doctiſſime, meque in tuis numerare, quod facis, perge. Hagae Comit. XVII. Mai. Gregor. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA XXIII.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

JAmdiu equidem veritus ſum, litteris meis tibi forſitan moleſtior eſſe, quandoquidem nihil habebam, quod ſcriberem niſi de ſtudiis noſtris, de quibus alienum videbatur tibi obſtrepere, dum illic negotiis tuis cum Rep. expediendis operam dares. Verum tamen non potui profecto longius mihi jam imperare ſilentium & amplius ceſſare in officio mihi exoptato & honorifico, vel maxime quia unus fere es in his terris, qui conatus ac labores eorum, qui ſe quoque aliquantulum humo tollere geſtiunt, promovere ac ſedulo juvare & potes & vis. Nam communis amicus noſter *Joh. G. Graevius*, cujus eruditionem ſummam & prolixum ſtudium, ac benigniſſimam in omni genere humanitatis & officii voluntatem nemo bonus jure deſideraverit; in ſcribendo tamen aridior mihi fere eſt omni pumice, ex quo citius ego aquam exprimam, quam ab illo litteras extorqueam. Quod quidem eo magis dolendum mihi eſt, quo plura occurrunt in hoc tam perplexo & diffuſo argumento, quod explicandum ſuſcepi, quae ab aliis praeterita ſunt, & quibus omnibus accurate pertractandis in tanta codicum corruptione vix unus homo, quantumvis doctus, ſufficiat, nedum ego. Luctor tamen quotidie diligentiſſime, & quantum poteſt has difficultates aſſidua lectione & meditatione ſuperare ſumma ope contendo. Caeterum excellentiſſime Heinſi (nam ad tuam vel memoriam vel bibliothecam utramque inſtructiſſimam confugere nunc volui) meminiſtin' unquam legiſſe te apud ullum veterum haec verba: *Habet enim praenomen neſcio quid virilitatis & dignitatis*. Laudat ea *Onufr. Panvinius* in Tractatu de Nominibus pag. 59. & quidem ut ait ex Cicer. Epiſt. Famil. in quibus tamen ea non comparere quovis pignore contendere auſim. Immo nec uſquam in Cicerone legiſſe ſcio, neque *Nizolius* vocem *virilitatis* agnoſcit, neque in *praenomine* quicquam ejus adfert. Ne vero exiſtimes, inepte me de his tam paucis verbis, adeo ſollicitum eſſe, ſcito pleroſque poſt *Onufrium* ex iis elicere ſententias, quae mihi neceſſario vel refutatione, vel ſaltem prolixa diſputatione ſunt proſequendae. Nempe *Onufrius* & *P. Servius* Medicus Romanus conficere inde conantur, non niſi viros habuiſſe praenomina, pueros vero iis plane caruiſſe ante ſumptam virilem togam. *Joſ. Caſtalio* quamvis fateatur ſe ignorare ubi haec verba legantur. *Onufrii* tamen teſtimonio credens ex iis concludit, ut didici ex *P. Servio*,

praenomina non fuiſſe communicata cum faeminis. Quorum prius manifeſto falſum eſſe conſtat non modo ex iis, qui aperte tradunt luſtrico die infantibus nomen, hoc eſt praenomen, quod ſingulis erat proprium, imponi, ſed & ex Suet. Calig. cap. 8 ubi litterae recitantur Auguſti, in quibus ab eo Caligula puer *Cajus* dicitur, qui mortuo Auguſto vix tertium attigerat annum. Eodemque capite frater ei fuiſſe dicitur, qui infans raptus ſit, itidem *Cajus* dictus. Cicero quoque in Epiſt. ad Q. Frat. & ad Attic. fratris ſui filium appellat *Quintum*, diu ante virilem togam, quod male negant viri doctiſſimi. Vide ſis, ſi tanti eſt, l. II. ad Q. Fratr. ep. 4. & 5. vel, ſecundum Gruter. ep. 6. quae litterae ſcriptae ſunt diu ante Ciceronis exilium, cum Quintus filius longe poſtea proximo ante civile bellum anno demum in viros ſit adſcriptus, ut docetur in epiſt. ad Attic. l. V. ep. 20. & l. VI. ep. I. quo utroque inſuper in loco ita etiam loquitur Cicero, Quintum jam fuiſſe appellatum, antequam togam virilem haberet. De faeminis longior foret diſputatio, quam ut eam epiſtola caperet. Certum tamen eſt, ut breviter meam exponam ſententiam, antiquiſſimis temporibus praenomina habuiſſe. Fuerunt enim Acca Larentia, Cajae Caecilia & Taratia, Lucia Volumnia. Poſtea vero haec talia in deſuetudinem abiere, aeque ac in viris plurima antiqua praenomina, *Mettus*, *Hoſtus*, *Atus*, *Tullus*, *Lar*, *Denter* &c. Retinuerunt mulierculae praecipue ea, quae a numero tracta ſunt, *Tertia*, *Quarta*, *Quinta*, *Septima*, *Poſtuma*. Haec enim vera fuerunt praenomina, non ſimplices appellationes, quibus tantum ordo naſcendi ſignificetur, ut volunt fere omnes. Hoc enim ſi verum foret, *Primae* & *Secundae* non minus invenirentur, quam *Tertiae*. Nec enim ſine illis, quae tamen nuſquam apparent, *Tertia* poteſt ſtatui. Imo pleraſque hoc nomine inveni non habuiſſe duas majores natu ſorores. Ut de *Aemiliis* tantum agam: L. Aemilius, qui Perſen vicit, duas habuit filias, quarum altera Tuberoni, altera Catoni nupſit. Haec *Tertia* appellatur a Cicerone, Val. Max. & Plutarcho, non quod ordine tertia eſſet, ſed haud dubie quod amitam haberet eodem nomine Scipionis uxorem, quae ſimiliter *Tertia Aemilia* appellatur a Val Max. VI. 7. I. Non nego equidem haec nomina primum eſſe inventa & inpoſita faeminis ab ordine naſcendi, ſed poſtea promiſcue eſſe uſurpata, etiam in primogenitis, atque ita *Tertiam*, *Quartam*, *Quintam* praecipue invaluiſſe cenſeo, aeque ac in viris *Quintus*, *Sextus*, *Decimus*, quae tamen ſimiliter, ſi originem eorum quoque repetere altius volumus, haud dubie primum data ſunt infantibus, qui eo ordine eſſent nati, licet poſtea *Decimi* ſaepiſſime appellati ſint, qui vel maximi natu erant, vel unici erant. Accedit quod Graeci non dicunt τρίτην, ut haud dubie facerent, ſi ſimplex eſſet aetatis deſcriptio, ſed τερτίαν, κοίνταν, certiſſimo, ni fallor, argumento, vera haec eſſe faeminarum nomina, non minus quam *Quintus*, *Sextus* &c. virorum. Sed quid multa? confirmat aperte hanc ſententiam Varro lib. 8. cap. VIII. ubi aperte talia vocat *praenomina*. & ſimilia facit virorum, *Quinto*, *Sexto* &c. Plerique tamen hactenus aliter docuere *Robortellus*, *Onufrius*, *Urſinus*, *Auguſtinus*; quanta nomina? Tandem vero extremis Reip. temporibus, & praeſertim ſub imperatoribus coeperunt mulieres prae-

nomi-

nomina plane omittere, eorumque loco adſciſcere primo cognomina paterna, eae praeſertim, quae unicae ſuis parentibus, vel natu maximae erant, ut *Aurerelia Oreſtilla*, *Livia Druſilla*, deinceps vero ab aliis quibuſcunque faeminis propinquis earum ſive nomen gentilicium ſive cognomen mutuari, quod ipſis tamen in infantia imponebatur, & proprium erat nomen, adeoque praenomini, cui ſucceſſerat, per omnia ſimile, niſi quod gentilicio nomini poſtponeretur. Agrippa filiam ſuam ex Pomponia appellavit *Agrippinam*, ex Julia vero alteram itidem *Agrippinam*, alteram *Juliam*. Germanicus Caeſar tres habuit filias nomine gentilicio omnes *Julias*, ſed proprio nomine *Agrippinam*, *Liviam*, *Druſillam*, primam a matre earum, reliquas a proavia Livia Druſilla ita dictas. Similiter Claudius imperator filiarum alteram appellavit *Antoniam* a matre ſua, alteram *Octaviam* ab Auguſti ſorore. Hinc eſt, quod Plutarchus in Mario ipſo initio obſervat, nulli foeminae praenomen imponi οὐδεμιᾷ γὰρ, inquit, γυναικὶ τίθεται τῶν ὀνομάτων τὸ πρῶτον. Qui locus vehementer torſit doctiſſ. *Sigonium*. Sed omnino Plutarchus ſuorum temporum reſpectu haec ſcripſit, quibus haec conſuetudo jam prorſus invaluerat, licet male eo utatur argumento ad refutandam Poſidonii de maxime proprio nomine ſententiam, cujus tempore nondum omnes faeminae praenomine carebant. Jam vero ſolis prope lapidibus hîc inter ſe dimicant *Joſ. Caſtalio* & *P. Servius*. Ille plurimos adferre poteſt, (ut facere eum credo; nam nondum legi) in quibus viris praenomen tribuitur, faeminis nullum. Contra *Servius* non paucos etiam illis praenomina *Cajae*, *Luciae*, *Publiae*, adſcribere oſtendit. Sed tamen, ut verum fatear, non potui in ejus ſententiam pedibus concedere. Omnis enim fere lis eſt, de aurea illa, Ciceronis & Auguſti aetate, qua pauciſſima habemus antiquiora monumenta, in quibus faeminae nomen appareat. Caeterum illo tempore *Cajas*, *Lucias*, *Publias*, &c. Romae nullas amplius fuiſſe manifeſto patet ex Varrone lib. VIII. Quintiliano & Feſto voce *praenominibus*, qui omnes de his ita ſcribunt, ut quae uſurpata tantum fuerunt antiquiſſimis temporibus. Sentio itaque pleroſque illos lapides vel nonnunquam male exponi, ut jam aliquoties animadverti, vel non in ipſa urbe Romane, ſed in oppidis ab Italicis hominibus eſſe poſitos. Nec enim abſurdum eſſe puto, alibi in Italia diutius antiquam aliquam obtinuiſſe conſuetudinem, quam Romae, quandoquidem etiam ſuperiori tempore viri diverſa plane a Romanis, vel parum iis uſitata habuerunt praenomina. *Herennos*, *Cerrinos*: *Sthenios*, *Vibos*, *Antrones*, *Petrones* & ſimilia. Nemo certe, qui clariſſima illa Plutarchi verba conſideraverit, quem utique exiſtimandum eſt ſui ſaltem temporis conſuetudinem non ignoraſſe, lapides iſtos de Romanis & quidem illuſtribus, ut vult *P. Servius*, faeminis interpretari poterit. Vides, vir Nobiliſſime, quam difficiles explicatus habeat haec de faeminarum nominibus quaeſtio. Vides quae mea ſit ſententia, quam te examinare, ſi vacat & tanti eſt, magno opere velim. Vides etiam non de nihilo ſollicitum me eſſe de verbis illis, quae *Onufrius* adfert, in quo licet certo ſciam eum eſſe lapſum, diſcere tamen majorem in modum cupio, unde ea hauſerit, ſi ullo modo fieri queat. Nec enim ea finxiſſe virum illum reor, praeſertim cum nul-

nullum valde efficax argumentum ad ejus ſententiam confirmandam inde elici poſſit. Credidi aliquando legiſſe haec eum forſan in commentario aliquo ad Cicer. Epiſt. ad Famil. l. VII. epiſt. penultimam; ubi Cicero ipſo initio ait. *Quod ſine praenomine familiariter ad me, ut debebas, ſcripſiſti.* Ad quae forte commentator aliquis paulo antiquior (Nam in *Manutio* non comparent) annotaverit: *Habet enim praenomen neſcio quid virilitatis & dignitatis.* Quod ſi vel uſquam legiſſe te ea memineris, vel ſi quos id genus commentarios habes, quos *Onufrius* videre potuit, ſi forte ad dictum Ciceronis locum haec annotata ſint, quaeſo te etiam atque etiam illud docere me ne graveris. Adſperge his amabo, ſi quid obſervaſti de *Lucio* illo *Julio Calidio* vel *Calido*, quem quum tanto cum encomio Corn. Nepos in Attico cap. 12. celebrat, ut quem multo elegantiſſimum Poëtam poſt Lucretii Catullique mortem ſuam tuliſſe aetatem vere poſſit contendere, mirum profecto eſt & indignum, nos adeo ignorare, cum illius temporis vates fere omnes nominent Ovidius, Vellejus, & Quintilianus. Nihil tamen de illo affert *Voſſius*, niſi hunc Nepotis locum, in quo in pleriſque edd. ſcribitur *Calidius*, ſed haud dubie male, quoniam certum eſt, in libera Rep. Romanos nunquam duo habuiſſe gentilicia nomina. Ne quid amplius addam, longior jam quam vellem, facit epiſtola. Itaque te plurimum ſalvere jubeo, meque tui amantiſſimum, mutuo amore proſequi oro & obſecro. Vale, ô & praeſidium & dulce decus meum. Datae Daventriae a.d. v. Kal. Novemb. CIƆIƆCLXXVII. Has cum jam exaraſſem, commodum adfertur a *Graevio* noſtro epiſtola, amorem mei, de quo nunquam dubitavi, planiſſime ſignificans. Nunciat vir optimus Hebreae linguae Profeſſorem Franekerae deceſſiſſe, meque exhortatur, ut inter Candidatos ejus loci nomen meum profitear: tuum erga me animum cum perſpectiſſimum habeam, non onerabo multis precibus pudorem tuum, ne quid, quod intra tuam dignitatem ſit, poſtulare videar. Si tamen apud quenquam illic vel auctoritate, vel gratia vales, deſideriis meis favere & adjutor ut eſſe velis majorem in modum te oro atque obſecro. Ego ne ſemper & commendatione & amore tuo dignum praeſtabo. Vale, iterum, vir ſumme, meque tibi commendatiſſimum habe.

EPISTOLA XXIV.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

Litterae tuae cum ſemper mihi ſunt acceptiſſimae, mi Perizoni, tum prae ceteris illae, quae egregium aliquod eruditionis rarae ſpecimen prae ſe ferunt. Quales ultimae tuae, in quibus copioſum in modum de Romanorum nominibus agis, quae ut, quod res eſt, dicam, mirificum in modum mihi placuerunt, ut magis magiſque incendatur ſitis illa, qua flagro jampridem videndi in publico omnium manibus tritum commentarium hunc tuum. Ad ſingula enim ne nunc curatius reſcribam valetudo facit, nullo magis nomine incom-

moda, quam quod per hanc non licet apud amicos, quorum tu inter primos, officio defungi. De Cathedra Hebraicarum litterarum apud Franekeranos vacante nuper jam mecum egerat tuam in rem *Graevius* noſter; cum nuntius adfertur improviſus, ac plane ingratus mihi, jam alteri deſtinatam, imo oblatam eſſe hanc profeſſionem. Tu vero macte virtute eſto, neque enim meritis tuis honos debitus non haberi poterit, quem tanto majorem putabo, quanto magis maturabitur. Vale, mi Perizoni. Hagae Kal. Decemb. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA XXV.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Vianam te in litterarium otium jam ſeceſſiſſe intellexi, Nobiliſſime Heinſi, de quo & tibi gratulor & communibus ſtudiis, quorum maximo bono factum id eſſe exploratum habeo, ſi mollem modo & longam ſenectutem commodamque valetudinem tibi largiatur ille, in cujus ea res eſt manu, Deus Opt. Max. quod ex animi mei ſententia precari me, & optare vehementiſſime vere dico. Utinam poſſes nunc caeteros quoque Poëtas membranarum, quas olim magno haud dubie cum labore contuliſti, & excellentiſſimi ingenii ope, priſtino nitori reſtituere, curaſque tuas & cogitationes cedro digniſſimas ſuper eiſdem, dum ſuperes, nobiſcum communicare, ne ea aliquando (quod abominor) tecum intereant: praeſertim quandoquidem vix credibile eſt in tanto, qui nunc omnia obtinet, liberalium artium contemtu, & vere doctorum hominum penuria, quenquam poſt te exoriturum, qui ea poſſit praeſtare, quae a ſumma eruditione tua, certiſſimo judicio praeclaro ingenio, & diutino ſtudio exſpectare debemus. *Joſephi Caſtalionis* diſputationes de faeminarum & puerorum praenominibus, ſi forte invenire nunc poteris, brevi tempore uſui meo concedas rogo. Commode & ſine periculo, ſi ad *Graevium* noſtrum miſeris, Trajecto ad me curari poſſunt. Ego recte libello utar, & brevi cum debita gratiarum actione reſtituam. Groningae mortuo dudum *Tobia Andreae* Graec. Litter. Profeſſore, jam quoque Clar. *Pelſius*, qui veteres docebat Hiſtorias, Academiae valere dixit & Reip. adminiſtrationi ſe dedit. De ſucceſſore incerta quidem adhuc res eſt propter haec tempora, ſed tamen a multis jam commendantur digni ad ſpartam hanc ornandam. *Joh. Menſinga* Eloquentiae Doctor publicus me ſibi collegam praecipue expetit, rebuſque meis conſultiſſimum fore ſignificat, ſi quis in his ſtudiis magni nominis, multaeque auctoritatis nonnullos e Groninganis Proceribus ad ſucceſſorem deſignandum exhortaretur, meque in eam rem commendaret, & nominatim ſi Ampliſſ. *Iſebrandio* Senatori civitatis iſtius, quem multum in hac re valere mihi narrat, quam maxime ornatum me traderet Celeberr. *Graevius* noſter. Audeone & tui de me judicii teſtimonium rogare, Excellentiſſime Heinſi, ſi forte illic habeas, ad quos commode dare poſſis. Etenim dum nimis anxie forſan curas meas de Romanorum nomi-

nominibus ab initiis urbis ad Conſtantinorum uſque tempora perducturus elimo, atque ea ratione diutius premo, reveritus magis judicia & aequalium meorum & praecipue poſterorum, quam qui nunc ſaepe nimis hercle temere & negligenter ingenii ſui foetus extrudunt & effundunt, obſcurus vivo & ignotus multis, qui alios ſaepe ex numero & magnitudine editorum librorum magis, quam vera eruditione aeſtimant, ita fit, ut dum hactenus ea parte mihi defui, qua aliquid famae nomini quoque meo circumdarem, confugiendum mihi neceſſario ſit in ejuſmodi negotio ad illorum, qui inſigni doctrinae gloria, & maximis in rem litterariam meritis celebres ſunt, commendationem. Nolo tamen apud te verecundiae fines tranſire, & impudenti oratione rogare quidquam, quod minus forſan te deceret, quem pro incredibili in me ſtudio & ſumma animi bonitate multis documentis mihi jam perſpecta, certo ſcio etiam ultro, quo majoribus vinculis nomini & meritis tuis devinctum me tenes, rationibus meis, ſi quando facultas dabitur, conſulturum. Ea propter haec tantum ſignificanda tibi duxi, ut ſi quos illic virtutis tuae admiratores, & aliqua ſimul familiaritate tibi conjunctos habes, eos mihi conciliare, meque ex illa amoris tui abundantia honorificentiſſimo tuo teſtimonio ornare velis & poſſis. Ego me ſemper & ſummis tuis laudibus, & maximis beneficiis dignum praeſtabo. Majore nunquam fui in ſpe, quia plurimi iſtic ſunt, qui optime mihi volunt, ut ſi nunc quoque nihil obtineam, ad deſperationem me fere adactura ſint haec tempora, quibus nullum ſtudiis noſtris eſt pretium. Vale, vir Nobiliſſime, meque tibi commendatiſſimum habe. Daventriae prid. id. Mart. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA XXVI.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

POſt acceptas tuas, quas Martio menſe exaraſti, frequens admodum de te mihi ſermo fuit, ut ſolet, cum optimo *Graevio* in noſtris congreſſibus, quem etiam rogaveram, ut ſilentium meum apud te excuſaret pro virili ac benigne interpretaretur, qui teſtis eſſet oculatus quam dejectas experirer vires. Neque tamen ſubterfugerem ego vel ſic labores quoſcumque ſive ſcribendi, ſive excurrendi extra urbem hanc tuae in ſpem gratiae, quanquam ut res proprias curem Hagana in aula, quas illic habeo conficiendas, a valetudine non poſſum impetrare: horum, inquam, nihil detrectarem, ſi quem vel minimum ſucceſſum mihi ſponderem ab hoc conatu. Virum illum, quem tu mei ſtudioſiſſimum reris, & quîcum multum mihi uſus fuit & neceſſitudinis in exteris, bis jam ante aut ter in cauſſa non diſſimili per litteras compellavi, addita amicorum meorum acri ac calida commendatione, quibus litteris cum neque is unquam reſcripſerit, neque quod petebam dederit effectum, multo minus excuſarit aut ſilentium aut eventum rei pro mea exſpectatione minime ſucceden-

dentis, quando coram congreſſi ſumus, facile intellexi, aut preces meas nihil apud illum poſſe, aut illum pudore ſuffuſum, quod nihil meam in rem poſſet, cum plena ſimultatum ac factionum omnia perſtrepent in ea civitate. Quare interdixi mihi ex illo litteris omnibus ad illum ſcribendis, ne aut ejus pudorem onerarem, aut meum. Hoc ex *Graevio* noſtro cognoſſe jam potueris, ſi promiſſis ille ſtetit. Vale, Vianae. Julii CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA XXVII.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Accepi nuper ab Ampliſſimo *Cupero*, ſed tuo munere, Vellejum Paterculum, & ipſum tui jam plane muneris ſcriptorem. Ita enim eum, quaſi ex ſervitute in libertatem vindicaſſes, & ſitu & ſqualore, quo oppreſſus adhuc jacebat, ereptum, in clariſſimam, quoad ejus fieri potuit, lucem divino tuo ingenio, & ad praeſtantiſſimam hanc ſtudiorum partem unice quaſi nato & facto, pulcherrime reſtituiſti. Quo magis merito tuo debere me tibi profiteor, qui emendando eloquentiſſimo Auctore, quem ego certe inprimis ſemper amavi, & plurimas illi detergendo maculas, quas vere ſtudiorum noſtrorum moras, nodos & ſcopulos appellem, & nos omnes publice tibi majorem in modum obligaſti, & me privatim tam ſpecioſo praeclari doni honore adfeciſti, eoque ipſo magnum iterum tuae erga me benevolentiae documentum dediſti. Caeterum perluſtravi ſtudioſiſſime, ſimul accepi, tuas caſtigationes & deprehendi in iis nonnulla a te emaculata, quae & ego tentaveram partim eodem modo, de quo impenſe mihi gratulabar, partim diverſa conjectura, ſed quae ad tuam mihi ipſi jam prorſus ſordebat, quamque proinde ex Adverſariis meis tanquam immaturum foetum abjiciebam. Inveni tamen etiam, ut candide, non callide agam, de quibus in contrariam plane ſententiam jam olim conceſſeram, quod quoniam brevi ad Livium publice a me ſignificatum forſan videbis, indicare illud jam nunc volui, inque eam rem exemplum obſervationis meae, quam cum multis aliis ante annum ferme *Jac. Gronovio* dedi, ad hanc epiſtolam addidi, ne me poſtea perverſa a viris immane quantum me doctioribus diſſentiendi libidine id nunc arripuiſſe exiſtimes. Quaedam item vidi me & meos conatus in aliis ſcriptoribus mirum modum confirmantia, quorum unum, ad inſtitutum meum maxime pertinens, examinandum nunc tibi, niſi nevis, dabo. Nempe ſicuti eleganter Vellejum ſibi reſtituis lib. II. cap. 99. *Lucius item, jam maturus eſſet curis*, ſimiliter fere ego jam dudum Aſconium Pedianum emaculare tentavi in prooem. Actionis in Verrem, ubi ait: *Moris fuit, ut quum aliquis civis Romanus oſtendendus eſſet, ſignificaretur aut a praenomine ſuo, aut a cognomine, au a cognatione, aut a tribu, in qua cenſeretur, aut a curia, aut a cenſu, ut ſi erat Senator Equeſve Romanus.* Primum ex his verbis colligi poſſe videtur, ejus aetatis Romanos ignoraſſe plane vocabulum *agnominis*

quod

quod & multis aliis argumentis, non niſi diu poſt a Grammaticis inventum & ab his ſolis uſurpatum eſſe exiſtimo In nullo certe cujuſcunque argumenti ſcriptore vetere ante Juſtiniani aetatem reperi; niſi quod *Salmaſius* ὁ πάνυ ad Hiſtoriam Auguſtam ex duobus vocabulis *ad nomina* unum hoc effingere voluit, nulla plane neceſſitate ſubactus. Contra te ex Ovidio ſummo jure ejeciſſe, & alios ex Cicerone ſuo; quod item faciendum in Codice ac Inſtitutionibus Juſtinianeis, cum doctiſſimis JCtis cenſeo. Si quae tamen praeter haec loca obſervaveris, ubi ea vox appareat, de eo me admoneas obnixe te rogo, immo & ſi in antiquioribus paulo Grammaticis reperis. Nam neque Macrobius, licet ſaepiſſime uſus veniret, unquam eam vocem adhibuit, ſed more veterum ſemper pro eo *cognomen*, & *cognomentum* uſurpavit: deinde male, mea quidem ſententia, τὸ *a cognatione Sigonius* & *Onufrius* exponunt de praenomine patris & avi, ut quum quis dicitur, Publii Fil. Marci Nepos. Verum *cognatio* non ſignificat majores vel minores, ſed conſanguineos, & propinquos ex uno genere originem ducentes, atque ita deinceps omnem familiam & gentem. Cicero de Finibus *L. Cicero frater noſter cognatione patruelis, amore germanus.* Juſtinus XLII. 3. 4. *Fiducia cognationis* de fratribus. Cic. III. de offic. *Cognationem Superbi, nomenque Tarquinii eſſe delendum.* Omnino igitur exiſtimo voluiſſe Pedianum hoc loco ſignificare id vocabulum, quod iis, qui per adoptationem in alienam ſunt tranſlati gentem, additur, ut Aemilianus, Octavianus &c. quod revera non tam cognomen fuit, quam mera deſcriptio, declarans ex qua familia & cognatione homo ille eſſet oriundus: quapropter etiam libera Rep. nunquam fuit haereditarium, aut ad filios, ſicuti caetera cognomina, tranſiit. Nec enim reperitur niſi unus Fabius Aemilianus & Servilianus, Livius Aemilianus & Claudianus, Caeſar Octavianus &c. Sed quod nunc praecipue te volebam, atque alii praetereunt, quando quaeſo, te, Eruditiſſime Heinſi, vidiſti civem Romanum deſcribi a curiis aeque ac a tribubus; quod ſi fieri ſolitum fuiſſet, notiora certe nunc nobis earum forent nomina, quorum pauciſſima quod ignoramus, Feſto debemus; ſed quis tamen unquam *Tifatae*, *Raptae*, *Vellitiae*, *Foienſis* nomina ad hominem Romanum oſtendendum adhiberi in libris, vel lapidibus animadvertit? Ea propter malui ſemper legere *a cura.* Etenim ut ait ſignificare homines a cenſu, ut ſi eſſent Equites vel Senatores, ita etiam deſignari ſolebant a cura, h. e. arte & profeſſione, cum privata, ut ſi eſſent Grammatici, Poëtae &c. tum praecipue publica h. e. honoribus, ſi forte Conſules, Cenſores, Praetores, Pontifices, Augures, &c. eſſent. Talia enim addi ſolere ex libris & lapidibus conſtat. Hinc Tiro Tullius apud Gellium l. x. cap. I. *Quum Pompejus aedem Victoriae dedicaturus foret, nomenque & honores inſcriberentur.* Plinius l. III. Epiſt. 6. *Jube baſim fieri, quae nomen meum honoreſque capiat.* Auſonius Epitaph. car. 38.

Non nomen, non quo genitus, non unde, QUID EGI.
Mutus in aeternum ſum cinis, oſſa, nihil.

Inde eſt, quod *M. Porcius Cato Cenſorius* in marmoribus & codicibus diſtinguendi ejus gratia a caeteris ejuſdem familiae, qui iiſdem uſi nominibus, appellatur.

latur. Et in ipſis Faſtorum Capitol. Fragmentis, in quibus caeteroqui ſola ſcribuntur nomina, A. U. C. 762. *C. Junius C. F. M. N. Silanus Flam. Mart.* & *Ser. Cornelius Cn. F. Cn. N. Lentul. Malug. Flam. Dial. Curae* vocem praeter loca a te allata eodem modo uſurpavit Tacitus IV. Hiſtor. cap. 61. *Praetorianis praepoſuit, patrem ejus ſub Cajo Caeſare egregie functum ea cura dictitans.* Inſcriptionem, quam adfers ad cap. 88. Velleji l. II. vehementer te rogo me doceas, an ipſe oculis tuis videris, ac Caeciliam Metellam Q. Cretici filiam Craſſi uxorem Quintae praenomine, quod ei tribuis, ornari in ea obſervaveris, an forte littera Q. praemiſſa σφάλμα ſit Typographicum; quod in corrigendis te fugerit. Etenim non modo *Gruterus*, ſed & *Anton. Auguſtinus* in dial. x. *Ful. Urſinus* ad Caeciliam gentem, *Onufr. Panvinius* ad Faſtos An. U. C. 685. & *P. Servius* Juvenil. Feriar. cap. 6. pag. 110. praenomen mulieris omittunt, licet *P.* ille *Servius* foeminas praenomina habuiſſe maxime probare ſtuduerit. Mihi ſane eo magis erit notabilis, quod nullam adhuc reperi foeminam liberae Reip. tempore, praenomine, nomine, & cognomine inſignitam. Nec dubito tamen ejusmodi praenomen hanc ipſam habuiſſe, ſed rariſſime eo illuſtres foeminae in publico appellabantur, praeſertim quum jam matrimonium iniiſſent, & viri nomine ſuo nomini addito ſatis cognoſci poſſent, ut Marcia Catonis, Terentia Ciceronis, Julia Pompeji, Pompeja Caeſaris, Livia Auguſti, Antonia Druſi, &c. Quamobrem, quoniam unus mihi es πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων iterum te quaeſo, doce me quid ejus ſit, utrum addi, an expungi debeat Metellae praenomen. Quod ſi quas praeterea Gruteriani habes operis emendationes, & eas mecum communicare non gravaberis, magnas me tibi habiturum gratias ſcito. Spem noſtram cathedrae Groninganae morantur nondum exſtinctae penitus diſſenſiones inter Proceres iſtius civitatis. Ommelandi enim exulcerato adhuc ex priore diſcidio animo nihildum de re Academica in communi concilio audire voluerunt. Sunt tamen in iis, qui, ut reor, in petitione iſta mihi ſtudebunt, quando iterum cum urbanis conſentientes Lyceo ſuo conſultum volent. Plurimum vero inter illos poteſt Ampl. *Piccartus*, quem ſi deſideriis noſtris faventem haberemus, vix ulla amplius uterer ambitione, quam equidem natura cane pejus & angue odi. Vale, vir Nobiliſſime, & Perizonium tuum amare perſevera. Daventriae poſtridie Nonas Julias CIƆIƆCLXXVIII.

Livius l. XXXVIII. cap. 9. *Ambracienſes prius pacti, ut Aetolorum auxiliares ſine fraude emitteret, aperuerunt portas, dein ut quingenta Euboica darent talenta.* &c. Credas, ut haec vulgantur, omnia ea ſibi pactos eſſe Ambracienſes, ſed praeterquam, quod non eae erant conditiones, quae ab una urbe exigi & praeſtari poſſent, ſatis patet ex ſeqq. has pacis leges Aetolos pepigiſſe, & in eas cum Romanis ipſos, non alios conveniſſe. Statim enim traditur illos ipſos Aetolos, *ut de his ad concilium ſuum referrent petiiſſe*, quo facto omnes *ad unum pacem accipi juſſiſſe*. Tum cap. 10. poſteaquam *approbaſſe pacem concilium Aetolorum accepit Conſul*, eos *Romam proficiſci* juſſit, quo cum adveniſſent, *diu jactati Aetoli* a Senatu tandem, ut hae pacis conditiones confirmarentur, effecerunt cap. 11, ubi eaedem prorſus foederis cum Aetolis leges hoc

capite memoratae, additis inſuper nonnullis, repetuntur, ut nihil certius, quam haec non Ambracienſes, ſed Aetolos eſſe pactos. Nec eſt, ut quis dicat Ambracienſes pro Aetolis apud Conſulem interceſſiſſe, & ut his conditionibus pax illis daretur effeciſſe, cum hoc eis praeſtiterint Athenienſium Rhodiorumque legati, atque Ambracienſes ſe ſuaque Romanis permittere ipſi debuerint, nempe cum utriſque ſimul de pace agebatur. Et *Amynander quidem impigre agebat, ut Ambracienſes ſua oratione ad deditionem compelleret. Aetolos L. Valerius Conſulis frater egregie adjuvit.* Itaque (jam enim ſequuntur, quae emendanda ſuſcepi, atque ita reſtituenda contendo) *Ambracienſes prius pacti ut Aetolorum auxiliares ſine fraude emitterent, aperuerunt portas, dein Aetoli*, (quod excidiſſe videtur) *ut quingenta Euboica darent talenta* &c. Certiſſimam facit conjecturam hanc noſtram Polybius, qui eodem plane modo & ordine haec tradit, ut appareat Livium etiam hîc, ut ſaepe ſolet, accurate eum expreſſiſſe. Inquit ille Excerpt. legat. 28. pag. 1152. 1153. Amſtel. Οἱ μὲν γὰρ Ἀμβρακιῶται πεισθέντες ὑπὸ τοῦ βασιλέως, ἐπέτρεψαν τὰ καθ' αὑτοὺς τῷ στρατηγῷ τῶν Ῥωμαίων, καὶ παρέδωκαν τὴν πόλιν, ἐφ' ᾧ τοὺς Αἰτωλοὺς ὑποσπόνδους ἀπελθεῖν. τοῦτο γὰρ ὑφείλοντο πρῶτον τηροῦντες τὴν πρὸς τοὺς συμμάχους πίστιν. Ὁ δὲ Μάρκος συγκατέθετο τοῖς Αἰτωλοῖς ἐπὶ τούτῳ ποιήσασθαι τὰς διαλύσεις, ὥστε διακόσια μὲν Εὐβοϊκὰ τάλαντα παραχρῆμα λαβεῖν. & quae ſequuntur. Ne vero quem offendat, quod forte librarios decepit Aetolos dici pactos eſſe, ut darent & facerent ea, quae ipſis gravia erant, & non niſi aegre, ac iniquo haud dubie animo praeſtare poterant, ſciendum ita ſaepe loqui veteres. ſupra l. 22. cap. 52. *Pacti ut arma atque equos traderent.* Lib. 31. cap. 45. *Tertio die pacti ipſi praeſidiumque, ut cum ſingulis veſtimentis Delium Boeotiae tranſveherentur.* lib. 38. cap. 13. *Romano tantum militi ut daret frumentum pactum Antiochum Seleucus dicebat.* lib. 42. cap. 62. *VECTIGAL, quantum Philippus PACTUS eſſet, daturum Perſea.* Vellejus 2. 38. *quae cujuſque ductu gens ac natio redacta in formulam provinciae ſtipendia pacta ſit*, ubi male mehercules Magnus Lipſius ſcribi jubet *ſtipendiaria facta ſit*, cum ex adlatis ſatis ſuperque conſtet, etiam victos, immo ſupplices cum victoribus paciſci, quod ille negat, de ſtipendio & caeteris, quae, ſuperbe licet, praeſcribuntur.

EPISTOLA XXVIII.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUum munere tuo accepiſſem nuper emendatum a te pulcherrime Paterculum, Excellentiſſime Heinſi, inque tuis ad eum Animadverſionibus evolvendis ſaepenumero maxima cum admiratione ſagaciſſimi illius tui ingenii ſumma cum eruditione conjuncti, atque exquiſiti prorſus limatiſſimique judicii, quo omnes, qui nunc ſunt, poſt te relinquis, mentem atque oculos tenuiſſem defixos, non ita diu poſt litteras, quibus, quas hoc nomine ingentes ſane tibi debeo, agebam gratias, exaravi, atque ad communem amicum,

cum, tuique ſimilem, id eſt omnibus animi & ingenii virtutibus ornatiſſimum virum *Joh. G. Graevium* miſi. Quoniam vero nunc ex V. Clar. *Th. Munckero* Delphenſi, qui per aliquot dies in hac urbe fuit, didici, *Graevium* noſtrum dudum jam domo afuiſſe, in Germaniam profectum, necdum redditas tibi, quas tunc dederam, litteras credo. Quapropter ne officio meo in tanto benevolentiae argumento defuiſſe videar, debita gratiarum actione per epiſtolam defungi nunc iterum apud te volui, eaque occaſione de nonnullis in Vellejo tuo (nam tuum plane mancipio & nexu reddidiſti, liberatum tot naevis, ereptum ex ſqualore turpiſſimo, & in priſtinum nitorem feliciſſime reſtitutum) tecum agere. Etenim ego a puero ſemper Auctorem hunc in oculis tuli, elegantiamque ejus in primis amavi. Quae tamen nunc proponam, ita a te, vir Nobiliſſime, accipi velim, ut profecta non ab animo docendi aut diſſentiendi, ſed cogitationes meas graviſſimo tuo judicio ſubjiciendi, quo in caſtigando Vellejo paſſim, feliciter atque egregie, mea omniumque bonorum, ut auguror, ſententia, uſus es. Lib. 1. cap. 8. dicit Romulum condidiſſe urbem *adjutum legionibus Latini avi ſui* At vero paulo ante ſatis declaraverat, in eadem, qua caeteri ſunt hiſtorici Romani nominis, & ſe eſſe ſententia, Romuli avum, non Latinum, ſed Numitorem fuiſſe, quum ſcripſit *ultus injurias avi*, qui manifeſte eſt Numitor, a nemine unquam, quod equidem ſcio, dictus *Latinus*. Puto dediſſe Vellejum, *Adjutus legionibus Latinis avi ſui*. Nempe Latini coloni erant Albanorum, & ſubjecti Regibus Albanis, qui ſedem quidem relicto Lavinio Albae fixerant, ſed tamen utpote ſucceſſores Latini, Aeneae & Aſcanii, Latinis imperitabant! Hinc Florus de hoc ipſo tempore l. 1. cap. 1. *Alba tunc erat Latio caput*, ut ante Albam *Lavinium* teſte Dionyſio. Tarquinius quoque apud Liv. 1. cap. 52. imperium in Latinos adfectans ait. *Poſſe quidem ſe vetuſto jure agere, quod quum omnes Latini ab Alba oriundi ſint, in eo foedere teneantur, quo ab Tullo res omnis Albana cum colonis ſuis in Romanum ceſſerit imperium.* Lib. 11. cap. 5. *Facientibuſque omnibus in procinctu teſtamenta, non deterritus propoſito, perſeverantia ducis quem moriturum miſerat militem, victorem recepit.* Quid? nonne legendum & diſtinguendum videbitur hoc modo? *non deterritus eſt propoſito. Perſeverantia ducis, q. m. m. m. victorem recepit.* Sic cap. 98. *Atrox in Thracia bellum L. Piſonis virtus compreſſit.* cap. 106. *Pietas ſua Caeſarem pene obſtructus hyeme Alpibus in urbem traxit.* Auctor Octaviae verſ. 52. *Animum dolentis noſtra ſolatur fides, Pietaſque fruſtra.* & verſ. 63. *Tua quem pietas hoſti rapuit.* Forte in antiquis exemplaribus fuit *deterritus*, pro *deterritus eſt*, quamvis & τὸ *eſt* abeſſe poſſit, ut cap. 28. *Nam proximus poſt annum, quam Hannibal Italia exceſſerat.* ſcil. *fuit*. cap. 47. *Hunc proficiſcentem in Syriam diris cum omnibus Tribuni plebis fruſtra retinere conati.* cap. 11. *Verecundia magis quam virtute acies reſtituta, ac a duce quam a milite fortius*, ut optime noſtro judicio illic emendas. ſimiliter cap. 71. expungendum cenſes τὸ *fuit*, quia tam propinquo loco itidem in fine ſententiae repetitur, quod me quoque offenderat; unde & ego a librariis ortum credebam illud proxime ſequens: *Non aliud bellum cruentius caede clariſſimorum virorum* [*fuit*]. *Tum Catonis filius cecidit.* Solet enim praecipue in brevibus his

periodis & conciſis narrationibus omittere verbum iſtud Auctor. Quid vero ſentis de loco capitis 16. ubi eaedem voces conjunctas ſibi periodos & incipiunt & claudunt: *cujus de virtutibus quum alii, tum maxime Q. Hortenſius in Annalibus ſuis retulit. Cujus pietati plenam P.R. gratiam retulit.* Forte τὸ *retulit* in priore loco, ſi abeſſet, non deſideraretur, niſi in poſteriore legendum ſit *reddidit.* Quemadmodum vero cap. 105. *Intrata protinus Germania, ſubacti Caninefates, recepti Cheruſci, & tranſitus Viſurgis, penetrata ulteriora.* cap. 110. *Oppreſſi cives Romani: trucidati negotiatores* &c. cap. 111. *Habiti itaque delectus, revocati undique omnes veterani* &c. multiſque aliis in locis Vellejus per primum caſum intellecto verbo ſubſtantivo narrationem complurium rerum conjunctim exſequitur: Sic cap. 60. pro intricatiſſimis illis, *Actorum ejuſdem, inſertis falſis, corruptis commentariis*, legendum cenſui omnia conjungendo. *HS. Septies millies, depoſitum a C. Caeſare ad aedem Opis, occupatum ab Antonio, actorum ejuſdem, inſertis falſis ...... civitatibuſque, corrupti commentarii, atque omnia pretio temerata* (uti a te caſtigatur) *vendente Remp Conſule.* Ita expeditiore multo ſententia, neutiquam opus erit τῷ *Atque* ſubſtituere *Itaque*, quod voluit *Acidalius.* Caeterum quia Antonius praecipue largiendo & vendendo civitatem non ſingulis modo hominibus, ſed totis provinciis, tanquam ex voluntate Caeſaris, ejus commentarios corrupit, id hoc loco voluiſſe ſignificare Paterculum exiſtimabam, & quum in antiquo codice fuerit *civitatibuſque*, excidiſſe, quod ſaepe hîc accidit, vocem aliquam, forte *immunitatibus*, *civitatibuſque.* Cicero Philipp. 1. cap. 10. *De exilio reducti a mortuo; civitas data non ſolum ſingulis, ſed nationibus & provinciis univerſis a mortuo, immunitatibus infinitis, ſublata vectigalia a mortuo*, & Philipp. 11. cap. 26. *Neque ſolum ſingulis veniebant immunitates, ſed etiam populis univerſis, civitas non jam ſingillatim, ſed provinciis totis dabatur.* Idem conqueritur l. XIV. ad. Att. ep. 12. Cap. 122. *Ocius proſperrimo rerum eventu.* Eodem fere modo, quo a te fit, vir Nobiliſſime, & ego hunc locum tentaveram, *totius proſperrimo rerum ſummae eventu*, vocemque, quam inſero, intercidiſſe credebam propter adfinitatem utrimque litterarum. Maluerim tamen nunc, unica tantum mutata littera, *Poſt cladem ſub Varo acceptam, toties proſperrimo rerum eventu, eadem exciſa Germania:* ut uni cladi ſub Varo acceptae opponat *multiplices eo bello victorias, tanti imperatoris* Tiberii, quomodo loquitur ſupra cap. 96. ubique enim laudes & victorias Tiberii ſui valde exaggerat, & in infinitum extollit. *Rerum eventus* non modo de exitu totius belli, ſed & ſingulorum ejus actuum, praeliorum nempe atque oppidorum caſtellorumque oppugnationum, dicitur. Cap. 125. *Ancipitia ſibi tum re* &c. Totum hunc locum adjutus paulum a *Grutero*, hoc modo conſtitueram: *Ita Druſus priſca antiquaque ſeveritate, auſus ancipitia ſibi tam re, quam exemplo ſpecioſa, & his ipſis militum gladiis* &c. ut dixerit, ſicuti Germanicus ignave egit, ita Druſum contra, auſum tam reipſa periculoſa ſibi, quam exemplo pulchra & honeſta, priſca ſeveritate & his ipſis militum gladiis, quibus obſidebatur, coercuiſſe obſidentes. Supra cap. 29. *magna auſus.* Liv. 1. cap. 19. de Tarquiniis, *adverſus hoſtilia auſos.* Sueton. Tib. cap. 37. *Cyzicenis in cives Romanos violentius quae-*

quaedam auſis. Si vero τὸ *uſus*, quod tamen mox etiam ſequitur, retinendum hîc omnino ſit, legerim: *ita Druſus pr. ant. ſeveritate uſus, ancipiti ſibi tam re, quam exemplo ſpecioſa, & his ipſis mil.* &c. hoc ſenſu Druſum priſca ſeveritate, quae tam re anceps, quam exemplo ſpecioſa ſibi fuerit, & illis ipſis militum gladiis uſum compeſcuiſſe ſeditioſos & puniviſſe. τὸ *pernicioſa* non video quomodo hîc locum habeat, ubi tam aperte laudat Druſum, & Germanici ignaviae opponit illius antiquam ſeveritatem, & ſpecioſiſſimum fortitudinis exemplum in ſubeundis pro Rep. periculis ad cohibendam ſeditionem, & hac ipſa occaſione tam prolixe inſuper exſpatiatur in laudes illius, quem *ſingularem adjutorem* in iſto tam laudabili negotio Druſo fuiſſe ſcribit. Proximum itaque viſum, mihi ſubſtituere *ſpecioſa*, quam vocem unice Vellejus in deliciis habuit. Supra cap. 19. *Ut non patricia, ita ſpecioſa equeſtri genitus familia.* cap. 76. *Magnis ſpecioſiſque rebus editis.* cap. 104. *decreta ei cum ſpecioſiſſima inſcriptione operum ornamenta triumphalia.* quomodo Val. Max. 2. 7. 8. *Victoriarum ſpecioſiſſimos titulos* dixit. Flor. 1. 13. 2. *Quod tempus neſcio utrum P. Romano clade funeſtius fuerit, an virtutum experimentis ſpecioſius.* h. e. re triſtius, an virtutum exemplo pulchrius. Val. Max. 11. 7. 6. *Imperatorum ſecures publice ſpecioſas, privatim lugubres*, h. e. tam exemplo in publicum dato ſpecioſas, quam re ſibi lugubres. Ut hîc vero *rem* & *exemplum* ſibi oppoſuit Paterculus, ita ſupra cap. 47. *factum* & *exemplum*, ubi Clodii caedem patratam ait, *exemplo inutili, facto ſalutari Reip.* Sed vereor, ne epiſtolae modum excedendo, & his ineptiis forſan meis te morando, legenti moleſtiam & taedium jam creaverim; ideoque quamvis plura ad Vellejum in Adverſariis meis annotata habeam, nunc tamen te dimittam, ubi unum, ſi pateris vir Nobiliſſime, addidero ex lib. 1. cap. 9. quo in loco annon poterimus *initia* Attali de eadem re intelligere, de qua *conſuetudinem* Eumenis, nempe de praeclaris in Pop. R. meritis ac forti ac fideli in illius bellis navata opera. Non reſpondiſſe igitur Eumenem puto, neque *ſuae conſuetudini*, neque *fratris initiis*, fideliter ac ſtrenue pro Romanis militandi. Quippe prioribus bellis Eumenis opera aſſidua & celeberrima fuit, Attali nulla vel obſcura plane, cui tum videtur Eumenes patriam urbem & regnum in ſua abſentia adminiſtrandum dediſſe, ſicuti initio hujus belli, ad quod una cum Romanis gerendum, ipſe quoque cum Attalo & Athenaeo fratribus primo anno proficiſcebatur, fratrem minimum *Philetaerum ad tutelam regni reliquit.* lib. XLII. cap. 55. Non diffiteor tamen Attali mentionem reperiri in bello Antiochico lib. XXXVII. cap. 43. ſed tamen ſemel tantum in tranſcurſu, & quidem poſtquam Antiochus in interiora Aſiae jam receſſerat, & Eumenis regnum liberum a periculis ac tutum ab tergo relictum erat a Romanis. Poſt illa a Cn. Manlio quoque *ad capeſſendum cum illo bellum* contra GalloGraecos arceſſitus quidem, *commendata aliis cuſtodia Pergami*; ſed factum id, quia Eumenes domo aberat, quem deſiderabat Conſul. Liv. XLII. cap. 12. immo cum illud ipſum bellum infame valde Romae fuerit, nihil mirum iſtam Attali militiam minus celebrem non veniſſe in ora populi, adeoque ejuſdem rerum pro Romanis geſtarum initia ſtatui a Vellejo in hoc contra Perſen bello, cujus a

principio ad exitum egregiam & clariſſimam Populo R. operam conſtanter navavit, eo conſpectiorem, quod frater ejus Eumenes dubia tum fide agebat. Liv. XLIV. cap. 13. & 20. Phraſis eadem eſt, quae infra l. 1. cap. 99. de Tiberio Rhodum ſecedente, *ne fulgor ſuus orientium juvenum obſtaret initiis*, ſcil. Reip. capeſſendae. Cic. x. ad Attic. ep. ult. *Ut male poſuimus initia, ſic caetera ſequuntur*, nempe rerum & conſiliorum noſtrorum in hoc civili bello. Haec ſunt, quibus epiſtolam hanc, quam ad te exarare debui, excellentiſſime Heinſi, explere nunc volui. Quae ſi ullo modo veritus fuiſſem, minus aequo a te animo acceptum iri, neutiquam mandaſſem litteris, neque tam ineptus fuiſſem, ut mallem caput, quam dictum perdere, hoc eſt, amicitiam tuam, in qua mihi omnia ſunt, amittere potius, quam inani forſan declaratione ſtudiorum in hoc otio noſtro abſtinere. Proinde pro certo ampliſſimae meae de comitate ac facilitate tua exiſtimationis argumento haberi a te etiam atque etiam velim, de quibus tuis virtutibus nunquam equidem minorem habui opinionem, quam de ſumma eruditione & praeſtantiſſimo ingenio, quod omnes ſuſpicimus ac veneramur. Superiores meas litteras, ſimulac Clar. *Graevius* redierit, accepturum te ſpero. Quo facto meas ad Aſconii locum, & de vocabulo *agnominis* obſervationes examinare, ac in primis quomodo ſcriptum fuerit marmor *Caeciliae Metellae* edocere me ut velis, majorem in modum te rogo. Caeterum quod tum *cognatos* de majoribus non uſurpari adfirmaſſe videbar, agnoſco nunc ipſe apud Ovidium in ea ſignificatione reperiri. Epiſt. Canaces verſ. 18.

Quid juvat admotam per avorum nomina coelo
Inter Cognatos poſſe referre Jovem.

Sicuti Propert l. IV. el. 1. de iiſdem dixit, *Non degenerare propinquos*, quomodo iſtic legendum eſſe nos publice docuiſti, eoque ipſo multum me confirmaſti in retinenda vulgata ac veteri ſcriptura, quam viri doctiſſimi ſollicitant, apud Valer. Max. v. 8. 5. *conſpectum degenerati patris vitaret*. Nihilo minus tamen apud Aſconium *cognationem* de tota familia, & gente, ex qua quis ortus eſt, non patre & avo accipiendum adhuc cenſeo. Quoniam Propertii memini, quaeſo te, an omnes etiam optimi, ſi qui ſunt, codices eum appellant *Sex. Aurelium Propertium?* ſi ita, quid cenſes de nomine *Aurelii*, quod unde illi ſit, equidem non video, quum credibile ſit habuiſſe patrem Sex. Propertium, de quo Cicero in Orationibus. Hunc ſcrupulum ſi mihi adimes, magna me liberaveris moleſtia. Groningae praecipuum amiſi ſtudiorum meorum fautorem, *Menſonem Altingium*, Senatorem clariſſimum, ut jam quem exitum iſtic ſpes noſtrae ſint habiturae, verear, in tanta praeſertim animorum diſtractione, quae etiamnunc obtinet inter Groninganos & Omlandos Proceres, qua re fit, ut hi odio urbanorum Academicas res curae ſibi nullo modo hucuſque habere voluerint, atque in iis & praecipue Ampliſſ. *Piccarto* res jam praecipue vertatur. Bene vale, vir Excellentiſſime, meque vere tuum amare perſevera. Daventriae a. d. XIV. Kal. Septemb. CIƆIƆCLXXVIII.

EPI-

EPISTOLA XXIX.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

AD litteras tuas, breves illas, quas Kal. Septembribus ad me dederas vir Excellentiſſime, confeſtim reſpondi, ſed ut ex iis, quas nudius tertius a te accepi, amoris officii atque humanitatis pleniſſimas, colligo, quas ego tunc exaravi, nondum accepiſſe, quod doleo & valde miror. Pro facilitate tua ſingulari & pene incredibili, qua mecum agis in proximis his & doctiſſimis plane litteris, ad exquiſitam prorſus gratiarum actionem obligatum me ſentio, & profiteor, conjecturaſque in Vellejo, etiam ubi a tua ſententia diſceſſeram, adeo tibi probari, ſerio ſolide gaudeo. Sed ne longior ſim in debita hac officiorum tuorum & comitatis commemoratione, facit argumentum epiſtolae, quae ſatis diu, ut reor, te morabitur ab occupationibus tuis abductum. Verbis illis: *neque fratris initiis*, *neque ſuae reſpondit conſuetudini*: nihil aliud ſignificare Vellejum puto, quam alterum nunc demum incipere bene de Populo R. mereri, navanda fideliter & fortiter in illius populi bellis opera; alterum id jam antea ſaepe praeſtitiſſe: quorum illud in Attalum convenit, cujus nulla plane fit mentio apud Livium, Polybium, Appianum alioſque in bello Antiocheno, niſi ultimo in praelio, & ibi quoque tantum quaſi praetereundo, poſtquam in interiora Aſiae jam refugerat Antiochus, & Eumenis regnum Romani ab tergo tutum relinquerent, ut nuper oſtendiſſe memini. Poſterius vero in Eumenem cadit, qui non, auxilia modo mittendo, ſed & ipſe egregie ſemper rem per ſe gerendo in ſuperiore bello ſuum ſtudium & operam aſſiduam Populo R. probaverat, Attalo tunc vel nondum caſtris & rei bellicae maturo, vel potius ad regni tutelam relicto, ſicuti ſuperioribus litteris ex Livio probare ſtudebam. Quod ſi Vellejus, haec quum ſcriberet, nihil reſpiciens ad priora bella de iſto tantum cogitaſſet contra Perſea geſto; nonne dixiſſet potius, *neque ſuis initiis*, *neque fratris reſpondit conſtantiae*, vel *perſeverantiae?* ut Livius ſaepe in hoc bello memorat *Attali egregie conſtantem fidem:* vel ſaltem *neque ſuae neque fratris reſpondit conſuetudini.* Etenim cum Eumenes ab Romanis diſcedere primum coepit, neque exſpectationi amplius reſpondere, eo ipſo tempore aeque tamen in illo laudari poterat conſuetudo iſthaec egregiae cum Romanis militiae, atque in Attalo, cujus tunc temporis quoque nihil amplius certe quam initia erant rerum pro Romanis geſtarum. Idem credo te, vir clariſſime, judicaturum, ubi Vellejanam ῥῆσιν hoc loco, cum Antiocheni belli hiſtoria contuleris. Quae lib. II. cap. 40. legimus, mihi quoque magnam ſemper exhibuere moleſtiam. Nullus nunc quidem ſuccurit locus, ubi *manubias*, *vel pecuniam ex manubiis in aerarium illatam* tradi ſciam, negare tamen non auſim neminem ita locutum, praeſertim ſi attendo ad generalem & antiquiſſimam, ut puto, vocis ſignificationem. Varro lib. VIII. *manubias* a manu deducit

cit. Gloſſae *Manubias* σκῦλα ἀπὸ ζώντων ἀφαιρέμενα interpretantur. Exiſtimo itaque eſſe *omnem praedam ab hoſtibus manu captam*, quamvis id Favorinus apud Gellium rejiciat. Hinc ſaepe cum praedis & rapinis tanquam ſynonymon conjungi puto. Sueton. Veſpaſ. cap. 16. *Sunt, qui opinentur ad manubias & rapinas neceſſitate compulſum, ſumma aerarii fiſcique inopia*; qui locus eo magis notandus, quod *aerarii* inopiam *manubiis* illis ſublevaſſe dicitur. Idem in Caligula cap. 41. *ne quod non manubiarum genus experiretur:* Florus I. 7. *de manubiis captarum urbium* h. e. ſpoliis, praedaque omni. Et II. 18. 6. *Cum hoc quoque faedus maluere, contenti armorum manubiis*, Numantini: h. e. traditis ipſis armis. Petronius: *optima fide partiti ſumus manubias.* Inde etiam *pecunia ex manubiis* dicitur: ut hoc loco Paterculus, & cap. 56. ac Cicero II. Rull. cap. 22. Aurum, argentum ex praeda, ex manubiis. Non poſſum igitur ſatis mirari Gellium vel Favorinum ita diſputantem: *manubias* proprie *non praedam ipſam* eſſe, ſed *pecuniam ex praeda vendita contractam*, eoſque *qui proprie atque ſignate locuti ſunt, ſicuti hoc in loco* (quem adtulit) *M. Tullius MANUBIAS pecuniam dixiſſe*; quum contrarium manifeſte pateat ex iis ipſis, quae ex Tullio laudavit: *Praedam, manubias, ſectionem caſtra denique Cn. Pompeji Decemviri vendent.* Quid enim an vendent pecuniam? an vero praedam ipſam, ut ex ea conficiant pecuniam. Saepe tamen non nego, ponitur pro *manubiali pecunia*, ut ap. Sueton. Auguſto cap. 30. vel pecunia ex manubiis, ſeu omni hoſtium praeda redacta. Livius I. cap. 53. *Sueſſam Pometiam vi cepit, ubi quum divendita praeda* CCCC. *talenta argenti aurique recepiſſet, concepit* &c. Eam pecuniam mox cap. 55. vocat *Pometinas manubias.* Qua ratione forſan recte quis pecuniam ex manubiis in aerarium eſſe illatam dicere poſſet, atque ita hanc vocem uſurpaſſe, credo, Vellejum infra cap. 56. de omni pecuniae ex paeda hoſtili coacta. *Pecunia ex manubiis lata paulo amplius ſexies millies HS.* in triumphis Caeſaris. Nec enim veriſimile eſt expreſſiſſe eum illam ſolummodo pecuniae publicae partem, quae licet forte eam Caeſar non in aerarium condiderit, ſed ad Opis depoſuerit, imperatori in publica opera concedebatur conſumenda, reliquam vero & praecipuam in publico reponendam praetermiſiſſe tacitam. Accedit, quod ita fere loqui ſoleant hiſtoriae de omni pecunia ex provinciis Romam deportata, & in aerarium illata. Livius l. x. cap. 46. *Aeris gravis tulit in aerarium* CCCXC. *millia.* l. XXX cap. 45. *Argenti tulit in aerarium pondo centum millia.* l. XXXI. 49. *In aerarium tulit* CCCXX. *millia aeris.* XXIX. cap. 10. *Argenti infecti tulit in aerarium* XIV. *millia pondo.* Ex quibus aliiſque locis ſupplendum puto, ubi non additum eſt *in aerarium*, eadem caeteroqui locutione, ut eodem capite apud Livium. *Hic quoque tulit argenti pondo* XXIV. *millia.* lib. XXIX. cap. 7. *In triumpho tulit Cn. Manlius argenti pondo* CCXX. *millia* &c. atque ita alibi ſaepius. Nempe ſolebant olim nondum exorta illa ambitione, quae poſtea invaluit, monumenta publica ſuo nomine exſtruendi & dedicandi, id ſibi praecipuae laudi & gloriae ducere, quam plurimam pecuniam in aerarium intuliſſe. Livius l. x. cap. 46. *Omne aes argentumque in aerarium conditum:* & deinde, *ſi ſpreta fuiſſet gloria captivae pecuniae in aerarium illatae.* Neque licebat, quantum vellent, pecuniam in publicos uſus,

certe

certe non in ludos, quos voverant, inſumere. Livius XXXIX. cap. 5. M. Fulvio petenti, *ut ex ea pecunia, quam in triumpho latam, in aerario poſiturus eſſet, id aurum* (quod in eos ipſos ludos a civitatibus ſibi collatum erat) *ſecerni juberent*, ſenatus negavit, juſſitque non excedere ſummam, quae vix ſexta erat iſtius auri pars. Omnino tamen tecum & cum Pediano ſentio, vir Nobiliſſime, poſtea vocabulum hoc magis proprie & ſpeciatim ſignificaſſe illam praedae partem, & pecuniam ex ea redactam, quam imperatori licebat, ſi vellet, in publica opera erogare. Atque id conſtat ex Cicerone II. in Rullum. Cap. 23. *Si eſt aequum praedas ac manubias ſuas imperatores non in monumenta deorum immortalium neque in urbis ornamenta conferre, ſed ad Decemviros, tanquam ad Dominos reportare*; Et cap. 22. ex ipſa lege Servilia ſeu Rulli: *Aurum argentum ex praeda, ex manubiis, ex coronario, neque relatum in publicum, neque in monumento conſumptum*; quae poſtrema verba proprie manubias reſpicere puto. Apud Liv. l. XXXVI. cap. 36. P. Naſica Conſul poſtulavit a Senatu, ut pecunia ſibi decerneretur ad ludos, quos antea propraetor in Hiſpania inter ipſum diſcrimen pugnae voviſſet; Senatus vero cenſuit, quia eos ſe inconſulto voviſſet, uti *de manubiis, ſi quam pecuniam ad id reſervaſſet, vel ſua ipſa impenſa faceret*. Hoc diſcrimen inter praedam & manubias, ſi quod erat ſtatuendum, debuiſſet Favorinus, etiam in Tullii verbis, quaeſiviſſe. Quo ſenſu ſi & apud Vellejum capiendae ſunt manubiae, ut ſane faciendum videtur, niſi aliud ſuadent verba capitis 56. Fereſne legentem, doctiſſime Heinſi, commodiſſima ſententia, nec adeo magna mutatione, quando quidem levi plane hoc in loco ad verum videtur perveniri non poſſe, *longeque majorem omni ante ſe illata pecunia in aerarium, praeter quam habuit ex manubiis, intulit*. Nihil vides mutatum, niſi *A Paullo*, in *Habuit*. Livius etiam lib. X. cap. 46. manubias ſeu pecuniam aedi extruendae deſtinatam ab aere in aerarium condito, cujus itidem ſummam ſolus exprimit, ſegregat: *Aeris gravis tulit in aerarium trecenta* XC. *millia; de reliquo aere aedem Fortis Fortunae de manubiis faciendam locavit*. Caeterum non minorem fere mihi quidem crucem fixit Paterculi noſtri librarius illis verbis cap. 51. de Cornelio Balbo: *fieretque ex privato Conſularis*. Nihil me turbat φεύγεις, quam Voſſius ex Flori loco, ſed de quo controverſia eſt, licet male mea ſententia, aſſerere conatus eſt. Sic enim plane etiam Cicero Philipp. I. cap. 6. *Idcircone nos Populus Romanus fecit conſulares?* & lib. X. ad famil. ep. 6. *complures in perturbatione Reip. conſules dicti, quorum nemo Conſularis habitus, niſi qui animo exſtitit in Remp. Conſul.* Val. Max. IX. 12. 5. *L. Cornelius Merula Conſularis & flamen Dialis*, qui anno Conſulatus ſui ſe ipſe interemit. Illud me movet, quod obſervat eum *ex privato* factum conſularem, quaſi non omnes vulgo ex privatis crearentur Conſules. Etenim ſi aliquando contra accidit, ut quis non interpoſito legitimo illo biennio ex Praetura ad Conſulatum aſcenderet, id potius erat rarum, & animadverſione dignum habebatur. Cicero omnes, ſuo quoſque anno, adeptus honores, privatus utique conſul eſt factus. Privati enim erant omnes, quando nullum gerebant magiſtratum, licet antea omnes & ſummos ſaepius geſſiſſent; ipſe Pompejus bello civili privatus erat.

 Noſti,

Noſti optime Lucani illud, *Et duce privato geſturus praelia conſul.* Nec voluit Vellejus eum nullo ante Magiſtratu geſto conſulem deſignatum: dicebant enim tunc veteres *Ex equite Romano*, non, ex privato. Atque ita ſemper loquuntur de Cn. Pompejo, cui is honor evenit. Livius Epitome 97. *M. Craſſus & Cn. Pompejus Coſſ. facti; Pompejus antequam Quaeſturam gereret ex Equite Romano.* Val. Max. VIII. 8. *Eques R. Proconſule adverſus Sertorium miſſus.* Ipſe Vellejus ſupra cap. 30. *Pompejus hoc quoque triumpho adhuc Eques R. ante diem, quam conſulatum iniret, urbem curru invectus eſt*, & infra cap. 76. de Salvidieno: *Proximus a Cn. Pompejo ipſoque Caeſare ex equeſtri ordine Conſul creatus.* Quin immo geſſit Balbus hic ante conſulatum alios honores. Certe de Quaeſtura ejus conſtat ex Epiſt. Aſinii ad Cicer. l. 10. ep. 32. quae incipit *Balbus Quaeſtor.* Non video igitur quî ferri poſſit *ex privato*, nec tamen aliud quicquam habeo, quod ſubſtituam, niſi forte *ex Praetore*, ut librarius litteras PR. male interpretatus fuerit. Erat enim & id contra leges, ideoque ſi quando contingeret, a ſcriptoribus animadverſum memoriae prodebatur. Vellejus cap. 65. *Vidit hic annus Ventidium conſularem praetextam jungentem Praetoriae.* Val. Max. VI. 9. *In eodem etiam illud eximium, quod eodem anno praetor & conſul eſt factus.* Ita Egnatius quoque Rufus infra cap. 91. dicitur ſperaſſe *conſulatum praeturae ſejuncturum.* Verum parum ego ipſe huic conjecturae tribuo, quia hiſtoriam & annum Praeturae hujus ignoro. Quin & de Conſulatu ejus nihil ſcire ſe fatentur docti, ideoque partim Balbum hunc minorem cum patruo confundunt, atque hoc loco de Balbo majore agi credunt, ut Sigonius ad Faſtos anno 713. & Onufrius: partim Vellejum accuſant, & hunc conſulem fuiſſe negant. Manut. ad Cicer. famil. VI. 12. Certe, Balbus Cornelius, qui Cos. An. 713. fuit, patruus hujus eſt. Sed tamen quum Anno 721. L. quidem Cornelius inter ſuffectos Conſules in Faſtis Municipii Apiani inveniatur, non dubito eum eſſe hunc ipſum L. Cornelium Balbum, quandoquidem ei ſententiae nihil obſtat, atque ipſe octo vel decem annis poſt proconſule ex Africa triumphavit. Sed quaeſo te, Politiſſime Heinſi, ſcrupulum iſtum, qui hoc loco me cruciat, limatiſſimi tui judicii, & praeclarae eruditionis auxilio mihi eximere ne graveris, quod tam lubente & volente me facies, quam ego nunc libero, ſed candido & bono animo dico (unum enim hoc nunc tantum addam) nihil videri mihi mutandum cap. 64. in his: *In hoſpitis cujuſdam, nobilis viri, Cameli domo.* Erat enim is revera nobilis in patria regulus ſeu dynaſtes Sequanorum, quod nos docet Appianus Ἐμφυλίων 3. extremo. Scilicet τὸ *quidam* uſurpant veteres de iis, qui vel ſibi, ſcriptoribus ipſis, vel populo R. erant ignoti, licet caeteroqui inter ſuos eſſent nobiliſſimi, ſicut contra *Ille* quum dicunt, *de Notiſſimo videntur loqui*, ut ait Aſconius in Verr. de praet. urb. Hinc Cicero in Verrinis ſaepe nobiliſſimis Siculis addit *quidam.* Lib. 1. in Verrem cap. 25. *Philodemum eſſe quendam genere, honore, copiis, exiſtimatione facile principem.* Confer. & cap. 26. Sic lib. 2. in Verr. cap. 22. *Hujus longe princeps civitatis eſt Epicrates quidam.* Et cap. 52. *Artemo quidam homo ſane locuples, & domi nobilis.* Contemptius eſt etiam, ſi de quo dicatur *Neſcio quis?* Et tamen Cicero de nobiliſſimi generis Rege, magni Mithri-

thridatis filio, ſed per ſe minus illuſtri, lib. xv. ad famil. ep. 15. *Neſcio quem iſtum Pharnacem.* Sic & Graeci τις de parum ſibi noto, licet ex familia ſatis nobili oriundo, uſurpant. Dio pag. 403. de Conſule, Σέξτυ τινὸς Πομπηΐυ. & pag. 443. Μάρκος τις Σκαῦρος, de M. Scauri principis Senatus nepote Aedilicii illius filio, Cn. Pompeji magni liberorum uterino fratre. De nomine Galli video viros doctos ſollicitos eſſe, & *Schegkium* praeferre ex Livii Epit. *Capeni*: *Voſſium*, quia in lapidibus reperit Camelios, *Camelii*. Neutrum mea ſententia recte, quum ſimiliter apud Appianum dicto loco, qui eos videtur fugiſſe, niſi quod notiore paulo librariis nomine, *Camillus* vocetur. Frequentiſſima vero eſt etiam mutatio litterarum E & I. invicem in nominibus, praeſertim quando ſequitur L. Immo & Livius l. xl. cap. 1. nominat quendam, qui Gallis pro regulo erat, *Carmelum*, quod idem forte nomen eſt, alterumque ex altero caſtigandum. N. noſter ubi terrarum degat, & quid agat, quia quaeris, paucis habeto. Vivit apud nos quidem, ſed tanquam civiliter mortuus, quantum ad ſtudia noſtra Nihil jam curat, niſi rem familiarem. Saepe excurrit in agros, pedibus nihil parcens, modo ad exigenda debita, & uſuras creditarum ſortium, modo ut villicorum opus oculo ſuo, utpote Domini, urgeat, ſaepe etiam manu juvet. Unde quum redit, laſſus ſic ſatis & defatigatus, totos hîc fere ſemper dies lecto ſuo merſus jacet. Nec ſe ad ſtudia, a quibus nunc plane abjunxit, facile iterum adplicabit, niſi ſi quando ſpem rurſus habuerit rem per ea faciendi, ut ſedulum & attentum patremfamilias decet, ipſius ſententia: Valerium Maximum, quem nuper accurate cum MSto Copeſiano contuli, mihi recenſendum diligenter ſumam, ſimul ac curas meas de Nominibus abſolvero, in quibus vere ſum Callippides. Sed tamen eo meliora fore ſpero, & certiora, quae tradam publice. Alicujuſne pretii ſunt codices Valeriani, quos poſſidet bibliotheca Lugdunenſis? Laſſus jam & ego plane ſum ſcribendo: itaque Vale, Nobiliſſime Heinſi, meaſque has obſervationes aequi bonique conſule, quod te vehementer etiam atque rogo. Daventriae pridie Nonas Novembr. cIↃIↃcLXXVIII.

EPISTOLA XXX.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

FAcis equidem pro tuo jure, nec nego, mi Perizoni, ſi fers indigne, mihique graviter ſuccenſes, quod tanto temporis decurſu litterarum nihil a me tuas in manus pervenit. Nam quas *Graevio* noſtro, aut iter Germanicum jam meditante aut in patriam profecto, exaravi non unas, eas in via periiſſe nec tibi fuiſſe exhibitas ut omnino credam facile perſuadeor. Quod ſi coram tamen inſpectaſſes omnem valetudinis meae peſſimis modis adfectae ſtatum, remitteres, ſat ſcio, nonnihil, qua mentis es benignitate, ab hac tam juſta indignatione. Nec male ea de re ut ſperem facit, cum perſpecta jampridem compluribus

mihi argumentis tua benevolentia ſingularis, tum quod nuper admodum meas in Vellejum Paterculum caſtigationes clementer ſane comiterque excepiſti, quas tamen ego calore mentis impetuque nimio effuſas properanter, ſcriptoque ac luci mandatas, omni librorum praeſidio deſtitutus, nec tam mihi gratificatus meoque de me judicio, quam illi viro, cui lucubratio dicata eſt, neque ipſe ſatis probo, & jam retractare coepi, lociſque plurimis partim adauxi, correxi partim, caeſis propriis vinetis, & adhibita lima hîc illic aliquanto acriore. Quo impenſius accepta habeo, quae ab amicis hanc in rem conferuntur, a te praeſertim, qui in hoc litteraturae genere pulcherrimos jam profectus, vel invidia fatente, & feciſti, & porro es facturus, ſi inſtitutum iter pergas decurrere, quod ut facias multum te adhortor. Apud ſcriptorem, de quo agebatur modo, lib. II. cap. 99. quod caſtigavi, *Lucius jam maturus eſſet curis*, mirum quantum confirmat conjecturam Suetonius vita Auguſti cap. LXIV. de hoc ipſo, ut vides, Lucio. *Cajum & Lucium adoptavit domi per aſſem & libram emtos a patre Agrippa, teneroſque adhuc ad curam reip. admovit.* Is mihi, etſi in ſcriniis annotatus pridem locus, aliud agenti eſt elapſus, cum typographo chartas meas praelo permittendas tradebam. In Aſconii loco quin feliciter verſatus ſis enodando, vix eſt ut dubitetur, niſi *curiam* referri volumus ad Senatores, de quibus ſequitur. Noviſti illud, *Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores.* Probabilius tamen eſt, quod tu cenſebas. Hinc *cura palatii*, pro curatore aut praefecto apud poſterioris aevi ſcriptores, & *Curopalates*. *Agnominis* vocabulum probae Latinitatis auctoribus in uſu fuiſſe haud memini. Prolata a me in Vellejanis caſtigationibus inſcriptione de Caecilia Metella, quod *Quintae* praenomen illi addebatur, errorem fuiſſe facile tibi accedo. Sed & tecum ſentio in reſtitutione Liviani loci de Aetolis, libr. XXXVIII. cap. 9. quem Polybio recte conciliatum dediſti. Apud Vellejum temere fateor accredidi *Juſto Lipſio* reponenti *ſtipendiaria facta*, libro II. cap. 38. victi enim cum victoribus quoque paciſcebantur quandoque. Hunc errorem pridem eſt quod vidi & correxi, doctus meliora, ex Livio aliiſque. Is libro IX. cap. 43. *Triginta dierum inducias pacti ſunt.* lib. X. cap. 5. *pacto annuo ſtipendio & duum menſium frumento permiſſum ab dictatore, ut de pace legatos mitterent Romam.* cap. 31. *pacem petiere, & veſtimentis militum frumentoque pacti cum conſule, ut mitti Romam oratores liceret.* apud eundem Vellejum libro I. cap. 8. *legionibus Latinis* corrigengendum jam vidit *Lipſius*, etſi Romulum ex Electra Latini filia natum Dionyſius contendit. libro II. cap. 5. *non deterritus propoſito.* caſtigabam curis ſecundis ita locum, *non deterriti propoſito perſeverantia ducis* &c. Nec damno tamen, mi Perizoni, tuam conjecturam. Cap. 125. itidem curis ſecundis monebam lectorem, vix videri nobis auſum judicare tam inclementer de Druſo Vellejum, ut *pernicioſi rem exempli* molitum dixerit, cum Tiberium Caeſarem & Tiberianae admotos amicitiae omnes ubique laudet ſupra meritum. Si *periculoſi* rem *exempli* ab illo factam dixiſſet, illud ipſum quoque nimiae libertatis videretur. Ea propter ſuſpicatus ſum, *perſpecioſum exemplum*, hoc eſt longe pulcherrimum, huc eſſe revocandum, quod & minîmum abit a tua conjectura, &

& vulgatae lectioni propius accedit. lib. I. cap. 9. Venit poſt typis jam deſcriptum Vellejum in mentem mihi, tranſpoſitis vocabulis reſtitui poſſe haud inconcinnum in modum, *nec ſuis initiis, nec fratris reſpondit conſuetudini.* Primo quippe belli Macedonici anno geſſit arma adverſus Perſeum Eumenes, & Romana caſtra eſt ſecutus ipſe: poſt & domi ſe continuit, & in ſuſpicionem venit, clam cum Perſeo colluſiſſe: ſic apud Livium libro XLIV. cap. 20. a Senatu legati ad Macedonicas res cognoſcendas miſſi, de Eumene dubia omnia, Attali egregie conſtantem fidem nuntiabant reverſi. Vides conſtantem Attali fidem laudari: paria apud eundem habes Livium libri ejuſdem cap. XIII. & XXV. Quod ſi prioribus bellis per Romanos adverſus alios in Aſia geſtis utilem reip. Eumenis operam, Attali aut nullam aut minorem fuiſſe liquido potes probare, allatis in medium rerum teſtimoniis, unde id doceamus, tum ſententiam meam, utpote futilem, libens damnabo, ac tuae ſubſcribam. Tantum vero abeſt, ut diſſentienti tibi aut ſuccenſuiſſe me aut porro ſuccenſurum arbitrari debeas, ſi poſthac diſſenſeris, ut ultro te obſecrem atque obteſter, quae alia id genus complura ad hunc ſcriptorem annotaſti, iis fraudatum ut ne me velis, quod pro ingenti equidem beneficio ſum interpretaturus. Malo quippe errores meos oſtendi ac refelli ab amicis, quos modeſte id facturos ſat ſcio, quam ab adverſariis; quos nullus novi aut numerare poſſum, niſi illos forte, qui alienis erratis inclementer ſolent inſultare, cum ad ſua conniveant. Sed hi quo jure ſe litteraturae humanioris candidatos profiteantur, ipſi viderint, qui aliis nihil aut indulgent aut ignoſcunt, ſibimet ipſis omnia; cum tamen nec titulum quidem profeſſionis ſuae illibatum a cenſura publica, eaque juſtiſſima, praeſtent, humanitatis expertes. Praeterea cum meae non ſit facultatis, id omne in uno ſcriptore emendatum dare, quod aetas longa & incuria librariorum peccarunt, (quis enim id ſe aut praeſtitiſſe glorietur, aut praeſtiturum ſperet?) id laudis huic conatui proximae eſt habendum, ſi noſtrae qualicumque operae ſuam alii homines litterati conjungant: ita enim futurum eſt, ut curis ſecundis multo luculentiora dentur in publicum, quae editione prima ſuis numeris trunca nec ſatis elimata circumferebantur. In iis, quae addidi aut immutavi, cum alia multoque plura, tunc haec ipſa quoque occurrunt. lib I. cap. 17. pag. 17. *congregantis ſe in ſtudium par & in emolumentum.* lego nunc, *& in molimentum.* quod vocabulum ter quaterve apud Livium occurrit, apud Caeſarem quoque & alios. lib. II. cap. I. *Haec urbs nunquam* X̄ *plura quam.* Sic prima editio. poſterius *quam* delent *Lipſius* aliique. & recte. Sed praeterea ſcribendum, *nunquam plus decem millia.* Sic enim loquebantur, qui ſermonis nitori ſtudebant ac elegantiae. noſti Terentiana illa, *Plus quingentos colaphos infregit mihi:* nec aliter paſſim Livius. Sed & ipſe Vellejus libro II. cap. 110. *plus iter diei aberat.* rurſus noſter lib. II. cap. 40. quem locum ſic conſtituebam, *longeque majorem omni ante ſe illata pecuniam aerario, praeterque Capitolio e manubiis intulit. praeterque*, pro praetereaque. De quo *Gronovius* ad Plinii naturalem Hiſtoriam. *Capitolio*, pro *a Paulo*, quae ſcriptura hiſtoriae fidem inpugnat, neſcio quos emendare *Lipſius* pridem monuit, quomodo & mihi ſcribendum videtur. Nam

quod *Voſſius* contendit aerarium in Capitolio fuiſſe, ac proinde correctionem illam minus poſſe ferri, in eo fallitur. Aedes enim Saturni, ſive aerarium erat ante clivum Capitolinum in area fori Romani, non in ipſo Capitolio. Deinde quaero ex te, an unquam legeris, manubias aerario illatas fuiſſe? ego certe legere non memini. Quid per manubias intelligant ſcriptores antiqui multis diſputavit A. Gellius, quam Nonius Marcellus ſequitur. Sed vim ejus vocabuli non videntur ſatis aſſecuti eſſe. propius verum acceſſit Aſconius. Nam ſi manubiae ſunt, pecunia ex praeda hoſtili redacta, potuerunt aerario inferri. Ex manubiis opera publica fuiſſe conſtructa paſſim occurrit in marmoribus antiquis, fuiſſe & in uſus ſacros converſas, ac Capitolio in cellas deorum illatas ſcriptores teſtantur. Qua de re locum Taciti ſingularem alias caſtigatum proponam, non enim paucis expediri nunc poteſt. Hinc perſuadeor, ut credam, *manubias* fuiſſe eam pecuniae aut praedae ex hoſtibus captae partem, quam imperator ſibi vindicabat in ſacros aut alioquin in publicos uſus convertendam: a qua opinione non diſſentit prorſus Aſconius. Ceterum, Perizoni, quod non omnes tuas in Vellejum obſervationes per cenſui, inde factum eſt, quod tranſeundas duxi, quas plane approbabam. In Maximo Valerio recte reſtitutum iverunt, ſi quid video, *conſpectum degener. irati patris vitaret.* nam *degenerari* Latinum eſſe vix puto. Propertiani codices pervetuſti in bibliothecis nulli, quod ſciam, occurrunt. Unum ante annos cccc. exaratum vidi, ſed qui poëtae nomen non praeferret. *Tennuylius* noſter ubi terrarum degit? quid de Valerio ejus Maximo ſperari oportet, cujus editiones extant nonnullae rariores, & illi, ut opinor, non inſpectae: quas inter a Michaele Bruto, Sebaſtiano Corrado, Paullo Manutio recognitae Amicos omnes jubeo ſalvere. Vale, mi Perizoni. Exarabam Vianae ad Leccam. CIↃIↃCLXXVIII. Nonis Novembrib.

EPISTOLA XXXI.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

NON illas ſolummodo, quas Kalendis Septembribus exararam, ſed ſimul cum iis alias, jam ante, quantum meminiſſe poſſum, ſcriptas, quae in aedibus *Graevii* noſtri, poſt ejus ad Germanos profectionem, jacuerant aliquamdiu neglectae, tibi redditas oportuit, mi Perizoni, ſi fides tabellario conſtitiſſet. Nam utraſque eodem tempore ad te miſſas amici noſtri uxor mihi aſſeveravit. Reſponſorias autem tuas, quas innuis, nullus equidem accepi. Quod niſi habes Trajecti certos atque exploratae fidei amicos, per quos in eam delatae urbem ad me curentur, in tabellariis atque aurigis praeſidium haud tuto collocaveris. Ex eodem autem *Graevio* jam didiciſſe potuiſti rem tuam apud Leidenſes ab utroque noſtrum naviter ſatis actam nuper, praevaluiſſe tamen partes illius, qui ſecundas a Rectore illa in ſchola agebat. Aderit aliquando, ut auguror, debitus meritis tuis virtutibus honor. Porro de *Fraternis* apud Vel-

Vellejum *initiis* jam acquieſco tuae ſententiae, ac ſcripturam vulgarem illic non eſſe loco movendam perſuadeor ut credam, ex quo ſcriptores, qui de bello adverſus Antiochum Magnum Nabidemque Lacedaemonium a Romanis geſto agunt, diligentius conſului, in quibus Eumenis opera, & quidem luculenta, Attali Philadelphi nulla commemoratur. Itaque obſervationem iſtam curis ſecundis, te laudato, retractavi. De *manubiis* parum accurate mihi quoque viſus eſt diſſeruiſſe A. Gellius. Potius enim eſt, ut accedam Aſconio Pediano, qui ut aetate Gellium, ſic rerum Romanarum exacta cognitione multum praecedit. Is ad tertiam orationem in Verrem *Manubias* definit, *praedam Imperatoris pro portione de hoſtibus captam.* & mox, *Spolia quaeſita de vivo hoſte nobili per deditionem Manubias veteres dicebant, & erat Imperatorum haec praeda, ex qua quod vellent facerent.* Hinc toties apud veteres hiſtoricos atque adeo in marmoribus antiquis templa atque opera publica ab Imperatoribus excitata aut refecta de manubiis leguntur; quandoque & Diis dedicatas manubias ab Imperatore eſt invenire. Aerario autem illatas legere haud memini, nec inferri potuerunt, ſi pro portione Imperatoris habebantur. De ſalva loquor republica: qua in poteſtatem Caeſarum poſt redacta fiſco aut aerario manubias illatas non nego, uti ex loco Suetonii de Veſpaſiano colligebas. Nec obſtat, quod Vellejus ipſe Cap. LVI. *Pecuniam ex manubiis latam* in triumpho narrat. Potuit enim poſt actum triumphum redire in poteſtatem Imperatoris, quam ab illo in memoriam perpetuam rei bene geſtae & ad oſtentationem potius credibile fit operi publico impenſam; uti dicebam modo, aut cultui deorum conſecratam, ut vaſa aurea argenteaque, & id genus alia (neque enim ad ſolam pecuniam refero manubias) quam populi aerario illatam, unde exiguus gloriae ac ambitionis fructus redundaret ad auctorem muneris. Adhuc igitur inhaereo opinioni meae, videri legendum in Vellejum cap. XL. *longeque majorem omni ante ſe illata pecuniam aerario, praeterque Capitolio e manubiis intulit. Praeterque* uſitatum inter alios Plinio Hiſtoria Naturali, pro *&*, *inſuper*. Videndus ad illum Gronovius libro XXXIII. cap. XIII. *Manubiarum* ſive *Manibiarum* (quomodo & in Marmore Ancyrano non ſemel ſcribitur) *Capitolinarum* mentio occurrit apud Tacitum loco depravatiſſimo, & qui plurimum negotii exhibuit mihi jam olim. Is eſt Annalium lib. XI. cap. XXIII. Ubi agitur de Gallis. *Quid ſi memoria eorum inoriretur, qui Capitolio & ara Romana manibus eorumdum proſtratis:* pro *inoriretur* ſcripti meliores *moreretur*, Lipſiani, *memoretur*. tum omnes conſtanter, *manibus eorundem per ſe ſatis.* recte etiam Acidalius *arce Romana*, non *ara*. Aliorum conjecturas piget referre. Agi autem de auro Gallis Senonibus appenſo, ut obſidionem Capitolinam omitterent, eſt manifeſtum. Quid ſi ſcribimus? *Quid ſi memoria eorum* (vel *Senonum*) *iteretur, quîs pro Capitolio & arce Romana manibias deorum depenſaſtis?* vel *depenſitaſtis*. Poſſis etiam, *quîs Capitolio & arce Romana manubias deorum repenſaſtis. Manubias* certe hoc loco reſtituendas arbitror. Vocat autem argute dona Imperatoribus votiva diis Capitolinis dedicata *manubias*, quod revera ex manubiis conſtarent potiſſimum, deinde quod tanquam diis hoſtibus detraherentur, ac proinde *deorum manubiae. depenſandi* autem verbum hic proprium. Silius lib. IV.

&

& vertice ſacro
Penſantes aurum Celtas umbone ferebat.

Et haec quidem de propria manubiarum ſignificatione ad Vellejum. Ceterum *manubias* quoque pro praeda ſeu pecunia redacta e praeda quandoque ſumi, etſi minus proprie, alibi pluribus oſtendam. aes redactum e capto mure *manubias* vocat Valerius Maximus libro VII. cap. VI. de eo, qui in obſidione Caſilini murem captum ducentis denariis alteri vendebat, poſt fame mortuus, *fame conſumto manubiis ſordium ſuarum diu frui non licuit.* Supereſt alter ejuſdem Velleji locus Cap. LI. ubi L. Cornelius Balbus ex privato conſularis factus dicitur. Capiebam ego jam olim *ex privato*, ex Senatore. Verum obſtat huic opinioni, quod alii quaeſtura functum aperte innuunt hunc ipſum Balbum, atque in his Aſinius Epiſt. 32. libri x. apud Ciceronem, ut recte mones. Non habeo igitur quo confugiam, niſi ut opiner locum eſſe Velleji depravatum, ſive librarii culpa, ſive illius errore, qui ex antiquis membranis deſcripſit exemplar, unde prima editio eſt propagata. Aſſeverat enim *Burrerius* membranas illas littera compluribus locis fugiente vix legi potuiſſe. Quid ſi igitur non *ex privato*, ſed *ex tributario* dederit Vellejus? praeſertim ſi aberrans librarii manus ſcripſerit, *trivatorio. u* in *a* mutato, & *b* in *u*, qui error eſt ſollemnis, unde *privato* poſt factum. Sane Petronius in fragmento Traguriano *cives Romanos* opponit *Tributariis. Eques Romanus es, & ego Regis filius. Quare ergo ſerviſti? Quia ipſe me dedi in ſervitutem, & malui civis Romanus eſſe, quam tributarius.* Sic & *tributarium ſolum* Plinio Hiſtor. Natural. lib. XII. cap. I. Vide, quaeſo, ſi quid concinnius excogitare poſſis. Capite LXIV. apud eundem Vellejum damno & ego jam veterem conjecturam, *de ignobili illo hoſpite Camelo*, & tibi a me diſſentienti aſſurgo. Sed mallem minus timide diſſentires. Satius enim duco errores meos ab amicis detegi, quam ab adverſariis, uti alias monebam, & me vivo, quam vivis ſublato, dum emendari a me licet, quicquid delinquo. Multa in illo ſcriptore ſuperſunt, in quibus parum mihi adhuc ſatisfacio. Ut libro II. cap. 129. *cauſſas preſſius audit.* Vulgatae quidem ſcripturae adhaerere tutiſſimum eſt, quando ea commodum in modum poteſt defendi, quod neſcio tamen an a me hoc loco factum ſit. Certe ſuſpicatus ſum aliquando non *preſſius*, ſed *perpenſius*, aut quid ſimile hîc nobis a Vellejo eſſe relictum, quod tui facio arbitrii. Sed dum errata mea anxie excuſo, illud pene omiſeram, quod maxime veniebat excuſandum, de procraſtinatae reſponſionis nimia mora, niſi adeo te indulgentem experirer, ut de venia ſecurus eſſem, praeſertim ubi valetudinis, non mea culpa eſt in reatu. Vale, Perizoni jucundiſſime, & mihi velle perge. Vianae ad Leccam CIƆIƆCLXXIX. Nonis Februar. Ante paucos dies litterarum nonnihil ad Ampl. *Cuperum* dedi, qui quaeſo ſalveat. De Valerii Maximi codicibus ſic habe, frequentes illos occurrere in priſcis bibliothecis, nullos tamen a me viſos, qui quingentorum annorum aetatem ſuperarent. Narravit mihi pervetuſtum ſe vidiſſe in Vaticana *Voſſius*, cui Mela Pomponius eſſet annexus. Quod ſi ita eſt, facile perſuadeor ut credam, ex eo reliquos Valerii codices profluxiſſe. Leidenſes quoque ſunt recentioris notae.

EPI-

EPISTOLA XXXII.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DE tua in me benevolentia, multis jam ante documentis mihi declarata, quam habebam opinionem, nuper ingenti acceſſione cumulatam auxiſti, quando meam rem apud Lugdunenſes, id quod ex Clariſſ. *Graevio* quoque intellexi, tam ſtudioſe egiſti. Et profecto propenſae huic tuae bene de me merendi voluntati, Praeſtantiſſime Heinſi, tanto plus debere me ſentio, quanto magis hinc abeſſe cupio, & aliquo pervenire, ubi noſtrorum Pelopidarum nec nomen nec facta audiam. indignis enim modis hucuſque nobiſcum egerunt hujus urbis Magiſtratus, qui necdum reſiduum ſalarii paterni, ante initia nuperi belli jam debitum, diſſolvere voluerunt, quamvis poſt illud tempus duos jam Gymnaſio Profeſſores, quatuor populo verbi divini interpretes dederint, atque iis omnibus praefinita die repraeſentari aera curent, antiqui aeris jam olim contracti ſolutione prorſus neglecta. Nec tamen hoc fine ſtabit iniquitas. Sed ſi quando nos tandem abſolvent, id ita facere decreverunt, ut ſors ipſa nunquam exigi poſſit, ſed ut in perpetuum ex certis aedificiis & villis, quae quotannis civitati praeſtant pauculos nummos, nos ipſi uſurae nomine petamus quatuor Carolinos in centum, quo pacto hîc nemo ſummam mille florenorum vendere ſexcentis poſſet. Quin inſuper viduis, & his ſolis quidem, quas inter praecipua eſt mea mater, promiſſum in vocationis paternae tabulis, inter caeteras ſancte & firmiter ſervandas conditiones, honorarium annuum: illius quidem temporis, quo urbem hanc tenuere hoſtes, SCto ante annum fere facto, negant, atque ita ut omnis civitas ad tria, haud amplius, florenorum millia lucretur, de ſorte nobis deminutionem faciant plus quingentorum florenorum, licet hi ipſi ſaepe nobis antea fidem dederint, omnia ſe bona fide ſoluturos, & reliquis etiam omnibus praeter viduas in ſolidum ſint ſatisfacturi, & nonnullis jam ſatisfecerint. Sed querelarum jam ſatis eſt, & muſſitandae nobis ſunt hae injuriae. Vix humane enim patiuntur, ſi non aequiſſimo animo accipimus, quae illi indigniſſime in nos conſulunt. In Vellejo probo omnino conjecturam tuam, Nobiliſſime Heinſi, qua Balbum non *ex privato*, ſed *ex tributario conſularem factum* ſtatuis, nec puto quidquam concinnius propiuſque ſimul corruptae lectionis veſtigia excogitatum a quoquam iri. Similiter quod I. 17. *molimentum* legis, mihi quoque prae altero illo *emolumentum* perplacet. Et forte pro *congregantiſque ſe & in ſtudium par & in emolumentum*, ſcripſerit Auctor, *& ſimile molimentum*, ut *ſtudio pari* deſignaverit intentionem curae ac diligentiae, *ſimili molimento* ſimilitudinem operis: vel quia in vet. ex. teſte Burerio, ſi modo recte in ejus Notis editum eſt, fuit *& memolumentum:* ſimpliciter *& molimentum.* ME orto ex aberratione librarii, qui forte peccatum manus ſuae delere vel neglexerit, vel noluerit. Sed majus ulcus in iſto loco haerere arbitror, totumque ſi patieris, ſic curaverim. *Hujus ergo recedentis in quaſi*

ſeculum ingeniorum ſimilitudinis, congregantiſque ſe & in ſtudium par & molimentum: vel *& ſimile molimentum.* Enimvero cum vetus lectio habeat *recedentis*, & mox ſequitur *congregantiſque*, prorſus exiſtimem haec ſe mutuo reſpicere, & velle Paterculum iſtam ingeniorum ſimilitudinem ab aliis temporibus veluti recedere in tempus quaſi ſeculi, & ſimul in par ſtudium & molimentum ſe etiam congregare. Identidem enim conjungit in hoc negotio ſimilitudinem temporum & operum. cap. 17. Eminentiſſima cujuſque profeſſionis ingenia *in eandem formam & in idem artati temporis congruunt ſpatium.* Et dein cujuſque clari operis capacia ingenia *in ſimilitudinem & temporum & profectum ſemet ipſa ab aliis ſeparaverunt.* Caeterum ſimiliter fere Coelius ad Cicer. VIII. famil. ep. 14. *Sic illi amores & invidioſa conjunctio, non ad occultam recedit obtrectationem, ſed ad bellum ſe erumpit.* Sequitur in veteri codice, ſi Burerio fides, *inq. Seculum*, ex quo non minus, quam *inque*, effici poteſt *in quaſi ſeculum*, h. e. in unius fere, & vix totius ſeculi ſpatium, quia paulo ante *minus* LXXX. *annis circumdatum aevum* dixit. Et ſic Cicer. de Senect. Cap. 23. *Nec vero velim, quaſi decurſo ſpatio, ad carceres a calce revocari.* Sueton. Calig. 58. *Hora quaſi ſeptima.* Plaut Captiv. praef. *Quia quaſi una erat aetas.* Trucul. 1. 1. 48. *Ibi quaſi quotidie ſedent.* Poſſet etiam vocula *unum* facile excidiſſe in unico hoc codice, qua admiſſa commodo loco, omnia ſine alia mutatione forent expeditiſſima. Caeterum etiam alibi littera *q.* turbavit librarios & editores. ſupra Cap. 14. Vetus exemplar habere teſtatur Burerius, *Ad quintum Fabioq. Decio Mure quarto Coſſ.* Omiſerunt plerique τὸ *q.* Gruterus edidit, *At Q. Fabio quintum, Decio Mure quantum Coſſ.* & fidenter, ut ipſe ait, ejicit Burerianam lectionem, quae haud dubie vera eſt, ſed quam Gruterus non videtur percepiſſe. Nec enim voluerit Burerius, *At quintum Fabio, Q. Decio* &c. Sed *At quintum Fabio Quinto, Decio Mure quartum Coſſ.* Sic apud Livium III. Cap. 1. & 29. *Fabius Quintus.* Dionyſ. Halicarn. XI. pag. 689. Φαβιε Βιβολανὲ Κοΐντε. Frontinus Strateg. 1. 2. 2. *Fabius Caeſo.* At paſſim *Claudia Quinta, Pacuvius Marcus, Furius Publius, Cornelius Servius, Lucretius Spurius* &c. Porro infra quoque II. 25. Lipſius dedit, *Nam & Conſulem, ut praediximus, exarmatumque Sertorium*, quum antea legeretur, *Nam & conſul, ut praediximus, exarmatum Q. Sertorium.* Optime Lipſius, *Conſulem*, ſed de exarmato Sertorio tacere ſcriptores recte monet Voſſius, Conſulem vero Scipionem Vellejus ab exercitu ſuo proditum ac deſertum paulo ante dixit, ideoque mavult ille: *exarmatum, atque Sertorium.* Ego vero potius putem librarios neglexiſſe geminare litteram Q. forte quod cauſam ejus non perviderent, atque hoc modo legendum. *Nam & conſulem, ut praediximus, exarmatum, Q. que Sertorium.* Val. Max. III. 7. 5. *Q. enim Metellum, Q. que Pompejum:* Hiſtorici etiam, ut & Vellejus quoque, celebrem virum plerumque, ubi primum nominant, duobus nominibus inſignire ſolent. Tecum item ſentio, vir excellentiſſime, quod II. 129. tutiſſimum cenſes vulgatae ſcripturae adhaerere, & ſimpliciter, *cauſſas preſſius audit* de attentione animi & curae in audiendis cauſſis accipio. De manubiis quoque non habeo multum, quod tuae ſententiae opponam, quandoquidem de quo ambigimus, eas in aerarium aliquando fuiſſe illatas, demonſtrare adhuc ne-

nequeo. Sed tamen quum Auguſtus in monumento Ancyrano dicat ſe *militibus ſuis ex manubiis viritim millia nummum ſingula dediſſe*, idque dein *triumphale congiarium* vocat, dubito etiam, annon Velleius aeque commode & recte pecuniam ex manubiis in aerarium fuiſſe illatam dicere potuiſſet, quoniam utraque pecunia ejuſdem plane generis erat, & haec, quae militibus in triumpho dabatur, ſemper a Livio illi, quae conditur in aerarium, conjungitur, immo ab eo etiam decedebat. Liv. v. 46. *Omne aes argentumque in aerarium conditum. Militibus nihil datum praedae eſt.* Et. *Si ſpreta gloria fuiſſet captivae pecuniae in aerarium illatae, militi dari ex praeda potuiſſet.* XLV. 35. *Paulus antiqua diſciplina milites habuerat: de praeda parcius quam ſperaverant ex tantis regiis opibus dederat, nihil relicturis, ſi aviditati indulgeretur, quod in aerarium deferret.* Deinde plurimi haud dubie triumpharunt praeſertim ante extrema Reip. tempora, quae ambitione fuerunt corruptiſſima, qui nullum publico in loco monumentum, ſive ſacrum ſive profanum exſtruxerunt, & tamen habuerunt pecuniam ex manubiis redactam, praeter vaſa aurea argenteaque, quae facile, patior, cultui deorum in Capitolio ſaepe conſecrata fuiſſe. Verba Livii XXXVI. 35. quum accuratius conſidero, manubiae mihi iſtic poni videntur pro omni pecunia ex divendita praeda refecta, & in aerarium P. R. redigenda. Cenſet ibi Senatus, ut quos ludos inconſulto Senatu voviſſet P. Naſica, *eos uti de manubiis, ſi quam pecuniam ad id reſervaſſet, vel ſua ipſe impenſa faceret.* Nuſquam antea legitur pecuniam aliquam ab illo in publicum quoddam opus inſumptam fuiſſe, unde his ludis quippiam reſervare potuiſſet. Quod ad Aſconii interpretationem attinet, poſſet forte accipi de pecunia & praeda imperatoris, non quae in aerarium inferendae, ſed quae militibus concedi ſolitae opponitur. Romanos enim minime ignoras, vir Excellentiſſime, captarum urbium praedam magnam partem inter milites ſuos diviſiſſe, idque prolixe nos docere Polybium x. cap. 16. 17. Atque hinc Cicero ad Attic. v. 20. capto Pindeniſſo, *Militibus quoque, equis exceptis, reliqam praedam conceſſimus.* Imperatoris vero praeda *quaeſita* ſecundum Aſconium, *erat ex nobili hoſte per deditionem*, quae revera erat publica, & maxima plerumque pars pecuniae in aerarium conditae. Unde, niſi ex victi ac dediti Perſei theſauris ingentem illam pecuniae ſummam in aerarium tulit L. Paulus? Extremis autem temporibus imperator *ex ſua praeda quod vellet facere poterat*, nempe ut vel in ornamenta urbis conſumeret, vel, ſi vellet, in aerarium conderet. Cicero Famil. ep. 11. 17. *De praeda mea praeter Quaeſtores Urbanos, id eſt, Populum Romanum, teruncium nec attigit, nec tacturus eſt quiſquam.* Antiquitus vero neceſſario in aerarium condebat, quod liquet ex Dionyſ. Hal. VII. 8. Ubi Tribunus pl. in accuſatione Marcii Coriolani ait, *praedam ex hoſtibus captam, ad Remp. legis juſſu pertinere, & ne ipſum quidem Imperatorem in eam jus habere, ſed Quaeſtoris eſſe hanc acceptam vendere, & pecuniam hinc redactam in aerarium referre.* Atque hinc ſi in provinciis ludos vel aedem voviſſent, ſolvendi voti poteſtatem, niſi permittente Senatu, non habebant, uti patet ex Livio XXXIX. 5. & XL. 44. Qua propter ſi maxime Aſconius voluiſſet partem certam praedae hoſtilis conceſſam fuiſſe imperatori, pro lubitu ejus publico monumento impen-

pendendam, eamque proprie *Manubias* tunc temporis vocatam, crederem tamen Auctores vocabulum hoc ſaepe etiam in veteri & laxiore ſignificatione uſurpaſſe, ſaltem ita, ut dicere aliquando, ſi uſus veniret, non vererentur pecuniam ex manubiis in aerarium illatam. Haec diſputata ſunt a me, Nobiliſſ. Heinſi, non quod meam conjecturam ſuperioribus litteris propoſitam valere velim, eam enim jam ipſe plane repudio, ſed niſi cum *Voſſio* pro gloſſa ſint habenda moleſtiſſima illa, *praeterquam in Paulo*, ut probare me ſignificem priorem tuam emendationem, qua legebas, *majoremque omni ante ſe illata pecunia in aerarium P. R. etiam a Paulo, ex manubiis intulit*, vel etiam accipere poſteriorem, *pecuniam aerario, praeterque capitolio, ex manubiis intulit*; ſed ita ut *ex manubiis* aeque referri putem ad aerarium, quam ad Capitolium. Verum legiſtin' unquam, vir Praeſtantiſſime, *Pecuniam* ex manubiis illatam Capitolio? nam de ſtatuis, tabulis, vaſis manubialibus non dubito. Caeterum Capitolio etiam quod intulerit Pompejus, ignorari puto; at praeter pecuniam in aerarium deportatam, etiam Minervae *ex manubiis* hujus belli delubrum dicaſſe, docet nos Plinius Hiſt. Nat. VII. 22. In Tacito non eleganter modo & acute, ſed & vere mea ſententia *manubias Deorum* reponis. Utinam vero caetera ibi tam eſſent plana & expedita. Etenim vereor omnino, ne qua illic lacuna ſit. Itaque cogitabam ſecutus tuae emendationis & veteris ſcripturae veſtigia: *qui Capitolio & arce Romana, manubiis Deorum demum penſatis.* abſceſſerunt nempe, vel ſimile quid. Sed hoc quidem, ut & ſuperiora pleraque, tui plane arbitrii facio. Ut vero de alio loco, qui non minus, me dudum jam torſit, apud Frontinum, praeſtantiſſimi ingenii tui ſagacitatem conſulam, examinare quaeſo te ne graveris, quae ille ſcribit Strateg. III. 14. 1. *Maurus interrex, tanquam Caeſarianus Tribuni cornicularius.* Ita nuperrimi editores haec exhibent, longius a vero, ut fit, recedendo. Antiquas edd. praeferre puto, *Martius interim: rex* quod & Tennulius in MSS. nonnullis invenit. Rem iſtic narratam cum apud alios quoque legerim, verum hominis nomen didici eſſe *Munatius*, vel *Minatius*, pro quo *Martius* ſcripſerunt librarii, plane ſicuti in Senecae ludo de Morte *Claudii Marci municipem vides* legitur, pro *Munati*, ut jam obſervarunt eruditi. Strategema vero hoc ipſum accurate refertur a Dione XLVII. pag. 230. ubi homo iſte nominatur *Munatius Flaccus*, & male a Xylandro *Minucius* ſubſtituitur ex Hiſpanienſi bello, ubi *L. Minucius* nominetur; ſed legendum etiam illic *Minatius*, vel *Munatius*, ut habet codex *Fulvii*, teſte Ciacconio, Nam & Val. Max. 9. 2. 4. eundem ut videtur hominem *Munatium Flaccum* vocat, vel, ut vetus codex a me excuſſus, *Minatium*. Meminit & *Munatii* cujuſdam *Flacci* Plutarchus in Catone, & Auct. B. Alex. cap. 52. ubi tamen editur *Munatius Plancus*, ſed reponendum videtur ex Lovanienſi & alio vet. cod. ac Rom. ed. *Flaccus*. At quid quaeſo ſibi volunt. *Interim rex*, vel *Interrex*, quae plane non percipio. Mox malim, *Vigiles quoſdam excitavit, e quibus alios evitans*, non *aliquos*. Quod vitium etiam in Hygino deprehendi fab. 138. *Ut ſe in aliquam ſpeciem commutaſſet*, Legend. enim omnino videtur *aliam*; ſicuti Poët. Aſtron. 2. 28. Idem. *Deos in aliam figuram ſe convertiſſe.*

viſſe. Nam certe etiam hominum aliqua ſpecies eſt, & tribuitur iis hoc vocabulum a Phaedro fab. 7. & Livio XXIX. 17. & XXXXIV. 24. Simile quid volebam aliquando in Vellejo I. 17. *Et velut occupatam relinquens materiam, quaerit NOVAM, praeteritoque eo in quo eminere non poſſumus, aliquid, in quo nitamur, conquirimus.* Volebam inquam: *aliud, in quo nitamur, conquirimus* h. e. novum & aliud quippiam, in quo nitamur eminere, omiſſo eo, in quo eminere non poſſumus. *Nitamur eminere*, ut Nepos Pelop. 2. *Patriam recuperare niterentur.* Suet. Caeſ. *P. Claudium a Patribus ad plebem fruſtra tranſire nitentem* & Auguſt. cap. 10. *provincia Brutum expellere armis niterentur.* Sed manum tandem de tabula, ne deſinere non poſſe videar. Vale, vir Optime, & mihi tui amantiſſimo ac reverentiſſimo bene velle perge. Daventriae a. d. V. Nonas Martis CIƆIƆCLXXIX.

EPISTOLA XXXIII.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

RErum tuarum ſtatus utinam eo loco eſſet, quem mereris, quemque tibi ex animo optaveram, eſſet ſane optimo. Qua de re mihi cum clariſſimo *Graevio* noſtro ſermones ſunt frequentiſſimi, quoties ad me ſolet excurrere, quod facit profecto non rarus. Jamque ſcripſi in Gallias ad amicos, & ſcripturus ſum denuo, ſi quid illic occaſionis forte ſe offerat, qua tibi utcumque conſulatur, dum fortuna tibi apud nos arrideat, de quo non eſt deſperandum, quando pace nunc inſtaurata in melius mutanda fore tempora ſpes haud dubiae adfulget. Me valetudo pertinax toto bimeſtri ſtragulis jam adfixum habet. haec ſilentii diuturnioris cauſa. apud Vellejum lib. II. cap. 51. non habeo quo nodum ſolvam, niſi ſcribimus, ut jam monui, *Ex tributario conſul factus.* de *Emolumento* amplius deliberandum cenſeo; ſunt enim exempla, quae dubium animi me reddunt. Reliqua ſic concinnabam, minima mutatione, ſi permitmittis mihi ut de meo inſeram τὸ *idem*, quod proxime praecedens *idem* in *recidentis* abſorpſit: nam ſic lego. *Hujus ergo recidentis* (pro cadentis) *in idemque ſaeculum ingeniorum ſimilitudinis, congregantiſque ſe & in ſtudium par* &c. ita omnia erunt perſpicua: τὸ *que* redundare ſaepe apud noſtrum dixi lib. I. cap. 8. Poſſes & *recidentis in unumque ſaeculum.* Mox & malo, *aliquid, in quo eniteamus, conquirimus.* Lib. I. cap. 14. perpulchre tu, *Fabio Quinto.* Lib. II. 25. *Quintumque Sertorium* a me quoque curis ſecundis annotatum video. proxime ad verum Claudius Puteanus, *& Quintum Sertorium.* De manubiis in aerarium illatis vix puto exemplum florentis reipubl. Romanae inveniemus: nam ſub imperatoribus, ſub quibus ſolum manubiarum nomen ſuperfuit, de praeda pro arbitrio ſtatuentibus illis, alia res fuit, ut jam monui. Nec tantum vaſa aurea argenteaque Diis dedicanda Capitolio ex praeda inferebantur, ſed aurum etiam argentumque ſignatum, quod nunc hujus, nunc illius Dei, praeſertim tamen Jovis, in cellam recon-

recondebatur. Quod cum dico, facile intelligis, manubias non in ſolum operis publici cujuſcumque excitandi uſum fuiſſe collatas. Quamquam in hunc quoque. Unde enim Pompejus Magnus, niſi ex manubiis, unde Agrippa porticus, theatra, templa, thermas extruxerunt? Neque enim credibile eſt opes horum ad res tantas moliendas ſuffeciſſe, & ut ſuffeciſſe demus, quis tam fatuos fuiſſe credat, ut in uſus publicos plus quam regias opes inſumtas, ſeque pauperatos, vellent? Imperatores tamen ad rem attentiores ſordidioreſque manubias majori ex parte in privatos uſus convertebant. Et hoc eſt, quod indignatur Scipio, tam exacte rationem praedae ex hoſte partae a ſe requiſitam per aemulos fuiſſe. In Taciti loco nondum mihimet ego ſatisfeci. In Frontino non habeo, quod addam iis, quae tu recte viſus es excogitaſſe. Plura volebam, ſi liceret per valetudinem. Virgilii mei exemplar ab Ampliſſimo *Cupero* accipies. Vale, Perizoni jucundiſſime, & me ama. Vianae ad Leccam. CIƆIƆCLXXIX. a. d. XII. Maii. Gregor.

EPISTOLA XXXIV.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUamvis apud te, Excellentiſſime Heinſi, ut ulla diuturni ſilentii excuſatione utar, ſumere mihi non auſim, qui potius id purgandum exiſtimo, quod tam ſaepe Epiſtolis meis tibi obſtrepam, tamen quod nunc praeter conſuetudinem meam diutius litteras tuas, licet amore mei undique pleniſſimas, reliquerim ἀναντιφωνήτους, cauſam fuiſſe ſcito, quod revera primum veritus fuerim tibi in valetudine tua, quam minus commodam eſſe ex te ipſo perquam invitus & dolens didiceram, miſſitandis litteris moleſtus eſſe, poſtea vero occupatiſſimum me habuerint diſſertationes hae noſtrae, in quibus elaborandis quotidie verſabar, & quas citius paulo me tibi miſſurum ſperaveram. Caeteroqui tanta tuae in me benevolentiae argumenta habere me lubens agnoſco, ut non ſine ſumma impietate peccare mihi poſſe videar illam in partem, qua in negligentiae aliquod crimen in te colendo incurrerem. Nulla quantumvis longinqua dies in animo meo oblitterabit memoriam ſummae liberalitatis ac facilitatis iſtius, qua me ad amicitiam tuam primo admiſiſti, & deinceps omni re ſemper es proſecutus, conſtanter tuendo illud mihi honeſtiſſimum amoris tui beneficium. Quid? illa quanti a me fieri putas, quod a te uno, qui gloriae & eruditionis principatum inter eruditos vere obtines, plures tamen accepi doctas & ideo jucundas Epiſtolas, quam ab omnibus aliis, qui in hoc terrarum tractu vivunt, in unum conjunctis, licet cum maxima eorum parte litterarium commercium inſtituere ſaepius tentaverim, tum quod tanta etiam humanitate diſſentientem me nonnunquam a tuae ſententiae auctoritate tuleris, quam virtutem eſſe hoc aevo pene intermortuam, certe in multis deſiderari, expertus ipſe, vere adfirmare jam poſſum. Quapropter ſi quid apud me

me valere exiſtimas merita clariſſimorum hominum, ſi quam, ſaltem pro aetate, judicii maturitatem mihi tribuere audes, ut quid diſtent aera lupinis, & homo homini quid praeſtet, intelligere poſſim, omnino velim & hoc tibi perſuadeas, neminem prorſus eſſe, cui tantum me amoris & obſervantiae debere cenſeam, & debere aeque velim (multum enim mihi intereſt, cui debeam) quantum tibi & Clariſſ. *Graevio*. Sancta proinde ſemper mihi erit & laudatiſſima nominis tui memoria, ſive nobiſcum ages, ſeu te fata fuiſſe, ac me forte tibi ſuperſtitem velint, quod ſi volent, ut quam maxime ſero velint, ex animo voveo. Ne inanes plane rerum ad ſtudia noſtra pertinentium ſint hae litterae, pergam tecum de Vellejo tuo agere, & unum nunc quidem de obſervationibus meis proponam ad locum peſſime adfectum. Lib. II. cap. 82. *Qua aetate Caeſar tam proſpere in Lepidum in Sicilia, bene Fortuna in Caeſare & Rep. militavit ad Orientem.* Prorſus tecum & Cl. *Schegkio* legendum ſentio: *paene Fort. in Caeſarem & Remp.* &c. quibus ut concinnius reſpondeat prior hujus Orationis pars, in qua pro τοῖς *in Lepidum* vetus ex. ſimpliciter habuit *Libium*, putem additione potius, quam contra, vel repititione earundem fere litterarum, ut plerumque factum, peccaſſe Librarium, & ſicuti ſaepe alibi de ſuo adjecit particulam, IN, ita hîc ex ea forte primo repetita ortum deinceps eſſe τὸ *um*, adjunctumque tanquam terminationem ſuſpectae & corruptae jam voci *Libi.* proque ea legendum: *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere ſibi in Sicilia, paene Fortuna in Caeſarem & Remp. militavit ad Orientem.* Quemadmodum Propertius: *Tibi militat aether.* Oroſius, *Poſthabito ſanctorum conſortio, cum quibus ante Deo militans vicerat.* Florus: *Vinci Maſſiliam ſibi juſſit abſenti.* Juſtinus, *Tanquam ſibi, non patriae viciſſet.* & ſimilia, quae notiora ſunt, quam ut apud te multa ejuſmodi memorem. Caeterum lectio iſta non modo prope accedit ad veterem ſcripturam, ſed & cum hiſtorica rei veritate maxime convenit. Sicuti enim quicquid Parthi in Oriente viciſſent, illud deceſſiſſet Reip. Romanae, atque ita etiam Caeſari, quia poſtea ſolus eam obtinuit, ita in Sicilia, ubi non tam in Lepidum militavit illa aetate Auguſtus, quam in Pompejum bellum gerebatur, ἐς ἰδίους ἐχθρούς, ὑπὲρ οἰκείας δυναστείας, ut ait Appianus Ἐμφυλ. E. De Victoria vero non modo Reſp. ſed ne Antonius quidem quicquam lucrabatur, verum omnia, Pompeji nempe, & Lepidi provincias ſibi ſoli Caeſar retinebat, unde apud Plutarchum conqueritur Antonius, & de Victoria Pompejana, & Lepidi provinciis nihil ſibi a Caeſare eſſe adtributum, ut ex foedere oportuerat, Ut adeo vere Caeſar tam proſpere ſibi in Sicilia militaverit. Neque vero Vellejum ab adulatione ſua, qua plerumque contaminat hiſtoriae fidem, nimium recedere puto, ſi clam innuat Caeſarem non tam patriae, quam ſibi in eo bello militaſſe. Certe longius ab ea recedit, quando Julio Caeſari *dominationem*, verbum Romanis inviſiſſimum, tribuit cap. 68. referens Marullum, & Caeſetium Tribunos pl. *pene vim dominationis expertos.* Verum judicio tuo plane ſubjectum volo, doctiſſime Heinſi, quum hanc conjecturam, tum praecipue diſſertationes meas, quas licet oculis & auribus tuis forſan indignas, majorem tamen in modum rogo, ut comiter & benevole accipias, & ſiquidem eos perluſtra-

luſtrare non gravaberis, quicquid in iis deſideres, libere & candide me admoneas. Qua re gratiſſimum mihi vere facies. Vale, vir Nobiliſſime, meque tui amantiſſimum amare perſevera. Daventriae a. d. xv. Septembris CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA XXXV.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

LIbellum tuum, quo non unius argumenti rem antiquariam illuſtras, & accepi a noſtro *Graevio*, & cum domo aliquamdiu abfuiſſem, Hagam profectus, acceptum uno impetu percucurri curata lectione. Quid quaeris? omnia illic terſa, polita, exquiſitae eruditionis plena, & cum de te praeclara quaevis exſpectarim ipſe, ac amicis promiſerim, exſpectationem meam longe ſuperatam eſſe intelligo & miror. Nummum tamen, quem pag. 259. exhibuiſti, nondum a me poſſum impetrare, ut alio traham, quam ad Agrippinam, quae illic ſub ſpecie Magnae Matris Idaeae turrita comparet, ab averſa vero parte Nero adoleſcens ſub ſpecie Hyperionis, Solis nimirum; nec ſententiam tuam videtur prorſus fulcire, quod in altero nummo Agrippinae formam nonnihil diverſam oſtendit. Haud parum enim referre minime ignoras, Romaene an in provinciis procuſi ſint nummi veteres. Graeci certe in honorem Romanorum imperatorum procuſi rudiori ut plurimum Minerva ſunt formati, multoque minus artis oſtentant, quam Latinam praeferentes inſcriptionem. Praeterea, quanquam Latona, non Cybele, Mater Apollinis aeque ac Dianae fuiſſe perhibetur a Mythologis antiquis, Hyperion tamen, qui & Sol, matrem apud illos, ut Deorum plerique, Cybelen agnoſcit.

Qualis Berecynthia mater
Ingreditur curru Phrygias turrita per urbes,
Laeta deûm partu centum complexa nepotes,
Omnes Coëlicolas, omnes ſupera alta tenentes.

Et ſane ſuſpicari poſſis in Phrygia nummum illum, dum Agrippinae aſſentantantur, formatum. Majore cura percurram denuo quae de nummo illo diſſeruiſti, manum fortaſſe daturus rationibus tuis, quod hactenus vix poſſum. Reliquum nunc eſt, ut commentarium de nominibus Romanorum abſolvas, cujus argumenti libellum *Robortellus* quoque dedit, qui ſemet inter libros meos nuper offerebat. Maronem meum jamdudum tibi redditum eſſe oportuit, una cum litteris prolixioribus, ſic affirmante verbis conceptis *Elzevirio*, quod tamen e tuis non ſatis liquido mihi compertum eſt. Vale. XXIV. Octob. CIↃIↃCLXXIX. Vianae ad Leccam.

EPISTOLA XXXVI.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PRO ſingulari humanitate, qua, quum poſt longam temporis intercapedinem praeſens in tui obtutu domi tuae ſtudioſiſſime haererem, perquamcomiter me excepiſti, Nobiliſſime Heinſi, gratias uti debeo, ita ago tibi ſane quam maximas. Et ſiquidem ingenui eſt, cui multum debeas, ei plurimum velle debere, confidentius iterum ad tuam facilitatem accedo rogitans, ut, quod nuper ultro ac liberaliter in te recepiſti, libelli mei, quae accipis, exemplaria, alterum ad Clariſſ. *Vaillantium* in Galliam, alterum ad *Carpzovium* in Germaniam una cum additis litteris mittenda curare velis. Aliud etiam *Graevio* noſtro commiſi ad *Pet. Dan. Huetium* perferendum, quod forte conſultius eſſet conjungi cum eo, quod *Vaillantio* deſtinavi. Valerio Maximo manus jam admovere coepi, in cujus nomina & vitam dum inquirebam, egi etiam de *Maximo Cotta*, Meſſalini fratre apud Ovidium, eademque opera oſtendi viros praeclaros *Sigonium*, *Onufrium* & *Pighium* turpiter confudiſſe duos illos Meſſallae Oratoris filios, dum Conſulem *Meſſallinum* vivo Auguſto vocant *Meſſallinum Cottam*, qui fuit frater iſtius conſulis, eoque vivo *Maximus Cotta*, ſed poſt illius mortem demum *Meſſalinus Cotta* appellari coepit, ut patet ex Paterculo II. 112. Ex quo & ipſo apparet vere *Meſſallinum* ornamentis triumphalibus honoratum fuiſſe, ut olim ſuſpicabaris ad Ovidii Epiſt. Ponticas II. 2. 91. qui tamen locus crucem adhuc mihi fixam habet. Quomodo enim *ante diem* venit comis ejus digna laurea, ſi *decreta merenti*, immo aliquamdiu poſt ejus Conſulatum. Conſul enim fuit A. U. C. 750. at ornamentis illis triumphalibus honoratus A. U. C. 764. ut conſtat ex Faſtis. Suſpectum mihi valde τὸ *diem*, & forſitan τὸ *Ante* reſpicit ſequens *quam*, quoniam in codice Sarravii teſtaris eſſe *quamque*, quo pene putem ſignificari, *quam quae decreta merenti*. Nihil in ſecundis & uberioribus tuis curis amplius ad hunc locum habes, Vir Eruditiſſime? Magis adhuc me cruciat apud eundem Ovidium in Faſtis VI. 809. & in Pontic. Ep. I. 2. 141. *Matertera Caeſaris*, quae nupta fuerit Marcio Philippo, qui aedem Herculis Muſarum extruxit. Ei enim ipſam Caeſaris matrem Atiam nupſiſſe ex hiſtoriis notiſſimum eſt. Immo de nulla unquam Caeſaris Auguſti, qui intelligitur, matertera apud alios quicquam legiſſe me ſcio. Neque tamen Ovidius erraſſe potuit, quippe cujus uxorem matertera illa Caeſaris olim in ſuis comitibus habuiſſe ab eo ipſo dicitur. Quod ſi & eum nodum, qui maximus mihi eſt in familia Auguſtea, expedire potes, quaeſo te, id facere ne graveris. Reperi in publica hujus urbis Bibliotheca antiquum ſane Commentarium Valerii Maximi, conſcriptum a *Fratre Dionyſio de Burgo Sancti Sepulchri, Ordinis Fratrum Heremitarum S. Auguſtini*, dedicatumque *Johanni de Columna S. Angeli Diacono Cardinali.* Caeterum neque tempus, neque locus, neque officina, qua aut unde

in lucem exierit, uſquam in fronte, vel calce, vel poſt praefationem apparet. Aetatem iſtius hominis & commentarii ſi docere me poteris, Excellentiſſime Heinſi, rem certe facies longe gratiſſimam. Quamvis enim ejus Annotationes parum bonae frugis contineant, tamen in ipſis Valerii verbis, quae identidem pene omnia ponit (nam ipſe textus non eſt additus) ſequitur magis MStos, quam ullam editionem, ut quantivis mihi ſit pretii, & prorſus fere in eam adducar ſententiam, ſcripſiſſe eum haec, antequam typis ullum Valerii Maximi exemplar fuerit deſcriptum, quia, ut dixi, nullam ſequitur editionem, non quod erudite uſquam ab iis diſſentiat, ſed quod alios videatur habuiſſe codices. Vale, vir praeſtantiſſime, & me amare perſevera. Daventriae Kal. Decembribus CIϽIϽCLXXIX.

EPISTOLA XXXVII.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

INdignor ſane tam negligenter mandata mea ab *Elzevirio* curata fuiſſe, ut quas menſe Majo verboſas ſatis ad te dederam, eas aut domi ſuae aut in via paſſus ſit perire. Agebant illae de variis Paterculi locis, quantum recordari datur, de illo in primis libri primi capitis XVII. ut in veteri codice exaratus occurrit: *Hujus ergo recedentis inque ſaeculum ingeniorum ſimilitudines*, quem δεύτεραι meae φροντίδες ſic retractabant: *Hujus ergo recidentis in idemque ſaeculum* (vel, *in unum idemque ſaeculum*) *ingeniorum ſimilitudinis* &c. ut mediae τοῦ *recidentis* ſyllabae abſorpſerint τὸ *idem*. De *emolumenti* ad haec varia ſignificatione pluribus diſputabam. malebam & mox, *aliquid, in quo eniteamus. eniteſcere* enim proprium hac in re; ut *toga eniteſcere*, pro eloquentia apud Tacitum. Deinde laudabam tuum illud lib. I. cap. 14. *Fabio Quinto*, & lib. II. cap. cap. XXVI. *Quintumque Sertorium* curis ſecundis a me quoque deprehenſum, ſignificabam, cum *Claudius Puteanus* proxime verum conjeciſſet, *& quintum Sertorium*. De *manubiis* in aerarium illatis florentis reipublicae tempore exemplum quaerebam. Et haec quidem tum copioſe, praeter alia. Nunc ut ultimis tuis reſpondeam, locum Naſonis Ponticorum libro II. El. II. verſ. 91. ſic a me curis ſecundis recognitum ſcito e veſtigiis Sarraviani codicis omnium veterrimi, ſed mendoſe deſcripti, quo in loco caecutiebam prius:

Hanc colet ante diem, quam qua decreta merenti
Venit honoratis laurea digna comis.

Minimum receſſi a laudato codice, niſi quod pro *quamque* refinxi *quam qua*. & alludunt aliae membranae plures, in quîs, *quam quam decreta*. Illud quoque recte Sarravianus praecedenti verſu, *ſecundus erit*, non, *eris*. Jam enim ſupra deſierat Meſſallinum alloqui, *His Meſſalinus* &c. Hanc ille diem colet etiam ante illam, quia decretam a Senatu laurum accipit. Nam & laurea corona inter orna-

ornamenta triumphalia, quibus donatum hoc bello Meſſallinum conſtat e Paterculo, numeranda venit. Nec diſſimulari oportet, quod Argentinus codex inter vetuſtiores exhibebat, *quam quam decreta parenti*, pro *quam qua* itidem. Et ſic melius fortaſſe procedet comparatio inter diem hujus Tiberiani triumphi, & illam, qua Meſſalla Corvinus, pater Meſſallini, triumphavit de Aquitanis. ut innuat majore ferri Meſſallinum pietate erga res a Tiberio bene geſtas, quam a patre. Eſt autem locus ſingularis, unde manifeſtum fit, quotannis ſolitos fuiſſe coli triumphos majorum, tamquam domeſticum ac gentilitium ſacrum, apud Romanos a filiis nepotibuſque. De Meſſallino, deque ejus conſulatu plura congeſſi ſecundis curis ad librum I. El. VII. Pontic. mirum ejus exitum narrat Plinius Naturali Hiſtoria admotis hirudinibus. *Cotta* frater, qui Meſſallino vivo, *Maximi* cognomen e Valeria, ut puto, gente, ſibi vindicabat, etiam poſt adoptionem, eo extincto id mutavit in *Meſſallini* cognomen, docente Vellejo. Hunc etſi miris ubique laudibus extollit ſibi conjunctiſſimum Naſo, tamen ſub Tiberii principatu malis eum artibus gratiam Caeſaris captaſſe ſatis demonſtrat Tacitus. Inſignem etiam helluonem fuiſſe e Naturali ejuſdem Plinii hiſtoria patet, unde *lippos oculos* ſub extremum vitae videtur contraxiſſe. Utrumque in illo perſtringit Perſius, *de plena quod dare lance Non poſſit magni Meſſallae lippa propago.* In Neroniana enim tempora Cottam produxiſſe vitam monet illic Scholiaſtes antiquus. De ipſo Meſſalla plura in adverſariis congeſſi; viro eximiis animi dotibus, eloquentia praeſertim conſpecto, quem Maecenati Aſinioque Pollioni ſoleo praeferre. De *matertera Caeſaris* in Faſtis locus eſt ſubobſcurus, fateor, cui alios ſcriptorum locos ſic conciliare ſum aliquando enîſus, ut duo fratres Philippi Marcii aut agnati duas ſorores Atias habuerint uxores, alteram Auguſti Matrem, alteram materteram, filiaque fuerit materterae, privigna certe, *Marcia* illa, quae Fabio Maximo poſt enupſit, quamque Naſo paſſim invidioſis extollit laudibus, & quam Marito cauſam mortis fuiſſe Tacitus teſtatur. Sororem Auguſti hanc fuiſſe uterinam nullus veterum, quod ſciam, dixit. Miror interim magno *Lipſio* ad Paterculi lib. II. cap. CXXVII. in mentem venire potuiſſe, ut hunc Fabium inter homines novos collocaret, Agrippam Statiliumque Taurum, perperam tentata Velleji lectione vulgata, quae & *Gronovium* τὸν πάνυ in Obſervationibus decepit, ut pro *maxime ab eo* reponeret *Maecenate.* atqui Maecenas ne Senator quidem, multo minus aut praetorius aut conſularis aut triumphalis, ut alii duo: quomodo igitur homo cetera nobiliſſimus hîc cum novis componatur hominibus? Fabius certe, ſi homo novus nec antiqua Fabiorum ſtirpe oriundus, nunquam Marciam duxiſſet feminam, ut nobiliſſimam per ſe, ita Auguſto vel conſanguinitatis vel affinitatis jure junctam proxime. Et haec quidem hactenus. Libri tui alterum exemplar in Gallias jam miſſum eſt, alterum in Germaniam ſuperiorem propediem mittetur. Geſneri bibliothecam non habeo, ſed Simlerus aut certe Friſius in ejus epitome edita anno MDLXXIII. haec prodit, cum apud Geſnerum plura fortaſſis ſint invenienda de hoc Dionyſio: *Dionyſius de Burgo Sancti ſepulcri ordinis fratrum Eremitarum Divi Auguſtini: ſcripſit Commentaria in Valerium Maximum, in*

 opera

opera Virgilii, in libros transformationum, in tragoedias Senecae, in libros politicorum & rhetoricorum, item in Poetica Ariſtotelis, & quaedam alia. Claruit anno D. 1412. Vale, mi Perizoni, & bene rem age. Vianae ad Leccam. CIƆIƆCLXXIX. a. d. XII. Decembr.

EPISTOLA XXXVIII.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DOleo ſane & ego, & maximo quidem opere, tam deſideratas tuas litteras, quaeque de tam variis Paterculi locis mecum agebant, in via intercidiſſe, vir Nobiliſſime, idque tanto acerbius fero, quanto majus iis pretium apud me ponitur, non modo ex ceteris tuis Epiſtolis, ſed praecipue ex nupera illa a *Joh. Menningio* mihi reddita, qua Ovidiani in Ponticis loci ſane quam obſcuri praeclaram (ita ſim felix) emendationem ex curis tuis ſecundis depromptam ad me miſiſti. Nihil poſſum, niſi εὐφημεῖν, & ex animi mei ſententia καλῶς acclamare. Utinam, utinam, Excellentiſſime Heinſi, tuas illas ſecundas curas brevi in publicum emiſſas videre liceret, neque tam diu apud te contineres ditem adeo bonae frugis theſaurum, neque eum tantum, ſed & alterum Virgilianarum Obſervationum priore, ut auguror, nihilo inferiorem. De filiis Oratoris Corvini in eandem nos deveniſſe ſententiam mirum in modum gaudeo. Quod quamvis & ex ſuperioribus meis litteris abunde cognoſcere potueris, tamen ut quicquid ea de re ad nomen Valerii Maximi notavi & congeſſi, perluſtrares, ſi tanti videbitur, deſcriptum oculis tuis & judicio, cui plurimum ego ſane tribuo, ſubjicere volui. Ubi legeris, ad me remittas, rogo. De matertera Auguſti, quae Philippo nupſerit, vellem tam expedita eſſet res. Nam Philippus is, qui aedem Herculis Muſarum exſtruxit, non alius videtur fuiſſe ab Auguſti vitrico, homine conſulari: quoniam ille non modo ab Ovidio *clarus Philippus* vocatur; ſed & a Suetonio inter *principes viros*, qui monumentis extructis urbem adornarit, primo loco nominatur in Aug. cap. 29. quae non videntur convenire in alium, nullis honoribus functum, & cujus, qui ſuperſunt, Hiſtorici nulli in ulla alia re meminerunt. Adde quod Cicero Philipp. III. cap. 6. ubi Antonio reſpondet, qui Octaviano Aricinam matrem objecerat, nullius alterius Philippi, niſi Lucii conſularis, qui Aricinam habeat uxorem, neque alterius Atiae, quae Octaviani fuerit matertera, meminerit, licet ſi alia fuiſſet, & quidem honeſte nupta, eam non videatur fuiſſe praeteriturus, ad majorem Antonio invidiam. Quod miraris *Lipſium* Fabium maximum, Philippi generum, inter homines novos in Paterculo collocaſſe, eumque non e priſcis Fabiis oriundum cenſuiſſe, mirabar & ego vehementer, quum legebam. Aperte enim Ovidius contrarium indicat, quando ita eum alloquitur,

Qui naſci ut poſſes, quamvis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abſtulit una dies.

Ut & quod alibi *Herculeam* in eo ſimplicitatem laudat, quia priſci illi Fabii ad Herculem ſui generis originem referebant. Sed ſi Ovidio parum credidit, credidiſſet ſaltem Senecae ſuo, qui de Clementia I. 9. exponens verba Auguſti, quibus ille L. Cinnae, inſidias ſibi ſtruentis, ſtolidam temeritatem caſtigavit, inquit. *Cedo, ſi ſpes tuas ſolus impedio. Paulusne te, & Fabius Maximus, & Coſſi & Servilii ferent, tantumque agmen nobilium, non inania nomina praeferentium, ſed eorum, qui imaginibus ſuis decori ſunt.* Ubi utique inter omnium tunc temporis nobiliſſimos ille quaſi praecipuus cum paucis nominatur. De conjectura mea, qua apud Vellejum II. 82. legebam. *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere SIBI in Sicilia* &c. Quae tua quaeſo ſententia eſt? Catalogum Bibliothecae Vogelſangianae, quamvis forte nihil ex ea ſis deſideraturus, tamen mitto, ut, ſi quid forte reperis, quo tuam augeri velis, debita tibi opera mea utaris; Et occurrit, ni fallor, libellus, quem ex Hogerſiana Bibliotheca ab illo emptum tunc temporis maxime omnium deſiderabas. Eum & ſi quos alios tibi comparari velis, admone & impera. Vale, vir Nobiliſſime, & me meaſque ſpes & vota tibi commendatiſſima habe. Daventriae a. d. XII. Januar. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA XXXIX.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Superiores meas litteras non modo te accepiſſe, ſed & ad eas ab inſigni tua humanitate exſpectandum mihi fore reſponſum, ſimul ac auriga Trajectum repetierit, ex *Munkero* noſtro intellexiſſe mihi videor. Viſum eſt tamen faciendum, ut interea temporis has ad te darem, vir Ampliſſime. Audivi enim *Alardum Uchtmannum* Linguae Hebraicae, &, ni fallor, etiam Graecae Lugduni in Batavis Profeſſorem, morbo & ſenio extinctum diem ſuum obiiſſe. Ea ſparta ut mihi ornanda decerneretur, maximo opere vellem. Et quum utrique linguae excolendae a puero ſedulam ſemper operam dederim, in me recipere audeo, exſpectationi hominum abunde me induſtria & labore improbo, qui omnia vincit, ſatis facturum. Quam ob rem, Nobiliſſime atque Optime Heinſi, ſi quid tua commendatione votis meis conſulere, iſtamque cathedram ſi auctoritatis tuae pondere conciliare mihi potes, poſſe autem te multum in Batavis puto, eam quaeſo mihi operam dare, & nomini ac memoriae tuae iſto tanto beneficio in perpetuum me devincire ne graveris. Etenim ut jam cetera mittam, quae me honeſtum locum anxie circumſpicere jubent, vehementer cupio tandem aliquando hinc abeſſe, ubi ſolus meorum aequalium nullo ſum numero, οὔτ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ, quum caeteros omnes, immo & aetate longe minores, & qui diu poſt me ex inferioribus Scholis, quas ego jam ante hos duodecim annos reliqui, ſe emerſerunt, hono-

honoribus & titulis auctos videam, ut adeo pene lucem hîc fugiam, & totos dies quaſi claudus ſutor domi ſedeam. Neque vero, quos in hac ſolum Urbe, ſed & quos in Academiis novi, aliquot jam honorum gradus feciſſe comperio. Vel *Triglandius* ille, Bredanae qui nunc Eccleſiae praefectus, & brevi vel hîc *Vogelſangii*, vel Trajecti *Burmanni* vices excipiet, aeque ac ego, eo anno, quo Lugduni egi, atque ultimum Profeſſores audivi, & forte etiam poſt, inter adoleſcentulos, iſtius Academiae cives, numerabatur. Quid multa? dixerim pene vel me huic ſtudiorum generi, quo unice delector, dedecori, & dehoneſtamento eſſe, vel illa ipſa ſibi, quoniam diligentem me iis operam navare vident ſane homines, & tamen nullum inde fructum percipere, niſi in contemtius dicam, an moleſtius erectae indoli piſtrinum, balbutientium tantum non puerorum ludum, detrudi me aequo animo patiar. Noſti autem, vir Nobiliſſime, quam paucis hoc tempore, immo quam pene nullis non modo virtus, ſed neque ſcientia ipſa ſui ſit pretium, praeſertim ſi, praeterquam quod non niſi labore & aſſiduitate comparatur, comitem inſuper habere cogatur ingratam illam Bonae mentis ſororem Petronianam: & contra ea, quam pene omnes ad earum potiſſimum artium & doctrinarum ſectam ſe applicent, unde laborum ſuorum fructum certius & celerius ſe augurantur percepturos. Vale, vir ſumme, meaque ſtudia ac vota omni tempore & occaſione tibi habe, quaeſo, quam commendatiſſima. Daventriae a. d. VII. Kal. Febr. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA XL.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

DE Valeria gente, quae diſſeruiſti ad Maximum Valerium, legi equidem, mi Perizoni, incredibili quadam cum voluptate, ex iis etiam ſi doctiorem me factum dixero, mentiar haud quaquam. Nam fratrem Meſſallae Corvini, ab Horatio laudatum, Gellium fuiſſe dictum Poblicolam ignorabam: atque adeo miratus nonnunquam ſum, hujus mentionem ab aliis illorum temporum ſcriptoribus vix fieri. Meſſallina Claudii, illa tam indigna nomine clariſſimae gentis femina, quam prope ipſo agnationis vinculo Corvinum Meſſallam contigerit, id vero cum quaeſiverim tacita cogitatione ſubinde a memet ipſo, non inveni tamen, quo nodum ſolverem. Porro Meſſallinum & Cottam, Corvini filios, fratres germanos facis. Cottam matre prognatum Aurelia Naſo non ſemel teſtatur: de Meſſallini matre compertum nihil habeo. Et ſane potuit plures uxores habuiſſe Corvinus, inter quas Terentia quoque Ciceronis numeratur. Quicquid ſit, annis vicenis totis ac pluribus etiam Cotta juniorem Meſſallino facile liquebit, ſi Cottam paſſim juvenem dici in Ponticis Naſonianis, illa etiam elegia, quam ejus libri ultimam poëta conſcripſit, obſervamus: Meſſallini vero, tamquam adoleſcentis, Tibullum meminiſſe, certe cui triumphum exemplo paterno auguretur. Fingamus decennem tunc fuiſſe Meſ-

ſal-

ſallinum, Tibullum id ſcripſiſſe viceſimo aetatis anno, nam quintum & viceſimum non exceſſit, ut noſti, a prima adoleſcentia in clientelam Corvini receptus, & expeditionum ejus comes tantum non aſſiduus: jam egerit annum aetatis quadrageſimum quintum excedente e vivis Naſone Meſſallinus. Naſo enim & Tibullus eodem nati ſunt anno, Hirtio ac Panſa Coſſ. ſed prior ille in vivis eſſe ſub annum aetatis LVI. deſiit, juvenc adhuc, ut dictum eſt Cotta, qui aetatem in Neroniana extendit tempora. Nec alios fuiſſe Meſſallino aut Cottae fratres habemus ex antiquis ſcriptoribus compertum. Hac de cauſa fit, ut potius credam non fuiſſe fratres germanos hos duos. Sed hanc tibi ſpartam praeſtat relinquamus intactam. De matertera Caeſaris Philippo nupta fateor me nodum non expedire. Illud vero mirum; non ſatis ab interpretibus Maronianis animadverti; ſi Servium excipimus, Atiae genti ac per illam Caeſari blanditum eſſe Virgilium Aeneidos v. cum datis in ludo puerili equeſtri illo primis Aſcanio partibus, ſubjungit verſ. 568.

Alter Atys, (genus unde Atii duxere Latini)
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Julo.

Ita enim legendum. Eſt autem Atys Phrygium ac Lydum nomen, quomodo dictus & ille, qui Lydorum in Tuſcos coloniam primus deduxit, & Croeſi Regis filius, nam diverſum nomen eſt *Attis.* Atiam igitur gentem ut faciat anquiſſimam ab amico Aſcanii Atye deducit. E quo Maronis loco etiam manifeſtum fit, *Atiam* gentem eſſe dicendam, non *Actiam* aut *Attiam.* Ceterum Fabii, qui Marciam Philippi Filiam uxorem duxit, nobilitatem recte vindicas adverſus *Lipſium.* Nec *Lipſio* felicius Velleji locum tentabat Cl. *Gronovius*, qui in Obſervationibus pro *Maxime ab eo*, volebat *Maecenate* reponi. At Maecenas nec praeturam aut conſulatum geſſit umquam, nec triumphavit, ne ordinem quidem equeſtrem exceſſit. Quomodo igitur vir nobiliſſimus, & *Tyrrhena regum progenies*, inter homines novos numerabitur? At Agrippa & Taurus conſulares & triumphales viri, nullis majorum imaginibus praeſulgentes, recte *homines novi* dicuntur. *Maxime ab eo*, pro poſt eum. *tu nunc eris alter ab illo* apud Maronem. Haec pluribus exſequebantur illae, quae perierunt, litterae, ſi probe recordor. Etiam de illo agebant loco, *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere ſibi in Sicilia.* Sed quid tum ſcripſerim, non redit in memoriam. Tua certe conjectura non abit longe a priſca codicis antiqui lectione. E Vogelſangiana bibliotheca praecipue redemtos mihi velim, praeter illam carminum collectionem de corrupto eccleſiae ſtatu, Sebaſtiani Foxii in Platonem commentarios, qui occurrunt in fol. N 87. & Seldenum de ſucceſſionibus ad leges Hebraeorum in Q. 32. Sed de his pluribus alias, ut ſpero. Vale, mi Perizoni. CIↃIↃCLXXX. Ipſis Kal. Februar. Gregor.

EPI-

EPISTOLA XLI.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUas ad me Kal. Febr. aerae Gregorianae dediſti literas, Vir Nobiliſſime, perlatas ſcito, ſed quum jam ipſe ad te miſiſſem, quibus honorem meum, quid dico, honorem? immo fortunas meas omnes, & ſtudiorum vigiliarumque deſideratiſſimos jam denique fructus, ne prorſus inutile ſtudium tentaſſe & mihi & aliis viderer, quam poteram diligenter tibi commendabam. Eas itidem perlatas, & nonnihil apud te pro inſigni tua, qua erga me ſoles uti, liberalitate ac facilitate valituras non dubito, & quoniam etiam ſupervacanea oratio apud benevolentem animum nihil nocet, ut valeant, meque, ſi potes maximo beneficio tibi in perpetuum devincias, majorem in modum iterum rogo & obſecro; Quod quae de Valeria gente diſſerebam, legere & ad exactiſſimi tui judicii normam examinare non es gravatus, feciſti mihi (vere dico) rem longe gratiſſimam: & exoſculor amantiſſime tum candorem, tum accurationem tuam, injecto mihi ſcrupulo de Meſſalini matre. Fateor enim, ut non ad omnia aeque ſemper intentam habemus mentis aciem, parum liquido probari poſſe, quod tunc adfirmavi; Corvini filios Meſſalinum & Maximum Cottam fuiſſe fratres ὁμομητρίους. Quod tamen ut facerem, & nulla cum dubitatione ea in re ſentienda & ſcribenda verſarer, his inductum me rationibus perſpicio. Sciebam Aureliam, Cottae F. fuiſſe uxorem Corvini, nullam vero aliam praeter hanc vel a me vel ab aliis obſervatam memineram, niſi Terentiam Ciceronis, ex qua tamen liberos gignere non potuiſſe liquebat. Major enim natu jam fuit, immo avia, quum a Cicerone repudiaretur, & tamen ante Meſſalam etiam Salluſtio nupſit, ut plane veriſimile ſit, eam, quoniam inter maxime longaevas ab hiſtoricis refertur, aetate jam longius provectam Meſſalae, qui fecundam novercam ſuper inducere liberis, quos plures habuit, noluiſſe videtur, matrimonio fuiſſe conjunctam. Quod ad aetatem duorum fratrum adtinet, laxius paulo accipiebam ſignificationem τοῦ *juvenis*, quomodo Cottam appellari ab Ovidio, ſed eo jam ſeniore, etiam poſt Auguſti obitum Pontic. Eleg. ultima ſciebam. *Juvenes* enim a Romanis dicebantur, ut optime noſti, qui in viros erant tranſcripti, & quidem uſque ad XLV. aetatis annum, ſi fides Varroni. Et ſane *juvenem* vocat Dolabellam Conſulem, Caeſare jam interfecto, Cicero in Epiſt. IX. 14. Orphea a Bacchis occiſum Virgil. IV. Georg. verſ. 522. Tarquinium Priſci F. Liv. I. 47. quum jam ille regio faſtigio depelleret Servium, qui tamen poſt patris Tarquinii mortem XLIX. regnavit annos, plane ut Hebraei נַעַר, quam vocem Belgas, & Junium, vidi ſaepenumero vertere *puerum*, *een jonge*, etiam de hominibus, qui 40. & 50. annos jam ſuperaverant, veluti de Abſolomo jam interempto II. Sam. 18. & Tiziba, qui Sauli ſer-

ſervus fuerat, xv. filiorum patre ibid. cap. 9. & 16. & 19. quum tamen Belgis homines majorennes, quantumvis ſervi, nunquam vocentur *Jongens.* Cotta autem Meſſalinus ſecundo Tiberii imperantis anno in Senatu inter primos & Conſulares ſententiam dicit. Tacit. An. II. 32. & ſaepius deinceps, ut adeo crediderim, & illum Conſulem ſuffectum incerto nobis anno jam tum fuiſſe, & idcirco non admodum juvenem, quum Auguſtus moreretur. Immo & fratrem videtur habuiſſe, minorem aetate, tertium Corvini filium, qui quarto poſt anno Conſul fuit cum M. Aurelio Cotta. Tacitus certe eum *M. Valerium* vocat, Ann. III. 2. *Valer. Meſſalinum* cap. 18. At cap. 34. *Mox Valerius Meſſalinus, cui parens Meſſalla, ineratque imago paternae facundiae.* Nullum alium his ſignificari putem quam tertium, ut dixi, Corvini filium, quamvis Onufrius in Faſtis eum *Corvini nepotem* Taciti auctoritate vocet, fallente haud dubie virum, etiam alias ſatis negligentem, memoria. Taciti enim auctoritas facit, ut id ſtatuere non audeam, quod ceteroqui mallem, quoniam eadem plane illi tribuuntur nomina, quae primo Meſſalae facundi Oratoris filio, niſi quod alii eum non *Meſſalinum*, ſed *Meſſalam*, vocent. Sed dicendum forte, eum poſt mortem fratris, ejus praenomen, quod in illa familia pene perpetuum erat, ſibi ſumſiſſe, & unius cognominis diverſa forma, quum viverent uterque, inter ſe fuiſſe diſtinctos, ut alter *Meſſalinus*, alter vero *Meſſala* vocaretur, quod & alias factum obſervavi. Nequaquam tamen negaverim inter natales primi, & poſteriorum Corvini filiorum longiuſculum annorum ſpatium interceſſiſſe. Sed & filias habuit Corvinus, unam certe in Taurorum familiam, & forte etiam alteram in Vipſtanorum innuptam. Harum aetas media inter filiorum Corvini aetatem interjecta potuit fuiſſe. Sed neque ſcio, unde conſtet, Cottam in Neroniana uſque tempora vitam prorogaſſe, niſi forte ex Perſii loco, quo tamen ſolo id clare probari vix putem, quum iſtic commode ſatis nominari potuerit, homo jam aliquamdiu mortuus, ſed nobilitate ſua, & vitiis, omnibus adhuc notus. Certe Tacitus, qui Cottae Meſſalini identidem meminit in rebus Tiberii exponendis, nunquam ab eo quid factum vel in Senatu dictum narrat Claudii vel Neronis tempore, niſi tum & ſenio & infamia fuerit habitus pro civiliter mortuo. Sed tamen eo jam tempore pronepotes Corvini floruerunt. Nam ejus pronepos fuit Neronis tertium Conſulis collega, Tac. Ann. XIII. 34. Meſſalinam Claudii Suetonius dicit fuiſſe filiam Meſſalae Barbati. Eum interpretes Torrentius & Sigonius in Faſtis tradunt fuiſſe Conſulem A. U. C. 741. cum P. Sulpicio Quirino. Certe Dionis Index lib. 54. iſtius Anni Conſulem Βαρβάτον vocat, ſed praeterea nemo. Fuerit autem ille *Barbatus*, ſic tamen non pater, ſed haud dubie, avus Meſſalinae ſtatuendus eſt. Ab eo enim anno uſque ad primum Claudiani imperii intercedunt plus 50. anni. Ipſe vero in Conſulatu mortuus eſt, ut ex fragmentis Faſtor. Capitol. conſtat. Debuiſſet ergo Meſſalina regnante Claudio quinquaginta annos exceſſiſſe, quod falſiſſimum eſt. Sed & graviter errare puto τὸν πάνυ *Lipſium*, quamvis omnes ferme eum ſequantur, quum Suetonii locum vel emendatione vel violenta nimis expoſitione vexat. Tranquillus ait duxiſſe Claudium Meſſalinam *Filiam Meſ-*

ſalae Barbati, *conſobrini ſui.* Hîc ille legi jubet, *& conſobrinae ſuae*, vel ita exponi, ut Barbatus dicatur conſobrinus Claudii, quia ejus conſobrinam in matrimonio habuerit. Nempe Tacitus Ann. XI. 37. Meſſalinae matrem vocat *Lepidam*; *Domitia* vero *Lepida*, Neronis amita, vere fuit conſobrina Claudii: Ergo hoc tanquam certo argumento tantum ſibi in Suetonio permittunt, & Lepidam Domitiam Meſſalinae matrem fuiſſe affirmant, quaſi non multae aliae tunc temporis fuerint Lepidae & Lepidi. Sed manifeſte, ut arbitror, refelluntur (*Lipſium* dico, *Torrentium*, *Fromondum* ad Senecam, & qui praeterea cum *Lipſio* ſentiunt) ex Tacito Ann. XII. c. 64. 65. Illic enim Domitia Lepida ad mortem dicitur adacta ab Agrippina, earumque mulierum *aetas*, & *forma* haud multum diſtare, quod utique de Meſſalinae matre, quae multo plures debuit habuiſſe annos, quam Agrippina, vix credibile eſt. Porro accuſata dicitur, *quod conjugium Principis devotionibus petiiſſet.* Haec vero accuſatio nullam veri ſpeciem praeferret, ſi ea Meſſalinae fuiſſet mater, quam quis crederet generi ſui, & quidem paulo poſtquam ille filiam ejus interfici juſſiſſet, conjugium expetiiſſe vel ſperaſſe? Ut taceam Lepidam Meſſalinae matrem tradi Ann. XI. *fuiſſe filiae florenti haud concordem*, & ſupremis ejus neceſſitatibus adfuiſſe, *miſeratione evictam*; at Domitiam Lepidam An. XII. *impudicam*, *infamem*, *violentam*, & vitiis certantem cum Agrippina. Quid ergo? Annon exiſtimabimus, Eruditiſſime Heinſi, Suetonium non eſſe tentandum; eique credendum, Barbatum Meſſalam fuiſſe ipſum Claudii conſobrinum, nempe per alteram ut putem, Marcellarum, quae fuerunt ſorores uterinae matris Claudii Antoniae: & hinc apud Senecam de morte Claudii, Auguſtum vocari majorem avunculum Meſſalinae aeque ac Claudii, ad invidiam huic faciendam, qui eam interfecerat, & propterea benignius interpretandum eſſe, quandoquidem patris Meſſalinae proprie major jam avunculus erat Auguſtus. Aeque infeliciter non a *Lipſio* ſolum, ſed & a Clariſſ. *Gronovio* in Obſervationibus tentari Vellejum, ubi de amicis praecipuis Auguſti loquitur, tecum omnino ſentio, vir Excellentiſſime, & alieniſſimam ab eo loco eſſe mentionem Maecenatis, qui ad honores non aſcendit, & intra fortunam ſuam ſe continuit, quamvis ceteroquin atavis editus Regibus. Paterculum nihil aliud velle ſemper cenſui, quam maxime floruiſſe ac viguiſſe in amicitia Auguſti novos homines, Agrippam & Taurum, ſed non pari gradu, & honore, verum poſt Agrippam demum, praecipue Taurum fuiſſe rebus gerendis admotum. Satis mirari nequeo, quî evenerit, ut vir alioquin in ſenſu Auctorum recte percipiendo ſatis perſpicax, haec minime ſuperflua verba *maxime ab eo* tam graviter proſcripſerit tanquam fatua, & Auctore indigna. Sic tamen & Florus I. I. *Ab his Amulius jam bis Septima ſoboles regnabat.* Livius I. I. *Ab Sicilia claſſe Laurentem agrum tenuiſſe* h. e. poſtquam claſſe Siciliam tenuerat. Quo in loco, etiam ſi forte levior quaepiam menda lateat, ridicule tamen, ut puto, & te jam non ignorare credo, legere nos volunt *erraſſe*; quaſi non multo magis erraverit Aeneas, antequam delatus fuit in Siciliam. Certe in ea fuiſſe ſententia Livium patet, qui res geſtas hiſtorica fide debuit tradere, nec poëtas ſequi, quibus

licet

licet multa ornando locupletandoque argumento fingere, quae nunquam acciderunt: ſed tamen & Virgilius VI. Aen. vix ullos amplius errores Aeneae ex Sicilia profecti memorat. Velim conſideres, an potiori jure tentaverim receptam in eodem Livii libro I. cap. 34. ubi *Ancum Sabina matre ortum* dicit Tanaquil, lectionem, quod feci in extremo capitis III. inter Animadverſiones meas Hiſtoricas aliquando exituri, in quo probare ſtudeo M. Lepidi Triumviri fratrem fuiſſe non Paulum Lepidum Cenſorium, ut vulgo exiſtimant, ſed L. Paullum Collegam Marcelli in conſulatu, Pauli Lepidi patrem. De qua re quia nuper Trajecti cum Clariſſ. *Graevio* collocutus eram, Daventriam reverſus ſententiam meam capite illo expoſitam ad eum miſi, & ſimul rogavi, ut, antequam mihi remitteret, tecum etiam communicaret, id quod jam factum puto. Vale, vir Praeſtantiſſime, & me meaſque fortunas tibi habe commendatiſſimas. Daventriae a. d. v. eid. Februar. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA XLII.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

Fato quodam adverſo contigit, ut cum rebus tuis unice conſultum velim, id tamen hactenus non detur, mi Perizoni. Curatores duos Academia Leidenſis nuper extulit, utrumque mihi conjunctum. Apud illos, qui ſuperſunt, auctoritate nihil, gratia perparum valeo. Praeterea ſunt ex ipſis Profeſſoribus, qui *Leuſdenium* ad profitendas litteras Orientales in Academiam ſuam Trajecto evocandum Curatoribus tantum non perſuadent. Quod ſi fit, ut tu ejus in locum apud Trajectenſes ſubrogeris, effectum dare conabor, ſuccenturiante hîc mihi noſtro *Graevio*, qui totus eſt tuus. Si per valetudinem liceret aut Leidam aut Hagam excurrere, plus fortaſſe praeſens praeſtare verbis vel tribus poſſem, quam abſens verboſa quantumvis ac grandi epiſtola, & licebit fortaſſis ante Kalendas Maias, quo tempore Curatores Academiae ſoliti ſunt Leidam convenire. De bibliotheca Vogelſangiana egi nonnihil proximis meis, quam libris rarioribus eſſe inſtructiſſimam mihi perſuaſeram, ſed perlecto Catalogo aliter ſeſe rem habere deprehendi. Ajunt apud vos diebus proximis aliam bibliothecam eſſe diſtractam codicibus exquiſitis refertam, ſed cujus indicem videre mihi, quod doleo, non contigit. Cottam Meſſallinum in Neroniana tempora produxiſſe vitam Scholiaſtes Perſii, quantum recordor, me docuit. Et fortaſſis is ipſe eſt, aut ejus certe filius, quem obſcaeno carmine apud Martialem compellat Lucanus. Ad eundem quoque referri debere videtur Cotta, quem Juvenalis numerat inter illos, qui praeſtantibus ingeniis ante ſua tempora eſſent patrocinati Sat. VII. ubi illum cum Fabio conjungit, hoc ipſo, ni fallor, quem Naſo habuit amiciſſimum. Rurſus Sat. V. Cottam laudat ea propter. Certe Naſo tam poëticae, quam oratoriae artis ſtudioſum deſcribit. Cottam hunc, a quo quotquot ex illo in re Romana claruerunt Cottae, viden-

dentur progeniti, deficiente Aurelia gente, niſi in eam eſſet adoptatus noſter, vel Naſone teſte.

Adjectique probent genitiva ad nomina Cottae,
Si tu non eſſes, interitura domus.

E quo loco ſuborta mihi aliquando eſt dubitatio, an matrem habuerit Aureliam Cotta Meſſallinus. Nam *genitiva* illa *nomina*, ad gentem paternam maternamque referebam. Deinde tam hoc loco, quam aliis compluribus maternum Cottae genus a Numa Pompilio deducit Naſo, unde Aureliam gentem plebejam qui derivarit, auctorem adhuc quaero.

Quos Voleſus patrii cognoſcat nominis haeres,
Quos Numa maternus non neget eſſe ſuos.

deinde ſubjungit,

Adjectique probent genitiva ad nomina Cottae.

Quo opus non erat, ſi Aurelii deſcenderent a Numa, quare ſuſpicabar aut Calpurniae gentis aut alterius matrem Cottae fuiſſe: plures enim familiae originem a Numa, ut ſcis, trahebant apud Romanos. Quod ſi res ita ſe habet, aviam Cottae maternam fuiſſe Aureliam fit credibile, non matrem. Deinde, quod tertium fratrem Cottae aſſignas praeter Meſſallinum, de hac re ambigo etiamnum. Nam cum frequenter compellet & Cottam & Meſſallinum Naſo, & alterutrum compellando, de fratre quoque & hujus agat & illius interdum, non alio tamen quam *fratris* utitur nomine, non Cottae ad Meſſallinum, aut Meſſallini ad Cottam: quod feciſſet utique, ſi fratres fuiſſent plures. Sic ad Pomponium Graecinum cum ſcribit, cujus fratri Pomponio Flacco etiam peramicus fuit, de eo quoties agit, *Flacci* nomen exprimit, non contentus *fratrem* Graecini dixiſſe, unde colligo plures fuiſſe gentis Pomponiae fratres. Facundiam Meſſallini cum laudat Tacitus, referebam id ad noſtrum Meſſallinum, cujus eloquium a Naſone non ſemel commendatur, non ad tertium fratrem.

Nunc tibi & eloquii nitor ille domeſticus adſit:

Quod proprie dictum. Nam Quinctilianus in Corvino *nitorem orationis* praecipue commendat. Fuerat cum ipſi Corvino tum utrique filiorum intime familiaris Naſo, patri certe a prima jam adoleſcentia, cui & parentavit. Quomodo igitur tertium filium illaudatum ubique praeteriiſſet, praeſertim ad laudes facundiae paternae adſurgentem haud infeliciter? De Meſſallini Conſularis morte quae narrat Plinius libro XXXII. cap. 10 ubi de hirudinibus agit, ad noſtrum trahebam. Idem Plinius de Cotta Meſſallino narrat, repperiſſe eum condimentum ex palmis anſerinorum pedum & gallinaceorum criſtis, lib. X. cap. 20. Videtur & ſcriptis inclaruiſſe, uti liquet ex indice libri XIV. & XV. Plinianae hiſtoriae. Porro illud ſum miratus D. Hieronymum in Chronicis mortem M. Valerii Meſſallae Corvini ſtatuere ad annum tertium Olympiadis CXLVII, & aſſerere Aſinium Pollionem Oratorem itidem celeberrimum toto ſeptennio citius obiiſſe, cum diverſum plane adfirmet auctor Dialogi de claris oratoribus: *Corvinus in medium uſque principatum Auguſti, Aſinius poene ad extremum duravit.*

Nec

Nec ſane crediderim Corvinum valetudini fere ſemper obnoxium, deque ea in omnibus ferme orationum exordiis queri ſolitum, ut prodit auctor ejuſdem dialogi, ad annum aetatis LXXII. uti vult Hieronymus, perveniſſe. Quare & ad valetudinem ejus trahi malebam, quam ad ſenectutem ejuſdem cum *Scaligero*, illa Hieronymi Olympiade CLXXXIX. *Meſſalla Corvinus primus praefectus urbis factus ſexto die Magiſtratu ſe abdicavit, incivilem eſſe poteſtatem conteſtans?* cur vero *incivilem poteſtatem?* Haerent hîc viri magni. Nec Meſſallae ſenectus praetexi poteſt, quippe, ſi quid Hieronymianae deferendum ſupputationi, vix annum aetatis XXXVI. agebat praefecturam urbis nactus. Cenſeo inveteratum eſſe mendum in Hieronymo, ac ſcribendum, *inhabilem eſſe ſe poteſtati conteſtans. Inavilem* ſcriptum primo fuit, deinde *a* in *ci* diviſum culpa librarii. Tacitus de hac ipſa re, *primuſque Corvinus eam poteſtatem & paucos intra dies accepit, quaſi neſcius exercendi.* Sed modus ſit tandem ineptiarum. Haec pluribus, ut ſcires me libenter tecum confabulari. Vale, mi Perizoni. Vianae. CIↃIↃCLXXX. a. d. XIII. Febr. Cum Naſo dicat ſine Cotta Meſſalino gentem Aureliam fuiſſe interituram, hoc eſt neminem ſuperfuiſſe illius ſtirpis praeter unum, a quo Meſſallinus ſit adoptatus eam in gentem; libet quaerere, quo anno natus ſit Cotta Aurelius, qui quarto poſt Auguſti exceſſum anno geſſerit conſulatum.

EPISTOLA XLIII.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

VEllem equidem, mi Heinſi, vir Excellentiſſime, eo tandem loco eſſent res meae, ut nulla amplius uti ambitione neceſſe haberem, & potius per literas de rebus tantum reconditae eruditionis ad te referre, ſermonemque tecum inſtituere liceret, id quod facio ſane lubentiſſime, quam moleſtiam tibi aliquam meis petitionibus faceſſere. Nunc fateor, incredibiliter ſtudeo ex his contemtis tenebris in lucem denique emergere, & in ſolido videre honeſte locatas meas fortunas: idque etiam ea cauſa tanto vehementius, quod re jam, ſed ſero nimis (nam ſi omnia in integro eſſent, applicarem me profecto ad aliud ſtudiorum genus, in quo ſi vel mediocrem adhibuiſſem diligentiam facilius multo honeſtum obtinerem locum, quem cuncti laboribus & vigiliis ſuis ante omnia alia habent propoſitum) perpenſius conſiderata, perſpicio ei me diſciplinae dediſſe, in qua rariſſimae omnium, ut nunc eſt, dantur emergendi occaſiones. Quippe quum in praecipuis Athenaeis huic pauciores ſemper, immo ſaepe una tantum tributa ſit ſtatio, quae aliis artibus plerumque tres ſunt adſignatae. Groningam etiam duos nunc Theologos vocant, at in humanioribus literis, duobus, qui deceſſerunt, neminem ſufficiunt. Et ſi quando tamen novus priori ſurrogatur ſucceſſor, plerique ex aliis ſtudiis deſultores huic ornandae ſpartae ſatis ſe idoneos cenſent, & quanta maxima poſſint ambitione,

id operam dant, ut verae eruditioni & induſtriae debita loca ipſi intercipiant. Minore tamen agerem contentione, ſi, quam mihi ſpem facis de Trajectina Cathedra, paulo certior illa appareret. Etenim ſi maxime *Leuſdenius* Lugdunum vocetur, quod tamen incertum adhuc eſt, vereor, ne Trajectini alicui e tribus Theologis illam docendarum Orientalium Linguarum provinciam adjungant, vel alicui forte e *Leuſdenii* diſcipulis mandent. Nec ita multum gratia apud eos, qui rerum illic nunc potiuntur, valere puto *Graevium* noſtrum. Clariſſ. *Ryckius* ſtudia ſua & officia omnia per litteras amantiſſime mihi detulit. Significat quidem & ille firmiſſimas hactenus videri *Leuſdenii* partes, ſed tamen & alios eſſe in ſpe, omnemque movere lapidem, ut *Uchtmanni* cathedra ſibi decernatur: & Procerum ſtudia, ut ſolet, in plures Candidatos eſſe diviſa. Mihi quoque minime omnem praecidit ſpem, praeſertim ſi Curatorum collegio adjungatur Ampliſſ. *Beuningius*, de cujus voluntate me tua opera jubet eſſe certum. De tuo equidem animo, Nobiliſſime Heinſi, ſum certiſſimus, ſed tamen quia video, ſi velim eſſe aliquis, nequaquam mihi ſola virtute, ſed praecipue favitoribus nunc eſſe ambiendum, non poſſum non iterum te rogare & obſecrare, ut quantum per valetudinem licebit, fierique commodo tuo poterit, deſideriis his meis tu praecipue, qui Amicorum & Favitorum meorum es Princeps, diligenti commendatione adeſſe, & favere velis. Quae de Meſſala & Meſſalino Cotta diſputas, vir doctiſſime, ſumma, ita vivam, cum animi voluptate legi, quoniam in iis video te quoque exercuiſſe locum, ad quem & ego ſemper adhaeſi, & de quo jamdudum tecum aliquando agere conſtitueram. Intelligo verſus Naſonis

Quos Voleſus &c.
Quos Numa maternus non neget eſſe ſuos.
Adjectique probent genitiva ad nomina Cottae,
Si tu non eſſes interitura domus.

Sane nec ego uſquam legi Aurelios gentis ſuae originem retuliſſe ad Numam. Et tamen eos intelligi putem, quia alibi de eodem Meſſ. Cotta:

Maternos Cottas cui, Meſſalaſque paternos,
Maxima nobilitas ingeminata dedit.

Cenſeo autem ſubjungi: *Adjectique probent genitiva* &c. tum ut ſignificaret Poëta non modo ipſos Auctores paterni & materni generis, quod priore diſticho jam fecerat, ſed & matrem ejus fuiſſe ex gentis ſuae nobiliſſima familia ortam, tum quia ipſe Max. Cotta in eam erat adoptatus familiam, atque ejus familiae nominibus tunc appellabatur loco eorum, quae ante a paternae gentis familia habuerat. Natus igitur erat non modo matre Aurelia, ſed & adjecti non ſolum communiter Aurelii, verum etiam proprie *Cottae*, ſeu Cottarum decora & nomina ad *genitiva* ipſius nomina h. e. in quae genitus erat, quae a natali ſuo habuerat, ſeu a patre, oppoſite ad adoptiva. Sic *genitivae notae corporis* apud Sueton. Aug. cap. 80. *Corpore traditur maculoſo, diſperſis per pectus atque alvum genitivis notis*, id eſt, cum quibus genitus erat. Ipſe Ovid. Metam. III. 331. de Tireſia in virilem reſtituto figuram, in qua natus erat.

Per-

Percuſſis anguibus iſdem
Forma prior rediit, genitivaque venit imago.

Et ſic plane *genitale* vocabulum apud Ammian. Marcell. lib. XVI. *Hunc filium ſuum Agenarichum genitali vocabulo dictitatum, ad Serapionis tranſtulit nomen.* Quod vero Numam progenitorem Aureliorum ſtatuit Naſo, in eo non aliter mihi ſatis facere potui, quam cogitando conſuetudinem Illuſtrium Romanorum, qui genus ſuum vel ipſi, vel clientes eorum, ad nobiliſſimum ex caſca antiquitate hominem, vel Regem vel Deum referebant, qui *cum majores ſuos recenſebant ubicunque deficit nomen illuſtre, illo Deum infulciebant*; ut ait Seneca de Benefic. Hinc paſſim queruntur ipſi veteres falſis his generibus corruptas eſſe hiſtorias. Cic. in Bruto: Plutarch. in Numa. Ut taceam alios; Veſpaſiano ad imperium admoto ſtatim exorti, qui Flavium genus a Comite Herculis volebant deducere, quamvis irriſi ab ipſo Imperatore. Immo ad hunc ipſum Numam M. Antonini Philoſophi majores, qui erant Romani, originem ſuam referebant, quod item nuſquam alibi legi. Videndus Capitolinus cap. I. & Eutropius. Aurelios vero eo facilius crediderim id feciſſe, quia aliunde ſcimus eos originis fuiſſe habitos Sabinae. Feſtus, ſive Paulus. *Aureliam familiam ex Sabinis oriundam, a ſole dictam putat, quod ei publice a P. R. datus ſit locus, in quo ſacra facerent Soli, qui ex hoc Auſelii dicebantur.* Accipio, quod dicit ex Sabinis oriundos, ut & quod antea dicti fuerint *Auſelii*. At quod a Sole eos traxiſſe nomen addit, id non nauci eſt, cum omnia gentilicia deſinentia in ELIUS vel ILIUS ſemper ſint a diminutivis, cujus formae propriis nominibus multum uſi ſunt vetuſtiſſimi Romani, veluti *Romulus*, *Proculus*, *Caeculus*, *Venulus*, *Brutulus*, *Marcellus*, *Macellus*, *Metellus*. Annotant tamen ad Feſtum, *A Sole Auſelii, Origo dura.* Verum hoc, ſed nihilo melius, quod ipſi volunt: *Forte ab aureo ſole. Nam aurum dicebant auſum Sabini: ſic a Corneo Cornelius, a Cereo Ceretius.* Reſtat ergo ut *Caſcelios* a *Caſco* ſole, *Poetelios* a *Poeto* ſole derivemus. At unde *Ampelios*, *Opelios*, & ſimilia? Alii non minus inepte *Auſelios* ex eo Feſti loco putant olim dictos *Auſolios*. Specioſius illi, qui ab αὔω *Splendeo*, & ἥλιος derivant. Verum ſimplex fuit nomen, & compoſita vix ulla puto inveniri in priſcis Romanorum nominibus, quae ſunt praenomina & nomina gentilicia. Nempe nemo, opinor, mihi negabit *Pompilios* ejuſdem eſſe originis, cujus eſt *Pomponius* & *Pompo*, *Caeſellios* (unde potius S. mutatio in R. *Caerellii*, niſi hi ſint ab oppido *Caere*) cujus *Caeſonius*, *Caeſejus*, & *Caeſo*. Sic novimus *Trebonios*, & *Trebellios*, *Petronios* & *Petreios*, *Antonios*, *Antios & Anteios*, quia nimirum antiqui dixere *Antus* & *Anto*, *Petrus*, & *Petro*, *Caeſus* (unde *Caeſulenus*) & *Caeſo*, *Pompus* (unde *Pompilius*) & *Pompo*. *Nerus* (unde *Nerulinus* apud Tacitum) & *Nero*, *Catus*, & *Cato*, *Marus* apud Sil. Ital. (unde *Marius*) & *Maro*. Sic ergo *Auſelii*, itidem ut *Auſonia*, haud dubie dicti ab *Auſone* ſeu *Auſo*. Nam & *Auſus* pro nomine proprio occurrit adhuc in Inſcrip. 4. pag. 1031. apud Gruter. Et hinc item, mutato quoque S. in R. gens *Auria* frequens & nobilis in municipio Larinate, ut ſcimus ex Orat. pro Cluentio. Sed neque aliunde ſunt *Aurunci*, quamvis Magnus ille *Scaliger* adfirmet dictos quaſi *Averruncos*,

quod

quod veluti avulſi a ſedibus ſuis, πλάνητες, & aborigines fuerint. Immo recte illi, qui apud Feſtum in *Auſonia*, ab Auſone duce *conditam Auruncam urbem*, dixerunt. *Aurunca* enim urbs mutatis litteris, quae ſaepe mutantur, nihil aliud eſt, quam *Auſonica* urbs. Nam ut ab *homo homuncio*, a *carbo*, *carbunculus*, ſic ab *Auſone* O mutato in V. & eliſo I. *Auſunca*, & dein *Aurunca:* quomodo & in Faliſcis proceſſit antiquitas. Nam & ii ab *Haleſo* quaſi *Faleſici*, unde dein *Faliſci*, & ipſius urbis nomen S. item mutato in *R. Falerii.* Nec dubito ſimiliter, *Volſcos* quaſi *Voleſicos* a *Voleſo* antiquo nomine dictos. Sed redeo ad Ovidium, in quo etiam id me ſemper cruciavit, quod dicit: *Si tu non eſſes, interitura domus*; quum negari nequeat fuiſſe plures poſtea Cottas, qui omnes non potuerunt eſſe orti ab hoc Max. Cotta. Certe non is, qui initio principatus Tiberiani Conſul fuit cum M. Valerio Meſſala. An ergo Poëta in gratiam ſui Cottae ceteros, qui tunc ſupererant, dignitate forte paulo inferiores, ſprevit, & quaſi nulli eſſent, nullam eorum rationem habuit? An, vero *domum* poſuit pro proximis, ſeu proprie domo & familia iſtius patrisfamilias, qui Maximum adoptavit, & ipſe neque liberos, neque fratres, ut credibile eſt, habuit. Sic Martial. Epigr. IV. 39. *Et docti Senecae ter numeranda domus.* Plinius XXX. 7. *Conſularis Aſprenatum domus eſt, in qua alter e fratribus colo liberatus eſt, alter* &c. Immo ſic & *gens*, quod vocabulum ceteroquin laxiſſime ſumitur. Sueton. Veſpaſ. 23. *Alterum* (prodigium) *ad Juniam Calvinam, e gente Auguſti pertinere dicebat. gens Auguſti* non intelligenda hîc gens Julia vel Octavia, quarum fuerat Auguſtus, ſed proprie progenies Auguſti, a quo per Junios Silanos Calvina iſtaec erat orta. Plin. VII. 14. *Cornelia Scipionum gentis.* quum Scipiones proprie ſint familia gentis Corneliae. Virgil. *Vigilaſne deum gens Aenea.* Potuiſſent tamen alii Aurelii, quum viderent nobiliſſimam Cottarum familiam interire, cognomen illud per quoſdam ex ſuis liberis retraxiſſe, & ita in ſua gente voluiſſe retinere, ut multi tunc temporis fecerint. Quod ad Collegam Conſulis modo nominati Aurelii Cottae adtinet M. Valerium Meſſalinum, ut appellatur a Tacito, vix poſſum aliter ſentire, quam fuiſſe tertium Corvini filium, ſi modo vere fuit illius filius, ut Tacitus ſentit. Etenim non puto fuiſſe maximum natu filium, qui jam ante fuerat Conſul (nuſquam autem ille, de quo nunc agimus, *Conſul iterum* ſcribitur, neque facile Tiberius cuiquam ſecundum Conſulatum conceſſiſſet) & jam tum videtur fuiſſe mortuus. Neque vero etiam ſecundum illius filium fuiſſe reor, Maximum ſcil. ſeu Meſſ. Cottam. Nam is jam diu ante, immo a puero, ut videtur, adoptatus fuit in Aureliam gentem, & in ejus gentilicium nomen. Atqui Conſul iſte a Tacito Ann. III. cap. 2. vocatur *M. Valerius* & cap. 18. *Valerius Meſſalinus*; nuſquam vel *Aurelius*, vel ſaltem *Cotta*, quamvis deinceps *Meſſallinum Cottam* ſaepius nominet. Fateor adoptatos aliquando a ſcriptoribus priori nomine appellari; ſed hoc fit in iis, qui jam magno natu adoptantur, & quorum nomen jam ante adoptationem volitavit per ora civium, neque in gentilicio, ſed in iis nominibus, quibus nobiles illi vulgo tunc appellabantur, h. e. praenomine & cognomine, veluti, *M. Brutus*, *P. Scipio.* Quid ergo ſupereſt,

eſt, niſi ut, ſi conſul ipſe vere filius fuit Corvini, tertius fuerit. Nam quod Naſo nunquam ejus meminerit, quem non contemnendum ſane ſcrupulum mihi injicis, adſcribere debeo aetati. Quum enim Cottam ſaepius vocet *juvenem* reſpectu ſui, credibile eſt, nullam prorſus illi interceſſiſſe amicitiam aut uſum cum minore adhuc Corvini filio, eumque fuiſſe praetextatum admodum, quum Poëta relegaretur. Emendationem tuam, Nobiliſſ. Heinſi, qua tam intricatum in Chronicis Hieronymi locum tam commode me hercle expedis, palmariam arbitror, & nihil ea verius, nihil certius ex animi mei ſententia cenſeo. Tantum poſterius *Se*, ſiquidem in membranis non comparet, non valde deſiderem, & ſatis ex ſuperiore intelligi putem: *Magiſtratu ſe abdicavit, inhabilem eſſe* (ſe) *poteſtati conteſtans*. Sed hoc leve eſt. De aetate etiam Corvini tibi omnino aſſentior. Nam & Ovidius in Epiſtolis Ponticis ita ſemper de eo loquitur, tanquam jam mortuo. Vide tamen, vir Clariſſime, an non prorſus cùm D. Hieronymo conveniat, quod Frontinus lib. II. de Aquae duct. pag. 249. & 251. edit. Keuchen. Meſſalam Corvinum dicit ab Auguſto praefectum publicis Aquis Coſſ. P. Fabio Maximo & Q. Aelio Tuberone, 27mo ante Auguſti exceſſum anno, eique ſucceſſiſſe *Atejum Capitonem Silio & Planco Coſſ.* qui fuerunt penultimi principe Auguſto, Olympiadis CXCVIII. primo anno, cum Hieronymus anno tertio Olymp. CXCVII. eum mortuum dicat. An ergo Corvinus vixerit quidem tamdiu, ſed propter valetudinem, ut inhabilis omni rei publicae, domi ſe continuerit, quaſi, ut dicitur, civiliter mortuus. Nam certe poſt valetudinem dicitur in ſenectute *ſui nominis* fuiſſe *oblitus* Plin. V. 24. quamvis Solinus cap. 7. addat *alias ei ſenſum viguiſſe*. Verum haec & ſuperiora pleraque judicio tuo excutienda & exigenda relinquo. Bibliotheca, quae hîc nuper diſtracta eſt, fuit *Henr. Brumani* Rectoris Suollani. Catalogum ſimulac vidi, ut tibi mittere poſſem, operam dedi. Sed nanciſci non potui ante ipſum Auctionis diem. Cauſa ejus rei fuit, quod Swollae typis fuit deſcriptus, & inde pauca huc exemplaria ſunt miſſa, quae diſtributa erant, antequam ego reſciſcerem. Ex Vogelſangianorum Auctione, quae fiet 25. Aprilis, quicquid emi voles pretio, quod ne excedam, praefinito rogo ſignifices. Faxo nihil in fide & diligentia mea deſideres. Vale, Praeſtantiſſime Heinſi, meque & petitionem meam tibi habe, quam poteſt, commendatiſſimam. Daventriae poſtrid. Nonas Martii CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA XLIV.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

EST mihi de rebus tuis ac fortunis ſtabiliendis frequentiſſimus, uti debet, cum noſtro *Graevio* ſermo, quoties ad nos domo ſolet excurrere vir egregium in modum officioſus, quod identidem facit. Quamquam autem ex hiſce ſtudiis parum commodi ad te redundat hactenus, pro imbecillitate tamen vi-

rium noſtrarum id certe effectum dare conamur, ne quod voluntatis noſtrae prolixae argumentum deſiderare poſſis. Quicquid in rem tuam per litteras quivit praeſtari, id jam plene executus ſum: reliquum erat, ut praeſens prenſarem illos, quibus cura Academiae Leidenſis publico incumbit nomine, etſi cum his ipſis nullus mihi familiaritatis vel tralatitiae uſus intercedit, tua tamen cauſa, quem unice amo, perfricare frontem & nihil non tentare animo equidem lubenti ſuſtinerem; ſed jacere menſem jam tertium pergo, adeo fractis ac attritis viribus, ut vigoris priſtini ne minimum quidem, etſi hiberni caeli inclementia jam utcumque profligata, recuperare detur. Reſpondent quidem uſibus meis manus quam pedes aliquanto validius, ſed & illae quoque ſcribendi ſpartam aegre adornant, ut litteras exarare non ſoleam, niſi forte ad amicos primariae neceſſitudinis, apud quos veniam fore paratam certus ſum, ſi brevius & minore, quam oportet, cura defungar hoc officio. Jacent totum jam ferme annum *Petri Danielis Huetii* ſuaviſſimae atque elegantiſſimae penes me litterae, jacent *Hadriani Valeſii*, *Petri Petiti*, aliorum e Galliis praeſtantium virorum, ex Italia *Equitis Puteani* & *Pauli Falconerii*, ne quid de amicis Germaniae ſuperioris noſtraeque Belgicae nunc dicam, quibus tot ac tam obſervandis debitoque cultu proſequendis capitibus reſpondere ſuperſedeo, vivus videnſque mortuo ſimillimus. Sed faceſſant querelae, ac potius amoenitate ſtudiorum hanc nubem animo detergeamus. Inter libros *Jacobi Lydii* apud Dordracenos auctione diſtractos nuper occurrebat Seb: Corradi Valerius Maximus, quem mihi vindicatum volebam, ut tuae lucubrationi inſerviret. Sed hunc & alios complures elabi paſſa eſt ſupinitas illius, qui rem in ſe curandam receperat. Dedi ex illo litteras ad non unum e cognatis Dodracenis, ut indagent, qui codicem nobis interceperit. Alium vidi catalogum bibliothecae apud Hagienſes cis paucos dies diſtrahendae, qui eundem oſtentat ſcriptorem ex pervetuſta editione anni MCCCCLXXIV. hunc librum meliore auſpicio in manus noſtras perventurum confido. Libellus tuus ad Cl. *Carpzovium* jamdudum miſſus nondum nuntiatus eſt mihi Lipſiam perveniſſe, etſi probe curatum nullus dubito. Ceterum ut copioſe ac erudite diſputas de adjecto ad genitivam gentem Aureliam Cottarum nomine, cui ſententiae tuae facile acquieſco, ita nondum difficultas penitus ſublata videtur de Aureliis a Numa oriundis: cujus rei neque in numiſmatis antiquis, neque in aliis monumentis apud ſcriptores, quod mirum maxime de gente tam clara, mentio occurrit. Calpurnii aliique e vetuſtioribus Romanae gentis familiis a Numa eodem originem trahebant, quod ſcriptores non diſſimulant. Pompeja gens in antiquo nummo apud Urſinum, ut vetuſtatem ſuam oſtendat, a Fauſtulo Romuli altore ſeſe ortam gloriatur. Certe ſi Cottae a Numa oriundi, etiam reliquas familias gentis Aureliae hunc ad auctorem referri oportere certum eſt. Atqui Naſo maternum Numam ab Aureliis Cottis videtur ſeparare. Ponticorum quidem ultima elegia denuo laudat in hoc ipſo Meſſalino *maternos Cottas*, utpote in quam gentem adoptationis jure tranſiſſet, ſed nec inde ſatis fit manifeſtum matrem illi fuiſſe Aureliam, cum avus matris eſſe Aurelius potuerit.

Nodus

Nodus ille, de interitura gente Aurelia, niſi in illam adoptatus fuiſſet Meſſallae filius, vix ſolvi videtur poſſe, niſi ſi ſtatuamus, illum, a quo Meſſallinus fuit adoptatus, poſt adoptationem, prole maſcula donatum fuiſſe. Quod colligis M. Valerium Meſſallinum, qui Tiberianis temporibus conſulatum teſte Tacito obtinuerit ordinarium, tertium videri filium Corvini, ſpecioſum fateor argumentum ſubminiſtrat ipſe Tacitus, qui non addat, *iterum conſulem*, quod facturus fuerit, ſi primogenitus Corvini denuo tum conſulatu fuiſſet functus. Liceat tamen, quaeſo, mihi aliud argumentum aeque validum huic argumento objicere. Plinius in Naturali Hiſtoria cum Meſſallinum ex uſu hirudinum mortem obiiſſe narrat, vocavit *conſularem*, adhibiturus diſtinctionem nonnullam, ut ſolet, quando duo conſulares aut ſcriptores ejuſdem nominis concurrunt, ſi plures Meſſallini geſſiſſent conſulatum. In hac ipſa gente Valeria Meſſallae bini numerantur ſcriptis inclyti, alterum horum idem Plinius *Meſſallam* vocat ſemper *oratorem*, Corvinum videlicet, alterum *Meſſallam ſenem*, quod is inter longaevos memoretur. Sed haec tu omnium optime diſpicies. Foxii commentarios & Seldenum de ſucceſſionibus jam aliunde nactus ſum. Spes & facta eſt variorum poematum de corrupto Eccleſiae ſtatu, quae in Catalogo Vogelſangiano inter libros in 8. occurrunt; ſi tamen floreno uno haberi poteſt, nihil vel ſic obſtat, quominus ematur. Vale, mi Perizoni. Vianae ad Leccam. CIƆIƆCLXXX. a. d. XXIV. April. Gregor.

P. S. *Carpzovius* recte accepit libellum tuum, a quo reſponſum brevi habebimus: ſic ejus verbis modo *Graevius* nuntiat.

EPISTOLA XLV.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUas in iſta tua adverſa valetudine ad me dediſti litteras, Excellentiſſime Heinſi, eas ipſas per ſe pro magno ſane, ut oportebat, benevolentiae & amoris tui accepi argumento. Verum ea in ſententia majorem in modum ſum confirmatus perlectis iiſdem ſuaviſſimis plane litteris, quae undique ſtudium tuum in re mea ſingulare prorſus iterum teſtabantur, & ſine ulla pene exceptione prae ſe ferebant. Nihil tantum agendarum gratiarum nomine a me dici jam poteſt, quod non minus multo tuis de me meritis cenſeam, quippe cui, ſi praeſertim voti compos fuero factus, omnes meas fortunas ſum debiturus, idque volens ac lubens prorſus, quum animi tui aequitatem ac facilitatem ita exploratam habeam, ut nemo in terris vivat, cui mea omnia aeque debere velim ac tibi & Clariſſ. *Graevio.* Et profecto magnum ego ſemper in amicitia ac benevolentia tua non decus modo & ornamentum, ſed etiam praeſidium mihi repoſitum, exiſtimavi, neque id ego tantum, ſed & alii, qui in gratia me apud te propitia mea Fortuna locatum eſſe non ignorant. Nuper quum per Epiſtolam ex *Thoma Munkero* inquirerem in Virum Ampliſſimum

Blyſwykium Delphenſem, quem inter eos, ex quibus Athenaeo Batavo Curator dabitur, nominatum didiceram, reſponſum tuli ab illo in hunc plane modum. *Longe maxima Bleyſwykii noſtri apud Curatores auctoritas eſt. Immo ille ſi in Collegium eorum adſciſcatur, videris non tantum bene poſſe ſperare, ſed confidere de optato ſucceſſu, cum nemo apud eum plus quam Nobiliſſ. Heinſius poſſit. Heinſius prenſandus ergo omni modo, ut quam primum aliquid boni de te ad Blyſwicium ſcribat. Idem & ego faciam, nec nihil, ut ſpero, heic collaturus, ſi modo tantum is mea cauſa vult, quantum velle ſe non ſemel teſtatus eſt coram.* Vides, vir Praeclare, quantam ille mihi in tua commendatione ſpem ponat, qua proinde non omnino nulla teneor, cum & *Rykius* noſter initio nuntiet augurari ſe vel *Bleiſwykio*, vel Illuſtri *Beuningio*, ſed tamen illi potius, mandatum iri Academiae Lugdunenſis curam. At quanto inſignius eſt tuum in re mea ſtudium, tanto magis doleo non potuiſſe me viciſſim in re leviſſima tibi inſervire comparando Varia illa Poëmata de corrupto Eccleſiae ſtatu. Emit ea dimidio ſuper unum florenum, quem mihi praefiniveras, Ampliſſ. *Terborchius*, quamvis gravi jam iterum & periculoſo morbo implicitus. Nihil ille librorum, quos deſiderat, in hujus certe urbis auctionibus elabi ſibi patitur, & plerumque, qui haec negotia curant, infinitum vel certe longe ampliorem juſto pretio modum in mandatis habent, ut ſi maxime licendo cum iis inſanivisſem, nihilo tamen minus inferior haud dubie diſceſſiſſem. Idem Foxii in Platonem commentarius, & praeter alia, etiam Auguſtini opera, quibus centum florenorum pretium ſtatuerat, accepit. De Aureliis a Numa oriundis ex Ovidii loco, difficultatem non eſſe plane ſublatam fateor & ipſe, quum nullum ejus veſtigium neque in nummis, neque in ceteris ſcriptoribus repererim, niſi quod hi e Sabinis, unde & Numa, eos veniſſe dicunt. Neque habeo quod in medium adferam, niſi Ovidium abjectum tunc & exulem omnia forte conquiſiviſſe, quibus nobilitati hominum blandiretur, & ita in gratiam Meſſallinorum etiam hoc, licet incertiſſimum, minimeque vulgo receptum, in ſuis carminibus poſuiſſe. Sed & pro certo adfirmare jam nequaquam velim, Aureliam fuiſſe Meſſalinorum matrem, cum nihil habeam, quo id evidenter prorſus evincam; & potuerit eſſe avia materna. Suſpicor tamen matrem potius fuiſſe, quam aviam. Non incommode etiam mea ſententia nodus de interitura domo Aurelia, niſi in eam adoptatus eſſet Maximus Cotta, ſolvi poſſet, ſtatuendo prolem maſculam natam poſt adeptionem ei, qui Maximum adoptaverit. Sed obſtare videtur aetas ejus Aurelii Cottae, qui praecipue nobis hanc difficultatem obtulit, quum Conſul fuerit tertio vel quarto poſt Auguſti exceſſum anno, & paulo ante ejuſdem obitum Naſo de Maximo & adoptiva ejus domo ſcripſerit: *Si tu non eſſes interitura domus.* Quid ſi igitur Conſul iſte fuerit ille ipſe, qui Maximum adoptavit, quem ita ſtatuendum foret, diu poſt adoptionem vixiſſe, & in ſenectute demum ad Conſulatum perveniſſe primis Tiberii annis. Potuit & unus homo duos diverſos adoptaſſe diverſis etiam temporibus, quod aliquando & alii fecerunt; ſed hae conjecturae ſunt. A Meſſalis jam tranſeamus ad Metellos, in quorum familia non minores occurrere diffi-

difficultates minime ignoras, vir Eruditiſſime. Earum vero mihi nunc longe maxima eſt, quod Metellos Celerem & Nepotem *fratres* a Cicerone video vocari Clodiorum Publicii & Appii. Scio equidem *Ant. Auguſtinum* in Familiis & alios viros Doctiſſimos adfirmare, Clodiorum matrem fuiſſe filiam Balearici, quae amita Metellorum, ſed unde hoc habeant, id prorſus ignoro, quamvis ſedulo inquiſiverim. Quamobrem ſi hunc mihi ſcrupulum eximere, & locum oſtendere, quo illi nituntur, potes, id ut facere ne graveris, rogo. Diſcam enim inde *fratris* vocabulum etiam de conſobrinis uſurpari, de quo ceteroqui valde dubito, quum nullum aliud ejus mihi ſuccurrat exemplum ex probatis Auctoribus. Et potuerunt Clodiorum Metellorumque patres fuiſſe inter ſe fratres uterini, & ita eorum filii fratres patrueles, qui ſaepiſſime, ut noſti, *fratres* abſolute vocantur. *Carpzòvium* libellum meum accepiſſe gaudeo. Ab *Huetio* nuper etiam elegantiſſimum pariter ac ſuaviſſimum recepi reſponſum. De *Vaillantio* incertus ſum, ſed tamen, quum ad *Huetium* perlatum fuerit exemplar, quod miſi, illi quoque recte redditum non dubito. Interim hoc quoque nomine multas me tibi debere gratias profiteor. Vale, vir Nobiliſſime, ac me, quod facis, amare perſevera. Daventriae XXVI. Aprilis CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA XLVI.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

ETſi lubricae ac mutanti adhuc valetudini obnoxius, haudquaquam committendum eſſe ſum arbitratus, ut haec Cl. *Carpzovii* epiſtola ſine litterarum mearum comitatu ad te perveniret, mi Perizoni. Addidi & Valerium Maximum Corradinae editionis, ſi quam is ſtudiis tuis utilitatem ac bono publico, cui ea deſtinatur, queat conferre. Certe cum mihi in hac ſolitudine adeſſes, oculis tuis hactenus oblatum, memini, negabas. Evolutus & excuſſus a te pro arbitratu liber ad me cum ceteris, quos utendos accepiſti, rogo revertatur. Auctio non ita nuper Hagana Tollianae bibliothecae editionem Romanam ejuſdem Valerii pervetuſtam, anno videlicet MCCCCLXXIV. procuratam, venalem proponebat. Quam comparare juſſus meos in uſus ex amicis nonnemo elabi paſſus eſt, cauſatus licitantium inſaniam; qui pretium juſto longe majus obtuliſſent. Quem vero liber dominum eſſet nactus ſciſcitanti mihi reſcripſit, coram ſe de re omni propediem eſſe acturum, nec tamen comparet hactenus. Erat & alterum Valerii exemplar eadem in auctione, diverſas membranarum lectiones margini inſcriptas quod jactaret: illud quoque nobis eſt praereptum ab eodem, ut licet ſuſpicari, emtore. Et haec quidem hactenus. Per rumores porro rem tibi jam exploratam eſſe reor, de cura Academiae Leidenſis illuſtri demandata *Beuningio*. Cui novum honorem per litteras ſum gratulatus, addita tui commendatione non perfunctoria. Maluiſſem equi-

dem., id coram, viva voce, praeſtari daretur. Nam commendationes iſtae epiſtolares minus ſunt validae plerumque; ſed cum mearum non ſit virium pedem extra limen aedium vel unum proferre, nedum excurſum ad Haganos moliri aut ad Amſtelaedamios hac, qua ſum, valetudine, confido tibi ſatis factum qualicumque hoc officio. Adde, quod vir Ampliſſimus frequenter permutat ſedem alternam huc illuc diſcurrens, ut ubi locorum deprehendi poſſit, vix liqueat. De Metellis Clodiorum fratribus, quo fluctuationem tuam amoliar, nihil nunc mihi eſt in promtu. Vale, mi Perizoni, meque, quod facis, in tuis perge numerare. Vianae ad Leccam Anno CIↃIↃCLXXX. a. d. VII. Junii.

EPISTOLA XLVII.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

OFficii mei in primis eſſe cenſui, tibi, vir Excellentiſſime, ſine mora ſignificare, non modo humaniſſimam Cl. *Carpzovii* epiſtolam, ſed & exemplar Valerii Maximi Corradinae editionis, quod uſibus meis & ſtudiis aliquandiu liberatiſſime conceſſiſti, recte ad me perveniſſe. Ea tanta tua comitas ac benignitas, in promovendo atque ornando ſponte tua meo inſtituto, ſi non mirifice animum meum caperet, ac tibi, quam poteſt, arctiſſime devinciret, humanitatem exuiſſe omnem mihi ipſe viderer. Etenim aggreſſus ſum rem maximae operae, ſummaeque difficultatis, recenſere diligentiſſime, atque emendare Auctorem ex corruptiſſimis membranis, quales etiam ſunt, quas ego excuſſi, editum primo, ac deinde ab interpretibus, & praeſertim *Pighio*, non minus, quam ante a librariis, foede paſſim interpolatum. Certe vix credibile eſt, quantum ſibi vir iſte, ceteroqui non indoctus, ſed doctior hiſtoriarum Latinarum, quam ipſius linguae, permiſerit, dum conjecturas ſuas, quarum ſaepe nullam in Notis facit mentionem, in Valerianorum verborum ſeriem pene ubique inſulcit; vel ſcripturam unius aut etiam alterius minus probae notae codicis, quum plures & meliores haberet, pro vetere, & a ceteris codd. aſſerta, nec ullam in partem deteriore, immo ſaepe rectiore nobis obtrudit. De me illud dicere auſim, neminem ante tanta cura Valerium cum vetuſtis, tum ſcriptis, tum impreſſis exemplaribus contuliſſe, neque ita ad ſingula adtendendo, manus ei admoviſſe. Verum tanto diutius in iſto pene dixerim Augiae ſtabulo verſandum mihi erit, neque tamen vel ſic omni ex parte perpurgatum dabo, ſubſidio ſatis antiquarum membranarum deſtitutus. Nam quas ego perluſtravi, plerumque conſpirant in tuendis plebejae prorſus pulpae lectionibus, pro doctiore, argutiore, & ad Valerii indolem accommodatiore: immo & illis, quas haud dubie librarii plus nimio liberales Auctori de ſuo addiderunt. Inter ea, de quibus haeſito, en tibi locum, vir Nobiliſſime, in quo ego lubens ab exactiſſimo tuo judicio ac ſagaciſſimo ingenio ju-

juvari velim. lib. VIII. 1. 3. in externis. *Ex hoc nimirum hoſte tanto duci poena magis, quam victoria petenda fuit, quia plus vindicatus libertatis, quam victis gloriae adferre potuit.* *Pighius* in ſecunda ſua ed. ingenue fatetur, haec ſe non intelligere. At nuper *Vorſtius* non adeo difficilia ſibi videri adfirmat, & velle Valerium, plus libertatis, ſi punirentur Calagurritani, conciliari potuiſſe, quam gloriae, ſi vincerentur. Ego vero me tam hebetem & ſtupidum fateor, ut nihilo magis hanc interpretationem intelligam. Quae enim libertas Pompejo poterat conciliari poena Caligurritanorum? Nihil auxilii ſuppetit a membranis, quae conſtanter una cum omnibus edd. iſto modo haec nobis ingerunt. Quid ſi legas: *quia*, vel *qui*, *plus vindicatus imperatori quam victus* &c. Sed ut dicam, quod hactenus ſenſi prorſus putem τὸ *libertatis* adjectum a ſciolo, qui verum τῷ *vindicatus* ſenſum hoc loco non perſpexerit, deque eo vocabuli uſu, quo quis dicitur in libertatem vindicari, acceperit, eique idcirco adſcripſerit expoſitionis gratia, *libertati*, quod deinde in *libertatis* deſciverit. Verum illud tuo examini ſubjectum velim, ἀνδρῶν ἄριστε. Quod me illuſtri *Beuningio* commendaſti, ſummas eo nomine tibi gratias habere me ſcito, neque dubito iſtam tuam commendationem ponderis aliquid habituram. Exitum in Diis eſſe ſcio, nec praeſtari poſſe a benevolentibus, qui ſi me ſua laudatione & teſtimonio apud Proceres, quorum in manu ſecundum Deos res eſt, adeo me demerentur, ut plus vel cogitatione poſtulare non audeam. Itaque nihil eſſe tantum, certo tibi perſuade, vir Praeſtantiſſime, quod non tua cauſa & velim & debere me ſentiam, tantis tuis ſtudiis & meritis ſubinde obligatus. Vale, vir Doctiſſime, &, quod facis, me amare perſevera. Daventriae a. d. XXII. Junii CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA XLVIII.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

PRocraſtinavi, fateor, reſponſum, quod ſuaviſſimis tuis jampridem a me debebatur, dum nuntios Leida adfuturos praeſtolor, qui me doceant, quid ab Academiae Curatoribus ſuper Profeſſione litterarum Hebraicarum proximo conventu ſit deliberatum. Tum quod opinor ad nos excurſurum, ut erat pollicitus, virum perilluſtrem *Conradum Beuningium*, cui te viva voce, quod per litteras non unas jam feciſſem, eſſem commendaturus. Verum nec ille, curis publicis, ut reor, avocatus hactenus comparet, & ſi quid Cl. *Ryckio* tui amantiſſimo credendum, Theologi illa in Academia alium neſcio quem gratis docturum litteras Hebraicas, nec inter profeſſores numerandum, Curatoribus multa contentione ingeſſerunt. Sed dum rei geſtae dubius ac tantum non ignarus haereo, patere quaeſo, mi Perizoni, ut ad alia me convertam; atque interim certus eſto, me tua cauſa & velle quidvis, & porro tentaturum non ſegniter, ſi quid poſſim. Valerium Maximum a *Corrado* recognitum tibi fore non

non prorſus inutilem eſt cur ſperem. Incidi & in editionem Colineanam Pariſiis publicatam Anno MDXXVII. quam ſuppeditabo libenter, ſi juſſeris. Sed utinam ex Hagienſi auctione librorum *Jacobi Tollii* veterem illam Romanam, cujus memini jam non ſemel, eſſem conſecutus, ſimulque Gryphianum minoris formae, ſi recordor, exemplar cum membranis collatum! Tentavi quidem indagare, quemnam hi libri poſſeſſorem nacti eſſent, ſed irrito hactenus conatu. Suſpicor tamen *Hillesbergium* Amſtelaedamenſem cauſarum patronum, libris hujuſcemodi inhiare ſolitum, eos nobis intercepiſſe. Sin minus, ſciri ex illo poſſe, ad quem devenerint. Si amicos habes illa in civitate, res explorari poterit aliquanto certius minimo negotio. Solent autem, ut pulchre intelligis, editiones veterum Scriptorum primae nonnunquam ipſis codicibus manu vetuſta exaratis praeſtare. De ipſo Valerio ita exiſtimavi ſemper, non niſi epitomen eſſe majoris commentarii, ab illo in publicum dati, quae nunc circumfertur. Hac in opinione me confirmavit *Januarii Nepotiani*, quam vides, epiſtola, quamque Valerio noſtro praefixam atque e codice neſcio quo pervetuſto deſcriptam fecit publici juris *Philippus Labbaeus*, forte a *Jacobo Sirmondo* e Vaticanis pluteis erutam. Audivi enim ab *Iſaaco Voſſio* aliiſque exſtare in armariis Vaticanis antiquiſſimum Valerii Codicem, cui Pomponius Mela ſit annexus. Sed haec mera conjectura eſt. Uſurpavi & ipſe varias per bibliothecas hiſce oculis codices ſcriptoris ejus longe plurimos, nullum tamen, qui annorum CCCC aetatem ſuperaret. Cujus notae & ipſe binos Bononiae redemtos poſſidebam, quos utendos a me accepit jam olim *Marquardus Gudius.* Poſt autem cum aliis non paucis hos donavi Celſiſſimo Principi Auguſto Brunſvicenſium Duci. In Germania porro ſuperiore dum haerebam ante hoc octennium, illectus nova editione *Johannis Vorſti*, hunc ipſum Valerium multa cum cura perlegebam, conjectis in adverſaria mea caſtigationibus, uti ſubnaſcebantur tum, non paucis: quas tamen nunc in ſcriniis meis nequicquam quaero, ſublectas mihi, ut opinor, ab amanuenſi, cujus ſubleſtam fidem aliis etiam in rebus ſum expertus, Recte porro vidiſti libro VIII. I. I. 3. τὸ *libertatis* redundare atque eſſe expungendum. Mihi certe nihil eſt in promtu, quod a te diſſentire cogat. De Velleji Paterculi loco libri II. cap. 81. aliquando inter nos actum eſt, quem meis in caſtigationibus non ſatis feliciter enodavi. En locum: *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere in Lepidum in Sicilia, bene fortuna in Caeſare & rep. militavit ad orientem.* Monui in caſtigationibus non militaſſe Caeſarem in Lepidum. Lepidus & Caeſar adverſus Pompejum militabant in Sicilia, ſed dum Lepidus infidum ſe praeſtat Caeſari, ab eo inermi (res admiranda) eſt oppreſſus. Vetuſtus Codex, qui Vellejum nobis conſervavit, ſic habet; *qua aeſtate Caeſar tam proſpere Libium in Sicilia* &c. In ora vero codicis ab antiqua manu pro *Libium* erat correctum *Lepidum*, ab aliquo homine erudito. hinc natum poſtea *in Lepidum.* Sed, ut dixi, non militavit in Lepidum Caeſar, quem inermis oppreſſit armatum, tamquam rebus novis ſtudentem. Longe alia igitur medicina opus eſt. Scribendum primo *Civium* ſive *Cibium*, pro *Libium*, mutato L in C, quae litterae in antiquis membranis frequenter confunduntur,

ut

ut U & B. Nec vero eſt neceſſe, ut te doceam, quum occurrunt in antiquis ſcriptoribus bina vocabula litterarum ſimilitudine inter ſe parum diſcrepantia, horum alterutrum a librariis incircumſpectis feſtinando ſolere omitti, quod & hîc uſu venit. Poſt τὸ *proſpere* igitur inſerendum *pro re*. *Qua aeſtate Caeſar tam proſpere pro re Civium in Sicilia, pene fortuna in Caeſarem & remp. militavit ad Orientem. pro rep.* poterat dixiſſe, ſed cum id mox ſubſequatur, variare orationem maluit. *Caeſarem & remp.* etiam alibi conjungit. Blanditur autem ſolens Caeſari, dum cum ejus damno detrimenta reip. conjungit. Vale, mi Perizoni. Vianae ad Leccam. CIↃIↃCLXXX. a. d. XIX. Sextil. dixit Vellejus, *pene militavit in Caeſarem & remp. Fortuna*, quia haec ad Orientem clades in Antonium eſt derivata, qui nec Caeſari ſatis fidus, nec reipub.

EPISTOLA XLIX.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUod prioribus tuis longe ſuaviſſimis litteris non ante reſponderim, Excellentiſſime Heinſi, haud alia eſt cauſa factum, quam quod primo, quum paulo poſt acceptas eas intellexiſſem Scholae Trajectinae Rectorem deceſſiſſe, illico ea de re litteras, & quidem iterato, ad V. C. *Graevium* noſtrum dederim, a quo de rerum iſtic loci, quod ad ſucceſſionem iſtius muneris, ſtatu edoceri ante cupiebam, quam ad te quicquam exararem. Deinde quum tertia jam hebdomade reſponſum a Viro optimo tuliſſem, acriter ſic ſatis urebar & jactabar ardentiſſima febri, quae, quamvis me jam reliquerit, ita tamen adflixit corporis vires, ut necdum eas plane refecerim, & inprimis cum ſtomachi infirmitate adhuc conflicter, unde fit, ut etiamnum a gravioribus & ſolitis me ſtudiis abſtinere cogar. Ceteroqui maximas, ut par eſt, gratias tibi habeo & ago, vir Nobiliſſime, tum quod mecum ſponte tua tam benevole communicaſti excerptam e *Labbaeo* Nepotiani epiſtolam, quam minime ignoraſſe velim, tum quod noviſſime ultro itidem me majorem in modum obligaſti, conceſſo MSti Valeriani codicis uſu. Video quidem recentem valde eſſe, ſed tamen, ſi nihil aliud, numerum ſaltem augebit ad rejiciendas a *Pighio* temere ubique factas contra codicum conſenſum minime neceſſarias mutationes. Verum & aliis in locis uſui mihi erit. Exemplo ſit quod 1. 1. 7. in extern. ab omnibus conſtanter editur, *Athenienſes Diagoram Philoſophum pepuliſſe, quia ſcribere auſus fuerit primum, ignorare ſe an Dii eſſent, deinde, ſi ſint, quales ſint.* Ingenti profecto ἀνιςορησίᾳ. Nam Diagoras plane negabat Deos, dictus inde Ἄθεος, ut uno conſenſu tradunt omnes. Is autem, qui de diis iſto modo dubitavit, & idcirco ab Athenienſibus urbe expulſus eſt, Protagoras fuit, ut item inter omnes Antiquos conſtat. Immo Cicero de Nat. Deor. quem in margine notant a *Corrado* uſque (nam ab eo profectas primum marginales iſtas parallelorum locorum notulas reperio) agit quidem de Diagora, ſed tanquam Deos omnino

rejiciente. Protagoram vero ei plerumque conjungit veluti de Diis haeſitantem iiſdem pene verbis; quibus hîc utitur Valerius, qui, ut noſti, ſua ex Cicerone & Livio plerumque hauſit. Attamen edunt non modo hîc loci *Diagoram*, ſed & intactum omnino praetereunt quantum eſt interpretum. Habet autem tuus codex *Pytagoram* una cum Lugdunenſi minore. Nam ceteri, quos excuſſi, iſta ignorant aeque ac priſcae ante Aldum edd. haud dubie quia ſunt non ipſius Valerii, ſed verae ejus Epitomes verba, ideoque & multum diſcrepant a reliquis Valerii exemplis, & a pleriſque codd. abſunt. Pulchre autem intelligis, Vir Eruditiſſime; quam ſaepe librarii pro ignotiore ſibi nomine ſubjecerint notius. Ita & hîc factum, dum pro *Protagora* nobis obtrudunt *Pythagoram* longe celebriorem altero, unde Aldus videtur feciſſe *Diagoram*. Deprehendi poſtea etiam *Paul. Leopardum* iſtud vulgatarum edd. vitium obſervaſſe, ac recte emendaſſe, quo turpiore ſilentio noviſſimi id Interpretes praetermiſerunt. Tuam in Vellejo conjecturam ingenioſiſſimam agnoſco. Et locutio eadem prorſus eſt, quae apud Phaedrum lib. 1. *Latrare pro re domini*. Verba ſunt Canis ad furem: *Linguam vis meam praecludere, Ne latrem pro re Domini:* plane ut hîc Caeſar ex emendatione tua dicitur *militaſſe pro re civium*. Sed tamen; quia id bellum invitis maxime civibus gerebatur ἐς ἰδίους ἐχθρούς, καὶ ὑπὲρ οἰκείας δυναστείας, ut aperte Appianus, putem nimis manifeſto falſam rem in hiſtoria ſua, nulla prorſus neceſſitate cogente, ponendo contaminaturum eam fuiſſe Vellejum, ſi ita ſcripſiſſet. Nec enim ipſe Octavianus diffiteretur bellum hoc fuiſſe civile & privatum. Quod ut ſimpliciter & leviter ſignificaret, (id quod eum etiam ſub Octaviano potuiſſe ſine offenſa facere cenſeam) & a publico contra communes patriae hoſtes (de quo in altero hujus periodi membro) diſtingueret Vellejus, crediderim adhuc ex mea emendatione eum ſcripſiſſe, *dum Caeſar tam proſpere ſibi in Sicilia*, in civili bello, *Fortunam in Caeſarem & Remp. militaſſe ad Orientem* publico bello. In quo ſatis ſane Caeſari adulatur, dum quicquid boni vel mali ab hoſtibus eveniebat Reip, etiam Caeſari, ante Remp. memorato, tanquam omnia jam ad ejus curam pertinerent, quamvis vivo adhuc Antonio, eveniſſe ait, ut nihil prorſus timendum habuerit, ſi prius bellum Caeſarem *ſibi* geſſiſſe dixerit, quod negari minime poterat. Accedit, quod ipſe Auctor ſuperius cap. 77. *expoſtulante populi conſenſu pacem cum Pompejo initam*. cap. 79. *Creſcente indies & claſſe & fama Pompeji Caeſarem molem belli ejus ſuſcipere ſtatuiſſe*, non a Rep. vel civibus mandatam habuiſſe: *Caeſarem Pompejo bellum intuliſſe* dicat, immo nuſquam eo bello exponendo Reip. mentionem faciat, aut in ejus commodum vel incommodum geſtum eſſe vel verbo innuat, ſed contra in cladibus ipſum illum *Virum*, qui ſibi per ſe & legatos ſuos militabat, *humana ope invictum graviter fortunam concuſſiſſe*; denique Titio, qui Pompejum interfecerat, in tantum duraviſſe apud cives *contractum eo facinore odium, ut mox, exſecratione populi, ſpectaculo, quod ipſe praebebat, pelleretur*. Nolim tamen juvenis ego cum tua viri Eruditiſſimi, & judicio vere Excellentiſſimi auctoritate pertinacius iſta de conjectura contendere, & lubens hac in re, ut oportet, faſces tibi ſubmitto. Quod Ampliſſ. Dordracenorum Conſili

ſuli me diligenter commendaſti, gratiſſimum accidit. Nunquam hactenus Gymnaſiarchae provinciam ambivi, nunc tamen quia vereor, ne forte aliqua ignominiae procella in caput meum hac in urbe detonet, ubi *Cuperus* noſter nunquam mihi vere amicus, ut leviſſime loquar, depoſito Academico munere, *Terborchii* vices in Batavis exceperit, iſtius etiam muneris me petitorem profiteor, & avolare hinc aliquo, ubi nec Pelopidarum, noſti cetera, cupio. Quamobrem ſi quid porro tum iſtic, tum alibi commodare mihi & conſulere poteris, Vir Ampliſſime, eo facies mihi rem longe gratiſſimam, ne omnem aetatis florem in hoc infructuoſo & contemptiſſimo otio conſumam, aut hîc inimicis ſupplicare abjectiſſime cogar. Vale, vir Praeſtantiſſime, & me ama. Daventriae a. d. XVIII. Octobr. CIƆIƆCLXXX.

EPISTOLA L.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

GAudeo profecto immane quantum nonnihil emolumenti ſtudiis tuis eſſe latura, quae ad Valerium Maximum illuſtrandum proxime ſuggerebam. Nepotiani epiſtolam, e cujus bibliothecae latibulis eruerit, non teſtatur *Labbaeus*. Suſpicor autem illam e Schedis *Jacobi Sirmondi* deſcriptam, qui in codice Vaticano aut alio quocunque invenerit: cum proxime ſubjungat *Labbaeus* idem praefationem Fabii Fulgentii Planciadae de antiquis vocabulis e Vaticanis membranis proditam in publicum, quam *Sirmondo* pariter deberi opinor, qui Vaticanam non ſemel diligenti oculo erat perſcrutatus. Nam Romae aliquando *Labbaeum* fuiſſe non habeo compertum. Exſtat autem in Vaticana vetuſtiſſimum Valerii exemplar, & fortaſſis unicum per Europam, cum Pomponio Mela conjunctum, uti e *Luca* olim *Holſtenio* aliiſque cognovi. Meus Codex, etſi recentis notae, haud contemnendus mihi viſus eſt ob notam, quae in fine libri exhibetur, unde cognoſci datur ex alio pervetuſto Ravennae olim exarato fuiſſe deſcriptum. Sed tibi id diſquirendum relinquo. Ipſum autem Valerium quando commiſſurus ſis praelo typographico cupio doceri: qui ad incrementum famae tuae gloriamque conferet haud parum, ſi quid auguror. Obſervatio certe de *Diagora* & *Protagora* pulchra eſt in primis & tuo digna ingenio. Fortunas tuas mihi *Graevioque* noſtro commendatiſſimas eſſe dubitare noli, quibus tamen optatos ſucceſſus hactenus praeſtare non poſſumus. Venient meliora tempora, ut ſpero. Interim animum deſpondere noli: *ſed contra audentior ito, quam tua te fortuna ſinit.* Non es ſolus tu, mihi crede, qui infra meriti tui dignitatem haberis. Hoc igitur age, ut prolatis in publicum compluribus ingenii tui ac doctrinae monumentis, ad poſteritatem aliquando poſſis provocare de iniquis ſaeculi noſtri judiciis, ſi mercedem virtuti tuae debitam, quod abominor, non conſequeris. De Velleji loco ſtatues pro arbitrio. Memineris tamen velim, Tiberianis temporibus in publico omnia a

Divo Auguſto ſuſque deque geſta fuiſſe laudata, quod Tiberius ipſe in acta patris juraviſſet. Volebam plura, ſed totus adhuc langueo recens a morbo. Vale, decus artium bonarum. Vianae ad Leccam. Anno CIↃIↃCLXXX. a. d. XVIII. Novembr. Fuiſſe ex ſodalibus tuis nonnullos, plus aequo creditos tibi, qui apud Ampl. *Cuperum* nocere tibi ſint conati, quaſi de doctrina viri ſequius & ſentires & loquereris, perſuaſus ſum quodammodo ut credam. Nuſquam tuta fides. Adeo non deſunt, qui alieno candori inſidientur, & ſi quid improvide ac incaute magis quam maligne dictum eſt de quoquam, id detortum in pejus more proditorio gaudeant revelare. Hoc tibi in aurem. Iterum vale. Valerium Maximum in uſus Sereniſſimi Delphini nuper editum neſcio an videris, quem ajunt in bibliopoliis paſſim proſtare.

EPISTOLA LI.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PRolatae hucuſque reſponſionis ad ſuaviſſimas tuas, & praeclarum mei amorem ubique ſane praeferentes literas a. d. XXVIII. Novembris ſuperioris anni datas, cauſa fuit non tam intenſum hoc brumae frigus, quod omnia aduſſit, quam quod indies exſpectabam deſignationem Ampliſſ. *Cuperi* ad agendas partes, quas in communi foederatarum civitatum concilio ſuſtinuit ὁ μακαρίτης *Terborchius*, ut illam, quam & quinto abhinc die jam factam accepimus, tibi nunciarem. De quo honore ſi per literas ei gratulaberis, mihi rem facies longe gratiſſimam, & cetero tuo in me ſtudio congruentem, ſi quam mei adſperges mentionem. Namque ipſo ad amplius dignitatis faſtigium producto, novum deſiderabit Doctorem Schola noſtra. Quod nuper me monebas de iis, qui Clariſſimo viro inſuſurraverint, quaſi de eruditione ejus ſecus ſentirem, in eo quoque benevolentiam tuam certam & fidelem agnoſco, & multum me tibi eo nomine debere profiteor. Non dubito, ut ſolent delatores a veritatis ſemita longiuſcule deflectere, quicunque is fuit, falſa eum magis quam vera pertuliſſe. Et exputare haud queo, in quem meorum ſodalium, quos revera pauciſſimos habeo, illud quantum eſt, flagitii conferam. Quum excutio dictorum a me conſcientiam, non ignoro ſemel aegrius me tuliſſe apud *Joh. Ortwinium*, hujus Scholae Conrectorem, quod reliquum de publico nobis debiti, plus quingentis florenis SCto circumcidiſſent, & ſolutionem, quae necdum facta eſt, tamdiu morarentur. Eam rem & ille Cl. viro parum bona fide retulit, & is iniquius tuliſſe viſus eſt, immemor, injuriarum dolorem ſemper eſſe querulum. Quod bene de Valerio meo auguraris, & obſervationem de *Diagora* in *Protagoram* mutando laudas, gaudeo majorem in modum. Similiter in hiſtoriam, ut ego quidem cenſeo, peccarunt qui lib. VIII. cap. 14. ex. 1. in externis, haec verba hunc in modum formata nobis reliquerunt, *Marathon nimirum animum ejus* (Themiſtoclis)

&

& Artemiſium & Salamis, navalis gloriae fertilia nomina illuſtranda tacitis facibus incitabant. Nihil hîc interpretes. Nec multum praeſidii a MStis, niſi quod longe rectius *Salamina* exhibent, quo *Vorſtius* utitur ad probandam hanc ejus nominis figuram *Salamina, Salaminae*, non apud Juſtinum modo, ſed & Oroſium, Hyginum, Ampelium & ceteros ejus aetatis obviam. Verum quomodo quaeſo Artemiſium & Salamis navali victoria ab ipſo Themiſtocle, ſed diu poſt, illuſtrata, & quae idcirco ipſe Auctor adhuc *illuſtranda* dicit, cum jam tunc, quum propter Miltiadis tropaea noctes inquietas ageret, incitare, & ad quid potuerunt? Quomodo, ſi Miltiadis tropaea erant, quae illum de ſomno excitarent, inter ea referri Artemiſium & Salamis, nihil utique ad Miltiadem pertinentia, ut probe noſti, poterunt, aut inter navalis gloriae fertilia nomina poni Marathon? Legendum arbitror: *Marathon nimirum animum ejus ad Artemiſium & Salamina nav. gl. fert. nom. illuſtranda tacitis facibus incitabat.* Nempe Artemiſium & Salamina victoria navali inſignes & illuſtres reddidit virtus Themiſtoclis, ad quam data occaſione iſtis locis exſerendam eum incitarunt Marathonia Miltiadis tropaea. Livius, *Ad nobilitandas Romana clade Cannas profecti ſunt.* Florus, *Aemilio Themiſtoclem aequavimus, Epheſiis Salamina penſavimus.* In Vellejo tuo mentio fit Regis Thraciae, quem *Rhaſcupolin* antiquus illius codex videtur vocaſſe. Sed malunt viri Docti ex Tacito *Rheſcuporin*, & acceſſerunt illis nuper viri Summi *Seguinus* ac *Spanhemius* in diſſert. pag. 85. auctoritate nummi, in quo Βασιλέως Ρησκουπορ. inſcriptum ait *Seguinus*, quamvis, quod valde miror, in ipſo Seguiniani iſtius nummi ectypo tantum ΡΗΣΚΟΥΠ. non ΡΗΣΚΟΥΠΟΡ. exhiberi videam. Et praeterea teſtatur idem Nummi dominus, *rudem eſſe, inconcinnum, & ab imperito artifice olim cuſum, ut vix aliquid hominis in capitibus deprehendas.* Quod ſi ita, vereor ne & litterae vel a barbaro homine parum recte ſint expreſſae, vel illa ipſa ruditate obſcuratae fuerint, certe multum conveniunt Λ. & Ρ. Nam Η. & Α. quamvis & ipſae figurae valde ſibi ſimiles, diverſitate tamen dialectorum, & pronunciationis variari apud Auctores potuerunt. Multum me confirmat, quod non modo apud pleroſque Auctores illud Thraciae regulorum nomen ita ut apud Vellejum *Rhaſcupolis* ſcribitur, ſed & quod Appianus ἐμφυλ. 4. duos ex eodem tractu fratres nominat, quorum alter Ράσκος, alter Ρασκούπολις fuerit vocatus, commodiſſima compoſitione, quae & in plurimis aliis Nominibus propriis hominum occurrit. Talia annotavi ex Herodoto Ηφαιστόπολις, ex Livio *Abrupolis*, ex eodem & Polybio *Ageſipolis*, tum Σωσίπολις & Νικόπολις ex Plutarcho, aliaque ſimilia, quae nunc non occurrunt. At vero Ρησκούπορις quae forma, quae compoſitio? Terminatio certe muliebris eſt nominis, non virilis. Nam ut a Dorus, *Doris*, a Chlorus, *Chloris*, ſic a Porus *Poris* eſt faemininum, & feminae tribuitur in inſcr. 144. apud Rupert. ad Reines. Epiſt. 41. quamvis id *Reineſius* pag. 537. & 577. ex conjectura more ſuo mutet, ſed male mea ſententia. Vale, vir Nobiliſſime, maximum, ita vivam, hujus ſeculi ornamentum, ac meum praeſidium. Vale, iterum & bene age. Daventriae a. d. XVII. Januar. CIƆIƆCLXXXI. quem annum & multos alios deinceps ut feliciter de-

 cur-

curras, deum ſupplex veneror, qui mihi teſtis eſt, illud me non auribus tuis dare, ſed vere & ex animo ſentire.

EPISTOLA LII.

NIC. HEINSIUS

Jac. Perizonio.

Daventriam.

NOlim ex infrequentia mearum litterarum apud te ſtatuas, mi Perizoni, fortunas tuas reſque caeteras minori, quam oporteat, eſſe mihi curae. Valetudinis ſunt incommoda, quae officiis me demereri amicos ut plurimum non ſinunt. Huc acceſſit, quod ſpes erat facta Ampl. *Cuperum* propediem nobis in tranſcurſu adfuturum, quem coram conciliari tibi poſſe collatis operis ego ac noſter *Graevius* opinabamur, quando per litteras id parum ex ſententia ceſſiſſet nobis. Sed nec ille hactenus comparet, & ego inter Daventrienſes auctoritate pollentes notum habeo neminem, cui res tuas tuto commendem. Cum difficultate horum temporum cumque adverſa fortuna toties tibi eſſe luctandum, quem rebus proſperis ac florentibus cumulatum ut videremus artium bonarum intererat, permoleſte equidem fero: etſi plurimum praeſidii ac ſolatii ad te redundare ex uberrima litterarum, quibus pulcherrime es inſtructus, cognitione non eſt quod dubitetur. De *Ortwinio*, tibi, ut ſuſpicaris, apud Ampl. Virum inſidiato, nihil habeo comperti. Alios fuiſſe, qui candori & ſimplicitati tuae delationibus ſuis nefarie illuſerint, videor poſſe ſuſpicari. Si permittet valetudo, Aprili menſe excurſum ad Haganos parabo, tui cum maxime futurus memor, quando illic incidere dabitur, ut ſpero, in illum, a quo fortunae tuae potiſſimum nunc pendent. Ceterum quod ſpecimen tuae in Valerio Maximo caſtigando induſtriae novum proponis, id ſitim mihi vehementer accendit, qua flagro, videndi in publico lucubrationes iſtas, unde exiſtimationi tuae apud homines eruditos plurimum incrementi acceſſurum auguror. De nomine regis Traciae *Rhaſcupolis* etiam probabilis eſt admodum, nec modicam meretur laudem tua conjectura. Certe apud Lucanum libro v. verſ. 55. *Raſcipolin* codices plerique horum, quos magno numero adhibui jam olim ac cum vulgatis libris commiſi. Voſſianus tamen unus, quod mireris, iſque omnium praeſtantiſſimus, *Raſciporin*. Valerium Maximum ſtudiis Sereniſſimi Delphini dedicatum nondum vidi, ut nec Ammianum Marcellinum curis ſecundis Valeſiorum fratrum ac Lindenbrogii illuſtratum. Mors *Danielis Elzevirii* detrimenti non parum bonis artibus tulit, quam tamen moderate feremus, ſi tuis inde ſtudiis damni nihil imminere cognoſcimus. Vale, meum decus. Vianae ad Leccam. CIↃIↃCLXXXI. a. d. XVI. Martii.

EPI-

EPISTOLA LIII.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TAntum quod acceperam Bibliothecae Cruſianae Catalogum, cumque eo litteras ad te jam dare deſtinabam, vir Ampliſſime, cum tuae mihi nudius tertius redduntur, ſolennis tibi humanitatis, atque ſingularis in me ſtudii uſque quaque refertae. Vellem profecto vel centeſimam partem ea, quam in te exoſculor, ingenii liberalitate praediti eſſent etiam ceteri, qui tamen diſciplinis humanitatis cenſeri volunt. Nunc multi contra ita agunt, tanquam ſi unice laborent, ſuis moribus confirmare eorum voces, qui & nunc & olim jactabunt, litteras cultoribus ſuis nihil ad virtutem prodeſſe. Certe ego, in hac Urbe longe moderatiores, benigniores, humaniores, aequioreſque omnem in partem invenio, qui palam contemptum litterarum prae ſe ferunt, & hocce ad liberalium artium Gymnaſium, tanquam quod juventutem a labore & negotio ad otium & ignaviam avocet, abolendum cenſent, quam qui volunt videri ingenuas artes fideliter didiciſſe, earumque teneri ſtudio & amore. Etenim illi, quocunque tandem ſint in litteras animo, tamen, ſi publice earum Doctores ſint conſtituendi, bene meritis maxime mandari eam provinciam volunt, hi contra nullam ſe meritorum, nullam eruditionis habituros rationem, ſed ſolius partium ſtudii profiteri non erubeſcunt. Quid agas cum illis, quibus nihil juſtum, nihil aequum, niſi quod ipſis lubet? De me ſi jam per litteras cum Ampliſſ. *Cupero* egiſti, gratiſſimum habeo, & ita nihil eſt amplius, quod me apud illum in gratia ponere ultra labores. Sin nihildum litterarum ad eum dediſti, ne me prorſus a te negligi putet, aut tui judicii atque amoris ornamento indignum haberi, magnas tibi debebo gratias, Nobiliſſime Heinſi, ſi mea illi ſtudia, ſuorumque ipſius ſtudiorum ſectam, communemque cauſam, atque hujus Athenaei utilitatem commendabis, praeſertim quum meus competitor, non tantum ipſe omnium, quorum poteſt, commendationibus utatur, ſed etiam per ſuos Amicos, quos Trajecti habet rerum potentes, meorum, ubi a te diſcedo, facile Principem, *Graevium* noſtrum mei commendatione prorſus abſtinere induxerit. Fidem tamen tuam, ut pro me in omnibus interponas, minime poſtulo. Etenim ſi quidem ſatisfieri illi poteſt bene agendo, bonum publicum fideliter curando, impoſitum munus diligenter obeundo, bene de me meritas gratias, quas oportet, habendo atque agendo, ac nemini eorum vel verbis vel factis animum aut os laedendo, nihil omnino deſiderari in me patiar. Sin eo eſt animo, ut me velit omnes capere inimicos, quos ille habet, qui in hac civitate Vergae Hiſpani Senatoris notior eſt nomine, quam ſuo, id equidem, ut nimis ἐπικίνδυνον, impetrare a me nequeo. Et obſecro, qui poſſum ullo modo, quum alii plerique praeter ipſum, & quoſdam proximos atque intimos ejus, inſigne mei ſtudium omni occaſione praeferant, etiam ig-

noti,

noti, etiam qui patri meo fuerunt infenſiſſimi. Melius forſitan de illo ſentias. Sed crede mihi, vir Praeſtantiſſime, quicquid ille praetexat, nulla eſt alia irarum in me cauſa, quam quod non potui negligere prorſus occidentem ſolem, de me & patre meo quondam bene meritum, in gratiam orientis, quodque veteres & paternos amicos in publico tanquam fulguritos aut territos non fugio. Ceteroquin tam nullas habet iniquitatis in me cauſas, ut etiamnunc putem, nec paucis argumentis, magis ſimulare illum quandam iram, nec tam animo habere conditam, quam verbis a fronte promptam, tantum ut me arctius illiget & implicet ſuis ſtudiis ac partibus, ignarus interim, ut videtur, longe majorem obligandi vim apud ingenuos homines habere illa beneficia, quae non ita difficulter dantur, nec valde diu inter manus dantis haerent. Vides, mi Heinſi, quam aperte meas animi cogitationes tibi committam, & ita agam, ut inter bonos agier oportere cenſeo, & mecum agi ſemper velim. Hagae in Batavis non invenies *Cuperum* noſtrum. Nam hîc nunc agitat, & aliquamdiu etiam haerebit. Deinde proficiſcetur in agrum, qui vetus Bataviae nomen retinuit. Alium te in hac urbe neminem habere notum, facile credo. Nec quicquam, quod infra tuam eſt dignitatem, poſtulo. Ceteroqui non inutile meae petitioni foret, ſi ampliorem paulo tui de me judicii ſignificationem non proprie ad unum aliquem, ſed ita, ut communiter omnibus, vel cui opus eſſet, oſtentari poſſet, ſcriptam, ad me mitteres. Verum, ut dixi, nihil prorſus ego, quod a tua perſona alienum forte cenſeas, poſtulatum volo. Dolebunt ſane non leviter mihi oculi, ſi me poſthabito in patria urbe, ad extraneum hanc ſpartam, cui ornandae me a puero paravi, deferri videbo, ſed tamen, quicquid eveniat, durato corde feram, & necdum ſequius quid eventurum arbitror. In his libris ſi qui erunt, quos tibi comparari velis, tuo in me jure velim utaris, & quicquid lubet imperes, praefinito, quo pluris ne emam, pretio. Inſcriptionem lapidis M. CLAUDIUS. M. F. CONSOL. HINNAD. CEPIT. quam ita edidit *Joh. Faber* in imagines Urſini, Imag. 45. in qua ille elogium M. Claudii eſſe dicit, quaeſo te me doceas, num ab alio etiam ſit edita, & an plenior, & niſi multum ſit, quid addatur. Apud *Gruterum* non exſtat. Cauſas habeo, cur id ſcire majorem in modum cupiam. Vale, vir Excellentiſſime, & me ama. Daventriae a. d. v. Kal. April. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA LIV.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

POſtquam ultimas ad te, vir excellentiſſime, dedimus literas, varie fuimus jactati, modo ſpe erecti, modo abjecti metu, donec tandem nudius tertius ex illa diverſorum animi adfectuum agitatione erepti ſumus, deſignatis Profeſſoribus Theologiae *Dieſtio*, Humanitatis *Coetiero*. Hoc Ithacus voluit, & per artes illas patricias ſtudioſe egerunt Atridae ſeu Pelopidae noſtri. Rem omnem

nem ordine, ut geſta eſt, ſi operam dare voles exponere geſtienti, ſic habeto. Jam primum, quum exſpiraſſet *Terborchius* ſuperioris anni menſe Majo, & confeſtim Noſter ille petitioni ſe daret, ut demortuo ſufficeretur in harum civitatum concilio, quod eſt in Batavis, ego eventum, de quo nec alius quiſquam dubitabat, animo providens, ſtatim hominem, quem cum proximis ſuis alienatum a me ſentiebam, propter innocuam amicitiam cum aliis quibuſdam cultam, conciliare mihi omni modo ſtudui, non ſolum modeſtiſſime in omnibus me gerendo, eumque comiter appellando atque adeundo, ſed & eorum, quos mihi odium apud illos conflare ſciebam, uſum & congreſſum in publico, quantum honeſte poterat, vitando. Ille votorum tandem compos factus eſt ineunte hoc anno. Tum vero a me ſaepius & ſtudioſe rogatus, ut meis quoque votis favere vellet, ſubito faſtidio, ac inſolenti vultus verborumque acerbitate non modo coram ipſe excepit, ſed & per Curatores, qui tum omnes erant ejus propinqui, decerni, & a Senatu, ipſo praeſente & aſſentiente, licet quibuſdam contradicentibus, approbari, pridie quam Profeſſione ſe abdicaret, curavit, ut quos habebam centenos annuos a prioribus Magiſtratibus mihi datos, id quod in ipſis Vocationis tabulis Patri meo promiſſum fuerat, mihi eriperentur, & in alium conferrentur, nulla de cauſa vel praetextu, niſi quod neglexiſſem accipere occaſionem mei ad Rectoris munus producendi. At vero ipſe ille olim id mihi conſilium dedit, quum ante aliquot annos de Doccumana mecum ageretur Schola. Quod cum ſuperiore hebdomade in memoriam illi revocarem, confuſus aliquantulum, ad Harderovicenum negotium decurrebat, & cum ego reponerem, nunquam illius Scholae Praefecturam mihi delatam, meque, ſi delata fuiſſet, accepturum fuiſſe, reſpondebat haud dubie tamen eam impetraturum me fuiſſe, ſi eo profectus Curatores illo nomine appellaſſem, & prenſaſſem. Ergo res apud hos homines eo devenit, ut poena dignus habeatur, qui hujuſmodi ambitione uti non ſuſtinuit. Injuriam tamen illam tacite ego ſemper & moderatiſſime tuli, neque cum quoquam ullum ea de re verbum commutavi, niſi quod praeterita, ut dixi, hebdomade, quum jam deſperatiſſima eſſet mea cauſa, indignitatem rei breviter & modice omnino apud ipſum fui conqueſtus. Praeterea cum eopſe tempore rogarem eum, an, quoniam Athenaeo tunc jam vale dixiſſet, permiſſurus eſſet ipſe & Curatores, ut ſtudioſorum juvenum coetus, quae Collegia vocant, domi meae haberem, meque ita Magiſtratibus commendare anniterer, praeciſe id negagabat, ſcilicet, ne ullam in partem fieret hoc in negotio praejudicium. Poſtea ipſo jam in Batavos profecto, cum quidam ex Interpretibus Legis divinae, magnae vir Auctoritatis & Opinionis, me Proceribus commendare coepiſſet, deterritus eſt & rogatus, ut hac mei commendatione abſtineret, ab Hominis noſtri Adfine, uxoris Fratre, qui Curator erat, conſiliiſque ejus intimus, ut ex reſponſis geminis germanis mihi clariſſime liquebat. Ita ergo uſque quaque ſe initio geſſit, ut omnes exiſtimarent eum petitioni meae ſemper adverſaturum, quod non parum meis rationibus nocuit: interim enim Cl. *Coetierus* adveniens Curatores ac Conſules circumiit, atque inſuper diligentiſ-

ſime quibuſdam ab eorum Cognatis Arnhemenſibus commendatus eſt, eo ſucceſſu, ut unus manibus pedibuſque ſtudioſiſſime pro eo omnia tentarit egeritque. Noſter a Batavis redux antiquum obtinebat; competitorem meum ſine exceptione laudabat, me ita, ut ſtudia equidem probare, animo tamen alienato eſſe oſtenderet. Immo nuperrime quiſpiam e Conſulibus, qui partes illius ſequitur, multis mihi & diſerte narravit, ut illius maxime auctoritate adductus dudum *Coetieri* fautoribus ſuffragio ſuo ſe acceſſurum promiſiſſet. Ego tamen vel ſic bene ſperare & ſuperior videri, donec tandem a quibuſdam apud Sereniſſ. Principem Potentiſſimis viris, & maxime a Nobiliſſ. *Roſendalio* commendatus eſt alter, eoque nonnulli Conſules a mei ſtudio abſtracti, ſequentibus paucis aliis, ne irritum darent ſuffragium. Tandem vero ὁ δεῖνα mutari videbatur, & aliquam benevolentiae ſpeciem prae ſe ferre, ſed aſtute non niſi ante hos octo dies, quum jam adeo deſperata eſſet mea ratio, ut id ipſum eodem ſtatim momento profiteretur, & non tantum alios pleroſque, ſed etiam ſeipſum Cl. *Coetiero* addixiſſe ſuffragium teſtaretur, nullamque diceret ſupereſſe mei producendi rationem, niſi ut divideretur & munus & ſalarium, quod ipſe ceperat quotannis, atque ita ego Hebraicae & Graecae Linguae, alter Hiſtoriarum & Eloquentiae Profeſſor deſignaretur. idque ut fieret, ſe operam daturum recipiebat. Verum illud haud ſcio, quo animo & conſilio promiſſum ab illo & in ſpeciem tentatum, certe eventu, ut facile ſuſpicari poteram, caruit. Hodie, quo primum benignius ille mecum agere coepit, facta eſt a Curatoribus Nominatio, qui nunc alii a prioribus, & a me non alieni ſunt, mei tantum & *Coetieri*, & mei quidem principe loco. Poſtero die cum duo Conſules domo abeſſent, & duo item eſſent abituri, ideoque ſuffragia ſua tabulis conſignata relicturi, ab eorum altero, qui mihi favebat, rogatus, uter noſtrum eſſet dignior, cui ornanda mandaretur haec ſparta, ut ex animi ſui ſententia reſponderet, fateri publice in Senatu coactus eſt, me illum eſſe, ſed utrique recte mandatum iri. Hanc in ſententiam ab ipſo tunc dictam diſceſſuri primo *Coetieri* fautores videbantur, dum ſcilicet aderat Ampliſſ. *Borgerlingius* praecipuus eorum, qui mihi ſtudebant, verum illo profecto, ſtatim poſtea, arceſſito clanculum *Coetiero*, obviam ierunt. Volebat ergo noſter me denuo ambire Conſules, utque ex ipſius ſententia *Coetiero* adjungerer, ſupplicare. Sed enim, quum incaſſum a me hanc operam ſumptum iri praeviderem, contra intendentibus jam illis, nec paucis etiam eorum, qui mihi quidem favebant, ſed tamen haud facile rem adeo inuſitatam, & maxime ab illo profectam accepturi, & praeterea id rogare indignum prorſus & indecorum cenſerem, reſpondebam non poſſe me id ſalva exiſtimatione facere, nec ab animo impetrare. Recipiebam tamen, ne quid cauſari poſſet, me de integro Conſulibus ſingillatim meam petitionem commendaturum, & ubicumque illius ſententiae injiceretur mentio, declaraturum voluntatem eorum vel ſic mihi fore acceptiſſimam. Verum id nullo fuit ſucceſſu, ipſo, ut arbitror, non illubente. Deſignatus eſt ergo unus Clariſſ. *Coetierus*, atque ego duobus ſuffragiis ſum victus. Nam praeter Principem Senatus & Curatorum Ampliſſ. *Voſſium*, qui

ornatiſſima me honeſtavit ſententia, duo alii e Senioribus me decreverunt. Feciſſent idem tres e junioribus, niſi me jam victo & dejecto acceſſiſſent ceteris, id quod in dicenda ſententia unus palam eſt teſtatus. Fateor equidem eſſe hanc mihi non omnino nullam ὀμμάτων ἀλγηδόνα, quod extraneum mihi civi praelatum video, ſed tamen patienter & durato corde fero, quicquid in eo eſt moleſtiae & dedecoris. Quanquam quid in eo dedecoris, quum is, qui ſuffragio ſuo alterum praetulit, me tamen audientibus omnibus in Senatu pronunciarit digniſſimum, reſque illa ſit in magna apud omnes cives invidia. Cui leniendae comminiſcuntur nunc rem ante inauditam, me ante aliquot annos famoſo carmine laceraſſe Magiſtratuum exiſtimationem. Quo argumento? ſi quaeris, haud alio, niſi quod Latini in eo fuerint verſus: quaſi in tota civitate nemo eſſet, qui pauculos verſus Latina lingua pangere queat. Et vero Deum iratiſſimum habeam, ac peſſimis diſpeream modis, ſi vel auctor iſtius carminis vel conſcius fui. Sed jurejurando ut me purgem, in hac quidem urbe, minime eſt opus. ubi nemo inani huic commento fidem habet, & omnes ſciunt, veram hominum illorum odii & iniquitatis in me cauſam eſſe, quod fato quodam accidit, ut ab ineunte aetate amicitia mihi fuerit cum quibuſdam quondam adverſariis illorum, qui nunc dominantur, idque aperte ὁ δεῖνα profiteri non erubuit, quicquid tibi vel aliis dixerit de mea ſuae doctrinae aut exiſtimationis obtrectatione, de qua cum mihi omnia nuper exprobraret, ne verbum quidem, ſed illud: *Ghy hebt altyt toegehouden met die gene, die ons ſoecken t' onderbrengen, en houdt daer oock noch met toe.* Scilicet, quia pater meus quondam per contentioſos Concionatores coactus eſt illis ſe adjungere, atque ego eos in publico non fugio tanquam fulguritos, ſed & aliquando cum iis confabulari ſum viſus. Vellem equidem aliquo hinc aufugere poſſem, ubi nec nomen Pelopidarum audirem, ſed tamen oculis conſulam, eorumque me aſpectu & occurſu ſubtraham, ſedeſque figam Amſtelaedami, atque ibi explicandis privatim utriuſque Linguae Auctoribus me dabo, quoniam & hoc nonnulli in me deſideraſſe volunt videri. De Inſcriptione, de qua nuper tecum egi, M. Marcelli, qui Ennam cepit, ſi explorati quid habes & alibi plenior invenitur, id, vir Nobiliſſime, ut mihi ſignifices, iterum rogo, & porro de me bene ſentire, ac mihi favere pergas. Vale, vir Ampliſſime, & antiquum tuum animum ac voluntatem mihi ſemper integram ſerva. Daventriae a. d. VII. Kal. Majas CIƆIƆCLXXXI.

EPISTOLA LV.

JAC. PERIZONIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Dedi nuper ad te litteras, vir Ampliſſime, quibus nunciabam deſignationem Profeſſorum in hoc Athenaeo. Qua de re eo ego vere ſum animo, ut non tam doleat ipſa repulſa, licet parum mihi, quippe in patria urbe, honeſta, quam quod vereor, ne Amici, quorum tu mihi, Nobiliſſime Heinſi,

vere es inter Principes, mea quadam culpa eam mihi eveniſſe ſuſpicentur, & quod non dubito fore, ut id praetexant inimici, & quicquid ulla veriſimilitudine apud ignotos hujus Urbis fingere poterunt, de me comminiſcantur, ac praedicent. Culpam admiſi, fateor, ſi ea culpa eſt, quod non omnem vitam, omnem orationem, omnia dicta & facta ad ſolorum horum hominum aures, ſtudia, voluntatem atque in alios optimos viros iniquitatem accommodavi. Nam ubi paulo plus adbiberunt, diſſimulare non verentur hîc quidem loci, in eadem ſe eſſe ſententia, in qua erat Cn. Pompejus ad bellum civile in Theſſaliam proficiſcens de mediis & neutrius partis hominibus. Certe hac ipſa hebdomade Adfinis quidam ȣ̃ δεῖνα in vino ad Praeceptores hujus Scholae, cujus eſt Curator, dicere non erubuit, neutiquam haberi ſatis, quod nonnulli putent, quiete & ſilentio uti, ac rebus publicis omnem in partem ſe abſtinere. Debere quemque palam ſe applicare, ſuumque animum ac ſtudium declarare & probare iis, qui potentia inter Proceres plus valeant, ſi quis velit Magiſtratuum benevolentia ſe tueri ac munire. Verum ego hac ratione vitam inſtituere nunquam potui, ut ad captandam potentiorum gratiam homines etiamnunc benevolentes & olim bene meritos odio habeam, vel ſaltem odium & alienum ab iis animum ſimulem, qua una re adverſae factioni, nunc rerum potenti, ſtudium meum probare, ac demereri tam exulceratos & iniquos animos forte potuiſſem, nec enim aliter ullius rei fidem habent, aut bene volunt iis, qui vel ipſi, vel quorum patres familiariter quondam cum ſuperiorum temporum Proceribus vixerunt, niſi vel matrimonio ſe dominanti familiae alligent, vel apertas inimicitias cum prioribus amicis inceptent. Verum non mea eſt iſthaec inconſtantia; ideoque certum mihi eſt hanc urbem quamprimum ſuis novis moribus & novis dominis relinquere, meque alio potius conferre, ubi, ut oportet, vivendo aequis & bonis viris me & meos mores probare queam. Ceterum dum in hoc conſilio totus ſum, nec opinanti nunciat *Ryckius* noſter *Thomam Munkerum*, virum vere doctiſſimum, & ſummum mihi amicum, acerba nobis omnibus morte ereptum, ſeque quanto poſſit ſtudio id agere & porro acturum, ut ea provincia mihi mandetur. Nunquam ſane majore ſtudio de me producendo laboraſſe videtur vir Optimus, quia, ut ipſe narrat, apud Proceres iſtius Civitatis aliqua ſe valere gratia arbitraretur, tanto minus nunc vellem hos illius conatus in nihilum recidere, ne deinceps de me juvando prorſus deſperet. Ampliſſ. *Aſſendelftio* ipſe me coram commendavit. Ceteros Curatores (nam Curatorum plane eſt in manu res omnis) conciliari mihi poſſe ait per Ampliſſ. *Bleyſwikium*. Ad hunc, quoniam ipſius inter Amicos ſe numerat, de hoc negotio literas jam dedit. Sed tamen quoniam virum Ampliſſimum tuae maxime auctoritati his in rebus plurimum tribuere pro explorato habet, monuit me, ut nulla interpoſita mora te, quantum poteſt, rogem, ut me Ampliſſ. *Bleyſwikio* diligenter tui judicii teſtimonio ornatum tradere velis, & id inprimis agere, ut per ipſum nominatim *Adr. Bogartio* Beloiſii Domino, Conſuli & primo Curatori, atque *Antonio*

tonio Heinſio Syndico, qui duo multum illi auſcultent, ſtudioſe commender. Quid faciam, mi Heinſi? toties jam per litteras de hujuſmodi rebus te compellavi, ut ſummo jure verear, ne tandem me tanquam importunum & moleſtum amicitiae tuae cultorem prorſus rejicias ac valere jubeas. Verum tamen quoniam exploratiſſima mihi eſt tua facilitas ac liberalitas ingenii, & ſalva tuae perſonae dignitate fieri poſſe puto, ut Amico commendes fortunam Amici, in eo praeſertim negotio, cui ſuſtinendo & agendo commode parem eum cenſeas, iterum te rogare & majorem quidem in modum volui, ut deſideriis noſtris obſecundare velis, & quamprimum (nam competitores habeo vigilantes, & quoniam ſecundus a Rectore locus itidem vacat, brevi haud dubie res tranſigetur) cum Ampliſſ. *Bleyſvikio* per litteras agere, ut is modo laudatos duos Curatores mihi conciliare ſtudeat, & quoniam id unum, quod nondum docui, ne obſit forte, veremur, in ſcrupulo hoc, ſi qui ſit, removendo aliquantum immorari ſuſtineas. Aetatem enim habere me jam noſti huic muneri parem, cui ſi accedere diligentiam, & inprimis ſi quid judicii putes, nec mores nimiae ruſticitatis aut ingenium inſcitiae condemnes, facili negotio hunc timorem, ſi qui forte exoriatur, occupare refutando poteris. Qua in re ſi facilem te, ut ſpero, mihi praebueris, ingentem ad priſtina tua merita adjicies cumulum, meumque ſtudium incredibiliter denuo accendes & augebis, omni qua poſſum occaſione dum vivam, etiam abſenti immortales agendi gratias, tuaſque animi virtutes, & merita praedicandi. Vale, vir ſumme, & me amare perge. Daventriae a. d. XIX. Maj. CIↃIↃCLXXXI.

ERRATA In Tom. IV.

Pag. 4. *lin.* 15. CIƆIƆCLXV. *lege* CIƆIƆCLV.
7. *l.* 9. jactarem *leg.* lactarem
l. 14. qui tibi *leg.* quod tibi
l. 36. ne *leg.* me
24. *l.* 19. eundem cauſo *leg.* eandem cauſam
41. *l.* 32. Lamcium *leg.* Lambecium
55. *l.* 16. ſcio *leg.* ſuo
63. *l.* 2, tumultus *leg.* cumulus
64. *l.* 9. Schieſſio *leg.* Schiaſſio
84. *l.* 26. damnabimus *leg.* damnabimur
21. *l.* penul. mutaretur *leg.* multaretur
92. *l.* 35. CIƆIƆCLXI. *leg.* CIƆIƆCLXXI.
98. *l.* 34. lumen *leg.* limen
101. *l.* 13. quae *leg.* quas
107. *l.* 9. confodendam *leg.* confodiendam
108. *l.* 24. acceptus ſerenis *leg.* deceptus ſereni
110. *l.* 12. niſi *leg.* ſi
218. *l.* 10. Regina *leg.* Reginae
140. *l.* 33. literiorum *leg.* literionum
145. *l.* 37. XIII. *leg.* XVII.
147. *l.* 28. ſperare *leg.* ſpirare,
160. *l.* 21. Carolus *leg.* Colerus
172. *l.* 2. comparari *leg.* comparavi
183. *l.* 5. nationibus *leg.* narrationibus
233. *l.* 1. practexit *leg.* praeterit
l. 4. dederis *leg.* dederit
240. *l.* 26. reperiri *leg.* reperire
242. *l.* 5. preſſit *leg.* expreſſit
245. *l.* 1. ſcio *leg.* ſuo
247. *l.* 13. ſuaedae *leg.* ſuadae
264. *l.* 32. ac *leg.* impulſus, ac
l. 35. Minucio *leg.* Minucii
270. *l.* 7. eſt *leg.* eſſe
281. *l.* 30. inductas *leg.* indictas
294. *l.* 8. iltrix *leg.* altrix
300. *l.* 9. penſabat *leg.* penſabit
327. *l.* 28. cognitionem *leg.* cognationem
329. *l.* 11. opinor *leg.* opiner
330. *l.* 31. occultior *leg.* occulatior
332. *l.* 36. αἰδεσμιώτατον. *leg.* αἰδεσιμώτατον
342. *l.* 22. loquentis *leg.* loquentes
348. *l.* 9. quantum *leg.* quantus
359. *l.* 22. ἂν *leg.* ἦν
378. *l.* 24. eſt *leg.* eſſe
384. *l.* 15. totos *leg.* toto

Pag. 397. *l.* 26. praefectionem *leg.* profectionem
416. *l.* 24. ſtrictas *leg.* ſtructas
419. *l.* 23. Gallos *leg.* Gallis
420. *l.* 19. & invida *leg.* ex invidia
423. *l.* 27. tui *leg.* tuo
427. *l.* 3. aſſererit *leg.* aſſereret
428. *l.* 31. admirantis *leg.* ad mirantis.
451. *l.* 21. promitto *leg.* permitto
479. *l.* 22. finem *leg.* funem
484. *l.* 9. in ejus *leg.* in quo
521. *l.* 30. LXXVII. *leg.* LXXVIII.
524. *l.* 3. lecto *leg.* loco
551. *l.* 34. πηελκοπῆς, συέχειαν *leg.* παρελκοπῆς, συνέχειαν
560. *l.* 4. inita *leg.* irrita
l. ult. Batavica *leg.* Batavicae
589. *l.* 36. feritai *leg.* feritati
580. not. *l.* 2. ad *leg.* ab
593. *l.* 35. opem *leg.* opum
595. *l.* 26. hanc *leg.* hunc
607. *l.* 20. quem cum *leg.* quem enim
611. *l.* gerebam *leg.* geretam, excuſſiſſem
621. *l.* 34. lactaremur *leg.* laetaremur
623. *l.* 11. a quo *leg.* a qua
648. *l.* 28. Satyricis *leg.* Satyricos
752. *l.* 25. παρέργμα *leg.* πάρεργμα
653. *l.* 34. geſtae *leg.* geſtas
656. *l.* 18. curare *leg.* curari
657. *l.* 2. induere *leg.* inducere
664. *l.* 32. me *leg.* de
665. *l.* 37. Africam *leg.* Africani
666. *l.* 15. generi *leg.* ſoceri,
668. *l.* 20. heſteri *leg.* heſternas
670. *l.* 22. Principem *leg.* ad Principem
671. *l.* 22. conceſſum *leg.* conceſſam
687. *l.* 2. cum *leg.* eum
688. *l.* 9. Fagelii *leg.* Fagelius
701. *l.* 26. qui *leg.* quia
733. ult. munent *leg.* maneant.
738. *l.* 5. aut *leg.* at.
742. *l.* 27. ſucceſſu *leg.* ſeceſſu
764. *l.* 28. ne *leg.* me
767. *l.* 3. perſtrepent *leg.* perſtreperent
812. *l.* 21. commentarius *leg.* commentarium
813. *l.* 22. mutanti *leg.* nutanti